GVLIELMI

NDELETII

T. MEDICI, E

MEDICINÆ IN SCHOLA
Monspeliensi Professoris Regij
& Cancellarij

us curandorum omnium morborum corporis humani, in tres libros distincta.

EIVSDEM

De { *Dignoscēdis morbis.* *Febribus.* *Morbo Italico.* }

De { *Internis & externis.* *Farmacopolarū officina.* *Fucis.* }

mnia nunc in lucem castigatiùs edita.





APVD IACOBVM STOER.

M. DC. IX.

GENEVÆ.



TYPOGRAPHVS CANDIDO LECTORI.

QVEMADMODVM strenuus pater liberos suos non tantùm ad virtutum studia promoueri obnixè curat, verùm etiam vt illustres, magnanimi, Reique publicæ vtiles fiant totis nititur viribus: ita profectò haud minori studio doctus quisque in libros, quos suo marte conceptos ediderit, afficitur, illos colit, atque intimè fouet: vtque probus genitor pulchra probáque prole gaudet ac gloriatur, sic sanè doctorum operũ autor, ea vt proprios fœtus à laudatis commendari, amplecti (quoad superstes est) ac decorari ma-

ximè cupit. Quòd si quispiam in re Medica propaganda his calamitosis temporibus affectus fuerit, in his Guliel. Rondeletius nomen suum profiteri meritò potuit. Illam enim de Piscibus doctiss. fœturam, atque alia multa perutilia opera enixus est. Non valuit autem (morte præuentus) Methodum suam curandorum omnium corporis membrorum, prælo mandare. Factum tamen est doctorum Medic. cura, vt ad fideliorem quàm fieri potuit exemplaris typum, eadem Methodus excuderetur: quanquam pluribus in locis, non solùm autoris sui iam defuncti, sed & diligentissimi emendatoris egeret censura. Deus enim omnia in omnes diuidit, alter vt ope alterius indigeat. Qua ratione pro virili effecimus, vt hæc nostra editio innumeris in locis emendatior in reipublicæ vsum prodiret, adiuti fretique monitu docti cuiusdam Medici (Rondeletij olim perfamiliaris) qui exemplar iamdiu à se emẽdatum, cúmqu

opt.

optimis exemplaribus collatum nobis exhibuit. Quare hunc noſtrum laborem iuuandi ſtudio ſuſceptum (Lector optime) vt & reliqua à nobis iam edita boni conſule. Quod ſi feceris, ad maiora tibi dicanda nos extimulabis.

Vale.







INDEX EORVM QVÆ TOTO HOC OPERE CONTINENTVR.

A

B

C

Causus.

N.Nausea


N

O

P

Tonsil-

D. GVLIEL-





D. GVLIELMI RONDELETII D. MEDICI, ET MEDICINÆ IN SCHOLA Monſpelienſi Profeſſoris regij, & Cancellarij,

CVRANDI MORBOS METHODVS, QVÆ VVLGO PRACTICA dicitur, in tres libros diſtincta.

De Alopecia, Ophiaſi, & Capillorum defluuio.

CAPVT I.



PILORVM amiſſio eſt, quæ à cauſſa præter naturam interna originem habet. Duas communes ex ſe parit differentias: vnam, quando qui decidit pilus, areæ ſpeciem in ea parte relinquere videtur, ex quo & areæ appellationem ſumpſit: alteram, in qua pili aut capilli ex omnibus capitis, vel corporis partibus defluunt ſine diſcrimine, & qui remanent, tenues & rari eſſe deprehenduntur, vnde capillorum defluuium nominata eſt. Sed de iſta poſterius, de altero verò primo loco dicẽdum. Huius quidem duo ſunt genera, quorũ alterum Græcè à vulpe Alopecia dicitur: vt cynanche à cane, vt cherades à porcis, propterea quòd illa animalia, tali affectioni ſunt obnoxia. Alterum genus tam Græcis, quàm Latinis à ſerpentibus nomen ſumpſit, vnde Ophiaſis appellatur. Ab iſtis verò Tyria nominata eſt affectio, quo Arabes nomine non ſolùm viperas, ſed ſerpentes omnes comprehenderunt. Hæ affectiones morbi ſpeciem vnam cõſtituunt, ſed ſi-

Amiſſio capillorũ duplex.

Alopecia & Ophiasis distinctio. gura differunt. Alopecia enim nullam peculiarem figuram habet, sed sub qualibet extenditur. At Ophiasis sub certa semper deprehenditur: quippe ab occipitio duorum digitorum latitudinẽ non excedens, ad aures duobus capitibus serpit: quibusdã etiam ad frontem vsque, donec sese duo illa capita in anteriorem frõtis partem iungant, ita vt speciem carinæ præbere videantur, in quo & aliud illarum affectionum discrimen exoritur: cùm Ophiasis sedẽ perpetuò in capite habeat, & infantibus solùm accidat, & ad lepram dispositis. Adde quòd læsam capitis partem, serpentis figura, glabram ostẽdit. Alopecia verò barbã, reliquásque corporis partes pilis à natura conuestitas non minùs occupat, quàm caput, nec minùs etiam alias ætates quàm infantiam, infestare solet. Præterea nunquam nisi ope medicamentorum euelli potest, cũ Ophiasis absq; vllo externo auxilio, suáque spõte interdum desinere frequenti experiẽtia posse videatur, præterquam in his, qui ad lepram dispositi sunt, maximè si cutis mollior sit & laxior. Commune autem ambabus est, quòd summa cuticula siue cutis externa emoriatur, qua ratione primùm extenuantur, deinde excidunt pili. Prӕterea si cutis pungatur, sanguis serosus in illis exire consueuit. Omnium verò illarũ perniciosissima censenda est, in qua cutis densior conspicitur, vel ꝙ subpingue tactui referens, aut ex toto glabra. Quòd si etiam per vniuersum corpus se extendat, materiámque à pituita acceperit, illã lepræ speciem inducit, quam thyriasim Arabes appellauerũt, sicut illi à sanguine ortã, quartum genus lepræ appellauerunt, quӕ rubra dicitur: & qui ea afficiuntur, rubri elephantes à Galeno dicuntur. Defluxus capillorum nullas notas tradidimus, quoniam ipsæ sensui sunt satis per se manifestæ.

Affectionum caussa.

CAussæ autem omnium illarum affectionum, aut ad humorum prauitatẽ, pilorum radices erodẽtium, aut ad alimenti, quod illos auget, penuriam, aut ad meatuum cutis amplitudinem, & laxitatem sunt referendæ.

Materia. Per humores, serũ omnium humorum intelligimus, vt sanguinis, pituitæ, vtriusque bilis, à quibus tantùm hos morbos posse excitari nos docet tũ Cornelij Celsi autori-

thoritas, cùm ait serosum sanguinem exire si cutis in his partibus pungatur, quæ hos affectus patitur: tum etiam ratio, cùm partes quibus consistunt, maximè sint remotæ, & venæ, quæ ad illas ducunt, valde exules, & angustę, cutis item illarum densa fieri non poterit, vt materia, quę crassitiem magnam habuerit, ad illas peruenire valeat. Quare tenuem illam esse oportet, quæ in eam sedem erumpere, & peruadere possit, quam tamen paulò crassiorem esse cōcedo ea, quæ furfures efficere dicitur, quam ad epidermida vsque peruenire tunc necesse est, cùm satis sit in capillorum defluuio veram cutem illo humore imbui. Quod autem frequentiùs & faciliùs his affectibus infestentur capitis, barbæ, superciliorúmque partes, cutis meatuum astrictio, densitásque in caussa est, quæ maior, quàm in aliis partibus vestimentis coopertis. Ex quibus manifestum euadit, nō aliam esse istorum affectuum materiam, quàm serum humorum, quo cutis verè imbuta est. Huic autem materiæ prauitatem inesse necesse est, quæ duplex est, communis & peculiaris. Communis prauitas est, quæ à communi humorum & veluti consueta putredine, & corruptela prouenit, talísque pueris capillorum defluuium in vlceribus capitis manantibus efficere consueuit. Peculiaris autem est, quæ certam quandam & insolitam malitiam aut ex adustione, vel alia quadam maligna & perniciosa constitutione cōtraxit, qualis est leprosorum, quibus ob eam causam superciliorum pili potissimùm decidere incipiunt, propterea quòd quemadmodum natura illos exiles fabricata est, ne in immodicam longitudinem, quæ esset incommoda, crescerent, sic ob peculiarem corruptionem in leprosis decidunt. Paulò mitior esse videtur humorum cōditio in ea morbi Italici specie, quam Peladam vulgus appellat, quæ non solùm superciliorum, sed barbæ, & capitis partes pilis denudat, quæ tamen tenuitate maiore prædita est, quàm in aliis speciebus & communi: vnde fit vt ferè semper cum furfuribus accidat. Quare operæpretium erit omnes Alopeciæ species, quas humorū impuritas constituit, quibus notis & proprietatibus inter se distinguantur, & discerni possint, hoc loco demonstrare,

Quæ partes citius afficiantur his.

Duplex materiæ prauitas.

Nota Alopeciæ à morbo Italico, & Lepra, & à communi humorum corruptela.

PRimùm quæ à morbo Italico ortum trahit, id peculiare obtinere videtur, quòd superciliorum citius, & barbæ, quàm aliarum partium pilos aggredi consueuit, subindéque eius partis capitis, quæ rarius hoc defluuiū patitur, vt sūt latera vtraq;, eò quòd caro musculi Crotaphite dicti, in illis cuti proximè subiecta sit in ea parte. In quo à caluitio distinguitur, sed hoc cum lepra commune habet, quòd in vtraque superciliorū amissio magna deformitate faciem deturpat, quamuis illa alopeciæ species, quæ lepræ soboles est, magis in superciliorum, quàm aliarum partium pilos grassetur. Huius propria sunt indicia quæ lepram indicant, vt nasus simus, oculi rotundi, nares contractæ, locus superciliorum prætumidus, totiúsque faciei color à rubedine ad fucum accedens cum tuberculis carnosis aliquando prodeuntibus, quæ omnia rarò in illa morbi Italici specie prodire deprehendūtur, vt nec illa symptomata quæ in aliis morbi speciebus frequentia sunt, cuiusmodi sunt capitis, atque articulorum dolores, sed illorum loco, papulæ, vel crustæ frequentissimæ in capite, interdum in mento, & aliis partibus cum furfuribus, & lassitudinibus vlcerosis, atque pruritu circa faciem aliísque partibus subsequuntur. Aliquando etiā scissuræ in manu, quæ præcesserunt vlcus in pudendis: quamuis citra concubitum possit illa lues cōtrahi, cùm quis vestes induerit, aut in eius lecto, vel cum illo dormierit, qui ea infectus erat. Solet etiam hæc pernicies in locis calidioribus vehementius & frequentius, quàm frigidis grassari, vt Romæ videre est, propter aeris ambientis æstum, qui corporis excremēta à centro ad superficiem euocare potens est. Tunc autem à communi humorum corruptela prouenire alopeciā iudicādum est, cùm ab illa notæ & indicia lepræ, & luis venereæ antea explicatæ fuerint remota. Hæc de capillorum defluuio ab impuritate humorum. Aliud verò est, quod propter alimēti penuriam accidit, ídque vel ætatis, vel morbi ratione, vt in senibus, in quibus caluitium appellatur, & iis qui à morbo acuto releuātur citra senectutē: in quibus tamen hoc interest discriminis, quòd calui-

Prima nota.

Signa lepræ.

Alia nota.

Quanto alopec. ab humorum corruptela.

Caluitiū duplex præter superiora.

caluitium ſenile ſenſim paulatímque prodire, & in media parte capitis cum fronte ad occiput ſoleat. Quod verò morbi ratione contingit, affatim & repentè magis ſæuire videtur, eò quòd non ſolùm ob alimenti defectũ, ſed magis à reſeratione & laxatione meatuũ procedat, qua ratione aſtringẽtia in illius curatione pręcipuè ſunt vſurpanda. Quare poſt humorũ impuritatem, & alimẽti defectum, tertia cauſſa defluuij capillorum in cutis relaxatione ponenda eſt, quæ cùm à nullo materiæ vitio excitetur, nec fœdum vllum in corpore, aut deformem colorem inducere poteſt, vt contra in communi alopeciæ, & à luis venereæ ſobole contingit, in quibus fœdus color nõ ſolùm illarũ affectionum eſt comes: ſed etiam humoris illas afficiẽtis eſt index, ídque in communi magis, quàm in venerea alopecia: propterea quòd iſtius malignitas magis ab humorum quadam prauitate quàm multitudine, vt communis, dependeat. Patiuntur interdum etiam quædam corporis partes pilorum defluuiũ: vt ſunt coxæ & tibiæ, cùm ſine interpoſitione longo tẽpore ſuis veſtimentis opertæ permanent, vt cuidam ex Cardinalis Turnonij comitatu accidiſſe vidi, qui quum plurimis diebus caligas non exuiſſet, tandem vbi voluit deponere, ſimul cum illis pilos illarum partium auulſit citra morbum. Hoc autem accidiſſe credidi, propter fuliginoſæ ſubſtantiæ retentionem, vnde putredinẽ quandam conceperat.

Aliæ turſus partes patiuntur defluuium capillorũ.

Prognoſtica.

HArum alopeciarum ſunt quędam, quæ curationem ſuſcipere poſſunt, quædam verò nullo modo: ex illarũ autem numero ſunt, quæ morbo Italico à communi humorum corruptela, & poſt morbum acutum fiunt. Sed quę à lepra & caluitio proueniunt, raro, aut nunquã curationem admittunt.

Curandi ratio.

SI qua igitur ſit, de cuius curatione bene ſperandum ſit, ea eſt, quæ humorum vitio propter putredinem fit, cuius curatio perficienda eſt frequenti & magna corporis purgatione, atque ſanguinis miſſione, ſi plethora adſit, præſertim ſi ab exuperantia ſeri ſanguinis hęc affectio ſit excitata: quod cognoſcitur ex cutis colo-

re rubeo,non inducto frictione, balneo,exercitatione, vel alia aliqua causa externa,aut si illa frixerit,statim ex leui frictione,vel à medicamento mordēte rubore perfundatur. Sanguis autē educendus à vena cephalica primo loco,postea tundere venam frontis oportet,vel potiùs,quæ in temporibus,quod magis cōuenire mihi videtur. Quòd si id non liceat,sanguisugę in occipitio,vel circuitu capitis, aut cucurbitulæ cum scarificatione eodem in loco admouere commodissimum erit. Magnum autem sunt ægri commodum percepturi, si sibi variis in locis caput pungi patiātur, postquam fuerit frictum, & à pūctura oleo calido dulci irrigari,ne tam citò foramina illa coalescāt,vel adipe anserino,vel porcino,vel vrsino,aut agnino vngi debent. Talis enim vnctio consolidationem illarum partium impedit, & dolorem, quem excitare debent,sedat,efficítque,vt melius & citius per alias vias educatur alopeciæ materia. Cum istis corpus est euacuandum frequenti & vehementi purgatione, vt syr.aliquo,vel apozemate potenter trahēte. Tales purgationes isti affectus postulant, & ij, qui à cacochymia concitantur, quia humores sunt in corporis habitu impacti, vnde difficillimè euelli possunt purgantibus medicamentis,nisi continuo & frequēti illorum vsu, qui à locis longinquis & remotioribus trahunt potentissimè. Nec solùm quæ per sedē,sed & quæ per vrinas vacuant, accommoda sunt. Serum enim sanguinis per medicamenta purgatur, quamuis non ipse sanguis. Vt morbi incremētum prohibeatur,in initio huius speciei,quæ à sero sanguinis fit, repellētia tutò quidem admoueri debent. Quæ verò id præstant, sunt ol.ros. omph. lentisc. ol. mastich.addito aceto, vel succo citri. Ab iis in processu morbi transeundū est ad modicè digerētia, qualia sunt,farina hordei cocta ex melle,vel olea leniter digerentia admixta astringētibus, qualia sunt olea ricininū, nucum. Aut eorum loco cōficiendū med.ex amygdalis amaris vstis:vel ex nucibus vel auellanis,radicibus calami vulgaris, vel ex thure, acerrimo aceto permixtis, & oleo laurino. Quæ autē cōponuntur ex euphorbio, alcionio,tapsia & adarce,item ex semine rutæ, & erucę,in hac specie reiiciēda sunt: quia plus æquo acria sunt, vnde flu-

Vnde mittendus sanguis.

Compunctio cutis.

Vnctio.

Purgatio.

Quibus increm. prohibetur.

Quæ reiicienda.

de fluxiones sanguinis vehementius in partem affectam excitarent. At in aliis speciebus eo nomine magis commendanda sunt & recipienda: tum quòd materia sit cõtinuatior, & difficilius digeri possit, tũ quia bonus sanguis, cuius penuria pars laborat, vtiliter ad illas attrahitur.

Curatio aliarum specierum à sero aliorum humorum generatarum.

CVm hę etiam species à cacochymia humorũ pendeant, non minùs est necessaria frequens, cõtinua, & vehemẽs in illis purgatio, quàm in superiori, nec minus etiam diligẽter totius corporis, atque partis color; tum victus ratio, quæ præcesserat, consideranda, vt humoris peccantis cognitionem habeamus. Similis enim efflorescit cutis humoribus in corpore exuperantibus. Ichores autem, succorum existẽtium in corpore nostro naturam retinent. Sic ergo curationem aggredior. Ante omnia pharmacum præscribemus minuendæ materiæ gratia, quod recipiet cath. vnc. j. vel. syr. ros. sol. vnc. j ß. quibus adiungemus parum diap. ad quantitatem aliquam vt drach. ij. pituitæ vel humorum adustorum vacuandam, subinde syr. humori vacuando idoneos exhibebimus, inter quos primum locum tenet syr. de fumaria vel de endiuia compositus cum decoct. similium herbarum, vel cum aquis distillatis, cùm hic affectus à calidis & assatis humoribus proueniat. Quòd si à pituitosis, ad superiora addemus mel rosac. syr. de stechade, de arthemis. Omnibus tamen affectibus ex æquo accommodari potest syr. capil. ven. vel herba capil. verbenæ, & abrotoni decoctum. His factis cùm præparatum corpus esse videbitur, ad fortiora pugnando transeundum, cuius generis sunt ex pilulis de fumo. de quinque generibus myrobal. pillul. indæ, & fœtidæ. Aliæ similiter, quæ lapidem laz. recipiunt vel elleborum, si morbus inueteratus, & à melancholia existat. In biliosa enim constitutione, quibus aliquid scammonij additum est, pillulæ accommodatiores sunt, vt in pituitosa, quæ colochintidem, vel trochiscos alandal recipiunt, vt sunt pillulæ cochiæ, de agar. & similes. Ex opiatis

Principiũ curation.

Syr. ad humores adustos, & aqua.

Pillulæ ad mel.

Ad pitui. confectiones.

autem confectio hamech. diap. indum maius, elec. de citro & similia elect. quæ potenter euacuant. Postero die, quo medic. erit assumptum, aliud rursum erit exhibendum, quo quicquid materiæ reliqui est in penitioribus partibus, per sedem aut vrinas educamus. Interea multo cibo non est replendum corpus, donec habitus corporis diligenter expurgatus erit, ne si alimenti copia corporis repleatur, excrementa tantùm communia egerantur, humor autem attrahendus remaneat. Quare si per virium robur liceat, ex eo apozemate singulis matutinis ad quintum aut sextum diem continuò vtendum erit. Sin minus, post secundum aut tertium diem intermittere vnum aut alterum diem licebit. Hic enim euacuandi modus efficacissimus est in omnibus cutis affectibus, quos humorum vitium parit. Conficitur autem istud apozema ex medic. serosos humores euacuantibus in hunc modum.

Apozema.

R. Rad. lap. ac qr. j. rad. brioniæ vel enulæ campanæ qr. ß. liqui. ra. ℥. j. cicho. fumar. buglo. borrag. merciclæ. bras. mari. ana M. j. her. capil. marr. & abro. ana M. j. pas. prunorum, sebest. ana pa. xx. fic. pa. x. seminis anisi, fœ. ana ʒ. ij. polip. quer. qr. j. senæ oriental. medullæ car. an. ℥. ij. fiat decoct. in sero lactis capr. vel asinini ad ℔. ij. in quibus dis. succi. ros. ℥. iiij. saccha. qr. j. fi. syr. mediæ decoctionis, de quo cap. ℥. iiij. vel vj. pro dosi augendo & diminuendo prout magis aut minus operabitur. Possumus istis laxãtibus addere syr. de fum. syr. ro. laxatiuum, qui similem facultatem habet in purgãdis serosis. Æstate fieri debet decoctio in aqua pluuiali, quia nõ tam citò putrescit. Quòd si tunc ex sero paretur, minor quãtitas ponenda erit, vt totũ medicamentum melius & diutiùs conseruetur. Solet enim serum facilè conturbari. Quòd si omnino seri vsus magis placeat, dissoluetur eius quantitas sufficiens cum aqua aut succo rosarum, aut betæ vel mercurialis, & in eo folia senę per noctem sub dio macerentur, factáque colatura capiat ℥. vj. vel vij. manè loco syrupi, cõtinuétque vsum eius per sex aut septem dies. Quòd si is non videatur satis purgatus: reiteretur medicamentum laxans ex præcedentibus laxantibus,

Apozematis huius ℥. iij. vel ad maius iiij. sufficiant.

bus, quod fit commode addendo vltimæ do ſyr.roſ.lax. ℥.j.ſ.vel ʒ.j.rhab.infuſi, aut confectionis hamec ʒ.j. vel ij.ſecundùm ęgri vires. At ſi apoz. nec ſyr.vſus gratus ſit, pil.ſuprà enumeratæ eorũ loco ſubſtitui poterunt, quę non minùs commodè & fortiter euacuabunt, ſi ſæpè repetantur, vt de aliis medicamentis purgantibus dictum eſt. fiat verò ſic.

℞.maſſ. pil. de hiera ſimp ʒ.j. rhab.ag. ana ʒ.ij. ſenæ oriental. braſſ. marinæ ana ʒ.j. ſcammonij. troc. alandal ana ℈.j. cum ſyrup. roſ. formentur pil. vij. pro ʒ. capiat ſemel in hebdom. vel bis pilulas iij. manè, vt imitetur Galenum qui bis in quinque diebus iuuenes purgauit. Sed ſi non ſatis moueant, augeatur quãtitas ſcammonij in bilioſis, colochintidis in pituitoſis, & melan. addendo thymi vel lapidis lazuli tantundem, aut dentur pil. paratæ in officinis.

Particularis purgatio.

Abſoluta corporis vniuerſali purgatione, particularis quoque erit ſuſcipienda quæ per conſuetas regiones fieri debet. Illæ autem per quas caput ſe ſolet expurgare, ſunt oculi, nares, os, & aures: ſed in his effectibus commodius erit per os expurgare, tum quia ſeroſis humoribus euacuandis via aptior eſt, tum quia reſpondet cauitatibus cranij, quæ ſolent pituitam è coana effluentem excipere, quod fit cùm illa per foramina neruorum tertiæ coniugationis ad glandulas oris, quæ in lateribus linguæ ſitæ ſunt, ſecundum naturam decumbit. Trahitur autem materia à cerebro longa maſticatione rerum ſalſarum vt oliuarum, vel dulcium, vel acrium, & earum quæ pituitam alliciunt, quæ Græci apophlegmata vocant, vt pyretrum, ſtaphiſagria, zinziber, piper, cubebæ, maſtix, & ſinapi: Id quod etiam efficerent agaricus & turbith, niſi ſuo amarore eſſent ori ingrata medicamenta. Ex his autem medicamentis parantur & maſticatoria & gargariſm. Gargariſm. conficiuntur ex decoct. fructuum dulcium, vt ficuum, paſſ. & aliarum herbarum calidarum, quales ſunt hiſſ. ſtæchas, origanum, pulegium & ſimiles, in quarum decoct. diſſ. mel. roſ. ſi medicamentum mitius eſſe oporteat.

Quibus conficiuntur apophlegmata.

Quibus gargariſmata.

Si verò fortius, in fine deco. cubebæ, piper, pyretrum, vel compositio aliqua ex his, quæ pituitam trahunt, vt est diaphenicum, indum maius, elect. de citro, quibus adiungimus syr. rof. lax. ℥. j. Antiqui gargarismata ex sinapi, aceto, & melle componebant: Id verò etiam nunc fieri potest. Trahunt enim illa pituitam diu in ore retenta, vt & superiora. Masticatorium verò forma accommodatiore est, & nostro instituto aptius, eò quòd per masticationem partem incalescunt, vnde serũ facilius attrahitur. Qua ratione ex masticatoriis solida sunt præstantiora, quia ad eorum attritionem maior & longior requiritur masticatio, suáque effumatione partes calfaciunt & relaxant, poros aperiunt, humores crassos eliquant, & fundunt & acriores reddunt, proinde ad expulsionem aptiores. Mastiche ergo plurimùm ad hanc rem commendatur, cubebæ, asarũm, multò magis pyretrum crudum vel leniter coctum in oximelete pro pituitosa affectione. In succo verò rof. vel syr. rof. lax. pro biliosa, & pro melancholica, in decoctione mercur. vel thymi, vel ellebori. Minus autem probanda sunt, quæ ex pulueribus cera alba exceptis ad eundem vsum comparantur, vel panno raro includuntur, deinde masticãtur. Ab iis enim hæc instituta sunt, qui vno medicamento non contenti, plura miscere volunt. Quòd si quis vti velit his, medicamenta leui modo alterentur, vt difficilior & longior sit eorum masticatio. Excipiuntur autem cera alba, quando durior, vel carne passularum vel ficuum, si sapore magis ingrata sint. Horum autem mastica. vsus in omnibus capitis affectibus, qui cum materia iuncti sunt, commodissimus est, excepto catarrho, qui in palatum & pulmones decumbit, in quo errhina conuenientiora sunt. vt masticatoria potius, quàm errhina in oculorum affectibus eligenda sunt. Tanta est denique harum particularium euacuationum vtilitas, vt longè magis, quàm vniuersales frequentiùs repetitæ prosint: eò quòd materiam parti affectæ propinquiorem, & ferè coniunctam educant. His ita peractis non est inutile hypocausta ingredi, vt id quod sub cute remanet, euacuetur: vel si non sit à morbo Italico, lauacrum ex detergentibus & resoluentibus instituere pro toto corpore,

Masticat. vsus.

Mastiches varia præparatio pro varietate humoris.

In quibus masti. sunt ex vsu, in quibus errhina.

pore, vel pro capite tantùm. Parabitur autem hoc modo.

Balneum.

R. Radic. brioniæ, cucum. agrest. vel serpentariæ ana ℔. ij. marrubij, abroto. verbenæ ana Manip. iiij. herbarum capill. ana M. j. lupinorum & fabarum integrarum ana ℔. j. decoquantur, & in fine deco. adde florum anthos M. iiij. fiat deco. pro balneo. Vtatur manè reiectis alui & vrinæ excrementis. Si pro capite tantùm, conficiatur lauacrum, decoquantur in lixiuio debili (nam forte, vt muria, pilos arrodit) Paratur autem ex marrubio vsto & incinerato, vel ex cineribus testarum nucum vel amygdal. amararum, aut auellanarum, vel radice calami vulgaris, aut ex cineribus etiam herinaceorum marinorum vel terrestrium, vel capitis canis, aut vulpceulæ, aut pellium caprarum & pilis, aut vrsorum. His ergo conficiatur lixiuium, quo absoluatur frequenter caput prius rasum. In istis nunquam sunt apponenda astringentia, neque sal, propterea quòd illa materiam retinent, hoc verò depilat. Cōficiuntur multa alia topica remedia ex his, quæ vim digerendi & resiccandi habent, & pilos generandi. Fiunt autem ex oleis propriis vt laurino, nuceo, abrotoneo, iunipero: ex axungiis talpæ, vrsi, lupi, anseris, cuniculi. Ex aliis item resiccantibus, ex cineribus abrotoni, pilis vrsi, vel talpæ, vel pilorum eorundem, ex tapsia, euphorbio, ex cineribus echini marini & terrestris, ex halcone marina & aliis multis à Gal. enumeratis lib. κτ͂ τόπους. Neoterici ex muscis, vespis & apibus parant. Ego ex his vnguenta paro.

Muriæ vires.

Salis virtus.

Olea digeren.

Resiccantia.

Vnguenta.

R. Ol. de abrot. ℥. ij pingued. vrsi vel cuniculi vel talpæ ℥. j. vel ana ℥. ß. cineris pellis vrsi, vel echini terrestris, aut marini, ℥. iij. neuum vstarum, abrotoni vsti ana ℥. j. propoleos ℥. ij. mell. ℥. j. incorp. omnia simul, & fiat vnguentum, quod non nimium adhæreat, ne pilos relictos sua tenacitate auellat. Post aliquem horum vsum optimum est addere aliquam partem ladani, vt constringatur pars, quæ est laxior reddita. Istud postremum vnguentum partum ad generationem

pilorum, partim ad materiæ euacuationem est compositum. Possunt tamen hæc aliquando separatim fieri, vt primùm humor medicamentis digerentibus resoluatur aliquo oleo, aut melle exceptis: vt pice liquida, aut felle taurino, aut hircino, aut porcino, quibus demum pul. inspargùntur ad pilorum generationem qui fiunt ex cineribus abrotoni, pilorum vrsi, muli, talpæ & aliorum, vt, capitis canis, vulpis: vel ex stercoribus animalium quorundam resiccatis, vt murium, caprarum. Aliorum enim stercora negligenda sunt, vt quæ nimium acria: qualia columbarum, turdorum, anserum & auium: vel quia imbecilliora, vt iumẽtorum, vel quia fœtida. Existimantur autem ista generationem pilorum adiuuare: quia sua caliditate sanguinem attrahunt, & in fuliginosam substantiam vertunt, cutem verò resiccant.

Pulueres ad pilorũ generationem.

Alopeciæ à morbo Italico curatio.

SI à lue venerea capillorum fluor proueniat, curandus est vel diæta, vel linimento, sed linimentum præstantius, quia non tam absumit pilorum alimentum, quàm ratio victus tenuis. Huic ergo affectui accommodatissimum parabitur vnguentum, si superiori addantur arg. vj. ℥. iij. euphorb. ℥. j. myrrhæ ℥. j. terebinth. ℥. ij. & capiti applicetur. Vel aliud pro toto corpore & capite cõponatur.

℞. axung. porc. vnguenti marciati ℥. iij. axung. vrsi. ℥. ij. ol. laurini ℥. iiij. ol. de abrotono ℥. ij. olei de iunipero ℥. j. terebinthinę ℥. ij. argenti viui ℥. vj. myrrhę ℥. j. euphorb. ß. misce fiat vnguentum. vng. totum corpus, prouocentur sudores, deinde supra partes admoueatur sequens.

℞. vnguenti prescripti ℥. iij. cineris abrotoni & pellis vrsi, vel cineris pilorum hominis vel echini marini, vel terrestris ℥. j. mell. ℥. iij. nucum vstarum cum testis ℥. j ß. misce. fiat vnguentum quo vng. partes denudatæ. Arg. vj. vsus hîc non est pertimescendus, cùm in aliis etiam medicamẽtis super caput appositis vsurpetur, vel quotidiana experientia docente, sicut rustici & mulierculæ facere solent in morbo pediculorum.

℞. vnguenti primùm descripti ℥. iiij. euphorb. ℥. iij. arg.

arg.vj ℥.ij.simul agitentur in mortario,adden.ol.laurini vel abrotoni,vel iunip.vel lucernarum,vel ricinini,℥.ij. fiat linimentum.

Vnguenta, quæ ad morbum Italicum communiter præscribuntur,prosunt:sed multo magis si oleum de abrotono vel nucum,vel lauri recipiant,vel axungiam talpæ,vel vrsi,vel aliarum,quæ superius enumeratę sunt,si in illis etiam tapsiæ vel euphorbij,vel staphisagriæ quãtitas aliqua apponatur. Sulphur cõpescit sudores & vim argenti viui extinguit.Potus etiam lactis alopeciam Italicam prohibere certa experientia deprehenditur. His absolutis purgationibus theriaca antiqua commodè exhiberi potest,sicut & trochisci de viperis.Nec inutilis sicuum vsus erit, vt excrementa fuliginosa, quæ pilorum generationis materia sunt,ad cutim deferantur.Horum enim vsum nihil est quod impedire debeat,purgato corpore,& affectione ipsa curata.

Sulphuris vtilitas.

Pilorum materia.

Profluuij capillorum post morbum acutum curatio.

LOngè alia est curandę huius affectionis ratio, quàm aliarum superiorũ: cùm à nullius materiæ vitio,sed à sola cutis relaxatione, & meatuum amplitudine proueniat: proinde sola astringentium admotione sistenda est,quæ ex ladano dissoluto oleo myr.vel rosa,vel cydoniorum,vel omphacino,vel lixiuio ex astringentibus cineribus confecto ac parti affectæ admoto perficitur.

Nec enim astringẽtia decoquenda esse existimamus, quia licet astringant, pilos denigrant. Quare præstat ex talibus medicam,cineribus lixiuium parare quàm decocto vti. Quibus verò è superciliis deciderunt pili aut propter cicatricem vel aliquod vicus obductum, aut aliam caussam, nulla spes est posse renasci pilos. Sed vt illa deformitas in mulierib aliquo fuco tegatur,pingẽdæ sunt superciliorum partes ex fuligine thuris, resinæ & mastiches,quæ etiam sudore non obliterabuntur.De illo defluuio,quod ab vlceribus capitis manantibus inducitur, suo loco seorsim agemus. Infinita ad hanc rem à veteribus excogitata sunt, quoniam plurima huic affectioni conducunt. Quę pilos generant & alopeciam curant,sunt omnia illa,quæ digerẽdi vim habent,& resol-

Quæ pilos generant, alopec.curant.

Fucus pilorum.

uendi potestate per caliditatem prædita sunt. Vt sunt olea calida tenuium partium: vt oleum sabinum apud antiquos, oleum antiquissimum lucernarum, laurinum, ricininum, rutaceum, nuceum, petroleũ, de spica, de iunipero. Olea hæc per se apponũtur, vel alia aliis moderatis excipiuntur. Spissum est oleum Lucernarum, Laurinum, Iuniperi, pix liquida. Alia possunt inspissari addendo parum pinguedinis vrsi, vel hirci, vel aliorum animalium. Post hæc succedunt fella aliqua recentia liquida ad arida remedia excipienda, cùm fortiora paramus remedia. Vt est fel tauri, hirci, porci, pix etiam liquida & mel in his affectibus vel per se apposita prosũt aut ad alia excipienda. Sanguis etiam testudinis marinæ resiccatus plurimùm à veteribus commendatus est. Quæ autem excipiuntur, sunt medicamenta arida: vt stercus murium, fel caprarum, ouium, & aliorũ animalium. Boum autem, equorum, porcorum est imbecillius, & fœtidum, & minus acre. Animalia tota sumuntur: vt cantharides, hypocampus, talpa, mus, aut eorum quædam partes, veluti capita, vt vulpis, canis, lacertæ vel eorum pelles & pili. Aut ex piscibus testæ ostreæ vstæ: item alia, quæ potenter siccare possunt. Excrementis marinis alcionium, cui respondet adarce. Item atramẽtum sepiarum à priscis commendatur. Inter plãtas laudatur tapsia ob insignem partium tenuitatem, quæ si nimis recens est, ex aqua administratur, vel cum ol. multo, vt eius vis obtundatur, qua fertur vsus ad contusiones. Neruorum quos morbos vno die curatos scribit Plinius. Pulegium regale & ceruinum, erysinum, nasturtium, abrotonũ, ruta loco tapsiæ, in vsu esse possunt, si eodem modo vsurpentur. Sunt & semina his facultatibus prædita. Vt erucæ, rutæ, non autem cicutæ, vt quidam ex practicis abusus est. Quin si ex aliis, & cæpis confricetur caput, ab humoribus impuris cutem expurgabunt, & reditum pilorum accelerabunt, id quod etiam inter cerealia hord. tostum efficere creditur. Postremo loco succedunt lachrymæ & gummi ex quibus est euphorb. & myrrha, sed euphorb. eligendum quod mediocri sit ætate: Nam recens acrius est, ob id cutim nimium exulcerat. Antiquum verò vetustate vires amisit. Ex his

De charanta.

tria

tria remediorum genera parari debent, imbecilla, mediocria, & fortia. Imbecilla, vt in vsu sint morborũ initiis, & leuioribus affectibus. In regionibus calidis, corporibus delicatis vt puerorum, mulierum & nobilium. Mediocria, in mediocribus, & robustiora in robustis ac antiquatis affectionibus. Hanc distinctionem summo studio in hoc instituto obseruandum docuimus, vt duo qui passim committuntur errores, vitentur: cutis scilicet exulceratio ab acribus medicamẽtis, & humiditatis partis natiuæ absumptio à siccioribus, quæ solent caluicium immedicabile inducere. Ea ratione sæpe inspiciendus locus affectus: vt cognoscamus num medicamentum, quod est admotum, debilius, vel acrius sit.

Nam debile nullam aut longo tempore actionem in parte efficit. Fortius verò immodicè nimísque præcipitanter id præstat.

De furfuribus. Cap. II.

FVrfures in toto corpore, sed præcipuè in partibus in quibus pili nascuntur, emergere solent: ob id in capite præcipuè. quam affectionem φθειρίασιν Græci vocant, inter capitis morbos solet passim annumerari Etsi alias partes obsideat, præcipuè quæ pilis à natura vestitæ sunt, vt barbam & supercilia, sed & interdũ corpus vniuersum. Verùm cùm eius origo sit à serosis humoribus & tenuibus sparsim congestis inter cutim & epidermida, qui facilius in barba & superciliis, & capite retinentur, propter illarum partium dẽsitatem, & astrictionem maiorem, quàm in aliis, quas laxiores esse antea monstrauimus, fit, vt affectus esse capitis proprius potiùs, quàm aliarum, dicatur. Accidit autem, cùm serosus humor sub cuticula contentus siccus & mordax adustione factus illam siccat & rodit, scindítque, & à subiecta cute auellit, vnde tenues & furfuraceæ scammulæ furfuribus tritici similes tenuitate, & candore (ex quibus nomen sumpserunt) excitant, quæ nihil aliud sunt quàm cuticula in frusta scammarum & furfuris speciem referentia, sic diuisa, quòd propter siccitatem & foramina, per quæ pili exeunt, quibus peruia est, frequẽtiam, vel vnionem & continuitatem suam seruare non possit. *Origo furfurum.*

Distinctio furfuris & paralellæ.

POrrò φθειρίασις à Paralella morbi Italici symptomate, quæ affinitatem cum ea habet, distinguenda est: quòd hæc paralella internam manuum & pedum partem tantùm obsideat, nec latiùs quàm ad latera & phalãgem digitorum in manibus serpere queat, cuti ita adhærens, vt nisi vnguibus diuellatur, decidere possit. Preterea maior est scamma, quàm capitis furfur, quia cuticula est illic magis continua: In capite verò ob foraminum pilorum frequentiam magis diuisa. Huius autem caussam, quæ à nemine adhuc tradita est, hoc loco explicare præter instituti rationem nõ est. Quòd igitur nulli alteri parti hic morbus, quàm manuum volæ, & pedis plantæ infestus sit, in caussa est lentus ille tendo, qui in illis partibus cuti proximè adhæret. Idque fidem facit, quòd extra manuum & pedum circumscriptionem non progrediatur. Tendo enim ille cutim densissimam, & tensam atque etiam temperatissimã efficit, qua ratione serosos humores hîc collectos diutiùs retinet, nec digeri sinit, ex quo scissuræ, herpetes & furfures à morbo Italico exoriuntur: quia illa serosa substantia partem illam molliorem siccãdo facit, vt epidermis à cute diuellatur, & eo modo, quo antè dictum est, decidat per latiores, quàm in furfuribus, scammas. Scissuræ, quæ in eadem manuum pedúmque parte proueniunt, licet cum paralella sede conueniant, materia tamen longè discrepant, quæ in ipsis crassitiem maiorem, quàm in paralella obtinet, ratione cuius crustas, sed in pede quàm in manu crassiores excitat, ob cuius pedum densitatem & crassitiem efficit, altéque penetrando cutem veram findit, per quam etiam herpetis modo serpit & vagatur. Quæ verò ad illarum curationem pertinent, pete ex libro nostro de morbo Italico.

De scissuris.

Curatio furfuris.

FVrfuris curatio à corporis euacuatione & cutis abstersione auspicanda, vt vitiosi humores hunc effectum efficientes purgentur. Purgandi autem sunt eo modo, quo capite de alopecia dictum est. Detergebitur autem caput, si nitro aspergatur, & fricetur vel sale, vel lixiuio parato ex cineribus cum aliqua quantitate

vel

vel mellis vel ſucci betæ, vel porri, & arenæ, vel ſalc, vel felle bouis vel porci, & vngatur corpus bis aut ter in hebdomada. Conficiatur autem vnguentum ex detergentibus ſiccantibus, & digerentibus hoc modo.

℞. amygdal. amar. leuiter frictarum in ſartagine, vel toſtarum in furno & nucum raucidarũ ana pa. xx. terræ ſigillatæ, ſulphuris & vitrioli ana ℥. ol. nucum ℥. iij. mell. ſquil. ℥. ij. miſce, fiat vnguentum, quo vngatur ſerò & manè abluendo decocto lupinorum, vel fabarum, vel lixiuio parato ex radicibus betæ & braſſicæ: aut ingrediatur balneum ſequens.

℞. radic. lapatij acu. enulæ camp. ana ℥. iij. mal. ciclę, biſmal. pariet. ſaponar. ana M. iiij. lupinorum & fabarũ integrarum ana ℔. j. flor. centaur. minor. p. iij. furf. vel hord. integ. p. iiij. fiat decoctio pro balneo, & detergatur panno aſpero vel ſpongia. Sed ſi corpus valde emaciatum ſit, medicamenta minus ſiccãtia eſſe oportet. Quare hordeum mundatum pro hordeo integro eſt vſurpandum, & ſemen lini, fœnug. mal. pro lupino & fabis. Deinde vnguentum ſequens fiat. *Balneũ.*

℞. ol. amygd. amar. ℥. iiij. olei irini ℥. ij. ſucci ciclæ & fumi. ana ℥. iij. decoq. ad conſumptionem ſuccorum, quibus adde farinæ fœnug. ℥. ij. nigellæ ℥. j. miſce omnia ſimul. & fiat vnguentum, quo vnga. partes noctu. Manè verò ingrediatur balneum ſequens. *Vnguentum.*

℞. hord. mund. p. vj. ſeminis lini, fœnugr. ℥. iiij. viol. mal. borrag. fumi. cichor. lapath. ac. ana M. iij. amygdal. contritarum ℔. iiij. farinæ fabarum ℔. j. miſce, fiat balneum. Vbi corpus diligenter purgatum eſſe à ſeroſis humoribus videbitur, & habitus corporis per balnea illa & vnguenta, erit ex vſu balneum ex aqua marina vel aqua extinctionis ferri, vel ex decoct. leuiter aſtringentium cum quadam deterſione, vt *Balneũ.*

℞. foliorum myrthi, vel oleæ, vel oleaſtri, vel ſalicis, vel ſummitatũ rubi, vel foliorum nucis faſciculos tres, plantag. acori, agrimoniæ, foliorum vlmi ana M. iiij. lentium ℔. ij. florum roſ. p. vj. fiat decoctio pro balneo, cui adde aluminis ℔. ß. Ingrediatur poſt vſum aliorum remediorum. Ad præcautionem vtatur præſcripto ad euacuationem ſeri cap. de ophiaſi. Fugiat exercitationes *Balne aliud.* *Quæ fugienda.*

corporis & ea alimenta, quæ ad habitum corporis deducunt excrementa, vt ficus. Mutet frequenter indusia, vtatúrque frictione molli, quæ si fieret, manibus iunctis oleo amygdal.amar. posset impedire, ne morbus fieret. Hac arte reuocantur serosi humores ab habitu ad centrum corporis, syr. vel medicamentis laxantibus, & quod remanet in habitu, nō retinebitur sub cuticula, sed leuiter apertis poris exibit. Si à lue venerea illa proueniant, optimum est vnguēto supra scripto cinabrium & parum arg.viu.addere, vel cum axungia porci, ol.laurino, cinabrio & felle linimentum parare, & partes eo tingantur. Sed eo tempore, quo partes inungentur, addere oportet aquam aluminosam.

Frictio.

De pediculari morbo.

Cap. III.

Pedicularis morbus, qui à Græcis θυρίασις dicitur, fit in toto corpore, in locis calidis potissimū, & humidis, vt sub alis, circa collum, & in capite vniuerso ob frequētiam pilorum. Fiunt autem pediculi ab humore calido humido sed viuo, eodémque nutriuntur: quo fit vt post mortem cadauer fugiant. Fit autem hic morbus frequēti esu viperarum, ficuum, ídque aut quia talem succum gignūt ficus, aut quia viperę sua tenuitate ad cutim excrementa expellunt. Sunt autem pediculorum multa genera. Primum est eorum, qui communiter in capite generantur. Secundum ferunt illud genus, morpiones vocatum. Tertium, quod cyrones vulgò appellant, qui nunquam extra erumpunt, sed semper intra cutim & cuticulam latitant. Facilè deprehenduntur omnia genera.

Pediculi ortus.

Pedicul. genera multa.

CVRATIO.

Curātur autem tenui diæta, medicamentis detergentibus, potissimùmque amaris, & multùm resiccantibus. Et quia ex copia humiditatis nāscuntur, non est inutile corpus medicamētis euacuātibus exiccare, deinde meatus cutis relaxare, quò faciliùs, qui geniti sunt, simul cū eorum materia exeant, & medicamenta faciliùs in internam partem penetrent: neque diu immorandum est balneo, vel lauacro, ne ad cutim plura trahantur recrementa. Et hoc tantùm faciendum, cùm à toto corpore pediculi erumpunt. Parabitur autem hoc modo.

℞. mal.bismal.ciclæ ana M.ij.hord.integ. & leuiter torrefacti p.iij.fœ.℥.j. florum chamo. melil.ana p. j. fiat decoctio qua abluatur. Si quis velit balneo pediculos occidere, paret balneum ex lixiuio,& amaris,& salsis.vt *Lauacru.*

℞.ciclæ, absynth.marrub.beth.an.M.j.centaurij minor florum stecados ana p.ij. lupinorum p.iij. staphisagriæ ℔.j.arist.rotundæ vel longæ ℔. ß.fiat decoct. in lixiuio vel in aqua fontis, cui adde salis ℔.iiij.vel fiat deco.in aqua marina. Balneentur,vel abluentur emunctoria & caput, in quibus locis potissimùm oriuntur ob frequentes venas, quæ plus materiæ & caloris suppeditant. Vnguento tali liniantur partes. *Balneum.*

℞. ol. amygd. amar.℥.ij. ol.antiquis.vel rutac.℥.j.staphidos agriæ ℥.ß.centau.minor.℥.ij.myrrhæ ʒ.iij.ar.viu. ℥.ij. axung. rancidæ,& salitæ ℥.iij. incorporentur simul, & fiat linimentum, & tempore inunctionis adde aceti parum. Ad omnia genera pediculorum occidenda nullum est præstantius remedium, quàm arg.viuum in quacunque parte fuerint. Aduersus cyrones particulariter valet hyosquiamus,non alia ratione,quàm stupefaciendi facultate. Quare & alia stupefacientia idem præstabunt,obtundendo sensus& pruritum ac erosionem.Sed quia longior illorum vsus manuum tremorem inducere posset,erit vtilius ol. ex seminibus illorum parare,vt ol. de pap. aut mandragora, aut axungiam antiquam salitam admiscere, subl.etiam parum, aut argent.viu. ℥. ß. Hoc potest illos occidere,& pruritum ab illis excitatum obtundere. Mulieres acu extrahunt,& sic sese à pruritu vindicant, sed quia caussam non auferunt, subinde alij renascuntur. Quare vsus vnguenti magis vtilis erit. Abluere manus cum aceto, & sale,illos occidit.Hic autem morbus contemnendus non est,cùm multi viri præclari eo obierint. *Vnguentum.* *Argentũ viuum occidit pediculos.*

De Vlceribus capitis manantibus. CAP. III.

QVos Græci Achores, Plinius vlcera capitis manantia,alij tineam,Galli(la Rache ou Tigne)appellant. Oriuntur autem Achores ab exuperantia prauę cuiusdam materiæ,acrimoniam,& crassitiem quandam in se habentis, qua ratione Galenus eorum generationem ab humore multo manare tradidit, videlicet,

qui serosam, tenuémque substantiam mordacem simul & crassam habeat, vnde vlcus in cute profert, ex quo sanies quædam glutinosa erumpit, qui hunc affectum ab illo, qui Græcis κηρίον dictus est, à nostris fauus, distare facit, à quo quæ exit materia, crassitudine & colore melli est simillima. In hoc etiam differunt, quòd in fauo per ampliora foramina in Achore per angustiora exit materia. Cùm ergo in Achore mixta sit materia, mixtam etiam & variam formam retinuit. Tumor est præter naturam à materia tenui & mordaci, quæ sua acrimonia cutim vellicat, & ad scalpendum ægrum compellit: vnde disrumpitur cutis, & vlcera prodeunt. Quare non solùm quæ tenues humores, sed etiam viscidos medicamenta ducunt, in curatione huius affectus requiruntur, in qua non minus frequenter & fortiter purgandum, quàm in alopecia: deinde humor in parte affecta contentus, resiccandus & digerendus est. Sed sunt, qui hunc influentem adhuc initio aceto vel aliis repellentibus repellendum censent, quod mihi non admodum tutum esse videtur. Periculum est enim, ne materia intus repulsa parotides, vel alios periculosiores tumores in alia parte excitet, vt experientia compertum est. Quanquam non eo inficias, in corporibus parum cacochymis contingere posse, in cuius principio humor influens medicamentis repellētibus tutò prohiberi debeat, quia adhuc tam parua est, vt citra maiorem corporis euacuationem topicis remediis sanari possit. Sed si paulò copiosius fluxerit, & aliquo tempore restiterit, vix aut nunquam sine crebra, & vehementi purgatione, & diuturna topicorum remediorum applicatione, elui poterit.

Discrimē.

Qualia medicamenta.

Error.

CVRATIO.

CVrationem igitur instituemus, vt capite de alopecia dictum est, medicamentis scilicet laxantibus & apophleg. obseruata semper naturarum & ætatum ratione, & tenui victu recrementorū prouentus tollendus erit. Supra caput autem non frigida, sed astringentia, quæ multùm siccant & materiam collectam absumunt, & densando corroborant, sunt apponenda, vt si quis inclinante morbo calcitidem vel alumen in aceto

Topica.

disso-

dissoluta capiti admouerit, affectum sanare poterit. Acetum enim per se vel aliis admixtum potenter repellit, quòd frigidum sit, & tenuium partium, quarum ope succos crassos incidit & attenuat, & nonnihil ob alias partes calidas illi admixtas discutit. Quare omni tempore aliis medicamentis misceri potest, additis quibusdam resiccantibus metallicis, vt cadmia, lytharg. spodio, cerusa vsta, pompholige, calcantho, flore æris, & similibus. Morbum autem iam factum curamus fortiter digerentibus, & resiccantibus, vt *Metallica resiccãtia.*

℞. ol. nucum de iunipero ana ℥.ij ol. lucernarum ℥.j. nucum vstarum cum testis ℥ vj. myrrhæ, floris æris ana ℥. j. fuliginis furni ℥. j. lytharg. ℥. ß. argenti viui ℥. ij. incorporentur simul, & fiat linimentum, quo inungantur, detrusis prius pilis, & capite deterso lixiuio descripto cap. de morbo pediculari. Aliud efficacissimum. *Linimentum.*

℞. auripig. rub. calcis viuæ lotæ quinquies ana ℥. iij. fuliginis furni ℥. j. vitrioli, aluminis ana ℥. ß. allij tenuissimè contriti ℥. ß. tartari ʒ. vj. cum melle & aceto incorporentur simul & reducantur ad formam linimenti. Post hæc remedia detergatur caput cum lixiuio supradicto, addendo aluminis ℥ j. Primum vnguentum propter argentum viu. citiùs curat: quare & hoc efficacius erit, si addatur argentum viuum. *Aliud.*

CVRATIO EMPYRICA.

EMpyrici curant pice supra partem apposita, quæ quia facultatem habet metasyncriticam, id est, attrahentem è profundo ad circunferentiam, euacuando materiam curare potest, & leues affectus: sicut etiam in mitioribus semen iuniperi coctum in aceto & melle suprá caput appositum curat, & quæcunque vim insignem detergendi habent: vt tapsia, allium, cæpe, additis quibusdam insigniter resiccantibus, & metallicis. Crustæ sunt, quę faciunt morbum diutius durare, quia pus intus retinent. Pus autem cauitates & sinus facit, qui postea non facilè curantur. Ob id crustarum ablatio, quæ fit ex pice, aut aliis, curationem accelerat. Primum vnguentum magis digerit, secundum magis exiccat. In summa quæcunque ad alopeciam scripta sunt ex adassatis & fortiter digerentibus, vlcera capitis manan-

Sulphur. tia sanare possunt. Sulphur per se vel cum aliis appositum in corporibus robustioribus efficacissimum est remedium. Tutior verò est eius vsus, si vel bolo armena, vel calce 9. vel 10. lota, aut aliis terreis medicamentis, vt creta, terra sigillata, cimolia, vel argilla cum aceto permisceatur, vel cum vrina pueri, aut metallicis, quæ crassiorem substantiam habent, & vim refrigerandi, vt molibdena, lythar. cerusa. pomp. cadmia. Sequitur hanc affectionem depillatio, quare remedia in fine alopeciæ descripta, sunt vsurpanda, addendo farinam hordei torrefactam, quæ supra cicatrices statim pilos etiam generare creditur, vt & alia, quæ digerendi vim insignem obtinent, & sunt tenuium partium, vt tapsia, allia, additis quibusdam insigniter reficcantibus & metallicis, qualia sunt cadmia, lytharg. spodium, pompholix, cinabrium, cerusa vsta, calchant. flos æris, & similia.

Quibus tollitur depilla.

De dolore capitis. CAP. V.

DOlor capitis semper symptoma est. Sequitur enim vel intemperies, vel distentiones siue solutiones continui per distentionem factas, & per puncturam. Quare morbos à quibus fit, veluti & caussas, præcognoscere oportet, vt iis medeamur. Sed hîc loquimur de dolore, qui ob suam vehementiam, ad sese curationem trahit, & rationem caussæ habet mali, non boni, nec febrium est symptoma mite. Nam dolor ille capitis, qui fluxum sanguinis in morborum acutorum crisi præcedit, non habet rationem mali, sed boni: quare ei nulla remedia sunt adhibenda, vt illum inhibeamus. Nam cùm nos medicamentis repellentibus illum impedire volumus, sanguinem à capite repellimus, & fluxum sanguinis, qui necessarius est ad morbi curationem impedimus. Galen. hoc in vniuersum docet lib. ad Glauc. Dolorem, inquit, criticum capitis non esse curandum. Quod tamen intelligi debet de dolore, qui fluxum sanguinis criticum præcedit è naribus, non autem de dolore capitis, qui vomitum præsignificat. Nam illa medicamenta repellentia euacuationē impedire nō possunt, quod de exterius appositis intelligo. Quare in hoc casu dolorē criticum possumus curare. Præterea eadem medicamēta adhiberi possunt in omnibus morbis, in

in quibus fluxus ſang. inutilis eſt, vt in lethargo & peripneumonia. Poterũt enim & dolorem capitis minuere, & excretionẽ illam inutilẽ impedire. Sed priuſquã nos medicamenta ſupra partem adhibeamus, conſideranda ſunt duo potiſſimùm, ſcilicet cauſſæ dolorem facientes, & partes, quæ dolorem patiũtur. Partes illæ ſunt capitis omnes vel aliquæ, eæque vel externæ, vel internæ. Internæ, vt membranæ cerebri, & vt Gal. addidit κ̀ τόνοις, venæ, arteriæ, vel ſubſtantia cerebri, quas partes ipſe ſine ſenſu eſſe alibi docuit, vnde & omni dolore carere deberent. Quòd ſi dolorem ſentiant, erit grauis, qui partibus parùm ſentientibus euenire ſolet. Cerebrum obtusè ſentire, manifeſtum eſt ex his qui vulnerati ſunt. Nam frigus vſque ad medium cerebri ſentiunt. At potiſſimùm diſtinguere oportet dolore partium internarum, à partibus externis. Nam omnes partes internæ, talem conſenſum habent, vt vna læſa aliæ lædantur, & difficilis eſt diſtinctio. Quid enim poteſt ex dolore graui cognoſcere, an ſubſtantia cerebri doleat, vel vena? Bene quidem diſcernimus, ſi ſubſtantia cerebri laboret, vel membrana. Nam cerebri dolor eſt grauis, membranæ punctorius. Dolor arteriarum à dolore venarum, pulſatione diſtingui poteſt. Nam arteria nõ poteſt non dolorem facere pulſatorium, ſi comprimatur: adde quòd arteriæ partes vicinas pulſando dolorem faciunt maiorem, quàm venarum diſtentio. Dolor in neruis facilè deprehenditur. Nam ſi neruus aliquis dolorem ſentiat, dolor alicui organo communicabitur, vt ſi neruus opticus doleat, oculus dolebit, ſiue prima, ſiue ſecunda coniugatio ſit. Si tertia aut ſeptima, lingua per conſenſum nonnihil ſentiet læſæ functionis. Nam dolorem paucum aut nullum ſentiet, ratione laxitatis. Si quarta, palatum: ſi quinta, aures: ſi ſexta, os ventriculi. Partes autẽ externæ ab internis diſtinguuntur facilè. Nam ſi dolor ſit externus, tactu deprehendi poteſt vel quòd pili videantur erigi. Si partes internæ dolorem ſentiant, talia non accidunt. Sunt & cauſſæ cauſſarum diligenter perquirendæ, num ſit intemperies ſola calida: quæ magnos & ſubitos dolores facit: frigida, magnos & ſubitos etiam, ſed minùs quàm calida, diuturniores tamen: vel

Cereb. obtusè ſẽtit.

Dolor cereb. mẽbr. & arteriarum.

Læſio nerui.

Doloris interni ab externo diſtinctio.

sicca, quæ moderatos, & non citos, & longos. Humida nullum dolorem facit sui ratione, sed humoris copia. Rarò dolores ex sola intemperie fiunt, & si fiant, diu non durant, quin caussas internas mouendo dolorem cum materia faciant. In corporibus tamen bene temperatis fiunt isti dolores, sine materia, qui neque habent plenitudinem, neque cacochymiam. Econtra qui habent plenitudinem, aut cacochymiam, dolores cum materia patiuntur. Deprehenduntur autem dolores supradicti ex intemperie. Si à caussa aliqua procatarctica excitati fuerint, vt à sole, frigore, aut à medicamentis calfacientibus vel refrigerantibus: talis erit intemperies, qualis fuit caussa procatarctica, vt calida, si à medicamento calido apposito: frigida, si frigus aut medicamentum frigidum dolorem excitauit: sicca, si curæ, sollicitudines, vigiliæ immodicæ, inedia & alia, quæ vim habent exiccandi corpus, præcesserint. Rursus dolores capitis cum materia, vel quod materiæ respondet, fiunt, vt à sanguine, bile, pituita, & melancholia, à flatibus, vel spiritu vaporoso aut etiam subtiliori. Per consensum, vel per proprietatem etiam fit dolor capitis. Qui fit à fumis & vaporibus, magis per consensum fit, quàm per proprietatem. Qui à materia, per influxum, vel citra influxum. Qui per defluxum fiunt, per consensum alicuius partis, vel totius corporis fiunt. Qui à pituita, magis per proprietatem. Qui verò à melancholia, per consensum & per proprietatem, sed rarò fit dolor à materia crassa, & viscida per consensum. Quòd si dolorem faciat, id est ratione vaporum inde eleuatorum. Dolor capitis fit vel cum grauitate, vel cum distentione, vel morsu, vel pulsatione. Qui cum grauitate fit, multitudinem significat. Si cum morsu, acrimoniam vel humoris, vel vaporis. Si cum pulsu, inflammationem. Si cum distentione citra grauitatem & citra pulsum spiritus copiam significat. Si cum grauitate fit & aliis notis plenitudinem humoris. Cum pulsu, membranosæ substantiæ inflammationem. Cognoscitur per consensum fieri, si nulla præcesserit caussa procatarctica circa caput, quæ potuerit dolorem inducere, vt insolatio, refrigeratio, odor myrrhæ, croci, aut aliorum, quæ

Dolores per cōsensum & proprietatem.

Quibus dignoscimus morbum capitis per cōsensum.

capitis grauitatem solent facere. Adde quòd si per consensum fiat, aliqua nota in ea parte, per cuius consensum fit, apparet, vt si per consensum ventriculi fiat, vel cruditas, aut ebrietas, aut cibi corruptio, aut dolor, aut nausea, aut oris amaritudo prius præsentitur. Si autem per consensum vteri, menses retenti sunt, aut semen putrescit in vtero, aut circa illam partem humorum fit perturbatio. Nota propria huius doloris est partis posterioris capitis dolor, aut quòd prius in ea parte sentiatur. Per consensum totius corporis fit, vel ob febrim quæ effumare facit multos fumos & vapores, aut propter humorum tenuium influxum. Raró fit per alium consensum: hoc autem fit propter maiorem consensum ventriculi cum cerebro, & vteri cum spinali medulla, & parte posteriori capitis. Dolores qui fiunt per consensum, fiunt eodem modo, quo fieri solent inflammationes, vel ob imbecillitatem capitis, vel ob calorem trahentem, vel ob mittentiũ sympathiam, vt supra dictum est, vel mittentium robur, vel ob materiæ naturam. Leuia enim sursum ascendunt, & caput recipit fumos, & tenues humores ob situm, quemadmodum partes inferiores, liquidos & graues. Dolor capitis, qui frequenter repetit, per consensum fit, factus per consensum durat etiam post sedationem affectus prioris, vt videre est in doloribus factis in febrium intermittentium accessionibus, qui post sudorem, & febrem aliquot horas durant, propterea quòd non tam facilè materia resoluitur, ac illa quæ est in ambitu corporis: vel quia propter febris vehementiam, magna fit ad cerebrum effumatio. Priusquam remedia adhibeamus, distinguere oportet caussam & partem dolentem, & vt cognoscamus, quæ pars potissimùm dolet, aut ratione cuius imbecillitatis dolor factus est, inspicere oportet, quæ illarũ partiũ prius doluit: item si dolor totum caput occupauerit. Nam in hemicrania facile est distinguere, quæ pars doleat. Omnes istæ differentiæ dolorum, curationem habent, & præcautionem, & potissimùm quæ fiunt per consensum. Et in hoc conueniunt, quòd in principio repellentia medicamenta supra partẽ apponenda sunt. Si dolor fit ab intemperie calida, frigida eliguntur: si cum fluxu

Vẽtriculi.
Vteri.
Totius corporis.

materiæ, non sufficiunt frigida, sed astringentia adiungenda sunt. Commune est etiam in omnibus doloribus, in declinatione, vt digerētia supra caput apponantur, & in fine declinationis, quæ parti robur addunt, potissimùm quando ex imbecillitate cerebri fit dolor capitis.

Quæ communia in doloribus cap.

CVRATIO.

SI ergo symptoma sit morborum capitis dolor, non autem febris, neque sit ab intemperie tantùm, ab euacuatione est incipienda curatio. Euacuatur autem humor à quo dolor excitatur, vt si à sanguine fiat, sanguinis missione, si à bile, pituita aut melancholia, medicamento purgante. Quòd si vehementissimus dolor sit, à quacunque caussa sit, ob vehemētiam doloris sanguis detrahi potest ad præcautionem, ne fiat inflammatio in capite, & spiritus nimiùm resoluantur, aut dissoluantur. Adde quòd vehementissimi dolores non fiunt sine humoris copia, & potissimùm calidi. Quamobrem conuenientissima erit sanguinis missio è vena cubiti cephalica, vel mediana, vel basilica, si aliæ non appareant. Quòd si missionem sanguinis præcesserit clyster, aut mox sequetur, melius erit, ne ad venarum inanitionem sequatur attractio recrementorum crudorum ventriculi, & intestinorum. Clyster debet esse emolliēs & detergens, si dolor sine febre sit. Quòd si febri coniungatur, tunc infrigidantia optimè, & opportunè admiscentur. Clyster ergo talis fiat.

Sang. missio.

Clysteres.

℞. herbarum remollit. ana M. j. furfur vel hord. p. iij. fiat deco. in ℔. j. diss. mell. viol. ℥ ij. succi ciclæ & mercur. ana ℥. j. olei viol. ℥. iij. misce, fiat clyster, detur ante sanguinis missionem, vel paulò post. Si cum feb. sit, vel à bile fiat, paretur sequens.

℞. mal. ciclæ, viol. ana M. j. mercur. M. ß. prunorum pa. xx. quat. sem. frigid. maiorum ana ʒ. iij. anisi ʒ. j. florum viol. pugil. j. furfur, vel hordei pu. iij. fiat decoct. in col. diss. mel. viola & succi ciclæ ana ℥. ij. olei viol. ℥. iij. misce, fi. clyster. hæc dicta sunt in vniuersum de omni dolore capitis, nunc de eo tantùm qui à caussa calida fit, dicemus.

Generalis explicatio eorum omnium, quæ in dignoscendis capitis doloribus cognitu sunt necessaria.

CApitis dolor in vniuersum à Græcis Cephalalgia dicitur. Sed in quo à Cephalæa distingui debeat, & Hemicranea, disputabitur suo loco. Nunc de dolore in vniuersum nobis instituendus est sermo, qui in Symptomatum ordine non morborum collocandus est. Comitatur enim intemperies aut continui solutiones quæ post distensionem & puncturam fiunt. Quare morborum & caussarum dolores excitantium cognitio nobis habenda prius est, quàm dolorem ipsum tollere possimus. Neque tamen omnis doloris sedandi rationem hoc loco tradere propositum est: sed eius tantùm, qui tantam sæuitiam & molestiam exercet, vt vel naturæ perniciem laturus, vel in discrimen vires adducturus esse videatur, vnde grauioris mali caussa esse queat. Dolorum enim salutem prænuntiantium quidem nec medicamentis præcaueri, nec cõsopiri sine periculo possunt, quidam verò tutissimè. Doloris siquidem capitis decretoriam in acutis morbis sanguinis è naribus eruptionem præeunti curatio molienda non est, ne dum medicamentis repellentibus eam perficere tentamus, sanguinis, quæ robore victricis naturæ futura est, eruptionem, à qua morbi solutio pendet, prohibeamus. Ob eámque caussam Gal.1. ad Glauc. dolorum criticorum curationem negat esse faciendam. Id quod sanè de eo tantùm concedimus, qui natura perturbata, sanguinis excretionem per nares moliente fieri consueuit, non autem vomitionem. Si enim tam immaniter affligat, qui vomitionem pręcedit dolor, sedari quidem non intrò assumptis, sed foris admotis remediis securè potest. Nihil enim hac ratione est, quo naturæ conatum excretionémque illam decretoriam auertere & remorari queat. Eiusmodi autem doloris auertendi leuandíque ratio in omnibus etiam aliis morborum excretionibus, quæ periculum potius creant, velut in lethargo & Peripneumonia, necessariò tum excretionis, tum doloris compescendi caussa vsurpanda est. Sed antequam illam demonstremus, de doloris generatione & differentiis priùs agendum esse videtur. In quarum cognitionem

vt facilius deueniamus, duo primùm contemplanda sunt, id, videlicet, in quod dolor incidet, & quod illum inducit. Ille igitur vel per vniuersum caput sparsus est, vel eius aliquam tantùm partem affligit: eáque vel interius vel exterius est. Internas voco membranas, ceu menynges, aut cerebri substantiam, vel venas, arterias, neruos. Quarum aliæ sentiendi acumine magis, quædam minus præstant. Quæ exquisitiùs sentiunt, menynges & neruos esse non est dubium, indéque doloris molestias vehementius percipere. Sed de arteriis, venis, & cerebri substantia non adeo manifestum, cùm grauem & obtusum dolorem tantum, qui partibus imbecillo sensu præditis accidere consueuit, præsentiant. Neque enim iis partibus sensum omnino detrahere oportet, cùm Gal. lib. κατὰ τόπους, venas & arterias inter eas, quæ doloris iniurias sentiunt, enumeret, & de arteriis planè id pronuntiet, in lib. de tumoribus contra naturam, & cap. 3. lib. de locis affectis, sicut cap. 5. libr. 15. meth. qui eas alibi & ipsam cerebri substantiam sensu carere scripsit, quod nos de exactione intelligendum censemus. Quòd enim cerebri corpori sentiendi quædam vis insit, experientia demonstrat, in his, qui in capite vulnus acceperunt, quibus per ipsum vulnus ad cerebri medium vsque frigoris sensus peruasit. Sed quanuis hæ partes se habeant consensus & connexio illarum inter se, propter quam vix aliquam læsionem sine alterius offensione possunt accipere, efficit, vt ex doloris specie & vehementia, non satis perspectè de doloris situ & parte primò dolente posit iudicari. Quis enim ex doloris grauitate, substantiam cerebri tantùm dolore, aut venas ipsas affirmare audeat & rectè posit? Quanuis grauitas, quæ in dolore est, substantiæ cerebri potiùs, quàm menyngum demonstret. Cerebri enim dolor cum ponderis cuiuspiam specie grauis est. Menyngum enim pungens & acutus, osium verò membranarum contundens & profundus est. Arteriarum dolor à venarum dolore proprietate sua & discrimine distinguitur, quòd arteriarum aut partium arteriis vicinarum cum pulsatione sit, quæ illis propria est: venarum verò minimè. Qui verò à neruis proficiscitur

ficiſcitur dolor, vehementia cum menyngibus, vt ſenſus acumine & præſtantia conuenit cum iiſdem, ſed hac nota diſcernitur, quòd qui conuulſioni ſimile referat: atque etiam cum neruoſa quædam pars cerebri afficitur, eius affectus aliquod ſenſuum externorum organum particeps per conſenſum affici neceſſe eſt: vt ſi pars ea, à qua prima & ſecunda neruorum coniugatio, aut neruus, qui ad oculos ſentiendi facultatem defert, ortum trahit, noxam ſubierit, oculis illa communicabitur. Si ea porrò, quæ tertiam & ſeptimam producit, doleat, linguam in conſenſum ſuum trahet, quę cum laxam & raram ſubſtantiam habeat, nullum ex diſtenſione aut laxitate dolorem concepit. Eadem eſt & reliquarum coniugationum ratio, quarum quarta ſi patiatur, affectum ſuum per nares tranſmittit ad palatum: quinta ad aures: ſexta autem ad os ventriculi. Dolor verò, qui externas capitis partes exercet, aut in cute, aut in pericranio ſitum habet: vterque ab interno dignoſcitur, quòd tactu deprehenditur, preſſúque capitis exacuitur. Interior vel minimè, in quo etiam pili non erigi, vt in externo videntur. Nec à veritate prorſus alienum eſt, interiores ſolùm dolores ad oculorum vſque radices, id eſt, partes oculorum internas peruenire, licet pericranium, cui externi dolores magna ex parte inſident, oculorum cauum ſuccingat, & ea ratione conſenſum cum interna oculorum parte, ſicut cerebrum, habeat, à cuius tunicis oculorum tunicæ atque etiam vaſa proficiſcuntur. Nam cùm dolor externus à pericranij refrigeratione contrahatur, in palpebris potius, quàm in radicibus oculorum percipitur, nec immeritò interior pericranij oculorum cauitatem inueſtientis tunica, non adeo frigoris nec ſiccitatis moleſtias perpeti poſset, cum vndique contegatur, & multo calore oculorum, qui concurſu & copia ſpirituum atque etiam pinguedine illius partis perpetuò conſeruatur, ſemper incaleſcat. Dicimus verò pericranium à frigoris iniuriis frequentius, quàm ab aliis dolere, quòd cùm ſit frigidæ conſtitutionis, à cauſſis ſimilibus promptius, quàm diuerſis patietur. Quòd ſi quando contingat æſtu aut alia euidente cauſſa caput

dolere, dolor potius in cutis partibus, quam in penitioribus sedem habebit. Pericranium enim, quod vestit oculorum cauitatem, non afficitur ab æstu solis, quemadmodum neque occipitis pars inferior. Vnde Galen. in dolore capitis partem occipitis non esse inungendam docet, eò quòd dolor non perueniat ad eam.

CAVSSÆ DOLORVM.

Caussæ verò dolorem procreantes nobis iam sunt explicandæ. Sunt autem alteratio repentè & confertim facta, atque vnitatis solutio. Alterant intemperies vel simplices & sine humoris consortio, vel cum humoribus, vel vaporibus, iisdémque calidis vel frigidis. Continuitatem soluunt rumpentia, contundentia, erodentia, soluentia & secantia. Rumpunt & quæ distendunt. Hæc rursus aut à forinsecus incidentibus fiunt, aut ab interna aliqua substantia, quæ multitudine sua corpus se cõtinens distendit, cuiusmodi sunt humores, flatus, vapores, immodica quoq. siccitas. Contundunt dura vel magna foris incidentia. Erodunt autem humores, aut aliud quidpiam forinsecus adueniens, cui mordendi aut exedendi aut vellicandi vis insit. His omnibus distinctis, caussæ vnde singula proficiscantur, sunt considerandæ, quarum cognitio ex doloris specie & proprietate, partisque dolentis natura, & ex caussarum, quæ præcesserunt, contemplatione comparabitur. Sed cùm dolorem non solùm intemperantia, sed ea etiam, quæ materiam aliquam siue humorem, siue humoris vicem gerentem habet, procreet, distinguendus est, qui ab hac vel illa procedit. Ac primùm vehementes, acutos, magnos, & subitos à coloris & frigoris exuperantia concitari manifestum est, quòd illæ qualitates promptissimam efficacissimámque vim in agendo habeant: quanuis calor breuiores, frigus verò diuturniores efficere soleat. Quod equidem præstat, quum repentè & confestim inuadit. Si enim sensim agat, stupefacit potius, cùm huic obtundendi & minuendi potius, quàm mouendi sensus, vis insit. Qui portò à calore est, rubedine quidem leui capitis oculorúmque & faciei partes infundit, atque calore in eisdem partibus primo attactu percepto, cum quadam faciei colliquatione & cu-

tis ſiccitate ſcaloréque & ſimul ex frigidorum perfuſionum iuramento perficiuntur. At qui à frigore eſt, contrariis notis & ſignis deprehenditur. Siccitatis autem cùm in agendo tardior & imbecillior ſit vis, moderatos tamen, lentos, longóſque producit dolores: cuius etiam indicium eſt faciei ſcalor. Verùm humiditatis cùm ſit actio debiliſſima, non tanta vis eſt, vt dolorem ex ſe promere poſſit, niſi cum copia diſtendat. Rarò autem dolores, qui diutiſſimè durant, ſola intemperantia ſine materiæ conſortio adferre videtur, propterea quòd eos cauſſæ procatarcticæ magna ex parte procreant, quæ internas ſtatim concitant: vnde fit, vt ad dolorem ſtatim accurrat materia, niſi corpus exquiſitè purum ſit, nulláque plenitudine aut cacochymia laboret. Hinc etiam ſolummodo accidit, vt dolorem ſine affluxu materiæ aliquamdiu perferat, cùm nulla ſit plenitudo aut cacochymia, quæ illam ſuppeditet. Quare ſi illæ adfuerint, diu ſine materia permanere dolor non poteſt. Qui verò cum materia dolor eſt, eam aut ab aliquo quatuor humorum, vel à tunicis, aut à ſpiritu vaporis aut exaltationis naturam habente accepit, & cum morſu & acrimonia, grauitate, diſtenſione vel pulſu affligit. Ex quibus non ſolùm morbi ſpecies & pars laborans, ſed etiam cauſſa efficiens eorum demonſtratur. Qui enim acer aut acutus aut mordax eſt, acrimoniam vel vaporis vel humoris birioſi ſignificat: grauans verò frigidorum pituitoſorúmque copia. Hebes etiam ab eiſdem eſt, & à melancholia, & à flatu, niſi cùm multitudine vehementer diſtendunt. Diſtendens autem citra grauitatem quidem ac pulſum, flatulenti & crudi ſpiritus copiam oſtendit. Si verò cum grauitate diſtendat, retentam in membranis multitudinem teſtatur. At qui cum diſtenſione ſimul & pungit & pulſat, membranæ ſubſtantiæ inflammationem: ſicut, qui ſola grauitate vrget, multitudinis humorum index eſt. Qui tantùm pulſat, inflammatione tentari ſignificat arterioſam ſubſtantiam, vel partem arteriæ proximam, aut arterias ipſa tenui bilioſóque humore aut vapore turgere, à quo vehementius ad pulſum excitantur. Multùm autem etiam conuenit

cire an bene valenti, an ægro, an derepente vel non, oboriatur dolor. Cui enim bene valenti derepente oboritur, eius caussam ad flatuosum spiritum referre oportere scribit Galenus in Aphor. 15. lib. 6.

De caussarum generatione.

IAm de caussarum generatione dicendum, quarum euidentes ab interioribus sunt distinguendæ. Euidentes sunt æstus, frigus, constitutiones temporum & aëris, siue austrinæ, siue aquiloniæ, siue siccæ, ictus, casus, temulentia, animi corporísque affectiones & studia, vt sunt curæ, vigiliæ immodicæ, exercitationes, & similia: quæ omnia vario modo capiti dolorem creant. Æstus enim, vel quiuis calor, quatenus intemperies caput afficit, aut ad eam partem humores euocat, aut in eo iam contentos, & spiritus dissoluit, vellicat, exacuit, incendit, & in furorem agit, eatenus doloris capitis caussa esse potest. Sic etiam omnia quæ repentè & vehementer corpus humorésque noxios aut naturales exagitant, aut valde extenuant, & in feruorem agunt, vt sunt inediæ, vigiliæ, exercitationes, cæteráque enarrata prius, idem, quod æstus, efficiunt, ipsúmque frigus interdum. Sua enim condensante & astringente vi dum fulginosa recrementa retinet, calorémque naturalem intro cogit, calefactionis & incensionis spirituum authorem, aut si repleta per austrinos imbres capita excipiat, efficit, vt in capite permanens excrementum doloris caussa existat. Si autem nulla ex corporis parte plenitudinem vllam inueniat, digerit frigus aut discutit: atque hæc ex accidente præstat. Sua autem vi refrigerando dolorem excitat, quam obtinent austrinæ constitutiones, & omnia, quæ, vt illæ capiti grauitatem inducunt: vnde ipsum replent, multitudinéque humorum grauant. Quorum omnium dignotio cùm partis affectum demonstret, ad eius curationem plurimum adfert momenti, proindéque diligenter contemplanda. Siccitas faciei, & calor cum oculorum rubedine & totius corporis superficiei, quod etiam sanguine tumescere conspicitur, sicuti & venæ omnes, quæ in oculis, temporibus, fronte & tota facie extenduntur, si magnus affectus fuerit, vestigia sunt caloris: contraria autem acciden-

accidentia frigoris. Si verò curæ, mœrores, inediæ, vigiliæ, aerísque siccitates præcesserint, dolorem ab his profectum esse suscipio erit. At si nihil prorsus eorum, quæ extrinsecus occurrunt, caput affecerit, tunc qui vrgebit dolor, caussam interiorem habere certò pronuntiandus est. eáque aut proprio cerebri vitio, aut ex partium subditarum consensu nascitur. Illa ex proprio cerebri vitio nasci dicimus, quæ suæ generationis caussam in capite habent. Talis est humorum caput aggrauantium vel mordentium, aut flatuosorum, spirituum acrium copia vel distendentium, quorum caussa est intemperies aut imbecillitas, quæ superuacanea excrementa in se parit, quia subigendo & perdomando alimento non sufficit. Quibus accedit interdum obstructio meatuum, per quos excrementa capitis expurgantur, fuliginosíque halitus cernuntur: à qua dum retinentur intus, sua multitudine aut qualitate capiti offensionem pariunt. Ex quibus perspicuum est eos solos, qui per congestionem in capite colliguntur humores, dolorem per proprietatem illi ingenerare posse: quales sunt maximè crudi, crassi & pituitosi atque melancholici, qui rarò etiam per consensum ipsum affligunt. Quòd si id aliquando efficere videantur, ratione vaporum ab illis excitatorum accidere non dubitamus, quibus tamen adiungemus flatus, qui cruditatem calorísque imbecillitatem sequuntur. Hæc capiti licet insint vitia, non tamen semper illi dolorem commouere possunt, nisi aut exteriores caussæ & consensus simul partium concurrant. Nec enim humorum in capite multitudo nec intemperies interdum procreabit dolorem, nisi aut ab externo aeris condensatio vel refrigeratio accedat, nec imbecillitas tantam excrementorum copiam semper parit, vt doloris caussa esse nequeat, nisi etiam ab aliis partibus transmissa in se recipiat, & ab iis obruta sese erigere nequeat. Adhęc non rarò accidit, vt dolor, qui à cōsensu partium initium accepit, in affectum tandem proprium desinat, adeo vt alterius partis affectu sublato, à quo inualescat, per se iam subsistat, quod in Cephalicis frequentissimū est. Sed vt eos dolores, qui capiti ex proprio affectu ipsius accidunt, ab iis, quos partium consensus infert, dis-

Caloris vestigia & frigoris.

cernere possimus, intelligere oportet, caput per consensum laborare, quum aut vniuerso corpore, aut aliqua eius parte laborante, in consensum illarum trahitur, affectúsque particeps efficitur. Quod diuerso modo, pro vario inter partes consensu fit, transmissis videlicet prauis vel vaporibus vel humoribus, aut nō transmissis. Iecore enim inflammationem patiente, sicut dolor ad iugulum peruenit, & oris ventriculi morsum sequitur labri inferioris tremor: sic affectis interdum partibus quibusdam infernis per continuationem quam cum capite habent, sine vlla humorum aut vaporum transmissione dolor ad ipsum defertur. Hoc modo fieri potest, vt ore ventriculi morso, aut vellicato, aut quouis modo affecto dolore afficiatur caput propter retractionem, cum affecto cerebro stomachus pati è conuerso deprehendatur propter neruorum insignium, per quos illi cum stomacho consortium est. Quamuis non dubitemus ex vaporum fumorúmque è ventriculo ad cerebrum ascensione dolorem excitari. De quo tamen iure posse dubitari videtur, cùm nulla manifesta via, per quam deferantur, appareat. Si enim per œsophagum, vt vulgus medicorum credit, & ab œsophago per nares & odoratus organum & palatum ascendant, cur non semper & naribus apertis & ore patente potius illac exeunt? Quare existimamus non è sinu ventriculi solùm, sed ex ipsius tunicis externis fumos ad cerebrum effari. Et qui è sinu partim œsophagum & viam odoratus, partim per rectitudinem & ambitum neruorum sextæ coniugationis ad cerebrum perueniunt. Ea enim rectitudo eam vim habet, quam baculus oblongus in camino erectus, vt fumus sursum intra canalem dirigat, ne extrà effundatur. Non alia ratione torpedo per baculum tacta tangenti manuum stuporem inducit, eius vim dirigente & deducente baculo ad manum, ne per aerem diuagetur. Quam vim alioqui non habet, etiamsi manui quàm proximè admoueatur. Qui verò ex tunicis exterioribus per arterias magis, quàm per venas, quæ in illa parte sunt (quæ à vena porta originem trahunt) sursum feruntur. Nec porrò dubitandum, ne tanta fumorum copia non possit

inde

inde efferri, quanta ad dolorem generandum requiritur. Cur enim si aliqua insigni agente qualitate ex putredine vel corruptione humorum contracta præditi, minorem vim afficiendi capitis & pungendi, quàm pusillum, quod ex scorpionis morsu prodit, virus, vt statim Epilepsiam pariat, obtinebunt? Quæ enim ad vteri affectus referri possunt, qui eodem modo caput per consensum, quo ventriculus, afficiunt. Iam redeundum ad notas eius doloris tradendas, vbi prius admonuerimus vapores & fumos nullum, nisi per consensum, dolorem concitare posse. Ex humoribus autem eos, qui per defluxionem tantùm, non per congestionem in capite colliguntur. Primùm ergo per consensum laborare deprehenditur caput, cùm nulla euidens caussa, vt æstus, aut frigus, ictus vel odor grauis, aut aliquod eorum, quæ grauitatem capitis facere consueuerunt, prius occurrerit: ob eóque differt, qui primario afficit, quòd solitarius consistit, perpetuúsque est nil intermittens, neque increscente alterius partis affectu augetur, sed quouis alio sublato persistit: atque illi accommodata præsidia conferunt. Alter verò frequenter repetit, & cedit, alterius incremento inualescit, illiúsque remissione & affectu sublato mitescit vel leuatur. Licet id non vsque adeo verum sit in doloribus, qui per insignes febrium intermittentium accessus præhendunt: quippe sudoribus & accessione sedata, post aliquot tamen horas perseuerare apparent. Quod quidem accidit ex eo, quòd materia tardius difficiliúsque resoluatur & discutiatur, propter cranei densitatem in capite, quàm quæ per corporis habitum effusa est. Altera certissima nota est, quòd si aliqua pars huic malo dedit originem, veluti si è ventriculo, vel vtero, vel iecore, foris aut aliunde confluxit, signa exhibet eius partis affectæ, quæ velut seminarium & origo mali fuerit. Ex ventriculo enim prodire iudicandum est, cùm cruditatis aut ciborum corruptionis, vel imbecillitatis indicia, nausea, aut deiecta appetentia, oris amaror, & cordis erosio, cardiachmos appellata, prius præsentiuntur. Ab vtero autem demonstrant suppressi menses, semen aut aliquid aliud in illo computrescens

vel circa illam partem humorum perturbatio. Sic si vitiosæ constitutionis in corpore plenitudinis vel cacochymiæ conspicua signa apparuerint, his caput particeps effici suspicandum erit. Quod fit elatis sursum vaporibus aut fumis per modum defluxionis confluentibus, si caput præsertim imbecillum hos promptè recipiat, vt in febrium rigore & vehementia accidit, quia fusi & accensi humores more vaporum caput subeunt: & vt in Aphorismis addit Galenus, vnà cum calore flatuosus spiritus in caput tollitur, quod per vrinas turbatas, iumentorúmque vrinis similes significari Hippoc. asseruit. Fiunt enim crassam ac densam materiam agitante & versante calore, atque in ea subigenda occupato. Rarò autem ex peculiari cuiuspiam alterius partis consensu, quàm ventriculi aut vteri, dolet caput. Nulla enim omnium capite inferiorum pars est, quæ maius & euidentius cum cerebro consensum habeat, quàm ventriculus per neruos sextæ coniugationis, & vterus per spinalem medullam, cui robustissimis tendonibus & ligamentis adligatus est: vnde fit, vt ab iis solis dolor ad cerebrum, sola condolente ratione, nulla interueniente materia perueniat, cùm vterque ab acrimonia humorum vellicatur & pungitur, aut multitudine sola distenditur. Quare licet non rarò per aliarum partium affectus, vt lienis, iecoris, & septi transuersi caput in consensum adducatur, maximè si inflammationem patiantur: non tamen id, nisi communis societatis, quam totum corpus habet, ratione, & materia intercedente, sicque per venas & arterias sursum transmittitur. In quo facilius id per venam cauam præstat iecur, & lien per arteriam magnam. Sed cùm alium nullum aditum, quàm per hos ductus ad cerebrum habeant, non videtur, qui ex eo potest excitari dolor, caussam magis à mittente parte, quàm à recipientium imbecillitate obtinere, nec vnquam potius, quàm aliam capitis partem obsidere debere. Cùm enim vena caua, arteriáque magna tantùm iuxta iugulum diuidantur, dextrámque & sinistram arteriam & venam in caput mittant, quæ ratio est, cur quod à iecore & liene demandatur, per illam potius, quàm per alteram ad caput peruenisse, & in dextra

dextra potius, quàm sinistra dolorem stabilire debeat? Quod enim de rectitudine obiicitur, vim in doloribus, qui à materia per venam communem & per arterias & venas fiunt, nullam habet. At in his, qui per partium continuitatem & colligationem ab vna in alteram transeunt, verum esse posse non inficiamur. Quòd si hæc distinctio recipienda non sit, cur rectitudinis iure dolores omnes qui propter vteri societatem fiunt, non in occipite semper potius, quàm sincipite, vt Hippoc. & Gal. voluerunt, percipi debent, cùm Galenus in hac re his, qui afflictis tum lumborum, tum prorsus spinæ, posteriori cerebro rectitudinem quadrare affirmant, non assentiatur? Quare dolori, qui ex consortio iecoris & lienis in capite suboritur, non dextra potius, quàm sinistra, nec alia pars assignanda est præter anteriorem. In qua cùm omnis materia siue vapores, vel quæcunque fuerit, quæ à partibus inferioribus sursum defertur recipiatur, doloris meritò per consensum communem totius corporis, & per materiam procreari sedes & nota existit. Id Galenus commento primo in libro 6. Epidemion demonstrare conatus est in hunc modum. Ex putrescente (inquit) sanguine febres accenduntur, quæ plurium vaporum copiam ad caput mittunt, à quibus cùm repleatur, dolores in sincipite molestiam inferentes exoriuntur, eò quòd vapores illi calidi per arterias ad caput sursum ferantur, quas ex colli appellata fornace vtrinque sinciput rectà ascendentes cernere licet. Deinde quòd toto sanitatis tempore tenuia & vaporosa cerebri excrementa per sinciput maximè transpirare consueuerunt, cùm in eo rarissimę sint suturæ, craneúmque ipsum tum tenuissimum, tum maximè fistulosum exstat. Tertio præter hæc quòd sensu prædita corpora in suturis complura sint, nempe pelliculæ quædam panniculum crassiorem pericraneo coniungunt, penetrátque tenuium vasorum copia. Cùm autem magnitudine æqualia fuerint pathemata, partes, quæ natura sensu magis participant, sentiunt magis: quæ verò magis sentiunt, iis caussæ dolorificæ molestæ magis. Ob eas itaque caussas concludit in sincipite dolores existere, vt demonstret veram esse Hip-

pocrat. sententiam, quam pronunciauerat. Quibuscunque ex fœtu abortiuo atque vteri tumoribus ad capitis grauitatem conuersio fit, in sincipite dolores fieri. Nos verò existimamus Gal. eo loco communes, non tamen omnes tradidisse caussas eius doloris tantùm, qui à fumis & vaporibus ex inferioribus partibus efflatis excitatur, & sincipitis partes magis quàm alias infestat. Non enim per arterias solùm, sed etiam per venas doloris istius materia sursum repit, & in eadem parte sedem figit, eò quòd venæ, quæ sinus duræ menyngis constituunt, ibi desinant, potissimúmque tertius & quartus. Quare cùm eò peruenit materia, illic residet, distensionem facit, vnde dolorem potiùs, quàm cùm in interna adhuc est. Ex quo non est, quod quis eo quòd pars posterior frequentioribus, euidentioribúsque venis est magis conspicua, dolorem firmari potiùs debere, quàm in anteriore contendat. Didicimus enim ex anatome ramos venarum in occipite latiores esse, anterius verò exiliores, quòd ab illa in hanc partem ferantur & desinant. Hoc tamen fieri intelligimus cùm nulla pars capitis altera magis imbecilla est, aut iniuriis opportuna. Quæ enim aut ab initio aut ex casu, vel aliqua læsione talem conditionem sortita est, in eam fluxiones & humorum decubitus fieri semper consueuerunt, adeò vt quàm plurimis in ea parte per temporum mutationes, aut alias etiam leues occasiones repetat semper dolor. Nec solùm qui per consensum, verùm etiam qui primariò cerebri affectu fit dolor, in anteriore frequentius, quàm posteriore sentitur, præsertim cùm à materia pituitosa, aut excrementis in capite collectis excitatus est. Solét enim illa in anteriore magis, quàm posteriore cumulari, vt ostendunt meatus, per quos expurgatur, vt nares, & palati foramina in illa parte à natura constituta. Ex quibus abundè demõstratum esse arbitror, posteriorem capitis partem omnibus prorsus doloribus minus esse obnoxiam, quàm priorem, nisi ab vtero proueniant, quibus ob eam caussam id proprij inest propter peculiarem illius partis & vteri societatem cum cerebro per spinalem medullam, vt in occipite sæuiant, & molestiæ initium faciant, dummodo non per fumos

aut vapores ab vtero transmissos, sed per solam condolentiam, vt à ventriculo morso aut vellicato fieri antea demonstrauimus, caput afficiatur. Iisdem enim modis vterus cerebrum, quibus & ventriculus in consensum trahit, de quo plura dicenda non sunt. Scire tamen interest, omnes, qui per societatem dolores fiunt, ob inflammationes & huiusmodi humores excitari ab imbecillitate partis recipientis, vel intemperie calida potissimùm, cui vis attrahendi inest, vel ob mittentium sympathiam, vt antea dictum fuit, aut robur, aut ob materiæ conditionem. Leuia enim sursum semper feruntur. Quare fumi, tenues vapores, & humores facilè caput subeunt, & ab eo propter situm admittuntur. Sicut graues & liquidi deorsum descendunt, & ab inferioribus recipiuntur.

De dolore capitis à caussa materiali calida.

Cap. VI.

SI dolor capitis fiat à sanguine, oportet multùm sanguinis extrahere, si à bile, minus. Facta sanguinis missione, & adhibitis cucurbitulis in lateribus colli supra capitis commissuras, adhibẽda sunt repellentia, quæ in forma liquida administrari debent, tum quia faciliùs ob tenuitatem penetrant, & nimis adhæsione & contractu caput calfaciunt, vt emplastra, cataplasmata, vnguẽta, vel linimenta. In forma autem liquida fiunt duobus modis, vel ex oleis & aceto tantùm, vel ex succo herbarum repellentium. Oleum ros. omphac. aut quod paratur cum foliis oliuæ. Oleum ros. cydoniorum, myrtil. nenupharísque cum pauco aceto supra caput apponuntur, vel irrigando caput, vel intingendo pannos raros in oleis illis fortiter agitatis, & permixtis. In vehemẽtissimo dolore, ad illa quæ frigida & stupefacientia sunt, venire cogimur. Et satius est oleo ex semine papaue. vti, quàm succo pap. Est enim magis familiare, & minùs refrigerat. Succi plantaginis, solatri, foliorum vitis, foliorum salicis, vel oleæ, vel summitatum rubi, vel pyri syluestris, cum pauco aceto ponuntur. Vel more antiquorum leuiter inspissentur farina hordei, & apponantur: sed melius

Oleum repell.

Stupefac.

est albumen oui fortiter agitatum, pilis exectis, capiti imponere. Nam propter farinam minus adhęrent parti, & magis obstruunt. Aquæ refrigerantes distillatæ, in defectu succorum oleis permiscentur, & potissimùm cùm oxyrhodino & oleo iam antiquo parato vti cogimur. Apponuntur autem aquæ peculi.rof. lact. plantag. solatri. Aquæ autem rof. & myrtil. rarò vsurpantur, ob odorem quo tentant caput. Sunt qui pulueres capitales apponant per se, vel consutos cum bombace, & frontalia vulgò dicta parant, sed propter crassitiem tardissimè operantur. Hæc remedia in dolore capitis ex fluxu sanguinis, & in bilioso dolore, & in omni qui fit à fumis & vaporibus, aut per alium consensum partium infernarum, in principio vtilissimè apponuntur, quibus peractis, ad id quod factum est, venire oportet. Nam cùm hæc repellentia medicamenta, aut sanguinis missio tardius facta fuerit, caput repletur fumis & vaporibus, quos digerere oportet digerentibus, nisi vehementia doloris id facere prohibuerit. Nam coguntur in vigore doloris vti sedantibus dolorem, quæ duplicia sunt, vel quæ sensum obtundunt, vel quę partem laxant, nimium distentam, aut quę humoris acrimoniam obtundunt. Stupefaciunt autem ol. de semine pap. vel in quo incocta sint capita pap. quo quidem medium est inter oleum pap. & opium. His etiam adiungere oportet oleum de mandragora, quod stupefacit, oleum de hyosquiamo, quod quanquam idem faciat, non est supra caput apponendum, quia facit fatuitatem, vel insaniam, vt & solanum maniam. Opium dissolutum in ol chamo. vel de croco, vel in vino antiquo naribus & temporibus apponitur: sed hæc stupefacientia non sunt temerè apponenda, & non nisi quando alia remedia inutilia sunt. Dolorem sedantia, quæ partem laxant, sunt ol. amygd. dulc. Sesaminum, viol. aliis permixtum. Obtundunt verò humorum acrimoniam lac recens emulsum, mucilago seminis mal. decoctum seminis mal. Ista tria aliquando ponuntur per se, aliquando commiscentur. In bilioso magis vtimur obtundentibus acrimoniam humoris & stupefacientibus, in aliis autem relaxantibus & modicè dige-

Aqua destill.
Rosa & myrtil. omittũtur.
Hæc in fluxu sangui. & bilioso dolore conueniunt.
Topica.
Duo genera sedãtium dolorem.
Stupefac.
Olea periculosa.
Quando vtendum stupefac.
Obtundẽtia humorum acrimoniam.

digerentibus, quæ etiam dolorem sedant, vt ol. chamo. amygd. amar. de semine lini, decoctum, paratum ex floribus chamom. mell. vel samb. vel seminis lini. mal. quo decocto irrigatur caput tepidè. Sed priusquam ista adhibeantur, oportet influxum sedatum esse, aut oportet ligaturis, reiterationéque clysterum semper deorsum excrem. retrahere, vel frictionibus asperis. Hic est potissimùm obseruandum, ne eligantur medic. illa quæ odorata sunt, quia teste Hipp. dolorem faciunt. Ob id abstinemus ab oleo anethino, & similibus, nisi in declinatione, cùm nos volumus id quod est in parte, euacuare. Euacuatur autem humor sanguinis eruptione è naribus, vel masticatoriis, potissimùm in caussis frigidis & multum humidis, vel topicis supra caput appositis, remediis. Quare si iuuenis, vel mulier sit, quæ retentionem mensium patiatur, vel vir, cui suppressæ sint hæmorrhoides, scalpendæ sunt frequenter nares, aut seris pungendæ, aut herba illa, qua pueri sæpe sibi sanguinem prouocant, vel foliis ficus confricando, aut borragine, aut aliis herbis aculeatis, aut asperis. Nam hoc faciunt pungendo & lacerando venas. Vena frontis aperitur potissimùm, si posterior pars capitis doleat, aut apponuntur cucurbitulæ cum scarificatione ad latera colli. Deinde digerentia medic. ponenda sunt, quæ efficaciora esse oportet. Si internæ capitis partes doleant, ob partis situm olea calida apponenda erunt, & quæ potentissimè digerunt, vt oleum commune, etsi vetus sit, vel oleum sicyocum, aut anethinũ, aut de abro. addito pauco aceto, vel vino tenuium partium. Illa sufficiunt in dolore à materia calida. Nam quæ parantur ex spondylo, pulegio, calamintha ad crassiorem humorem digerendum præscribuntur, vel post curationem doloris capitis. Ad corroborationem tunc fieri possunt pul. capitales, & cucufæ, sed pul. inspersus capiti melior. Nam discutitur manè, cùm caput confricatur, & nouus sequenti die apponitur. Cucufæ autem semper apponuntur eædem, & aliquando ob sudorem aut pinguedinem humefactæ plus nocent quàm prosunt, hoc tamen habent vtilitatis, quòd vice pilei sint. Conficiuntur autem hoc modo pulueres.

Quibus sanguis per nares extrahatur.

Puluis. ℞. corian rosſ. an.ʒ.iij.flo.anth.ſtechad. & cha.an.℥.j. aniſ.granorum tinctorum, myrthi, ſandali albi an. ℥.ij. miſce fiat pul. tenuiſsimus, quo cap. ſinapiſetur, ſerò, & manè excutiatur, & alius, ſi velis, apponatur. Ex eodem pul cucuſa paratur, quæ minus conuenit in iſtis cauſsis calidis. Et quia in vehementiſsimo dolore humores vruntur, & acrimoniam acquirunt, non erit inutile poſt miſsionem ſanguinis, dare medicamenta, quæ ichores ſanguinis purgent, qualis eſt ſyrup. roſ. laxatiuus cum media parte aquæ endi vel ℥.j. cath. aut ʒ.x. caſſ. per horam vnam ante prandium. Eo tempore datur propter duas cauſſas, ſcilicet vt grauitate cibi deorſum mittantur, & vt cibi prohibeant effumationem ad cerebrum. Solet enim ſuo odore dolorem facere. Poteſt etiam parari decoctum ſequẽs, quod detur ſingulis matutinis, maximè quando ſufficiens quantitas ſanguinis non eſt extracta, vel in quibus per ætatem, aut virium imbecillitatem non licuit.

Quæ ichores purgãt

℞. prunorum ſebeſten. an. pa. xx paſſ. enucleatarum ℥ j. tamarindorum elect. ℥.j. ſenæ orient. ℥. ij. ſem. carthag. contuſi ʒ. vj. polypod. ℥. ij. flor. vio. p. j. ſem. aniſ. ʒ.i. fiat decoctio ad ℔. j in qua diſſol. ſyrup. viol. ℥. vj. miſce pro tribus matutinis. Si adhuc perſeuerarit dolor, poſt illos tres dies, adde vltimæ doſ. ſyrup. roſ. lax. ℥.j. vel cath. ℥.v. rhab. quia multùm effumat, non eſt dandum, vel detur in ſubſtantia, ſed infuſum in aqua endiui. vel viol. Reiterentur clyſteres tertio quoque die, ſi prædicto decocto non vtantur, aut ſi aluus non ſatis moueatur. Abſtineant à vino, & ab omnibus effumantibus ad caput, quales ſunt fructus, ex quibus oleum parari poteſt, vt amyd. nuces, nuclei pinearum, auellanæ, & omnia alimenta odorata, & quæ parantur cum petroſ. maiorana, menta, ſaluia aut cinamomo, aut nuce moſcata, & ſimilibus odoratis. Non moueat corpus, confricentur pedes. & brachia, non caput, niſi poſt curationem. A lacte, butyro, & caſeo abſtineat. Comedet quæ refrigerant, minus alunt, & non tentent caput: qualia ſunt poma cocta in prima menſa, vel cruda in vltima, ſi illis aſſuetus fuerit. Vtatur iuſculis paratis ex herbis remollientibus ventrem, vt borrag.

Rhab. cur prohibeatur.

Victus ratio.

cicla

cicla, ſpinachiis, lactucis decoctis in iure pulli, vel cum pauca quantitate carnis capi, vel gallinæ, vel hædi, vel vituli. Vtatur cremore hordei cum pauco ſaccharo. Comedat in vltima menſa pyra, vel fructum mali cotonei. Sed hæc magis probentur in ea ſpecie quæ ſit per conſenſum ventriculi: non reclinet caput, neque tempore ſomni, neque vigiliarum, ſupra puluinar factum ex plumis, quia caput nimis calfaciunt: ſed ſit ex corio pleno palea, furfure hordei, vel auena Non eſt negligendus dolor capitis, etiã ſi ſine febre ſit, quia ſæpe in alios morbos mutatur, vt in phrenitidem, & alias capitis affectiones grauiores. Hæc remedia ſufficient pro dolore capitis facto à ſanguine, vel à bile ſine febre. Si autem dolor hic ſit criticus, ex eorum numero quibus remedia adhiberi poſſunt, aut ſi superueniat alicui morbo, in quo miſſus fuerit ſanguis, & corpus purgatum, poterimus prætermittere omnes illas euacuationes, & topica remedia adhibere. Nam ſi criſim præcedit, ſit circa ſtatum, in quo ſilentium melius eſt habere. Adde quòd expectatur vomitio, vel alia excretio ad morbi ſolutionem. Sunt præterea ægri imbecilliores in ſtatu. Quare ſatius erit à ſanguinis miſſione abſtinere, niſi dolor ab inflammatione fuerit. Tunc ſi vires valent, ſanguis mittendus eſt, vt cap. de phrenitide monſtrabimus. *Curatio doloris critici cap.*

De dolore capitis à bile. CAP. VII.

DOlor à materia calida ſit à ſanguine, vel à bile, vel à fumis flauæ bilis. Diſtinguuntur autem, quia dolor qui ſit à ſanguine, accidit ob eius copiam, quare ſentitur diſtentio cum grauitate & pulſatione. Dolor autem à bile eſt ſine grauitate, quia eſt parua bilis quantitas, quæ dolorem facit, ſed ſentitur morſus ob eius acrimoniam. Si à fumis fiat, bilioſus humor vel in ventriculo, vel in aliqua alia parte collectus, ſentitur, qui faſtidium, nauſeam, & vomitum, vel amarorem, vel cordis morſum facit. Dolor ſentitur cum magna leuitate, quia fumi ſua mole non premunt, ſed ſolùm diſtentionem faciunt, quæ iuncta leuitati diſtinguit hunc dolorem à dolore facto cum diſtentione & grauitate, qui ſit à multitudine alicuius materiæ. Iſtis ſignis *Dolorum cap. diſtinctio.*

Victus ratio signis adiungenda. adiungere oportet victus rationem præcedentem, si biliosa fuerit, vel biliosa temperatura, aut ira & excandescentia præcesserit, tempus, regionem, ætatémque & omnia, quæ bilis redundantiam significare possunt, vt etiam euacuationis consuetæ retentio, quæ vel per sedem, vel per vomitum fiebat Idem obseruandum in distinguenda materia sanguinea dolorem capitis faciente, & maximè si retineantur menses, aut hæmorrhoides, vel hæmorrhagia consueta fieri è naribus, & si præcesserit vini generosi multa potatio, alimentorum multùm sanguinis generantium vsus, si relicta sit aliqua exercitatio consueta. *Curandi ratio.* Curandi ratio est: Primùm detur clyster præscriptus cap. 5. cui addi potest lact. M. j. cucurbitæ eadem mensura, vel potest augeri modus quat. semi. frig. maior. præcipuè cum nobis proponitur ætate *Sectio venæ.* & natura biliosus. Si venæ multùm turgeant, à cepha. detrahatur parum sanguinis, non ad euacuationem, sed ad ventilationem. Nam cùm bilis etiam pauca summos dolores excitet propter eius acrimoniam: non tam de ea euacuanda, quàm alteranda, & castiganda, nos oportet esse sollicitos. Et si æger natura fuerit biliosus & ætate, tempúsque anni æstiuum, ne euacuando sanguinem, qui est frenum bilis, æger incidat in phrenitim, nō est facienda sectio cephalicæ, sed venæ sub lingua pos- *Cucurbitæ* sunt aperiri. Quòd si ne has quidem liceat aperire, & æger venæ sectionem plurimùm reformidet, cucurbitulæ humeris vel collo admoueantur cum scarificatione, vel fiant ligaturæ & frictiones extremarum partium, & potissimùm in carpo & pedio ad diuersiones. Si dolor lenis est, vt ex ira, non statim mittendus est sanguis, sed topicis remediis tentanda potius curatio, quibus si non cedat, ad reliqua confugiendum. Cùm autem biliosa est hæc materia, debet potius purgari, quàm euacuari sanguinis missione. Quòd si purgatio materiæ non possit semel fieri, detur minoratiuum sequens.

℞. syr. rosl. lax. ℥. j. ß. aquæ endi. ℥. iij. misce, fiat potus, detur manè. Sequentibus diebus dentur manè syru. alterantes flauam bilem, vt syr. de endiu. simpl. viol. ros. de nymphea, oxysacchar. de agresta, & quibus est facultas infrigidandi. Herbæ, ex quibus conficiuntur

tales

tales syr. aut decoctiones, aut aquæ distillatæ, sunt, lact. sonchus aspara. j. rostrum porcinum, sonchus leuis. j. endi. Pharmacopolarum, scariola. j. endiuia. Possunt addi capil. portulaca, dens leonis, plantago & omnia frigida a primo gradu vsque ad tertium. Syr. præparantes fiunt hoc modo ad lenitionem & alterationem.

Syr. alterantes bilem.

Syr. præpar.

℞. syr. viol. (qui multùm conuenit propter lenitionem & alterationem) syr. endi. simpl. ana ℥. ij. syr. de nymphea (vt incrassetur materia subtilis) & myrtill. an. ℥. j. aq. cichor. endi. lact. & lupulorum (si sanguis admixtus est) ana q. j. fiat. iulep. cla. & aro cum ʒ. j. diatrag. frig. Possunt misceri ad somnum conciliandum aquæ port. quę conuenit, si simplex est affectio, nymphee & cucurbitæ. Syr. viol est valde vtilis, quia refrigerat, ventrem lenit, & ferè est narcoticus. Laudantur quæ refrigerant cum astrictione aliqua, quoniam incrassant, & bilis feruorem extinguunt. In obstructionibus hepatis syr. endi. compositus, cum aquis conuenientibus magis conuenit, quàm simpl. quia magis aperit. Post syr. dari potest tabula. j. diatrag. frig. aut triasand. duplicato rhab. aut diarrhodi abb. Si scirrhus est in hepate, conuenit syr. endi. compositus cum aqua graminis. Si sit icterus, conuenit syr. endi. compositus cum aqua graminis, vt interim pars humoris euacuetur. Sed quoniam syr. & elect. suprascriptorum facultas exolescit interdum, satius fuerit sequenti apoz. vti ad ventris lenitionem, & obtundendæ bilis acrimoniam.

Quib. conferi. Syr. endi. compositus & viol.

Apoz.

℞. endi. non lotæ (ne auferatur facultas detergendi, quæ est in superficie) cichor. scariolæ, lupuli capil. ana M. j. Possunt addi rostrum porcinum & flores refrigerantes. Propter pharmacopolas variãda est præscriptio, qui norunt ex intuitu ægroti, quid sit ei præscribẽdum. Vt verò lenitio ventris fiat, & acrimonia humoris obtundatur, pone prunorum non dulc. sebesten. ana pa. vj quat. sem. frig. maiorum ana ʒ. ij. seminis endi. ʒ. j ß. Addi possunt semina lact. port. ana ℥. ß. fiat deco. sub cuius finem potest addi florum cord. ana p. j. in ℔. j. col. diss. sacch. q. s. fiat apoz. addatur aceti parùm, vel vini granatorum. ℥. j. vel ij. Quòd si non modò alterare, sed vacuare volueris, adde myrobal. citrinorum & in-

dorum ana ʒ.ij.vel ij.vel ℥.ß.Quæ etiam si non abluantur, obstruendi tamen vim, quam habent ob adstrictionem, amittunt decoctione tamarindorum, succi rosſ. (vt magis purget) ana ℥. j. aut syr. rosſ. laxat. ℥. ij. Quòd si deest syr. rosſ. adde sacchar. q. s. fiat syrup. mediæ deco. detur alternis diebus aro. cum ʒ. j. triasand. duplicato rhab. Vltimæ dosi adde (si multus humor superest) diagr. gr. iij. mastich. gra j vel rhab. ʒ. j. vel elect. de succo rosſ. vel de citro sol. ʒ. ij. Si nolit hanc potionem, vtatur vel bolo, vel pill. sequentibus. Porrò licet hîc incrassantia & refrigerantia primo scopo, primáque ratione conueniant, tamen quia commodè per vrinas bilis purgatur, possunt etiam misceri aperientia. Acetum additur, quoniam bili flauæ planè aduersatur: loco eius poni potest syr. acetosus. Postea vtatur potione vel bolo sequenti.

Aceti virtus.

℞. cath. ʒ. vj. vel cass. ℥. v. elect. de succo rosſ. ʒ. ij. indi maior. vel de citro sol. ʒ. j. cum sacch. fiat bolus. Maior quantitas medicamentorum danda est in dolore, tum quia humores sursum mouentur, vt deorsum reuellantur: tum quia sensus minus est exactus in partibus ob spirituum resolutionem, aut retractionem. Vel accipiat pill. quę sine custodia loco minoratiui dari possunt, quæ scilicet non recipiunt coloch nec diagrid. nec turbith quales sũt pill. de hiera simpl si sine croco & myrrha parantur, assageret & sine quibus, quanuis parùm diagridij acceperint. Sed quia dolor sæpius repetit, affligitq; eos præsertim qui bilioso sunt habitu, proderit pillul. quas magistrales vocãt, accipere & sunt eradicatiuæ, vt cochiæ, de rhab. de quinq; generib. myrobal. mastich. aureæ & similes, quæ cum custodia dantur post primum somnum: vt prima actione facta meliùs operentur, & facilius. Sequentes sine custodia dari possunt.

℞. mass. pil. de hiera simpl. ℈. j & v. rhab. ℈. ij formentur pil. cum syr. laxatiuo, vel cum aquæ endiuiæ, ne nimis laxent aut calfaciant. Verùm in hiera aufertur crocus. Is enim caput ferit & dolore tentat. Odorata tamen fortiter laxantibus mixta non possunt multùm nocere, quia longam moram in corpore non faciunt. Parantur pillulæ magistrales in modum sequentem.

Croci vis.

℞. rhab.

℞.rhab.ʒ.ß.myrobal.citrinorum indorum, belleri-corum & emblicorum, aga.ana ℈. j. cina. myrrhæ, ma-stich.nuc.musc. spicæ, ana ℈ ß.omnia temperentur per noctem in succo rosf.aut endi.addendo aloes lotæ in aq. endi.℥.j.formentur pill.cum syr.ros.vel succo ros.de qui bus cap.ʒ.j.vel ʒ.ß. semel in heb. ante cœnam. Additur aga.quanuis affectus sit biliosus. Nam vtile est aliquid eorum admiscere, quæ pituitam purgant, modò insigni-ter calida non sint, vt turbith.colochintis. Adduntur & aromata, quia cerebrum corroborant, tum quia ob te-nuitatem partium efficiunt, vt vis medicamenti melius penetret. Ad eradicationem addi possunt diag.gr.iiij.ad ʒ.j.pill.vel fiat potio post syr.vt sequitur. *Aromat. effectus.*

℞.elect.de succo ros.diapruni sol.ana ʒ.j.ß.rhab. in-fusi in aq.endi. & fortiter expressi ʒ.j. syr.ros.lax.℥.j.ci-na.& florum stechad.ana gr.vj.fiat potus syrup.cap.ven. conuenit ad obstructiones, syr. ros.ad malitiam diagrid. & aliorum solutiones corrigendam. Bolus ad virium robur exhibeatur.

℞. conf. ros. ʒ.j.conf.nymph & anthos ana ʒ.ß pul. triasand.vel diarhod.℈ j.sacch.parum, fiat bolus: cap. postridie superb.parum aquæ endi. Addi potest nec sine ratione aliquãtulum confer.acori, quæ quoniam astrin-git, est vtilis omnibus morbis à defluxione & catarrho. Dari potest etiam ʒ. ß. theriacæ recentis vel sex men-sium vel vnius anni. *Conserua acori vis.*

TOPICA.

Quod ad topica attinet remedia oxyrrho. caput est perfundendum, aut admouendus succus aliquarum her-barum infrigidantium, vt proxi.cap.diximus. Fiat etiam frontale ex pul.coriand. præp.℥ j florũ viol.ros.& nym-pheæ ana p.j.seminis lact.plantag.& pap.albi ana ʒ j. ß. vel papaueris nigri ʒ. j. sandal. albi ℈.j.caphuræ ʒ.ß fiat pul. & ex eo frontale interbastatum in sindone rubra. vel *Frontale.*

℞,ol.viol. ros. ana ℥.j.opij (sed non in pueris, mulie-ribus & mollioribus) ℈. ß. misce & illine digito na-res interiores. Remedium hoc in dolore acerrmo est præstantissimum. Mitius erit si addas lactis mulieris ℥. j. vel loco eius aquæ ros. ℥. j. ß. nucis moscatæ (vt caput

roboret & immodicam opij frigiditatem retundat) gr. vj. Opium non est corrigendum, vt aliàs ex castoreo, euph. myrrha. & croco, quia per se dolorem capiti adferunt, sed potius nuce moscata, vel mosco, quæ caput confirmant. Potest fieri pot. talis ad sedandum dolorem vel conciliandum somnum, vt,

Opium.

℞. lact. & solani ana M. j. semperuiui, flor. ros. viol. (quæ cùm sint tenuium partium, magis conducũt) & nymph. ana p. j. flor. narcissi (si reperiantur) p. ß vel flo. labruscæ, & vitis satiuæ an. p. j. Et quia roborandum est cerebrum, etiam si dolor sit à caliditate, adde florum anthos, vel stechad. tertiam partem p. j. florum cham. mel. (qui in omnibus doloribus prosunt) ana p. j. Sed tamen potius ponuntur in declinatione, & cùm iam constitit fluxio, seminis lact. coriandri, pap. ana ℥. j. Proderit etiam in fine semen lauendulæ ponere ad ℥. j. ß. & addendo parum aceti, nisi adsint vigiliæ. Huius decoctionis vapor naribus excipiatur. Possunt & prædictæ herbæ in modum cataplasmatis capiti admoueri, vel incoquendum est caput veruecis in prædicta decoct. vel in eiusdem capitis decocto herbæ incoquendæ, ex quo decocto caput irrigandum, ídque potissimum in morbi declinatione. Tum enim materia discutienda est.

℞. ol. ros. viol. myrtill. ana ℥. ij. aquæ ros. viol. succi plantag. aut solani ℥. j. vel farinæ hord. ℥. ij. aceti parum ad penetrationem, ceræ q. s. fiat vnguen. Si propinqua est declinatio, adde ol. cham. fieri potest pul. capitalis in primo refrigerans, in fine verò resoluens.

℞. coriand. præp. ℥. j. seminis pap. albi & lact. ana ℥. j. florum nymph. ros. viol. ana ℥. ß. anthos & stechad. an. ℥. ij. granorum tinctorum ℥. ß. schenant. ℈ ij. f. pul. subtilissimus. Sunt qui addunt mosci & macis ana ℈. ij. hæc verò calida miscentur, vt penetrent, roborentque. Hoc autem in fine fieri solet, cùm magis est discutiendum. Si vigiliis torqueatur, exhibeatur potio ex syr. de pap. ℥. ij. aq. lact. & bugloss. ana ℥. j. ß. cap. hora somni, qui non est conciliandus in principio, sed postquam sunt defatigati: quia sic maior fieret ad caput effumatio.

De dolore capitis à pituita. CAP. VIII.

CVm materia pituitosa lenta est & viscosa & crassa, incisione indiget ad sui euacuationem. Rectè igitur medici pituitæ talis præparandæ gratia, incidentes syr. ordinant à principio, tum ad diuersionem, tum vt materia pituitosa in intestinis generata (ob eorum frigiditatem) euacuetur. Imprimis igitur clyst. sequens pro materiæ discutione, incisione, alteratione & euacuatione parabitur.

CLYSTER.

℞. mal. bismal. merc. ciclæ, pariet. ana M. j. florum stechad. anthos cham. meliloti an. p. j furf. macri in panno ligati iun. j. fi. decoct. ad ℔. j. in col. dist. mel. ros. viol. anthos lohot de cass. ana ℥. j. ß. benedictæ, vel hieræ picræ vel hieræ Archigenis ʒ. ij. succi ciclæ ℥. j. ol. veteris ℥. iij. salis parum, fiat clyster, & detur longè à pastu. In hoc multi adsunt meliss. beth. hyss. ana M. ß. anis. fœnic. ana ʒ. ij. seminis rutæ ʒ. ß. Sed in principio videtur sufficere prædictum clysma, nisi dolor, & vitæ periculum adeò instent, vt medicum cogant statim à principio extremis vti remediis, vt fit in apoplexia, paralysi, & morbo comitiali. Alij addunt in hoc clystere loco olei veteris, ol. cham. vel de lilio, vel anethi, tantùndem salis gemmæ. Idem etiam addunt decoc. ag. ʒ. ij. Clystere exhibito, statim dantur pillul. satis leues ad materiæ minorationem. Nam dolor aliquando tam vehemens est, vt sit necesse materiam, quæ euacuationi præparata est, educere, sed leui medicamento, ne cruda materia agitetur. Ideo ad hanc rem pillul. quædam leuiores præscribendæ sunt in forma sequenti.

PILLVLÆ.

℞. mass. de hiera simpl. ℈. ij. ag. tro. ℈. j. cum melle ros. vel oxymel. simpl. fiant pillul. Possunt etiam formari cũ syrup. de stech. Satis tamen fuerit pillulas aquis conuenientibus formare, sic enim multò minores sunt, quàm si cum syrup. fiant. Nam cùm syrupi crassiores sint aquis distillatis, fit vt pillul. fiant maiores, si formentur cum syr. quàm si formentur cum aquis distillatis. Postea accipiet die sequenti syro. qui deinceps inferius præscribetur. Porrò in principio syr. non debent esse multùm

calidi,& aperitiui. Nã materia ratione caliditatis liquaretur,& fusa maiorem locum occupando,dolorem faceret vehementiorem.Ideo à leuioribus auspicãdum,qualis est,qui paulò pòst describetur.Syr.item leuiores quibus vtendum à principio,sunt ij, mel rof.syr.cap.ven.de byzantiis,acetos.simp.& compositus. Medij sunt syr.de hyss.de prass. de gly.de acoro, de stech. oxymel squil.oxymel.simp & compositum de quinque radicib.& his similes. Herbæ,ex quibus componuntur syrupi, apoze.& aquæ distilla.sunt capill.hyss.beth.saluia,cala.puleg.absynth. meliss. maiorana, matricaria in mulieribus, ruta, fœnic.apium,enula campana.vng.cab.& his similes.Syr. pro principio talis fit.

Syrup.

Herba.

Digestiuũ debile. ℞.mell.ros.col.℥.j.syrup.capill.ven.℥.ij.aquæ maior hyss.& meliss.an.℥.ij.misce,& fiat iulep.pro duabus dos. Syr.fortior.

Medium. ℞.syr.de gly. & capil.ven. an.℥.ij.syr.de byzantiis ℥.j. aquarum fœn.beth. & verbenæ ana qr.j.misce,fiat iulep. Syr.fortissimus.

Forte. ℞.syr.de stech.oxymel.scil.ana ℥.ij. ß.aquarum rutę, meliss.saluiæ, & maio.ana ℥.iij.beth.tantundem, misce, fiat iulep.aro.cum drach.j.diamosci,vel pliris cum mosco,vel ros.nouellæ.vel diagal.vel cum modico cinamomi,vel zinzib.vel cubebarum.

℞.galangæ crass.drach.iij gly.ras.rad.petro. & graminis an.℥.ij (Si materia valde viscida est,adde quinq; rad. communes.Si purgare vis,adde rad. ireos recẽtem.Nam antiqua tantùm attenuat. beth.) verbenæ sampf. meliss. hyss. pulegij ana m.j.capil.ven.borrag.an.m.ß. Si pituita sit salsa,adde cichor.endi.scariol.an.m.ß.vel pone quinque capil. tantundem,seminis anis.fœnic.an.ʒ.ij.seminis apij,petro. ana ʒ. ß.florum stech. roris.samb.ana p.j. In pituita salsa pone trium florum cord. ana p.j. fiat decoctio ad ℔.j.ß.in qua diss.mel. ros. & anthos. ana ℥.ij.vel oxymel.scyll. tantundem,sacch.q.s.fiat syrup. qui detur quinque aut sex diebus.

In pituita salsa.

℞. diamosci dulcis, vel pliris cum mosco vel diambræ ℥ ij.cap.tabellam pond.drach.ij.cum syrup.Si libet prȩscriptum apoz.facere laxatiuum,deco.potest addere seminis carth.℥.ij. (& noster quidam carthamus ad tantam

tam dosim dari potest, quia familiaris est, & non violentus. Habet autem vim aperiendi & euacuandi pituitam) fol. senæ oriental vnc. ß. vel senæ communis vnc. j. agar ℥. ij. turbith. ℥. j. zinzib. ℈ j. ß. fiat apoz. zinzib. ponitur ad correctionem turbith, quia secus euacuaret materiam subtilem, crassam relinqueret. Addimus etiam ad eius correctionem sal gemmæ. Porrò astringentia nunquam miscenda sunt in materia pituitosa, quia materiam per se crassam partim magis impingunt, & veluti coarctant. Ideò malè faciunt, qui myrob. embl. vel chebul. addunt. Et Auic. non immeritò ab eorum vsu prohibuit in febribus, quę sunt cum obstructione. In dolore capitis à materia frigida, verbena siue assumpta, siue admota confert. Si morbus comitialis sit admixtus dolori capitis, non pones apium in apoze. Nam ex mente recentium epylepsiam moueret. Attamen Gal. in morbi comitialis cura addidit apium, & petros. cui magis credendum, quàm neotericis. Potest etiam dari syr. de pomis compositus à Mes. Euacuat enim pituitam sine noxa ventriculi: quamuis elleborum recipiat. In morbo Italico plurimùm prodest. Confert & nux moscata plurimùm in dolore capitis à materia frigida. Si apoz. non sit laxatiuum, potest dari clyst. vel pillul. sine custodia, quorum suprà meminimus, & vt sequitur. *Cartha.* *Cautio.* *Verbena.* *Apium.*

℞. pill. elephang. assag. ana ℈. j. fiat pill. drach. vel 4. cap. per vnam horam ante cœnam sine custodia.

Quid in pillulis obseruandum.

Cæterùm id de pillulis obiter adnotandum, quódque debent euacuare ab hepate & ventriculo, modò leues sint, dari debent vna hora ante cibum: quæ verò à capite euacuant, quatuor horis post cœnam, vt simul cum alimenti vaporibus eorum vis ducatur ad caput. Concocta materia sic vacuatur.

℞. mass. pill. cochiarum, fœtidarum ana ℈. ij. agar. tro ℈. j. fiant pillulæ, formentur aqua hyss. vel aliis aquis capill. Fortiores sunt hæ.

℞. mass. pill. de sarco. de aga. & de mastichean. ℈. j. plus vel minus pro viitutis robore. Ideo aliquando addimus tro. alandal. gr. iij. vel ij. vel j. Quòd si æger à pillulis abhorreat, detur potio.

℞. capil. ven. hyſſ. ana M.j.paſſ.par.x.iuiub.ficuum ana p.vj. ſeminis apij & petro.ana ℈ j.aniſ.fœnic. an. ʒ.ß.florum anthos,ſtechad.an.p.j. aga.tro.ʒ.j.fiat deco. ad ℥.iiij.ß.in col. diſſ.elect.indi maior. ʒ. iij. elect.de citro ſolut. & diachart. an. ʒ. mell.roſ.col. (ad extenuationem & dulcorem) vnc. ß. fiat potio, cap. in aurora cum cuſtodia.

Quid obſeruandum in potionibus.

In dandis potionibus aliquid dulcis in fundo vaſis eſſe debet, ſi fieri poſſet. Nam id quod gratum eſt, ſtatim à principio deuoratur: quod autem ſequitur, æquo animo accipiunt. Agar.magis damus in infuſione.Nam in ſubſtantia vomitiones excitat,ſic autem infunditur.

℞. agar. tro. ℥. j. vel amplius, infunde in oxymel.vel in melle roſ.Poterit fieri potus cum aquis capital. quales ſunt aqua ſal. maior. beth. meliſſ.& cum ſyr.accommodato ad dulcorem. Elect. euacuantia pituitam ſunt diacharth.indum maius & minus,elect.de citro.

Elect. pituitam euacuãtia.

℞.elect de citro ʒ.ij,ß. vel diacharth.tantundem. Elect.dantur à ʒ.ij.ad ʒ.iij.ß.

℞.elect.indi maior ʒ.ij.elect.de citro,diacharth.an.ʒ. j.cum ſacch. fiat bolus. Quoniam verò multi medicamenta auerſantur, fallendi ſunt dato iuſculo, quod tamen vim habeat purgandi: quod fiet commodiſſimè ſequenti modo,quoniã pituitam euacuat,& pręterea prodeſt aſthmaticis,& iis, qui nolunt medicinam accipere.

℞. paſſ. pruno.iubab.ana num x turbith,ſenæ ána ʒ. j ſummitatum thymi ʒ. j. ß. ſalis gemmæ & zinzib. ana ℈.ij. omnia ponantur in ventre galli antiqui, & capiat ius.Adde medullæ carth.vnc. ß.Ex his fieri poteſt pulu. ablatis paſſ.prunis, & iuiub.& poſtea diſſolui in iuſculo. Aut detur pul.ſequens laxatiuus.

℞.polyp. ℥. ij. gly. ʒ. ij.agarici tro.ʒ.j turbith gummoſi infuſi in lacte & exiccati ʒ.ij. zinzib. ſalis gemmæ, maſtich. ana ʒ. j. cineris tartari ℥. ß. cinamomi, cubeb. ana ℈.iiij ſummitatum thymi ʒ. iij. ſacch. candi. parum, fi.pulu adde ſeminis viol.℥. j (quia lenit)medullæ ſeminis carth ʒ.ij.doſis erit à ʒ. ij. ad ʒ.iiij.diſſoluendo in iure pulli,vel vino albo,vel aquis capitalibus: poſtero die detur bolus hic.

℞.myrth.

℞.myrth.electi vel theriacæ veterum,vel aureæ alexandrinæ ʒ.j.conser.anthos ʒ ij.fiat bolus, cap superbibendo parum vini albi,vel aquarum capitalium.

CONSERVÆ.

Theriaca vetus, mythridath.aurea alexand.conserua acori, anthos, stechad. enulæ valent in hoc affectu. Et quando ponitur mythridatum vel theriaca,vel aurea alexandrina,miscendæ sunt conseruæ conuenientes. Possunt & misceri pul. elect. vt diamosci dul.& amari, pliris sarcotici, pliris cum mosco,diambræ, diagal. conse. supradictis, scilicet.anthos,stecha.enulæ camp.hoc modo vtatur in ingressu lecti.

℞.conser.anthos, stechad.ana ʒ.j conseru.capil.ʒ. ß. pul. rosſ. no. de gemmis an. ʒ.j. diag. vel diamosci ʒ.ß. sacch parum,fiat conditum,vel si lubet,fiat opiata, cum syr. capill.ven. adde pal.anis. vel dauci ʒ.j. A pastu non debemus vti immodicè calidis, quia caussantur obstructionem, & alimentum adhuc crudum à ventre in hepar vehunt. *Cautio* *Obserua.*

TOPICA OLEA.

Topica remedia sunt olea, sacellationes, sacculi,cucufæ. Olea verò sunt irinum, de lilio,anethinum,rutaceum,de piperibus,& quæ calefaciunt & extenuāt Quibus additur aqua vitæ loco aceti,inunctionis tempore.

℞. ol.irini,anethini an.℥.ij.cham.℥.iij.nuc.mosc. garyoph.sandal.omnium an. ʒ. ß seminis rutę, anethi an. ʒ.j.florum stechad.ʒ.ij. ceræ parum, fiat vngu. quo vng. frons.Sacellatio communiter fit ex nitro & sale torrefactis.Potest tamen fieri ex herbis in sequentem modum.

℞.samps.verbenæ,meliss.an.M.ß.florum cham. mel. samp.stechad.saluiæ an p.j.coquantur in aceto & aqua, fiat embrocatio ad caput. Vbi materia est admodum frigida,optimum est caput irrigare aqua ardenti.

℞.florum cham.melil.samp stech.an.℥.ß. macis, garyoph,calami aro. aneti an.ʒ. ij. spicæ, lauendulæ an.ʒ. j. fiat pulu. subtiliss. Potest addi melissa, beth. verbena. Ex hoc pul fiat cucufa ad confortationem cerebri, ne amplius recipiat fumos,& ad malæ qualitatis alterationem, additis quibusdam astringentibus, vt foliis myrthi,vel baccis,vel flor.rosarum,ne tam facilè recipiat va-

pores. Euacuata secundum partem materia in cerebro contenta, veniendum ad particulares purgationes, vt id quod est reliquum in cerebro, expurgetur, ídque per cõuenientes regiones, scilicet nares & palatum. Caputpurgium igitur fiet ex abstergentibus, vt melle, sacch. & manna: aut attrahentibus, vt succo ciclæ, maioranæ, anagal. aut ex deco. harum herbarum, addendo vinum album pro decoctionis materia.

Caputpurgi. blandius. ℞. succi ciclæ, maior. an. ℥. iij. vini albi ℔. j. sacch. rub. ℥. j. vel mellis rosati vel mannæ tantundem. fiat caputpurg. Fortius erit, si addatur succus cucume. agrest. vel anagallidos vel ciclaminis cum eadem vini mensura, adaucta dosi sacch. vel mell. pro eodem. Fortissimum erit, si succi puri extrahantur sic.

℞. succi cucumer. agrest. succi ciclami maior. an. qr. ß. deputentur, & attrahat per nares. Quòd si remaneat mordicatio in naribus, vel dolor, immittatur lac muliebre intra nares, vel oleum viol. Possunt addi pul. succis his, vt pul. piperis, staphisagriæ an. ʒ. ß. nucis mos. ℈. j. Vel cum succis possunt etiam fieri caputpurgia ex deco. herbarum capital. Efficacissima sunt, si in his dissoluatur ʒ. scammonij, & cum pauca farina simul incorporentur, vt consistentiam habeant spissiorem, & adhærere possint. Vel formentur veluti suppositoria, in oblongam & pyramidis formam: cocta naribus indantur. Vel decoquantur succi in aliquo oleo, & addita cera & scammoneo fiat ad formam linimenti, quo inungantur partes interiores narium, vel scammoneum melle excipiatur. Masticatoria ordinantur, cùm non sit periculum de catarrho ad pectus. Nam quibus ad thoracem fluxio fiat, magis conuenit caputpurgium, & gargarismata iis vtiliora sunt, qui laborant fluxione. Nam caputpurgia materiam fluentem ad pectus, trahunt ad nares, sicut garga. ab oculis diuertunt. Inter masticatoria verò quædam sunt simplicia, quædam composita, & simplicia quidem, vt radix pyretri, mastiche, zinziber, composita verò, vt

Quibus conferunt caputpurg. & gargaris.

℞. mastich. staphisagriæ, pyretri an. ʒ. ij. nuc. mos. ʒ. j. fi. pul. qui inuoluatur in panno lineo raro, & fiat masticatio manè semper spuendo. Potest & hic pul-

uis

nis excipi cera alba, vel ficubus, & eodem modo vti. Garga.fiunt ex decoct. herbarum capitalium dissoluendo mel vel oxymel, vel partem aliquam elect. sol. hoc modo.

℞. hyss.beth. melyss. ana M. ß.sinapi drach.ij fi.deco. in ℔ j.deco. dissol. mell. rof. & oxymel. squill. ana ℥. ij.fiat garg. tepidè manè longè à pastu. Fortius erit sequens.

℞.gly.rass. rad.ireos, pyret.ana drach.iij.hyss.orig.an. M. ß.seminis rutæ,sinapi ana drach.ij.florum stechad.& chrysantemi.si reperiatur,ana p. ß.fiat decoct.in col.diss. elect.indi drach.ij.oxymel.squill ℥.ij.fiat garg. Fortissimum erit si succum cucum agrest. addideris, & dosim elect. auxeris. Hîc non miscebis pulu. hieræ aut benedictæ,vt nonnulli faciunt. Nam cùm his plurimum amaroris, ægri non æquo animo ferunt, cùm amara plurimùm ori sint ingrata. Possunt fieri sacculi ad caput, cum milio & sale, in sartagine torrefactis. Item olea calida applicari possunt capiti, vt rutac de lilio (quod maximè laudat Gordonius) oleum de eupho.quod potentissimum est. Possunt & fieri cucufæ odoriferæ hoc modo. *Sacculi.*

℞.bethonicæ, sampsuci,melissæ,an.℥.j. coriand. præ parati ℥. ß.florum meliloti, chamomillæ,florum anthos & stechados an.p.j. rosarum rubrarum p. ß.a sandali citrini ℥. ß.styracis calamintæ,beniouim an.drach ij puluerisentur puluerisanda,& cum syndone rubro interbastentur,& fiat cucufa. Fiet etiam & suffumigium tale. *Cucufa.*

℞. suffumig.communis ℔.j.fumigentur operimenta capitis. Possunt etiam instillari aliquot guttæ oleorum calidorum intra aures cum bombace. Possunt etiam ægrotantes vti elect. necessariis, qualia sunt diamoscus dulcis & amarus, diambra, pliris cum mosco, pliris sarcoticum, cum aquis capitalibus distillatis, vt supra dictum est. Quod superest de curatione huius affectus, disce à practicis, qui prolixiorem curam docent. *Suffumigium.*

De dolore capitis à melancholia. CAP. IX.

Etsi raro dolor capitis fit à melancholia pura, fit tamen à melancholia pituitæ permixta, vt in iis, qui passi sunt morbum Italicum. Si dolor fiat à pura

melancholia, medicamenta alterantia debent esse calida & humida (nisi melancholia fit à bile flaua adusta) non admodum tamen, sed mediocriter, vt borrago, buglossa. Quemadmodum autem Pleuritis à melancholia

Caussa.

rarò fit, sic nec dolor capitis. Si enim sola dolorem fecerit, certè, qui melancholia laborant, frequenter dolore capitis vexarentur, qui tamen dolorem nullum habent, nisi illum non sentiant, quòd mens occupata sit. Adde quòd siccitas dolorem non facit, neque materia crassa, nisi vel bilis permisceatur, vel spiritus, qui distendendo partes dolorem faciunt. Quod secus euenit in pituita, quia frigida est & humida, vnde spiritus multus oritur, qui distendendo inducit dolorem, idque potissimùm noctu, vt in morbo Italico. Si igitur fiat à melancholia adusta, ob bilis naturam, quam retinet, dolorem facit. Ob idque humidis & frigidis alteranda est, & medicamentis cholagogis euacuanda & quibusdam tenuioribus præparatis ad dolorem à bile procreatum: qualia sunt, Diaphenicum, confectio hamech, Syrupus de fumo terræ compositus, & Syrupus de pomis laxatiuus, vel Syrupus rosatus laxatiuus cum decocto mercurialis, senæ & foliorum borraginis, quæ

Borraginis vis.

humores adassatos euacuare possunt. Topicis autem remediis non differunt, nisi quòd, quæ astringendo repellunt, minus conueniunt: illa autem, quæ refrigerant & humectant, ex vsu sunt in principio, sicuti quæ calfaciunt modicè & digerunt, in declinatione. Inter remediorum formas in hoc affectu magis conueniunt embrocatio & irrigatio capitis frequens. Deprehenditur autem à melancholia dolor fieri, si priùs ægri, quàm

Signa.

dolerent, non dormiebant, & inter dormiendum somniis multis vexabantur, partésque omnes illis circa caput calidiores & sicciores apparent. Ad hæc sentiunt veluti puncturas circa oculos, per quos medici crediderunt melancholiam expurgari, vt bilem per aures, & pituitam per palatum ac nares. Quòd si in corpore melancholico post morbum à melancholia, vel in morbo melancholico fiat dolor, qui medicamentis discutientibus, facilè non cedat, verisimile est ab eodem humore fieri.

CVRA-

CVRATIO.

Huic dolori præſcribenda ſunt calida & humida, vt attenuetur humor ad faciliorem euacuationem & diſcutionem, ne ſi diu perſeueret, morbum faciat, ſicciorem cerebri temperaturam reddat, & ſpiritus minuat. Sed quando horum copia non eſt, ideo commiſcenda ſunt medicamenta mediocria diuerſi generis, vt tandem ad quandam mediocritatem calidi, & humidi veniamus, vt ſtech. cum viola aut nenuph. miſcetur, vt fiat calidum & humidum medicamentum, ſicut lact. cum beth. Imprimis igitur fit clyſter ad educendam materiam communem exiſtentem in inteſtinis, ad alterationem & diuerſionem.

℞. radic. alth. & liliorum ana ℥.ij. mal. branch. vrſinæ, bugloſ. borrag. parietar. mercur. an. M.j. paſſ. mund. fic. prunorum ana pa.x. ſeminis aniſi, fœn. ſeminum frigid. maior. ana ʒ. iij. flor. cham. meli. viol. ana p.j fiat decoctio in decocto capitis veruecis, in ℔. j. col. diſſ. caſſ. & mell. viol. an. ℥. j. ſucci mercu. & ſacch. rub. ana ℥. j. ol. chamo. liliorum vel viol. ana ℥. j. ß. fiat clyſter, quem capiat longè à paſtu. Poteſt addi ad maiorē diſcutionem, & reuulſionem à capite diaph. vel indi maioris ʒ. iij. Hic clyſter à principio debet accipi. Sufficit autem ℔. j vt meliùs & diutiùs ab inteſtinis retineatur. Quòd ſi daretur in maiori copia, inteſtina preſſa & grauata onere, ſtatim excernerent. Debet autem repeti tertio aut quarto quoque die, ad minus ſemel in hebdomada. Minoratiuo etiam vtimur ad partem materiæ euacuandam, non præmiſsis ſyr. ſic. *Clyſter.*

Minoratiua.

℞. cath. ʒ. vj. diaphe. ʒ. ij. cum ſacch. fiat bolus, vel ſic. ℞. aquæ capil. ven. & bugloſ. an. ℥. j. cath. ℥. ß. diaph. ʒ. iij. ſyr. viol. ℥. j. fiat potus, vel decoctio ex florib. cordial. & epithy. in qua diſſo. prædi. elect.

Concoquentes ſyr.

Minorata ſiue imminuta materia debet concoqui. Huic rei conueniunt ſyr. de ſcolopend. borrag. bugloſ. de epithymo, de pomis, de radicibus ſimpl. de caparib. viol. qui debet miſceri aliis ad humectandam melancholiam, quæ magis ſiccitate lædit, quàm frigiditate.

Canon. Sit igitur canon vniuersalis, vt semper humida misceantur cum calidis. Inter omnes syr. primas tenet partes syr. de pomis compositus, descriptus à Mes. cap. de soda frig. à melancholia, qui non solùm concoquit, sed & educit humorem melancholicum & pituitosum, ídque sine noxa ventriculi & aliarum partium, eo tamen vti debemus in progressu morbi, & non in principio, sed præcedente totius corporis vniuersali purgatione, quæ repeti sæpius debet in morbis à materia crassa, frigida, incocta & viscida. Nam vnica euacuatione tota educi non potest. Id videmus in quartana, aqua intercute, morbo comitiali, mania, passione melancholica, dolore cap. diuturno, & dolore iuncturarum à morbo Italico. Porrò syr. de pomis compositis Mes. sic habet.

Syr. de pomis compositis.

℞. capil. ven. ceterach. bugloss. borrag. ana M. j. florum borrag. bugloss. fuma. summitatum thymi ana p. ij. foliorum senæ orient. cham. stechad ana ℥. j. chamed. schenanthi, ellebori albi (niger enim nobis est incognitus) florum, amaranthi, sesamoidis ana ℥. iiij. succi agrim. fumi. ana ℥. iij. succi pomorum dulc. ℔. j. pass. munda. polypod. querc. an. ℥. ij. croci ʒ. j. fiat decoct in aqua & aceto q. s. in qua diss. sacch. q. s. fiat syru. perfectæ decoctionis, seruetur vsui. Dosis erit ab ℥. j. ad ℥. iij. Hic syr. plurimùm prodest in morbo comitiali, melancholia, morbo Italico, & omnibus affectibus à melancholia & pituita, præsertim salsa. Loco amaranthi poni possunt flores nenupharis ad acrimoniam & malitiam veratri castigandam. Eligantur poma admodum dulcia & odorata, vt sunt poma (Ioannis) vulgò dicta. Potiora enim sunt, quæ carnem minus solidam habent, & dulciora & gustui suauiora. Quæ autem sunt duriore carne, reiici debent, vt curtipendula vulgò dicta. Herbæ ex quibus fiunt syrup. & aquæ, sunt bugloss. borrag. capill. ven. ceterach, scolopendria vulgò dicta, siue lingua ceruina, thymus, epith. melissa, portulaca, absynth. cappar. fumus terræ, cortex tamarisci, fraxini, ebuli & omnes aliæ herbæ lieni seruientes, vt vitex siue agnus castus.

℞. syr. de buglos. & de borrag. ana ℥. iij. capil. ven. de stecha-

ſtechade (vt ducatur vis medicamenti ad caput, nam ſecus iret rectà ad lienem) ana ℥.ij. aquarum meliſſ. bugloſſ. & port. ana q. j. aro. cum pul. de gemmis, lætitiæ Gal. diatrag frig. vel calidi. *Syr. melãcholiam præparans & concoquens.*

℞. lætitiæ Gal. tab. j. pond ʒ. ij. ß. capiat poſt ſyrupum.

Syr. magiſtralis.

℞. capill. ven. borrag. meliſſ. port. bugloſſ. ana M. j. paſſ. mundat. p x. ſeminis melonum, aniſ. port. endiuię ana ʒ. j. ſeminis ocymi ℈. iiij. florum anthos, bugloſſ. viol. ſtech borrag. ana p. j. florum chamo. p. ß. ſummit. thymi (quia clarificat ſanguinem) foliorum ſenæ ana ʒ. vj. polypodij ℥. ß. Si vis magis laxatiuum, pone plus laxatiuorum: fiat decoctio in aqua, & non in vino, vt multi faciunt. In ℔. ij. col. diſſ. ſacch. q ſ. fiat ſyru. mediæ coctionis. cla. & aro. cum ʒ. j. lætitiæ Gal. & ʒ. ij. cinamo. Adde inter clarificandum & non in concoctione vini aro. ℔. ß fiat ſyr. ad formam hippocratis. Vtatur in v. aut 6. matutinis, accipiendo poſt quamlibet doſim tabulam j. diamarg. frig. Huic apoz. poſſunt addi v. radices, fumaria, & id genus. Proderit ægrotantem accipere clyſterem mollem, ante ſyru. & eundem repetere ſemel ad minus in hebdomada. Nam cùm melancholia ſit ſicca, etiam vt plurimùm aluus dura eſt in hoc affectu. Finitis ſyr. debet purgari materia bolo, vel potius medicamentis humidis & liquidis. Quare raró aut nunquam vtendum pillulis in his affectibus ſiccis, quia pillulæ omnes calidæ, & ſiccæ ſunt, & ideo corpus magis alterant. Conueniunt tamen & melancholicis pillulæ de quinque generibus myrobal. fœtidæ, indæ, de fumo. Sunt autem periculoſæ pillulæ de lapide lazuli, & mezereo, ob diuerſam quandam qualitatem, cuius ſunt participes. ideo eſt conſultius ab vſu earum abſtinere, & medicamentis vti forma humidis, & mollibus, vt ſunt potiones. *Thymus quid.*

℞. lyq. raſ. polyp quer. rad. bugloſſ. ana ℥. j. paſſ. prunorum ana p. x. quatuor ſem. frigid. (ad humectandum) ana ʒ. ij ſemi. cuſcutæ, non portulacæ (quia aſtringit) ʒ iiij. vel plus, quia debile eſt, aniſ. fœ. apij ana ʒ. ß. florum viol. bugloſſ. borrag. cham. ſtechad. anthos ana p. ß. florum tamariſci, ſenæ, ſummitatum thymi vel epi-

thymi an.℥.ß.fiat decoctio. In col. ℥.iiij. diss. diaph. & confect. hamech.an.ʒ.j.syr. viol. vel de pomis compositi ℥. ij. fiat potus, cap. in aurora cum debita custodia. Potest addi rhab. infusum, maximè si sit melancholia ex adustione bilis. In decoctione poni potest etiam flos genistæ, modò æger non sit pronus ad vomitum. Nam instar ellebori vomere facit. Folliculi senæ orientalis, non nostri debent poni, quia nostra nullius ferè est momenti. Loco epithymi ponuntur summitates thymi. Nam epithy. actio omnino est imbecilla Chamo.multùm prodest in affectibus capitis à pituita & melancholia: nec miretur aliquis eam poni in decoctione potionis, præter vsum communem. Si non adsit obstructio, decoctioni misceri poterunt ad ʒ. ij. myrobalani indi & chebuli confricati oleo amygdalarum dulcium, vt eorum austeritas minuatur. In hac decoctione ponuntur semina diuretica, quanuis cum splene nullum habeant consensum, neque vias vllas communes cum renibus, quò fit vt humor melancholicus per vrinas euacuari non possit. Diureticorum tamen vsus maximè confert, quòd humoris melancholici crassitiem incidant & attenuent, teste Galeno primo ad Glauc. Animaduertendum tamen omnia cientia vrinas ducendo materiam ad venas, aluum sistere. Ob id in pauca quantitate poni debent in medicamentis laxantibus. Passulæ mundatæ nunquam omitti debent in melancholico affectu, quia earum caro relaxat. Hæc debent dari diuitibus, & non pauperibus, quibus dabuntur syr. communes in offic. parati & medicina sequens.

Flos genistæ vomitum prouocat.

℞. elect. diacarth. tabulati. pond. ʒ. iiij. vel confect. hamech, vel elect. de citro tantundem, capiat per se, vel dissoluatur cum decoctione aliqua humori melancholico purgando propria. Diacarth. perinde euacuat melancholiam atque pituitam, quanuis multi longè aliter sentiant. vel fiat sic.

℞. diaph. confect. hamech. ana ʒ. xv. cass. recenter ext. cath. ana ʒ. iij. fiat bolus cum sacch. Diaph. purgat materias adustas, ita etiam confectio hamech. cath. diasene vtraque. Sequenti die accipiat bolum hunc.

℞. conf. flor. borrag. conf. rad. bugloss. ana ʒ j. conf.

stech.

stech. vel anthos ℥. ʒ. pul. diamarg. frig. & lætitiæ Gal. ana ℥. scrup. j. sacch parum, fiat bolus. Bibat vinum dilutum cum aqua elenij, vel bugloss. Elenium miram habet proprietatem ad hilaritatem & gaudium excitandum: quod multi pro secreto habent, ideo conserua illius, quæ est paululum amara, & aqua distillata plurimùm valent. Theriaca mediæ ætatis, est commune remedium, nec humori certo, aut affectui, aut parti determinata, interim tamen propria fit, si administretur cum aliqua medicina certa, & destinata cuidam affectui. Vt in hoc affectu post purgationem humoris melancholici exhibetur ad cõfortationem cum aqua bethonicæ, melicæ vel sampsuci, vt deducatur vis eius ad caput.

Secretum ad hilaritatem.

Theriaca.

TOPICA.

Topica remedia sunt caput purg. masticato. sternutatoria, & quæ omnia descripta sunt prius in dolore capit. à pituita, quibus tutò vti possumus. Optima caput purg. fiunt ex succo sampſ. expurgato & eius decoctione. Laudantur inunctiones calfac. & humectantes, vt,

℞. ol. liliorum & chamo. ana ℥. ij. ol. viol. vel cucurb. (ad humectationem) vel de semine lact. ℥. j. ceræ parum, fiat vnguentum. Hoc fortius est ad calfaciendum & resoluendum.

℞. ol. anethi & de semine lact. ana ℥. ij. ol. rutac. vel cucum. agres. ℥. j. ping. porci ℥. ij. pul. ciclæ, sampſ. & meliſſ ana ʒ. iij. seminis apij, lauendulæ ana ʒ. j. ceræ parum, fiat vnguentum, quo vtatur. Si addas pinguedinis gallinæ & anatis ana ℥. ij. magis sedabitur dolor. Sunt enim tenuium partium, & faciunt, vt altiùs penetret vis vnguenti. Itaque cerebrum magis humectabitur & calefiet. Ante vnctionem abluatur caput ad poros aperiendos, vt sic vnguenti vis melius penetret. Capitis verò fomentatio fiet decocto sequenti, vel irrorando caput cum spongia madefacta, vel applicando.

℞. Meliſſ. beth. sampſ. bugloſſ. borrag. stech. ana M. j. flor. cham. mel. sampſ. ana p. j. roſ. rub. viol. nymph ana p. ß. foliorum senæ ʒ. iij. seminis aneth. ʒ. ij. fi. dec. in decocto cap. veruecis. Cum spongia caput lauetur aut irroretur ter aut quater in hebd. modò nõ fit catarrhus. Flos & herba anethi, si reperiatur, huic decoctioni po-

terit adiici, nec vtendum seminibus, quia calidiora sunt. Sacculi vel suffitus minus conueniunt, quam vel lotiones, vel vnctiones, quia nimis desiccant. Poterit tamen fieri suffitus, hoc modo, si catarrhus adsit.

℞. rosſ. rub. viol. nympheæ ana p. ß. seminis lact. & ocymi ana ʒ. ij. sand. omnium ana ʒ. j. aliptæ moscatæ ʒ. ß. fiat suffitus. Hoc suffumigium erit ex vsu, si dolor fiat à fœtore. Melius erit si per nares accipiat suffumigium decoctionis prædictorum florum & seminum, vt fecimus cap. de cephalalgia è sanguine.

De dolore capitis per consensum aliarum partium.

CAPVT X.

Dolor capitis non rarò fit aliarum partium cum cerebro consentientium consensu, & conspiratione, inde triplex curandi indicatio nascitur, quarum prima sumitur à membro primariè affecto, secunda à cerebro, tertia ab vtroque. Verbi gratia, si fiat dolor per consensum ventriculi, primò ventriculum curari oportet, nempe si materia sit in ore ventriculi apta ad expulsionem; vomitum excitare oportet, modò colli longitudo, pectoris angustia, aut thoracis affectiones, similiter vsus, & consuetudo, id non impediant. Nam à vomitu cauendum in phthisicis, asthmaticis, & cæteris id genus. Hæc omnia si non contradicant, vomitus ciendus cum aqua tepida, quæ ventriculum lauando excitat vomitum. Quòd si fortius vomitorium quæras, fac sequens.

Vomitorium.

℞. raph. ℥. ij. fiat leuis decoctio: adde bliti ʒ. ij. in q. j. col. diss. syr. acetos. simpl. ℥. ij. vel oxymel. tantundem, vel syr. violati, capiat tepidè corpus mouendo, & non quiescendo, aut fricet regionem ventriculi in orbem. Cauendum tamen est à vomitoriis fortioribus, vt sit à nuce vomica, & semine behen, & veratro albo, quæ ventrem maximè lædunt ob violentum vomitum. Qui oculorum affectibus laborant, caueant à forti vomitorio quod ad oculos ob motum vapores dirigit. Sic etiam à caputpurgiis abstineant, ne humores attrahant versus oculos. Affectiones oculorum dico ophthalmiam, suffusionem, hebetudinem. Syr. viol. prouocat vomitum relaxando ventriculum. Hinc deprehenditur

tur multorum error, qui medicinis purgantibus admiscent syr. viol cuius loco satius est capere syr. capill. ven. Loco decoctionis raph. & anethi potest capi aqua raph. distillata. Miscemus cum syr. acetos. simpl. oxymel, & debet corpus moueri. Potest dari clyster, tum ad euacuationem materiæ, tum ad diuersionem, vt supra est ordinatum. His peractis possunt dari pillulæ leues duabus aut tribus horis ante cœnam, ad diminutionem materiæ. Nec est timendum ab iis, etiam si non præcesserint syr. cùm sint leues. Sunt autem pill. tales. *Error in syr. violato.* *Clyster.* *Pill.*

℞. pill. de hiera simplici præparatarum absque croco & myrrha, vel de arom. ʒ. fi. pillulæ vij. cum aqua absynthij, capiat duas horis duabus ante cœnam. Die sequenti capiat clysterem mollem, vt melius pillulæ euacuent. Nec refert, detur ante pillulas vel post. Loco clysteris potest dari glans ex melle & sale communi, vel succo betæ. Melius est tamen dare clysteres. Deinceps ad materiæ præparationem fiat syrupus.

Vbi distinxeris à qua materia fiat affectus, nempe an à pituita, an à melancholia, an à bile, an ventriculi cruditate. Nam si fiat à bile coaceruata in ventriculo, potest dari syr. de absynthio, myrtill. cum aliis syrupis, bilem præparantibus. Nam absynth. euacuat subtiles humores existentes in orificio ventriculi, Galeno 7. methodi. In aliis tamen, in quibus hepar, vel renes, caliditate laborant, miscendi sunt syr. frigidi hoc modo.

℞. syr. endiuiæ ℥. ij. syr. de absynth. ℥. j. aquarum absynthij vel mentæ ℥. ij. cichor endiuiæ ana ℥. iiij. misce. fiat syr. pro tribus dosibus. Non est quod aliquis calumnietur hîc poni syr. de absynthio, qui calidus est. Nam id fit quia absynth. bilem euacuat, & abstergit, Galen. 7. meth. itaque melius est ponere aquã absynthij, quàm mentæ. *Syr. absyn.*

℞. elect. diarrh. abb. tab. iij. cap. tab. j. post syr. Purgetur pillulis euacuantibus à capite, quæ tamen ventriculo non noceant, vt sunt pillulæ cochiæ, fœtidæ, aureæ, quæ sua violentia possunt lædere ventriculum. Quare melius est pillulas debiliores dare, & iis fit melior operatio, quàm plus æquo violentibus. Talibus igitur vtatur.

℞. pill. de mastiche, de hiera simpl. ana scrup. j. rhab. scrup. ij. cum syr. ros. fiant pillulæ. Conueniunt pillulæ factæ de rhab. & myrob. & sine quibus, etsi paruam dosim scammonij admittant.

℞. omnium myroba. ℈. ij. rhab. ʒ. ß. arg. tro. scru. j. cinamomi, spicæ. schenanti ana ℈. j. aloes lotæ cum aqua endiuiæ & absynth. ana ʒ. ij. syr. ros. q. s. fiat massa, de qua cape quarto quoque die, tribus horis ante pastum, & ex iis formando tres aut quatuor cum aqua endiuiæ. Si æger sit biliosus, & plus æquo calidus, possumus admittere tamarindorum ʒ. j ß. Ne admisceas crocum, quia intus assumptum caput replet vaporibus, ideóque dolorem auget. Exterius potest applicari, vt in vnguento. In his pillulis ad paruam quantitatem admiscentur aromata, quia materia peccans non tam crassa, aut viscida est, vt egeat, aut extenuatione, aut incisione maxima. Adde quòd non sunt multùm aduersæ ventriculo, & ideo corroborantibus non egent. Purgatione facta vnguendus est ventric. vng. sequenti.

Croci incommodum.

℞. ol. ros. vel myrthini ℥. iij. ros. rub. florum chamo. spicæ, sche. florum labruscæ ana ʒ. ij. sandall. omnium, coral. rub. ana ʒ. j. ceræ parum, fiat vnguentum, quo vngatur ventriculus.

TOPICA.

Topica remedia priùs descripta adhibenda sunt capiti, & quidem si fiat dolor à bile, ea, quæ sunt descripta proprio cap. Si pituita similiter, & sic in reliquis differentiis. Adhibeantur statim à principio astringentia capiti, vt robore adhibito minùs recipiat humores fluentes, vel fumos elatos sursùm, ad quam intentionem præscribi potest pul. ordinatus in dolore cap. à materia calida, cap. 6. Quòd si dolor cap. fiat per consensum matricis, id erit vel ob menses retentos, vel minùs fluentes. Si fuerint suppressi, prouocentur eo tempore quo communiter solent fluere, vt docebimus cap. proprio. Si plus æquo fluant, supprimantur, vt etiam cap. proprio docebitur. Neque tamen interea negligatur caput quin huic medicamenta topica adhibeantur statim à principio, & quæ vim habent repellendi, & roborandi cerebrum, ne ad se fluentem materiam recipiat. Deinde appli-

applicabuntur ea medicamenta, quæ vim habent discutiendi & euacuandi materiam contentam in cerebro, qualia sunt quæ descripta sunt cap. de dolore capitis à pituita. Dolor ab immoderato fluxu mensium arguit frigiditatem summam, & siccitatem, ob sanguinis profusionem, quæ nisi subitò compescatur, periculum est de hydrope. Suppresso fluore offerenda sunt alimenta, quæ citò nutriant, deinde caput est roborandum, & humectandum, vt diximus in dolore capitis à melancholia. Quoniam enim plus æquo exiccatum est cerebrum, ideo humectatione indiget. Si verò dolor capitis fiat per consensum alicuius partis, in qua pituita vitium gignit, his vtendum, quæ descripta sunt in capite de cephalæa è pituita, hoc tamen obseruato, vt diligentiam adhibeamus in curatione partis primariò affectæ, non negligendo partem quæ per consensum laborat. Exempli gratia, si dolor capitis fiat per consensum ventriculi, purganda erit pituita, aut vomitu, aut pharmaco soluente, aut clystere. Quòd si præparatione indigeat, fiat cum sequentibus. *Dolor ab immodico fluxu mēsium.*

℞. syr. de stœchade, mel. ros. col. an. ℥. j. aquarum fœnic. beth. hyss. & menthæ q. s. fiat iulep. Addi potest aqua absynthij, sed non syr. propter illius nimiam astrictionem. Astringentia enim omnia materiam inculcant. Ob id à Galeno vituperantur. At aqua distillata astrictionem amisit sublimatione; quare addi potest his, quæ incidunt & attenuant quadam leui corroboratione viscerũ. Quòd si timeas de caliditate hepatis aut renum, vt fit in bilioso & temporibus calidis, & regione calida, si humor putrescat, vel adsit febris, aquam endiuię, & capillorum addemus, & loco prædictorum syr. miscebimus medios syr. ad frigidum tendentes sic: *Syrup. absynthij & eius facu. contraria.*

℞. syr. de bizant & capill. ven. an. ℥. iij. aquarum endiuiæ, absynthij, graminis, asparagi ana ℥. iij. misce pro drach. dosi. hoc poterit conuenire in febribus pituitosis. Post syr. accipiet tab. sequentes:

℞. elect. diarrh. abb. tab, iij. cap. j. post quemlibet syrup. ventriculus vngi poterit vnguento stomachico Galen. vel suprascripto. Topica remedia, quæ antè præscripta sunt in dolore à pituita, huc referenda sunt. Si

fuerit per consensum splenis, quæ dicta sunt in dolore à melancholia.

De cephalæa & hemicranea. CAP. XI.

CEphalæa & Hemicranea non requirunt alia medicamenta, quàm quæ priùs sunt descripta, eadem tamen fortiora exposcũt. Nam cùm in his dolores antiqui sint, leuia spernunt remedia, fortioribus non facilè cedentes. Fiunt autem à bile, melancholia, & à pituita, aut per consensum aliarum partium. Ergo humor peccans concoquendus est, & postea euacuandus, & intemperies relicta contrario pharmaco corrigenda est. Humor peccans debet præparari secundum suam materiam modo prius descripto in superiori capite. Et quia in his affectibus cerebrum est imbecillum, ideo diligentiori cura est roborandum, & confortandum pul. capitalibus, cucufis extrà applicatis, tum etiã intus assumptis. Et tutiùs quidem si vtatur conseruis, pul. aquis & syr. ad id aptis: quales sunt conseruæ anthos, stechad. florum saluiæ, & acori communis. Pul. quibus vti possumus, sunt diamoscum, diambræ, pliris cum mosco, rosnouella. arom. ros. & similes. Cõfectiones verò, theriaca, mithridatum, aurea alexandrina, & in mulieribus triphera persica sine opio. Ex conseruis item & pul. possunt fieri opiatæ. Topica remedia fortissima esse debent. Curatu enim difficiles sunt hi affectus, & contumaces.

TOPICA.

℞. rad. cucum. agrest. ℥.ij. coquatur in ol. antiquissimo, & postea contundatur, & reducatur ad formam vnguenti, vngatur anterior pars capitis priùs rasa. Lauari caput aqua vitæ laudatur, quia maximè discutit. Fit præstantissimum vnguentum ex oleo rutaceo & laurino, addendo parum ceræ & vitrioli romani vsti (vt facilius penetret) & croci an. ʒ. . Id in doloribus cap. diuturnis ab humoribus frigidis prodest plurimùm. Si nihil aut parum hæc topica proficiant, fiat sinapismus adeò fortis, vt cutis exulceratio sequatur, sed post exulcerationem statim remoueatur, ne nimis carnem vlceret. Nam sufficiet cutim exulcerare & vesicas excitare, vt humor ad partes externas trahatur. His peractis vultus

tus erit abstergendum, & crusta siue scara auferenda cum butyro sine sale, fricanda, vt decidat. Vlcus verò siue vulnus mundificatur cum basilicone, vel macedonico, quæ solo thure differunt. Basilicum enim (quod & tetrapharmacum à Gal. vocatur) thus non recipit. Mundatum vlcus datur ad cicatricem, cum panygiro, quod fit ex cerusa, axungia porci, lytharg. &c. & aliis medicamentis exiccantibus. Diu tamen vulnus apertum remaneat, vt materia temporis interuallo, & sensim vacuetur. Sunt qui faciunt vesicatoria in occipitio: sed id ad reuulsionem fieri debet, si pars anterior sit affecta. Interim tamen conuenientissimum erit sincipiti cauteria admouere ad euacuationem. Nam ibi sunt suturæ, per quas materia potest euacuari, adhibitis eiusmodi cauteriis, quæ materiam à profundo ad circumferentiam educant. Huiusmodi medicamenta metasyncritica dicuntur. Sit igitur tale vesicatorium.

℞. canth. drach. j. sem. rutæ agrestis drach. j. ß. fermenti acerrimi drach. ij. sinapi vnc. ß. ficuum vnc. ij misce, ponatur super caput, & id remoueatur cute exulcerata. Possumus vti capitello descriptionis de Vigo. Nam aperit cutim sine magno dolore, & est magnum secretum chirurgorum, & certè laudabile est dolorem, quoad fieri potest, euitare. Porrò capitellum fit ex auripigmento, sandaraca, arsenico, & pauco opio. *Secretum chirurg.*

De dolore capitis à morbo Italico. CAP. XII.

DOlor capitis, qui hodie maximè grassatur, fitque plurimùm à morbo Italico, infestat maxima ex parte noctu, circa partem anteriorem capitis, vel circa tempora, aliquando exteriùs, aliquando interiùs. Cùm est exteriùs, facilè deprehenditur. Nam sæpè tumores præter naturam excitat. Aliquando verò alopecia dolorem sequitur: itaque decidunt pili capitis, barbæ, superciliorúmque, vt in elephantiasi. Dolorem internum comitantur dolores articulorum. Porrò hic morbus cephalæa nempe, aliquando est incipiens, aliquando recidiuus. Cùm est incipiens, oportet à principio ordiri curam morbi Italici descriptam à practicis, postea ad dolorem capitis, qui eius morbi recidiuam sequitur, veniendum, ad cuius curationem primùm dari debent

clysteres ad materiæ diuersionem descripti prius de dolore capitis à pituita, deinde si iuuenis fuerit abundans sanguine, & omnia consentiant, fiat sanguinis missio. Quòd si dolor sit internus, dandæ sunt pillulæ vel minoratiua descripta suprà de dolore capitis à pituita vel melancholia. Concoquenda tamen & purganda erit materia syrupo sequenti, idque bis in anno, Vere scilicet & Autumno.

Syrup. ℞.rad.enulæ, polypod. ebuli, galang.an.vnc.ij. beth. melissæ, chamæpith.nepetæ an. M.j. Quòd si sit sanguineus, adde summitatum lupuli, asparag.an M. j. fumi. scabiosæ, verbenæ, an.M.j. rad.pentaphili, rad. satyrionis, hermodactyl.an.vnc.j.ras ligni indi ℔. j.pass. mundat. vnc. ij. foliorum senæ vnc.ij. turbith.vnc.ß.zinzib. drach.ij.fiat coctio. In colla. dissolue mel ros.col.q.s.fi. syr.mediæ decoctionis clarificatus & aromatisatus cum drach.ij.omnium sandal. vtatur in sex matutinis. Si lubet, potest addi syr. de pomis redolentibus ad vnc. vj. Accipiat quinque horis ante pastum. Purgetur pillulis cochiis, de sarcocolla, vel de fumo, vel aureis, vel fœtidis, vel omnibus simul. Dosis erit drach. j.vel ℈ iiij. ex quibus sex for. cum aqua fumiterræ, vel beth.vel primulæ veris. Si lubet potionem facere, ita parabitur.

Potio. ℞. elect.ind maioris, & de citro sol.an.drach. iij. diss. in vltima dosi apoz. vel in aqua melissæ, beth. & arth. cap.in aurora cum custodia. In crastinum detur bolus sequens.

Bolus. ℞.ther.veteris drach.j.cum sacc.fiat bolus. Ratio victus sit exiccās extenuánsque. Vtatur fumigio sequenti.

Fumig. ℞. coriandri præparati vnc. j. gum. hederæ torrefacti, nigellæ rom. infusæ in aceto vnc.ij. florum chamo. schenant.ana vnc.j.myrrhæ, thuris, beniouin ana drac. ij.sandaracæ j.auripig.rub.drach. j.concassentur leuiter, fiat suffumigium supra carbones ardentes, capiat fumum per nares serò & manè, & suffiantur etiam cooperimenta capitis. Si dolor sit externus, fiat vnctio capitis, etiamsi aliàs vnctus fuerit. Si nolit vngi, fiat talis pileus, vt sequitur.

Pileus. ℞.mass. emplastri diuini, empl.de Vigo ana qr.j. malaxentur cum ol. laurino, & extendantur supra alutam, ex quo

ex quo fiat pileus, qui applicetur capiti raso, & priùs inuncto ol. laurino, & ferat hunc pileum, donec solutus sit capitis dolor. Et quoniam omnia huiusmodi vnguenta ingratum odorem expirant, ex vsu ægrotantis fuerit portare moscam, ambram, & id genus alia.

℞. bethon. melissæ, absynth. pulicar. matric. sampſ. ebuli cum radic. altheę an. M. j florum stech anthos, sampsuci, chamo. mel. an. p. j. seminis rutæ agrest. baccar. lauri, anet. an. vnc. iij pingued. porci non salitæ & antiquæ ℔. j. pingued. galli & anatis ana qr. j. bulliant omnia simul in vino, & aqua ad consumptionem vini, & reducantur ad formam linim. fortiter exprimendo, & addendo quatuor vnguentorum cal. an. vnc. ij. arg. viui extincti in aceto, & sulph. viui an. vnc. ij. cinabrij vnc. ß. fæcis oleo. liliorum & laurini ana vnc. iij. hoc vnguento vngatur ad dolorem capitis, & articulorum, post alias vniuersales, vngendo caput & articulos. Multi in doloribus capitis à morbo Italico, vt in curatione morbi Italici vniuersali, maximum errorem committunt. Nam medicamenta frigida adhibent, quæ materiam infrigidant, & incrassant, quamuis materia sit vel omnino pituitosa, vel parum habeat admixtæ melancholiæ. Ideo aliqua ad humorem melancholicum admisceri debent, pauca tamen respectu eorum, quæ pituitam respiciunt, ex qua magna ex parte morbus hic nascitur. *Vnguentum.*

De dolore capitis ab ebrietate CAP. XIII.

DOlor capitis aliquando fit ab ebrietate, ob vini vapores ad cerebrum eleuatos. Sed quia medici rarò ad hanc curam vocantur, ideo breuissimè de hac differemus, cùm omnes curam & remedium experimento sciant. Fertur enim communi carmine, Si tibi serotina nocet potatio vini, hora matutina rebibas, & erit medicina. Non tamen parum faciunt lucri medici ex curatione affectuum, qui ebrietatem sequuntur, quales sunt tremor, paralysis, morbus attonitus, comitialis, catarrhus, & id genus reliqua. Quamuis enim vinum sit calidum, frigidos tamen morbos gignit, vt docet Galen. lib. de sympt. causis. Id sat superque norunt medici Britanni, qui diuites euadunt ex affectibus, qui ex crapulæ sobole fiunt. Porrò vt aliquid tandem de hoc affe- *Britanni medici.*

ctu attingamus, dolor capitis ex ebrietate curatur pro-uocatione vomitus, si sit plenus ventriculus. Excitatur autem vomitus aqua tepida, & pauco oleo iniecto assumendo vnc. iij. vel decoctionem rapha. cum syr. acetos. Vomitu facto caput confirmabis oxyrrhodino, ne facilè fumum recipiat, deinde dabis decoctum caulium. Nam vapores ad caput ascendentes sistit. Licet aliquando dare clysterem ad diuertendum.

Caulium decoct.

De Vertigine. CAP. XIIII.

CVm caput & simul quæ cernuntur, videntur circumagi, hæc affectio à Græcis δῖνος, à Latinis Vertigo appellatur, vt Galenus docet in 4. de ratione victus in morbis acutis. Cùm verò simul adest obseruatio tenebricosa adeo vt derepentè visus euanescat, existimantibus, qui id mali patiuntur, sibi offusas esse tenebras, σκοτόδινοι, id est, vertigo tenebrosa nuncupatur. Quòd si illa tenebrarum offusio sine vertigine & rerum circulatione, aut illa saltem leui existat, Scotoma dicitur: quæ leuius quoddam tenebricosa vertigine malum est, vnde incipiens quædam ac debilis σκοτόδινος esse videtur, cùm vehementiæ & intentionis ratione tantùm differant. Sunt tamen ex recentioribus nonnulli, qui vnum & eundem affectum esse existimant, nullo discrimine adhibito. Quidam verò nomina non separant, sed res ita distinguunt, vt id, quod verè Scotoma est, suffusionem à Latinis dictam, à Græcis Hipochyma nominauerint. Quos similitudine, quæ inter has affectiones intercedit, deceptos existimo. In illa siquidem non minùs, quàm in altera incipiente fumi vel nubes, muscæ & similia spectra, interdum ob oculos volitare putantur, proindéque alia ratione discrepare necesse est. Scotoma enim quamuis oculorum obtenebratio sit, eius tamen caussa continens in cerebro subsidet, quam spirituum ibi contentorum inordinata motio & turbata excitat. At suffusionis incipientis sedes & caussa in oculo tantùm continetur, éstque vel aqua vel fumus. Verùm vt pleniorem omnino Vertiginis notitiam habeamus (liceat enim hoc nomen nunc pro omni Scotoma vsurpare) dicendum illam esse inordinatum spirituum motum in anterioribus ventriculis cerebri existen-

Differentia.

ſtentium, qui tenebrarum offuſiones adducit, & imaginatricis facultatis iudicium peruertit, vnde illa rerum obiectarum circulatio & conuerſio ſeſe obiicit, ſimúlque ſe circumagi, qui id patiuntur, & prolabi exiſtimant. Nihil enim mirum tot læſarum functionum ſymptomata inuehi, cùm ſpiritus, qui in priore cerebri parte conſtituti ſunt, ſecundum naturam non ſe habent, ſed indebito & peruerſo motu feruntur. Sunt enim inſtrumenta & ſubiecta facultatum interiorum animæ, earum præſertim, quæ in ea parte domicilium habent, vt eſt ſenſus communis & intimus, à quo tanquam à fonte riuuli in exteriores ſenſus deriuatur, & vis illa prima ſentiendi è cerebro in ſenſuum inſtrumenta ſe diffundit, ſicuti etiam ea, quæ imaginatrix appellatur, cuius munus eſt ſpecies rerum apprehendere & concipere, & quæ illam naturali quodam inſtinctu conſequitur. Nam quæ pars animæ ſenſu pollet, eadem pariter & phantaſiæ & appetitus & motus facultates habet. Ex quibus perſpicuum eſt, quicquid exagitare & conturbare humores ac ſpiritus poteſt (qui quoniam eorum omnium, quæ ſunt in corpore, tenuiſſimam ſubſtantiam habent, ob id quoque facilè agitantur) id etiam vertiginem ſentiendi vim obtinere maximam. Id autem tum ab euidentibus, tum ab interioribus cauſis proficiſcitur. Euidentes ſunt ſolis æſtus, exceſſus omnis aeris conſtitutionéſque temporis intemperatæ, præſertim humidæ & calidæ, vt ſunt auſtrinæ, quas Hippocrates auditum hebetare, caput grauare, vertiginem oculis inferre ſcripſit. Omnia denique, quæ humores extenuant & in feruorem agunt, & quæ ſubitò vehementérque comprimunt, aut vehementiore motu incitant, vt dolor atrox, immodica exercitatio, ira, timor, omnéſque tum corporis tum animi perturbationes. Inediæ porrò, vel quia impuro corpore ventriculum plerunque implet humoribus, idem efficiunt. vnde ſtomachi eroſiones, vigiliæ, corporíſque perturbationes conſequuntur, ac vertigines, quòd inſitus calor perinde ac mens tum noxios humores exagitet alimenti penuria aut quia acres humores exacuit, incidit, & corpus calefacit. His etiam, qui ex morbo cõualeſcunt, ver-

Spiritus inſtrumẽta facultatum.

Cauſæ.

tiginem concitat in liberum perflatilémque aerem vel saluberrimũ mutatio, quòd repentè ac vehementer corpus & humores exagitet. Id autem non minus promptè ac celeriter efficiunt rotarum similiúmque motionum circumactus, aquarum vortices, si vel aspectu solùm obiiciantur: sed multò magis corporis immodica & in gyrum facta motio, qualis est articularis motio apud Prouinciales, quam (voltam) vulgò nominant. Ab his autem promptiùs offenduntur, qui cerebrum in hanc affectionem iam propensum habent. Quòd autem solus rerum, quæ circumaguntur, aspectus, possit Scotomiam facere, non aliunde euenire puto, quàm propter continuationem & coniunctionem rei aspectabilis cum videndi spiritu, ex qua consentaneum est spiritum illum eodem modo impelli, quo res ipsa, quæ cernitur, siue spiritu ab oculo manante, & in rem obiectam per medium incidente visio fiat, siue rei color & imago aerem medium afficiat, qui deinde ad oculum vsque protensus oculum concitat. Faciliùs verò intelligitur quo pacto turbata, & in gyrum facta corporis motio vertiginem concitare possit. Humores enim & spiritus cùm ex fluentium genere sint, his agitatis corpus vnà commoueri, & ad eandem motionem ferri necesse est, vnde vertiginis solutio statim adest cùm motus contrarius initur. Contrarij siquidem motus sese inuicem compescunt & contemperant. Sed tamen ad vertiginem componendam pauciores, quàm ciendam requiri videntur, quod rem quiescẽtem compellere, quàm commotam sistere, maioris sit laboris Caussa verò interior continens vertiginis traditur crassus spiritus aut flatuosus cum humore simul permixtus, qui in capite commouetur: aut soli spiritus cum multo vapore in cerebro contento, qui à capite suam essentiam & originem interdum accipiunt, constituúntq; eam vertiginis speciem, quæ à primario cerebri affectu fieri dicitur. Aliunde verò interdum transmittuntur, & eam, quæ ex consortio fit, adducunt. Quod accidit vaporibus vel humoribus ex ventriculo vel præcordiis, vel aliis partibus in cerebrum sublatis, aut per arterias & venas ad cerebrum ascendentes, deductis, eo modo, quo dolorem per capitis consensum fieri antea demonstra-

strauimus. Generantur autem in ventriculo ob natiui caloris defectum, vel partis illius imbecillitatem, quæ ex cibo & potu vaporosum & flatulentum spiritum parit. Nonnunquam etiam humor prauus vel ibidem genitus vel aliunde accitus, interdum & cibus illic corruptus hanc affectionem procreat, ore ventriculi (vt scribit Gal. aph. 7. lib. 4.) morso aut vellicato. Nam propter neruorum magnitudinem ex cerebro in ipsum descendentem, animæ functiones læduntur, malè affecta hac particula. At nos maluimus dicere id fieri per vapores ex ipso ventriculo deductos per neruorum ambitum, qui ad ipsius os perueniunt, aut alio modo, quemadmodum de dolore capitis ex consensu ventriculi exorto demonstratum est. Morsus enim aut vellicatio stomachi syncopem, erosionẽ, nauseam, & singultum quòd excitet concedimus: vertiginem verò quomodo possit, non videmus, nisi fumi sursum ferantur. Cur enim potiùs conuulsionem, sicut à poto helleboro, non adduceret? Feruntur autem sursum fumi, quoniam quæ in ventriculo existunt, agitantur aut corrumpuntur, sicuti ostendit vectio aut nauigatio, vel quam medicamentum purgans efficit, exagitatio. Eodem modo iecur, venæ, vterus intestina, vniuersum denique corpus consortij lege materiam huius affectionis ad cerebrum mandant, & maximè cùm euidentium causarum vi cientur. Quare quotiescunque ex consensu alicuius partis fit vertigo, dignoscitur, quòd eius affectæ partis indicia semper apparent, quæ veluti seminarium & morbi originem designant. Vertigo verò primarius cerebri affectus existit, cùm vapores ac materia flatulenta huius mali causa est proprio ipsius vitio, in eóque aut procreatur aut congeritur. Id autem efficit omnis intemperies æqualis, vel excessus qualitatum & humorum, quæ coctionem impedire aut corrumpere nata sunt. Atq; inde cruditatum, flatuum, & excrementorum prouentus maior existit, quàm qui posit à natura domari. Calida autem intemperies siue solitaria siue cum materiæ consortio peculiari quadam vi id præstare potest, vel quòd humores extenuet, & in feruorem furorémque agat, vel quòd tantam vaporum multitudinem alliciat, vt præ copia

excludi nequeant. Sed frigus fixarum inueteratarúmque vertiginum caussa est, omnem affectum contra naturam contumacem & diuturnum procreans, quia, cùm penuriam & defectum caloris natiui consequatur, cruditatum omnium est author, quæ cùm ab inferiori debilique natura subigi nequeant, in flatus & crassos vapores abeunt. Qua ratione Hippoc difficultates spirandi & vertigines senibus familiares esse scribit. Nec tamen ab intentè frigida, aut summè debili calore materiam illam progigni dicamus. Si enim ad extremum imbecillitatis peruenisset, nunquam illos humores dissoluere aut resoluere aggrederetur: id quod cùm efficere nititur, præ imbecillitate attenuare ipsos non potest ita, vt per insensilem euaporationem excerni queât. Inde origo flatuosi spiritus existit in capite, cui cùm exitus non pateat, more flammæ & fumi in furno coërciti, in gyrum mouetur. Id autem efficit capitis rotunditas & ventriculorum cerebri cameratio, ad cuius partem fornicis superiorem cum vapor rectà iuxta leuium naturam delatus est, nec altiùs ferri potest, reflectitur, & in orbem rotatur, non aliter quàm cùm exhalatio, quæ sursum tendit, nubibus viam præcludentibus, in latus ducitur & ventum procreat. Atque ea est vertiginis eius, quam euidentes causæ non concitant, ratio. Cuius generationem meatuum capitis obstructio & condensatio, quæ vapores prohibet, adiuuat, atque interdum facit, quemadmodum & partis imbecillitas humores vel vapores ab aliis transmissos recipientis, vel in se parientis. Accidit autem etiam hæc affectio initiis morborum & iudicationibus, quo tempore aut turbationem, aut à flatuoso spiritu, quem humorum prauitas excitauit, cerebri repletionem demonstrat, naturámque haudquaquam quiescere, sed interdum contentos in corpore prauos humores ita aggredi, vt à bonis eos secernat. Quare medium quodammodo tum salutarium, tum exitiosarum affectionum obtinere videtur. Indicium enim est nec omnino prostratæ, nec omnino vincentis naturæ. Vnde cùm initiis febrium interuenerit, spectandas esse iudicationes admonet Hipp. ne temerarium feratur iudicium. Ex illa enim nisi su-

perior vel inferior morbo prorsus natura esse videatur, salus vel exitium certissimè pronuntiari nequit. Visa est præterea vertigo post diuturnorum morborum imperfectas crises accidere ob translatam materiam illorum in cerebrum, vbi hanc concitat.

CVRATIO.

Vertigo vt à multis caussis fit, ita variis modis curatur. Si fiat ob motum corporis maximè in gyrum, vel ob aspectum rerum rotantium, vel profundarum, quiescant. & illa non aspiciant. In his præsens est remedium vt collocentur supini, ita vt nares sint capite altiores. Est etiam inungenda illis pars anterior oxyrrod. vt faciliùs dormiant, & spiritus agitati quiescant. Si ob crapulam, curetur crapula modo supradicto, vt vomitu & corroboratione ventriculi Dentur aliqui fructus, aut alia astringentia. Detur puluis sequens, qui vtilis in omnibus ferè causis vertiginis erit.

℞. coriand. vnicæ cooper. ℥. ij. anis. similiter conditi ℥. j. fœnic conditi ʒ. ij. diacyd. sine specieb. ʒ. j. ß. corall. subtiliter tritorum, & seminis pœoniæ mund. ana ʒ. ß. sacc. ros. q. s. fiat pul. Commune præceptum est in ordinatione receptarum, vt primùm ea scribantur, quæ ponuntur in maiori dosi, sensim descendendo, & diminuendo, pro ratione affectus, & virium ægrotantis, veteribus obseruatum, & maximè ab Andromacho omnium in præscribendis medicamentis compositis maximè ingenioso. Obseruari debet etiam vt semper ea præcedant, quæ sunt affectioni curandæ, aut parti laboranti maximè propria, ad communia sensim descendendo. In superiori pul. ponitur semen pœoniæ, quia non solùm epylepsiæ, sed omnibus affectibus capitis frigidis confert, præsertim his, qui affinitatem quandam habent cum epylepsia. Si ob cruditatem ventriculi vel frigiditatem accidat vertigo, ponatur diacydonitem cum speciebus, nisi velis alium puluerem calidum addere qui suppleat eius vires. Si autem fiat vertigo à vaporibus eleuatis à materia aliqua calida, vel ob agitationem, alicuius materiæ subtilis digeratur sic.

Commune præceptũ in præscri. formul.

Pœonia confert affectib. capitis.

℞. syr. ros. ℥. ij. syr. de berber. ℥. j. aq. solani viol. ros. ana ℥. iij. aq. meliss. aut sampsuci ℥. ij. misce. Ponitur

aqua meliſſæ aut alterius herbæ capitalis, quanuis ſit calida, vt vis medicamenti ad caput deducatur.

℞. elect. triaſand. vel diarrh. abb. vel diatrag. frig. tab. j. pro doſi.

Potio purgans.

℞. ſyr. roſ. laxatiui ℥. ij. rhab. infuſi in qua endiuiæ non expreſsi ʒ.j. florum anthos & cinamomi ana ſcrup. ß. miſce, fiat potio cum decoctione prunorum & ſebeſtem. Si fiat ex mixtione humoris melancholici adde in decoctione foliorum ſenæ orientalis ʒ ij. vel ſummitatum thymi ʒ.j. vel polypo. querc. tantundem, aut ſenæ oriental. ʒ.j. in ſubſtantia. Si verò ob cacochymiã egeat maiore euacuatione, adde elect. de ſucco roſar. ʒ.j. vel oxyph. laxa. ʒ.ij. Hæc confectio fit ex tamarindis. Quare confert febribus, & aliis, morbis etiam ex bile. Eſtque ſimillima compoſitioni diaprunis ſolu. Poteris tamen augere vel minuere doſim, pro magnitudine materiæ, & viribus ægri. Poſt euacuationem dantur aliqua aſtringentia, vt mala cydonia condita, aut diacyd ſine ſpeciebus. Vtatur etiam carne cydoniorum conditorum poſt paſtum. Applicetur etiam oxyrrhodinum ſupra caput, vt in dolore capitis à bile dictum eſt. Quòd ſi non cedat morbus his remediis, veniendum ad fortiora. Adhibeantur ſucci plantag. & ſolani, & alia, quæ ſupra præſcripta ſunt, in dolore cap. à bile, ſemper ea eligendo, quæ magis aſtringunt. Si nolint accipere potionem, dentur pillulæ ſine quibus, vel de quinque generibus myrob. vel quæ ſine myrrha & croco parantur. Clyſteres ante vſum ſyr. laudantur, quales præſcripti ſunt in dolore capitis à bile. Si à materia frigida eleuentur fumi tenebricoſi vertiginẽ inducentes, concoquatur & euacuetur materia modo ſupradicto in dolore cap. à pituita. Præſcribatur pul. iam dictus addita ℥. j. cumini in aceto præparati & carui tantundem. Poteſt etiam addi in puluere ℥. ß. elect. diag. aut pul eius ʒ. j. Poteſt etiam fieri opiata ad confortationem cerebri, & ad prohibendam vaporum generationem hoc modo.

℞. confer. cortic. citri cum ſacch. conditi ℥. j. confer. anthos & florum ſtechad. & roſ. ana ℥. ß. pul. roſ. nouellæ, & aro roſ. ana ʒ. j. diacym. vel diatrium pipereum (ſi reperiatur præparatum) ʒ. ß. galang. ſubtiliſ. pul. & aniſ. ana

ana ʒ. ß. syr. cōser. zinzib. vel corticis citri q. s. fiat opiata, de qua accipiat duabus horis ante pastum ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum vini, vel aquæ absynthij. Si æger habuerit renes natura calidos, aut hepar calidum, admisceantur quæ illa refrigerant, in minori tamen dosi; vt si addas tria sand. & diarrh. abb. ana ʒ. ß. vel scrup. ij. vel bibat ante sumptionem opiatæ aquæ endi. ℥. ij. vel cichor. hoc etiam faciendum est in calidioribus naturis, vbi sumendæ sunt pillulæ, quia omnes calidæ sunt, saltem ob aloen: Aut si alioqui hepar fuerit calidius cum frigiditate ventric. Tunc enim non sunt sumenda calida, quæ sunt multùm tenuium partium. Illa enim parùm in ventriculo manentia, statim ad hepar transeunt. Quo fit, vt intemperaturam ventriculi parùm contingant, caliditatem verò hepatis multùm adaugeant. Sumenda ergo sunt calida, quæ diu in ventriculo maneant, vt grana piperis integra, &c. Topica remedia sunt aliqua ex parte discutientia cum astringentibus, & cerebrum corroborantibus permixta, vt si fiat puluis capitalis hoc modo.

Pillulæ omnes calidæ.

Hepate calido & frigido vētriculo à calidis abstinendum.

℞. florum anthos, stechad. ana ℥. i. ros. rub. & albar. ana ℥. ß. coriand. præpar. ʒ. vj. nucis moscatæ, garyoph. calami ar. cyperi ana ʒ. ij. myrtil. ʒ. j. fiat pul. subtiliss. In principio & declinatione morbi, augeantur astringentia. In principio vt vapores repellātur, in fine, vt cerebrum corroboretur, ne rursum impleatur vaporibus. In principio etiam ad repellendos vapores vtimur oxyrhod. aucta dosi aceti. Si maior intentio sit digerendi, quàm repellendi & corroborandi, auferantur ros. albæ, & semina myrthi. Frictiones partium externarum maximè laudantur. Omnibus autem modis fugienda est frictio capitis, quæ illud replet vaporibus, tantùm abest vt vacuet. Sit ergo commune preceptum in omnibus morbis capitis, nunquam faciendam frictionem capitis supra caput, nisi præcesserint euacuationes vniuersales, vel per clysteres, vel per pillulas, & frictiones aliarum partium. Fient ergo hoc modo. Primùm fricetur collum & brachia fortiter, & spina dorsi, tandem femora, & crura, seu tibiæ: vltimo fricetur caput. Tunc enim non est periculum de attractione vaporum, vel fumorum

Præceptū commune in doloribus capitis.

Frictio,

ad caput, cùm iam facta sit diuersio ad partes longinquas. Hoc modo fieri potest cerebro priùs euacuato. Fiat frictio cum panno calido, & aspero, in aliis partibus à capite: in capite verò cum panno non multùm calido, sed sufficit siccum esse, & non calidum. Nam panni calidi frictio multùm dissoluit. Hoc in epylepsi. apoplexia & catarrho, aliisque capitis affectibus obseruandum est, incipiendo semper frictiones à collo sensim ad inferiora descendendo, vsque ad tibias & pedes. Hæc affectio solet accidere nimiùm ieiunantibus,* & inanitionem ex inedia patientibus, quos oportet reficere optimis alimentis citrò & bene nutrientibus, vt sunt vinum, testiculi gallorum, succus carnis, succus pullorum,&c. Corroborãdum est etiam iis caput inunctione ol. rosarum. Laudant aliqui missionem sanguinis, quando materia permixta est sanguini vaporoso, præsertim si adsit plethora. Si mittendus est sanguis, eligatur primùm cephalæa, quæ si non appareat, mediana, his latentibus basilica secanda venit. Sunt qui laudant etiam apertionem venarum iugularium, quas vocant Arabes venas Guidem, sed quia non facilè coalescunt, & periculum est ne plus sanguinis vacuetur, quàm velimus, satius erit eas omittere. Pro vltimo remedio sit sectio arteriarũ, quæ sunt retro post aures, verùm quia pauci sunt chirurgi exercitati in earum sectione, satius erit id omnino non tentare, loco cuius sectionis venæ, applicetur cauterium actuale in media parte capitis prope suturas. Si ignem refugiant, applicetur potentiale.

De Phrenitide. CAP. XV.

PHrenitis inflammatio est cerebri vel eius menyngum, ad quam sequitur principis facultatis animæ læsio, vnde similitudo illi magna est cum Mania & Melancholia. Distinguitur tamen, quòd hæ affectiones desipientiæ sint sine febre, nec dum earum materia putredinem acquisierit. A Paraphrenitide verò, quòd hæc desipientia cum febrium vigore cesset, nec, vt Phrenitis continua sit, & eundem tenorem seruet. Præterea Phrenitis semper morbus est, febrem inducit, & propria affectione cerebrum afficit. Illa verò plerunque febris

Differentia.

Causa.

febris aut morbi grauioris symptoma est. Sequitur enim septi transuersi inflammationes, & aliarum partium subditarum ac febres ardentes, nec vnquam, nisi per consensum, caput affligit. Gignitur omnis Phrenitis à bile, vt Galenus multis in locis docet. Cuius cùm variç sint species, varia quoque Phrenitidis genera constituunt. Alia enim naturalis est, eáque nihil est aliud quàm sanguis tenuior & biliosus, vnde mitior fit Phrenitis. De qua Hippo. locutus videtur, cùm dixit, deliria, quæ cum risu accidunt, esse securiora, quàm quæ seriò, quòd à sanguinis exuperantia fiant. Alia verò bilis est non naturalis, ex qua maligniores Phrenitides efficiuntur, prout maiorem aut minorem acrimoniam obtinet. Nàm quæ minus adusta est & acris & pallida, mitiores: quæ flaua, maligniores: quæ verò perassata, vel in atræ bilis naturam degenerauit, melancholica, feruida, & furiosa deliria excitat. Cæterùm cùm hæc affectio acutissima sit, ideo medicum non solùm doctũ, sed diligentem requirit. Nam septimo die sæpe terminatur. Multa alia hîc dici possent de Phrenitide, sed quia tantùm curam hîc decreuimus scribere, supersedebimus à pluribus, studiosum medicum relegantes ad authores, qui ex professo loquuti sunt de signis, caussis & curatione huius affectionis, obseruantes methodum curandi breuissimam. Hæc itaque affectio fit aut à sanguine, aut à flaua bile, ad cerebri menyngas affluente, vnde fit inflammatio ob causas, quæ phlegmonem generãt, nempe ob humorum ex propriis vasis exitum, & in loco angusto coarctatum, ac impeditam eorum transpirationem. Hinc necessariò sequitur putredo, atque febris, delirium, inquietudo, sitis inexhausta, capitis dolor, vigiliæ, &c. ab autoribus descripta. Porrò si fiat phrenitis à bile, multò (vt dixi) periculosior est, & grauiora habet symptomata, & est cum confidentia quadam maniaca, & aspectu terribiles oculi. Grauiora symptomata dico, febrim, sitim, virgilias, &c. Quæ verò fit à sanguine, magis mitis est.

Materia. *Species diuersa.* *Materia.*

CVRATIO.

Quod attinet ad huius affectus curationem, imprimis medicis vocatus, debet præscribere clysterem

mollem, alteratiuum, vt in febribus ardentibus, sic.

Clyster. ℞. quat. remollientium, lact. ana M. j. prunorum N. xx. semi quatuor frigidorum maiorum ana ℥. ß. florum viol. nenuphar. ana p. j. hordei integri p. j fi. decoctio in col. dissolue sacch. rub. cassiæ ana ℥ j. ol. viol. ℥. iij. salis parum, fiat clyster. Si æger sua natura sit aluo astricta, vel fęces plurimùm induratas habeat, pone succi ciclæ ℥. ij. Abstinendum ab hiera, aut benedicta, vel huiusmodi opiatis calidis. Nam febrem augent, & humores agitant, & subinde ratione siccitatis, aluum postea astrictam relinquunt. Ideo medici indocti plurimùm errant, huiusmodi opiatas dantes in affectibus calidis. Detur igitur clyster illico, vt vocatus fueris, nisi sit plenus ventriculus. Postridiè verò secabis cephalicam venam, si liceat per ætatem, anni tempus, &c. & fiet foramen paruum in vena, vt faciliùs & citiùs possit consolidari, & ne ægrotus delirio captus, manus & brachia agitans sanguinis fluxum excitet, quod non facilè fiet, si foramen sit angustum. Si quid dehortetur venæ sectionem, cucurbitulæ applicandæ sunt humeris, & natibus cum scarificatione, tum ad diuersionem, tum ad euacuationem. Vel fiat sanguinis missio sub lingua, vt docet Paul. sed magis in principio materia adhuc fluente. Circa statum & materia iam fluxa, vena frontis aperiatur. Licet dare clysterem post venæ sectionem. Nam si fueris vocatus manè in primo die morbi, statim nulla interposita mora, poteris secare venam, etiam non priùs adhibito clystere, cùm periculum sit, ne materia copiosa feratur ad caput. Nam (vt Hipp. inquit lib. de ratione victus) non exhibito clystere venam seca. ob vrgentem necessitatem. Si tamen dentur induciæ, clyster exhibeatur.

Benedicta in febribus incommoda.

Error indoctorum.

Venæ sectio.

TOPICA.

Topica etiam remedia statim ab initio sunt applicanda, virtute quidem frigida, & repercutienti vi prædita, nullo pacto resoluentia admiscendo, quæ in augmento, statu, & declinatione secundum plus & minus miscentur, vt conditio temporis, & morbi exigit. Applicetur igitur ab initio tale repercussiuum.

Rec. oxyrrhod. ℔. j. intingantur panni linei, & applicen-

plicentur parti anteriori capitis.

℞. aquarum ros. solani, nymphex an. qr. ß. misce, intingantur panni, & ponantur frigidi, vt supra, addendo parùm aceti. Et cùm incipiunt calefieri, remoueantur. Aquis vtimur hyeme vice succorum, quia inueniri nequeunt herbæ. At æstate succis vtimur, cùm herbæ adsint, vt quod sequitur.

℞. succi lact. & plantag. ros. cucurb. ana ℥. ij, aceti parum, misce, & capiti applicentur. Laudatur vnctio facta ex vnguento populeonis, & maximè quando volumus somnum conciliare, vt inferius dicemus, sed hoc vnguentum recens esse debet. Nam antiquum etiam calfacit, tantùm abest vt refrigeret.

℞. ol. violatum & nymphee an. ℥. iij. ol. papa. albi & mandragoræ ana ℥. j. misce, & applicentur fronti cum pannis lineis ad conciliandum somnum. Erit sanè fortissimum hoc modo, sed quia periculosum, ad mediocritatem reducatur, addendo lactis muliebris puellam lactantis recenter mulsi (nam tale frigidius est) ℥. iii j. His remediis vtemur in principio & in vigiliis ad somnum conciliandum. Sed huiusmodi medicamenta frigida cautè & cum consilio applicare oportet cerebro, cùm suapte natura sit frigidum, & membrum princeps. Ideo nunquam applicari debent in principio, in sene & in debili, nisi in minima dosi, & cum maximo iudicio. In declinatione & statu materia maiore ex parte in capite existente, miscenda sunt digerentia, & resoluentia cum astringentibus & resoluentibus, vt ratione resoluētium & digerentium dissoluamus id quod iam impactum est cerebro: & ratione repellentium impediatur ad cerebrum fluxio. Ideo in augmento pauca resoluentia miscenda sunt multis repellentibus: in statu æqualia conueniunt: in declinatione resoluentia debent superare repellentia, hoc modo.

De temporibus inflamma. & remediorū varietate.

℞. ol. viol. & nenuph. an. ℥. ij. ol. cham (ad resoluendum) ℥. iij. misce, & adde succum alicuius herbæ conuenientis, vt,

℞. ol. viol. iiij. succi apij ℥. ij. ol. cham. ℥. iiij. misce. Hic ponuntur repellentia, & refrigerantia, vt ol. viol. & resoluentia, vt ol. cha. & succus apij. Possunt addi succi

fortiores, vt sunt calamen. origani, serpill. Sed ista resoluentia in declinatione poni debent, quemadmodum in principio repellentia & somnum prouocantia. Sequens repellit, & somnum conciliat.

℞. florum violarum, rosſ. nympheæ ana p. j. capitum pap. albi ʒ. iij. seminis lact. ʒ. ij. fiat decoctio in aqua, capiat fumum huius decoctionis & somnum conciliabit. *Resoluen.* Vel ad idem fiat irrigatio capitis ex colatura huius decoctionis. Addere possumus ad resoluẽdum florum cham. stech. an. p. j. florum melil. tantundem, sed id in fine status fiet, vel in principio declinationis. In vera declinatione auferimus capita papaueris, nisi vigiliæ sint molestæ. *Res herb.* Potest addi in declinatione ad resoluendum sampſ. serpilli ana M. ß. bet. meliſſ. & cæteræ herbæ capitales. Interim tamen sit hæc regula generalis, quòd à leuioribus est incipiendum. Itaque in principio resolutionis debemus accipere catulum vnum, & per medium secare, deinde capiti applicare. Hoc est medicamentum mediocriter resolués, & sine intensa caliditate. Huius loco possumus accipere pullum columbinum, vel pulmonem arietis adhuc calidum, & applicare supra caput rasum. Nõ statim ab initio statim radi debet, sed vbi hæc refrigerata fuerint, statim auferantur. Sunt, qui addunt sequentem puluerem.

Puluis resolu. ℞. coriand. præparati ℥. ij. flor. chamo. melilo. viol. an. p. j. flor. nymph. & roſ ana p. ß. seminis lact. papaueris albi an. ʒ. j. sandal. omnium ana ʒ. ß granorum tinctorum, beth. siccæ ana ʒ. j. ß. fiat pul. & sinapizetur caput, vel catulus, qui ponatur supra caput. Et quoniam hęc affectio fit à bile, statim à principio materia vacuanda erit, ne tota ad caput fluat. Ideo minoratiuum tale aliquod præscribendum erit.

Minorati. ℞. prunorum damaſ. & sebesten, ana N. x. quatuor sem. frig. maior. ana ʒ. iij. Et si inueniatur semen violæ, ponatur ℥ ß (quia ventrem lenit, humectat, & refrigerat) trium florum cord. ana p. j. fiat decoctio ad qr. j. in col. diſſ. caſſ. nouiter extractæ, pulpæ tamarin. ana ℥. ß. mannæ granatæ ℥. j. (in valde picrocolis optimum erit abstinere à manna, quia facilè conuertitur in bilem) rhab. infusi in aqua endiuiæ & non multùm expreſſi ʒ. j. vel

j. vel loco illius pone ſyr. roſ. lax. j. vt fit in pauperibus, quia rhab. eſt nimis carum. fiat potio, cap. in aurora cum cuſtodia. In robuſtis corporibus poteſt addi ℥. j. elect. de ſucco roſ. vel diaprunis ſol. tantundem. Satis autem eſt ℥. j. Nam maiori pondere calfaceret, & agitaret humores. Vel pro pauperibus.

℞. decoctionis prunorum qr. j. ß. ſyr. roſ. laxat. ℥. ij. elect. de citro ℥. j. fiat potus. Si non ponis ſyrup. roſ. laxat. pone eius loco ſyr. viol. ℥. j auge doſim de citro vſque ad ℥. ij. Et ſi liceat pro morbi indicatione materiam præparare & concoquere, id faciendum ſyr. roſ. de oxyacantha. viol. granatis, acetoſo ſimpl. oxyſacch. ſimpl. de agreſta, de limonibus, de ribes, de papauere, de nenupha. &c. Herbæ verò, ex quibus fiunt aquæ, ſunt lactuca, cucurbita, endiuia, cichoreum, ſcariola, ſolanum, plantago, acetoſa, &c. Vinum etiam malorum granatorum. *Pro pauperibus.* *Syr. & herba præparantes bilem.*

℞. ſyr. de granatis. ſyr. viol. vel ſyr. de berber. vel ſyr. roſ. an. ℥. iij. aquarum endiuiæ, ſolani, lact. ana qr. j miſce pro tribus doſibus. Melius autem eſt qualibet die doſim præſcribere, quia minus corrumpitur ſyr. cùm quotidie fit. Mutamus ſyrupos pro neceſſitate nunc magis, nunc minus frigidos, nunc aſtringentes, nunc lenientes præſcribentes. Et aliquando cogimur dare ſyru. de nenuph. & de papauere, ſed ne id fiat viribus repugnantibus, videndum eſt.

Symptomatum curatio.

His peractis ad ſymptomatum curationem veniendum. Primùm itaq. cauendum eſt ab vſu ſyruporum aſtringentium, quando aluus aſtricta eſt, ſed humectantibus & lumbricam facientibus eſt vtendum, & mollibus clyſteribus, qui poſſunt emendare aſtrictionem, quę fit à ſyr. Ad ſitim verò, quæ in omnibus morbis acutis, frequens eſt, & aſſidua, ordinantur ſyr. de granatis, oxyſacch. acetoſ. ſimpl & viol. cum ptiſana, quæ fit ex aqua communi & hordeo ſimul coctis. Interim tamen medicus prudens, ſi aluus dura eſt, abſtineat à ſyr. aſtringentibus antè deſcriptis, & vtatur lenientibus, vt ſyr. viol. qui humiditate ſua laxat, & infrigidat, cum aqua decoctionis prunorum, quæ laxat, & ſimilibus. Confert etiam *Ad ſitim.*

addere quatuor semina frigida maiora, vel fiat ptisana ex decoctione hordei. Ad sitim fiat talis syr.

℞. aquæ ros. qr. j. aquæ nymph. & bugloss. ana qr. ß. sacch. albi q. s. misce, fiat iulep. quo vtatur tempore sitis cum aqua decoctionis hordei. Sunt qui à vino abstinere nolint, quod tamen in hoc affectu est perniciosissimum. Hi verò sic sunt fallendi.

Conditũ. ℞. vini granatorum ℔ j. succi cytoniorum, modò aluus non sit astricta, ℥. ij. aquæ nymph. qr. j. sacch. q. s. fiat iulep. cla. & aro. cum ʒ. j. sandali rub. Si æger est valde imbecillus, possumus vti conditis cordialibus, & flauæ bilis acrimoniam extinguentibus hoc modo.

℞. cons. ros. viol. an. ℥. j. cons. nymph. & bugloss. an ℥. ß. sacchari quod sufficit: fiat conditum, quo vtatur manè & serò longè à pastu, & tempore sitis cum decoctione hordei, in quo possunt addi aliæ cons. vt acetosæ, & maximè tempore pestis, cons. florum cichor. & capill. ven. sacch. ros. q. s. fiat conditum. Pul. quoque addi possunt hoc modo.

℞. cons. ros. cichor. viol. ana ℥. j. bugloss. ℥. ß pul. diatrag. frigi. (quia humectat & refrigerat) ʒ. ij. diamarg. frig. ʒ. ß. sacch. q. s. fiat conditum. Cum volumus conciliare somnum, additur etiam diapapauer album, sed minimo pondere vt ad ℈. j. tum quia nimis refrigerat, tum quia eius sapor ingratus est. Adduntur & alij pul. vt de gemmis, diarrhodi abb. Cauendum ab aliis qui calfaciunt. Fiunt & potus cordiales ad corroborandum, alterandum & somnum conciliandum, vt

Potus cordialis.

Potus somnifer. ℞. syrup. de pap. ℥. ij. aquæ lac. & bugloss. ana ℥. j. ß. fiat potus ad somnum conciliandum. Si volumus virtutem corroborare, minuemus dosim syr. de pap. augendo dosim syr. viol. addendo pul. cord. vt fieri solet in debilibus qui ob calorem paucum & languidum syr frigidis multùm læduntur, & periclitantur de extinctione caloris natiui. Ideo fouendæ sunt vires, & somnus est potius conciliandus, per ea, quæ foris applicantur, quàm prioribus, scilicet quæ initio sumuntur. Nam illa minus lædunt, & si quid incommodi videantur allatura, facilè remouetur: quod fieri nequit in his, quæ assumuntur. Fiat itaque potus hoc modo.

℞. syr.

℞.syr.de pap. viol. an.℥ j.vel ℥.ß pul.de gemmis (ad virtutem & robur) diamarg. frig. ana ʒ. ß. diatrag.frig. ℈.j.misce, fiat potus. Adde aquæ lact. bugloss. borrag. an. ℥ j. detur hora nona, aut decima noctis, cùm ibit dormitum.

Phrenitis à bile.

Si morbus fiat à bile, quæ vt plurimùm adusta est, tunc in syr. & potionibus cordialibus humoris melancholici ratio habenda est. Itaque magis humectandum, cùm humor peccans sit maximè siccus. Humectatio fiet per irrigationes, fomenta, syrupos, vnguẽta, & id genus. Addemus itaque decoctioni medicinæ folliculos senæ, epithymum, admiscendo bugloss. & borrag. & pro pul. cordialibus admiscebimus confectionem alchermes hoc modo.

℞. syr. viol. ℥. j. syr. de pap. ℥. ß. confect. alchermes ℈. ß. vel si desit, diatrag. frig. & diarrhodi abb. ana ʒ. ß. aquarum bugloss. borrag. lact. rosf. an. ℥. ß. fiat potus, cap. hora somni. Quantò sunt delicatiores vel debiliores, tantò minus dandum est de hac confectione, quod aliter fit in aliis morbis. Et si suspicio sit de fluxu ventris, ab ea abstinere debemus. Dantur tertio quoque die clysteres mollientes, & alterantes. Nam aluus semper humectari debet in hoc affectu.

Vrinæ retentionis curatio.

In phrenitide duo sunt symptomata, quæ accidunt vt plurimum, quorum alterum est, vigiliæ, cuius cura superius est descripta: alterum, vrinæ retentio, cuius curatio nunc restat. In hac autem affectione vrinæ prouocatio non debet fieri per ea, quæ assumuntur. Nam ea omnia ferè calida sunt, & nocent plurimùm affectioni propter acrimoniam. Ideo vigilias prouocant, & morbum augent. His ergo est abstinendum, nisi in morbi declinatione, in qua morbo ferè soluto, & vacuata materia, dari possunt etiam calida. Primùm igitur tentatur cura cum aqua calida, fomentando vesicæ regionem, vt faciebat Gal. lib. 1. de locis affectis, deinde comprimemus vesicam. Poterit & virgæ summitas fricari, & postea mittere vrinam, si possit. Quòd si his leuioribus remediis non cedat symptoma, fiet vt sequitur. *Duo symp.*

℞.pariet.M.j petro.cum radic.M. ß. fiat decoctio, & in col.diss.ol.scorpion.qr. ß. fiat fotus supra pectinem. Et residentia ponantur in sartagine cum oleo scorpionum,pistentur,applicetúrque post fomentum,supra regionem vesicæ. Medicamentum valentius feceris, si addas seminis apij,petro.milij solis, seseleos ana drach.ij. Possent poni aliæ herbæ & radices aperitiuæ. Fiat sequens vnguentum,quod optimum est,& debet applicari supra fomentum.

℞.pingued.cuniculi, ol scorp.ana vnc. ij. sem. apij. petro.asari, seseleos ana ʒ. ß.ceræ parum, fiat vnguentum, quo vngatur regio vesicæ, & perinei. In declinatione possunt assumi intra corpus sequentia.

℞.syr.de duadus radicib. ℥.ij. aquæ alchechangi,graminis aspa.ana ℥.ij.misce,detur manè. Fortius est hoc.

℞.oymel.scyll. vnc. j. aquæ fœnic. & beth. (quia respicit caput & aperit) saxifragiæ, apij ana vnc. j. misceantur. Si addas gummi prunorum drach. j. fiet fortissimum remedium. Reliqua pars curationis posita est in humectatione, cùm affectus maximè fiat à bile adusta, quæ ratione magnæ caliditatis incinerata est, vnde cerebrum immodicè exiccatur. Fiet igitur fotus ex decoctione viol. nymph. & decoctione capitis veruecis & cæteris eiusmodi,vt

℞.florum viol. nenuph.ana p.iij.foliorum lact. viol. cucurb.solani,cucumeris,ana M.j.fiat decoctio,qua abluantur pedes & partes pudendorum tepidè.

De Paraphrenitide. CAP. XVI.

Paraphrenitis delirium est, quod in febrium ardentissimarum statu accidit, ob acrium vaporum eleuationem ad caput. In hoc differt à phrenitide, quòd hæc sit inflammatio cerebri, vel menyngum, ad quam sequitur febris quæ symptomatica est, & accidens. At delirium sequitur febrem,ad quam collatum rationem habet symptomatis. Ideo Galenus distinguit phrenitidem à delirio continuitate.Nam phrenitis continua est, vsque ad finem:delirium verò in statu, vel fine augmenti accidit.

Phrenitidis & delirij distinctio.

CVRATIO.

Paraphrenitidis curatio facilè deprehenditur ex curatio-

ratione phrenitidis, non tamen licet in paraphrenitide venam secare. Nam virtus animæ debilis est, & venæ sectionem dehortatur, & in statu melius silentium habere: non tamen oportet morbum sic incuratum relinquere. Eligantur igitur medicamenta maximè aperitiua, quæ non noceant morbo, à quo fit paraphrenitis, neque loco affecto, aut motui naturæ. Loco igitur sectionis venæ, cucurbitulæ in spatulis simul applicandæ sunt cum scarificatione. Hæ enim vires sectionis venæ gerunt, nec interea plus debilitant. Dentur clysteres ordinati in cura phrenitidis, & fiant frictiones. Inungatur caput oxyrrhodino. Detur potio somnifera, non nisi conciliatione somni. Nam debilitatur natura à vigiliis, quæ in somno reuocata, materiæ portionem per sudores euacuabit. Animaduertendum est præterea, cuius morbi delirium sit symptoma, & in qua parte sit morbus, ex quo fit delirium: quia semper admiscenda sunt potionibus & syrupis quæ morbum, à quo pendet delirium, & partem affectam respiciant: vt si delirium sit propter inflammationem pulmonis, costarum, colli, eligimus syrup. refrigerantes, & affectum priorem respicientes simul cum parte, quales sunt violatus, iuiubinus, de papauere, cum quo erit miscendus capill. vene. ne sua frigiditate plus æquo noceat. Relinquemus syr. de agresta, de granatis, oxysacch. acetos. simpl. ros. & cęteros id genus, qui sua stipticitate, sputum impediunt, & respirationem reddunt difficilem, qui tamen laudantur in phrenitide, in qua non timemus nocere partibus pectoralibus. Dantur etiam syru. astringentes in hepatis inflammatione, & lienis, modò misceamus aliquas aquas aperientes mediocriter, quia semper aliquid debet educi à parte affecta per vias conferentes. In delirio ab inflammatione partium thoracis fit hoc modo.

Cucurb.

Clysteres.

Syrus, conuenientes.

Relinquend. syr.

℞. syru. viol. ℥. iiij. capil. ven. ℥. ij. potest addi syr. de papauere. Nam magna ex parte phrenitis fit à bile, vel à sanguine bilioso, sicut & peripneumonia, maximè cum delirium excitat. Ob eam caussam syr. de papauere non est reiiciendus, vel in syrup. digestiuis, vel in potionibus omniferis. Nam materiam plus æquo incrassat, nec in-

terim prohibet, quò minùs materia educatur. Adde aquarum viol. capil.ven. buglossæ ana qr. ß. Potest addi aqua ros. fiat iulep. Loco aquarum possumus miscere cum syr. aquam decoctionis hordei. In inflammatione diaphragmatis non sunt reiiciendi syr. restringentes, quia non æquè nocent, atque inflammationibus costarum aut pulmonis. Nam in inflammationibus diaphragmatis materia per sputum non reiicitur. Poterit dari aqua fructuum in delirio à phrenitide, vel peripneumonia. Nam in his duabus affectionibus fluxus ventris est periculosus, cùm non euacuet materiam euacuandam per aluum. Ideo abstinendum à fortioribus laxatiuis. Hæc aqua fructuum fit ex decoctione prunorum, sebesten, tamarind in pauca quantitate hordei, quatuor seminum frig. maior. florum viol. & seminis viol. quæ plurimum leniunt cum passulis. Hæc decoctio leuiter lenit, & alterat mixta cum syrup. viol.

In quibus suspecta alui proluuies. Decoct. fruct. lenientium.

TOPICA.

Topica remedia suprà descripta valent. Ideo fiat epith. ex aquis refrigerantibus admiscendo cordialibus vel aquis, vel pulueribus hoc modo.

Epith.

℞. aquæ ros. (quia odorata) aquæ bugloss. & solani an. qr. j. (pro hepate addita aqua endiuiæ, cichor.) tro. de camphora ʒ. ß. croci gr. iij. sandali citrini pul. ʒ. j. fiat epith. quod applicetur tepidè cum panno lineo madefacto. Multi ponunt pulueres cordiales in epith. & rectè faciunt, quamuis id multi derideant. Interim in epithy. cord. ponimus pul. diamarg. frig. & pro hepate pul. triasandal. Maximè laudatur epith. sequens in pleuritide, peripneumonia, febribus ardentibus, hecticis, & colliquatiuis. Nam plurimum humectat, & refrigerat, & interim respirationem liberiorem reddit, thoracis musculos laxando.

Epith. Stile.

℞. decoctionis hordei excorticati ℔. j. ol. viol. qr. j. misce fortiter agitando, & supra pectus applicetur, & sępe remoueatur. Epith. hoc maximè vales in septi transuersi inflammatione. Hoc curata fuit puella quædam, de cuius vita desperatum erat. Si sit caliditas maxima, potes addere florum violarum p. j. Remedia alia in declinatione possunt adhiberi, sicut potiones cordiales

semper

ſemper eligendo quæ conueniunt affectui, vnde fit delirium, partis affectæ rationem habendo pul. diatrag. frig. recenter præp. & diapenid. ſine ſpeciebus plurimùm prodeſt in calidis affectibus pectoris. Victus ratio cùm in phrenitide, tum in delirio, ſit admodum tenuis, humectans & refrigerans. Nam hi morbi acuti ſunt, ideo breui terminantur. Virtutis tamen robur ſemper conſeruare oportet, ſine quo virtus morbum ſuperare non poteſt. Sufficit ergo cremor hordei (orge mundé vocant) ſi virtus ſit fortis: ſin debilis, pullus gallinæ coctus cum herbis infrigidantibus. Pro potu aqua cocta cum hordeo: & in declinatione vinum album ſubtile, & aquoſum conuenit. *Vict. ratio.*

De vigiliis ſuperfluis CAP. XVII.

VIgiliæ magna ex parte fiunt à caliditate, & ſiccitate. Ob id refrigerandum & humectandum eſt caput, quod fiet exterius quidem, per ea, quæ admouentur, de quibus dictum cap. de phrenitide, ſcilicet, vnctionibus, irrigationibus, locutione pedum, &c. At intrà verò cùm ſyrup. de papauere, viol. aquis lact. cucurb. ſolani. Opiatis, vt eſt philonium roma. theriaca recens, & aliæ, quæ ex opio fiunt. Sed ad narcotica non eſt veniendum, niſi vrgeat neceſsitas ſumma, & cùm alia remedia non profuerunt. Robuſtioribus oportet ea dare, & noxam quam induxerunt, caſtigare, vt ſi ventriculus plus æquo refrigeratus fuerit, vnguento aliquo calido, vel oleo eſt vngendus, vt ſtomach. Gal. vel ol. nardino, de menta, de ſpica. Mitiſsimum & optimum remedium, quod poteſt dari cum debilitate virium, eſt tale hordeum mundatum refrigerans.

℞. hord. mund. diutiſsimè cocti ℥. iij. amygd. dulc. infu. in aqua frig. & roſ. tantundem, quatuor ſem. frig. maior. mund. ana ℥. ß. ſeminis papaueris albi ʒ. j. ſacch. roſ. q. ſ. fiat hord. mund. contundendo omnia ſimul & coquendo parùm. poſt impoſitionem ſacch. roſ. detur poſt cœnam in introitu lecti, nec ſit ſpiſſa ſorbitio. Conciliat ſomnum humectando, & refrigerando, & vires imbecillas reparat. Cum hoc remedio poteſt addi frontale, vel vngatur anterior pars capitis ol. roſ. ſine aceto, aut cum pauca eius quantitate. In extrema neceſsi- *Hord. mund. refrig.*

tate bonum est vti ol. viol. in quo diss. opij gr. aliquot, vt dictum in cap. de dolore cap. à bile, ídque maximè cum vigiliæ ob dolorem excitantur. Fiant leues frictiones, sit in loco obscuro & quieto. Detur vinum meracissimum, vel hippocraticum his qui vigilant ob mœrores & curam. Animaduertendum est quoties vigiliæ sunt superfluæ, cum intemperie frigida ventriculi, vel per cōsensum cum eiusdem cruditate, nunquam esse sumenda refrigerantia per os, sed foris tantùm applicanda, donec curata fuerit intemperies, vel cruditas, ne lædatur ventriculus. Ponuntur amygd. in hordeo mundat. præscripto, quanuis sint calidæ, vaporosæ, & facilè effument ad caput, ob ídque deducant vim aliorum medic. simul permixtorum, quæ vim refrigerandi habent, ad cerebrum. In instantia vigiliarum lotio pedum fit hoc modo.

Cautio in ventric. intemp. frigid.

Amyg. cur ponuntur.

℞. viol. lact. lentic. aquæ, foliorum cucurb. vel cucumer. ana M. ij. florum viol. p. ij. florum nenuph. p. j. fiat dec. qua abluat pedes, manus & faciem, vel fiat pomum somniferum, sic.

℞. opij ʒ. iij. styrac. ʒ. ij. croci, irid. & florum narciss. ana ʒ. j. misce fiat pomum. Si quando narcotica & maximè frigida adhibere cogimur, intermittendus est aliquando eorum vsus: nam quotidianus calorem extinguit.

De Lethargo. CAP. XVIII.

Lethargus interdum morbus est, interdum symptoma, & tunc nōn propriè lethargus dicitur, sed caros, quanquam propemodum eadem sit amborum curatio. Lethargus tumor est frigidus cerebri, & maximè partis posterioris. In ea maximè necessaria est diuersio, vt in phrenitide. Sed quia materia frigida, non tam audacter sanguis mittitur, si tamen venæ tumentes appareant, & sanguis abundet, & consentiant reliqua, secatur primùm Cephalica, deinde vena frontis. Ante venæ sectionem vel statim post, dandus est clyster ad diuersionem. Quòd si aluus iampridem astricta est, incipiendum est à clystere, qui molliat, parùm vacuet, & alteret pituitam sic.

Vena sectio.

Clyster.

℞. rad. mal. altheæ, liliorum ana ℥. ij. foliorum betæ, pariet. ana M. j. foliorum rutæ & centaur. minor. meliss. beton.

beton.ana M.ß.ſeminis mal.lini & anethi an.℥.ß.ſeminis melon.ʒ.ij. florum mel.chamo.ſtech.ana pu. j. fiat decoctio in ℔.j.col.diſ.diaph.℥.ß.mel.roſ ℥.ij.benedictæ ʒ. j.ſucci ciclæ & ol.chamo. ana ℥. iij.ſalis gemmæ ʒ. j fiat clyſter. Deinde fiat alius fortior. Nam in hac ægritudine quia virtus ſopita eſt, humoréſque craſſi & lenti ſunt, multùm per clyſteres & acutas glandes vacuandum eſt. Fortior igitur ſic fiat.

℞. fol. rutæ,lauri,beton.meliſſ. amaraci,ſaluiæ, centaurij minor.ocymi ana M.j. ſeminis rutæ,cubebarum, aniſ. fœnic.ana ʒ.ij.ag.ʒ.ij pulpæ colochint. ʒ.ß Sunt qui addunt radicem veratri (quod non eſt faciendum) florum anthos,ſtech.chamo. meli. ſampſu. ana p.j. fiat decoctio.In col.℔.j.diſ.indi maior.℥.ß benedi.℥.ij.vel hieræ ruffi vel colochinti.℥. j.ß. ol. chamo.olei anethi. ana ℥.ij ſalis gemmæ(quia virtus ſopita eſt)ʒ. j fiat clyſter.Iteretur ſæpius pro neceſſitate. Fricētur vehementer,ligentur extrema,& auellatur barba. & capilli capitis & pudendorum Fiat & ſuffitus hoc modo. *Clyſter fortior.*

℞. aſſæ fœtidæ,ammo.galbani ana ʒ.ij.aut ʒ.j. capil. hominis ʒ.iij.caſtor.ʒ.j. ß.miſceantur, fiat ſuffitus,quē recipiat naribus. Et quia gargariſmus commodè dari non poteſt, vngatur palatum ſinapi, aut benedicta,aut hiera picra. His peractis excitetur ſternutamentis non in principio ,ne agitatus humor & fuſus, plus occupet loci, & magis obſtruat. Principiò igitur retrahitur,& euacuatur materia clyſter.ſuprà ſcriptis,& venę ſectione. In ſtatu poſt euacuationē pul.euph. aut veretri,aut pyretri aut piperis iniicitur naribus ad excitāda ad ſternutamenta.In principio tamē eſt repellendū,quando materia fluit ad cerebrum.Sequens conuenit remedium. *Suffitus.* *Repellens remed.*

℞.ol. roſ.℥.ij.oxymel. ſcill.aut ſucci ciclæ ℥.j.miſce, vng.cap.& ſinciput, licet morbus ſit in parte capitis poſteriore. Nam quia ſinciput eſt rarum & multis ſuturis peruium,vis medicamēti facilius penetrat in cerebrum. Poſtea vng.ol.roſ.cui caſtoreum miſceatur,aut vnguento ſequenti.

℞. olei liliorum , vel laurini vel antiqui , vel chamomilæ , vel alterius ex calfacientium numero ℥, ij. ſucci rutæ & apij ana ℥.j. ceræ parum.fiat vnguentum.fortius *Vnguentum.*

fiet, si addatur castoreum, aut oleum de castoreo. Fortioribus vtendum, vbi non prosunt debilia, quoad morbus fuerit solutus.

℞. euphorb. castor. piper nigri ana ʒ. j. assæ fœtidæ, ammo. ana ʒ. ij. cineris capillorum hominis ℥. ß. seminis rutæ agrest. ʒ. ij. ol. liliorum & laurini ana ℥. iij. ceræ parum, fiat vnguentum aut loco ceræ pone ficus q. s. ad incorporandum sinapismi modo, & adde semen sinapi. Gummi liquentur vino maluatico aut vetusto communi, aut oxymel. scil. Admoueantur in statu occipiti cucurbitulæ cum multo igne, & scarificatione vt sanguis extrahatur, excitetur calor natiuus & materia retrahatur. In principio verò morbi admouentur humeris cum scarificatione ad diuersionem & euacuationem. Sinapismus conuenit ad materiam ex alto ad circunferentiam trahendam. Syr. si ægri sumere possint, sint calidi, & sicci ad concoctionem cum incisione, vt mel. ros. syr. capil. ven. oxymel simpl. & scilliticum, syr. de byzantiis. Nocent plus æquo calidi, vt de stechade, quando huic affectui febris est coniuncta. Ideo conueniunt omnes, qui in febre pituitosa propinantur. Diss. syr. aquis adianti, capil. ven. hys. rutæ, melis. fœ. scabio. beto. elenij.

Sinapismus.

Apoz.

℞. radic. graminis, petro. asparag. ana ℥. ij. omnium capil. ana M. j. hyss. meliss. beton. ana M. ß. anis. fœn. ana ʒ. j. seminis apij petro. cubebarum ana ʒ. ij. florum chamom. stechados, anthos ana ℈. j. seminis carth. ℥. ij. ag. tro. ʒ. ij. fiat decoctio in ℔. j. ß. diss. mell. ros. ℥. iij. sacch. q. s. fiat syrup. arom. ʒ. j. cinamomi aut zinzib. cap. in quatuor dosibus. In hoc apoz. ponuntur, quæ tenuant & incidunt calfaciendo, sed mediocriter propter febrem. Purgatio fit pillulis fortioribus, quas si non potest deglutire, hoc modo dissoluantur.

Pillula.

℞. mass. pillul. de ag. ℈. ij. cochiarum ℈. j. ag. tro. ℈. ß. diss. in aqua meliss. vel rutæ vel hyss. vel alia capitali. Nec est timendum de amarore. Nam ægri habent gustum stupidum. Additur mell. ros. ℥ ß. ob dulcorem. Si propter febrem, calorem metuas, pone syr. viol. ℥. j. loco mellis Additur aliquando tam in pillulis, quàm in potionibus castorei ℈. ß. plus minus, quia plurimùm prodest in doloribus capitis frigidis, cerebri, & neruorum,

neruorum. In principio præparata materia possunt dari leues pillulæ ad minorationem, quia morbus acutus est,& timẽdum est de morte; ideo à clystere statim sunt dandæ. Hæ si dissoluantur aquis, dosis est augenda. Nam sub forma potus, non tam diu manent in ventriculo, vt possint à capite vacuare. In his omnibus respiciendum est caput,& cerebrum confortãdum, tum admotis, tum assumptis. Valent, quæ dicta sunt in dolore cap. à pituita, vt illitus theriacæ, quæ calfacit, extenuat,& siccat. Ea dissol. in aqua vitæ, amaraci, rutæ, singulari remedio aduersus morbum Italicum. Nunquam miscenda est theriaca medicinis laxatiuis, quæ vacuant attrahenda. Nam ea venenosa sunt & suo veneno trahũt: ideo si cum illis misceas theriacam, ea extinguit vim veneni,& per consequẽs attractionem. Porrò theriaca tam sumitur, quàm admouetur, vt & mithridatum, aurea alexandrina. Aut fit elect. aut opiata, aut conditum ex conseruis & pulueribus capitalibus. Hæc sunt satis ad curandum lethargum, quatenus morbus est.

Castor. in morb. cap. fri. prodest.

Aduersus morb. Ita. Vnctio.

Curatio lethargi cùm symptoma est.

Cùm verò symptoma est, curatio in fine & principio conuenit, cum curatione phrenitidis. Nam vtrobique fit sanguinis missio, ventosæ applicantur,& repercussiua, indicatione sumpta à loco, & situ, quod in nulla alia inflammatione fit. Differunt in medio. Nam in phrenitide conuenit conciliare somnum & quietem irrigationibus, emplastris, vnguentis, &c. In hac vigiliæ sunt excitandæ faciendo dolorem, clamando, fricando, pilos euellendo Cùm verò symptoma hoc superuenit febribus pituitosis & hemitritæis, vena secatur, admouentur cucurbitulæ humeris ad diuersionem,& euacuationem. Ligantur fortiter extrema, euelluntur pili, vt excitentur. Dantur clysteres acres vt fiat reuulsio. Inungatur caput à principio cum oxyrhodino aut cum oxymel. scillitico, vel cum oleo alio forti,& succo rutæ, deinde si opus est, ad fortiora veniendum.

℞. coriandri præp. ℥. vj. chamo. stech. beton. meliss. ana ℥. j. piperis longi & nigri euphorbij, ana ʒ. ß. calami, zinzib. ana ʒ. j. misce, fiat pul. subtilissimus. Inspergatur post vnctionem. In delicatis pro castoreo, & eu-

Vnctio.

phorbio, adde carioph. macis, nucis moscatæ, spicæ, schenanthi, ana ʒ. ß.

Annotatio in caput de Lethargo.

Lethargus cum morbi symptoma est, nec fit primaria capitis affectione, minùs propriè dicitur Lethargus, sed rectiùs Caros, Arabibus Subeth: éstque propè eadem vtrisque curatio, quia ab eodem humore habent originem. Cùm verò cerebri inflammatio est, phrenitidi contrarius dicitur, quòd in parte posteriore maximè fiat; & ex frigido humore putrescente, vt vult Galenus. Obliuionem & partium mouentium torporem adfert, quem febris non acuta, sed lenta sequitur cum profunda animi in somnum propensione, & aliis signis, quæ quia à Galeno & Paulo Ægineta exactè traduntur, non est necesse commemorare. Febris præcedit Caron, quæ pituitosa & spuria est, sed vehementior, quàm in Lethargo. Præterea Caros succedit aliis affectibus, vt accessionibus febrium, cerebri compressionibus, caluariæ confractæ, & in anteriore parte maximè consistit. Cæteri etiam soporosi affectus à lethargo ex humore in cerebro generantur, sed non putrescente, nec cum febre.

Subeth siue somnus profundus. CAP. XIX.

Caussa prima. FIt interdum à vermibus in pueris, & curatur vermibus occisis per amara, & eductis, deinde vncto capite *Secunda.* modicè calidis, vt oleo laurino antiquo, de lilio, & similibus. Vnctio si molesta est, sinapismus fiat ex pul. descripto in lethargo, remoto castoreo. Fit & subeth à multitudine sanguinis, & curatur venæ sectione. Postea calidorum vnctione, & sinapismo modicè exiccante. *Nasturtij vis.* Hic prodest edere nasturtium aut coctum in iusculis, aut crudum in acetariis. Nihil enim est, quod cerebrum magis exiccet & vigilias excitet, quàm nasturtium: Vnde illud prouerbium in somnolentos, Ede nasturtium. *Tertia.* Quare non possum nõ mirari, quòd Fernelius somnum conciliare scripserit cap. 2. lib. 2. patologicon. Si fit propter cicutam deuoratam, aut aliud medicamentum frigidum, vel admotum foris, curatur antipharmaco. Quòd si non possit inueniri, aut ignoretur medicamentum sumptum, procurato vomitum (quod commune est in omnibus venenis sumptis) nisi venenum id suapte

natura

natura faciat, vt veratrum. Dentur communia vt theriaca, & mithridatium. Si sumpta est cicuta, præmisso vomitu, antiquissimum vinum, aut aromaticum antipharmacum est: vt & sumpto opio, aut papauere castoreum mixtum theriacæ dilutum vino, aut aliud, quod multùm calfaciat. Si accidat admoto cortice mandragoræ, aut opio, aut populeone, vngatur caput ol. ex castoreo, aut ex viperibus, aut ruth. aut laurino, & si non satis calfaciat, adde ʒ. j. castor. & ℥. ß. fimi columbini. Corpus exagitandum, ne dormiat æger. Vngantur nares confectione anacard. aut theriaca veteri, dissoluta in aqua sampsuci, aut alterius herbæ calidæ. Si subeth fit ob crapulam, aut à multitudine vaporum, statim excitetur vomitus. Detur clyster acutus, roboretur ventriculus vng. Gal. detur potio sequens. *Quarta.*

POTIO.

℞. pul. aro. ros. ℈. j. diacydonites sine speciebus, vel cum speciebus (nihil enim refert) ʒ. ß. aquæ absynth. mentæ ana ℥. ij. misce, fiat potus. Vel detur tabula vna diaga. vel ros. nouellæ, vel diamosci, vel diambrę. Calfiat & exiccetur cerebrum modis dictis, vel vnctione narium, vel capitis. Bona est etiam potio aquæ frigidæ, quia prohibentur vapores. Si ob copiam pituitæ seruatam in cerebro, dentur clysteres ordinati pro lethargo. Syr. & aquæ sint paulò calidiores, & ficciores. Dentur pillulæ euacuantes pituitam per se, vel dissolutæ, vt suprà docuimus. Item Opiatæ fortes, vt hiera ruffi, aut hiera colochintidos. Additur pauca quantitas castorei, vt ℈. ß. vel gr. iij. vt videbitur. Dissoluantur in aquis capitalibus. Caput eodem modo calfaciendum & exiccandum. Pituita per nares, & per palatum trahenda masticatoriis & sternutatoriis. Affigantur cucurbitulæ supra spatulas cum scarificatione, non quòd intendas multum sanguinem educere, sed quia post scarificationem inducitur dolor. Et optimum est si supra vlcus ponatur sal, vel muria. Fiant frictiones asperæ cum sale & saluia, fronti. Tunc eiiciendi astantes & parentes. Præstantissimum remedium, vt excitentur, est, ferro aliquo capillos adurere, & superficiem cutis in parte capitis posteriore. Sinapismus capiti appositus, vel stercus columbarum, vel hyrundinum cum oleo de

ſpica, & aceto acerrimo multùm confert. Quòd ſi his non excitetur, ſolis ſacerdotibus committendus eſt. In hac affectione ſuppoſitoria acuta ſale gemmæ, veratro, & cæteris ſunt optima poſt pil. & aliorum remediorum operationem. Potio theriacæ antiquæ optima eſt, ſi diſſoluatur in aqua ardenti beton. & ſimilibus. At meliſſæ aqua magis placet ruſticis, & mulieribus. Poſſunt etiam dari pul. capitales, vt diamoſci, diambræ. Vt magis propria fiant, adde caſtor. gr. vj. vel iiij. vel ℈. ß. ſecundum proportionem puluerum. Cõmune omnibus cataphoris eſt aceti acerrimi perfuſio ſupra laminam ferream ignitam, quæ multos fumos acres excitat, qui naribus attracti cerebrum exiccant, ſomnúmque expellunt. Efficacius erit, ſi addatur ſemen nigellæ vel rutæ aut caſtoreum, quæ abſumunt fumos, & materiam humidam in ventriculis cerebri contentam.

Expertũ.

Annotatio in caput de ſomno profundo.

Somnum profundum intelligimus, qui naturalem moderationem excedit: qua ratione debet inter cauſſas & affectiones morboſas numerari, & vt affectiones omnes ſoporiferæ, Coma, Caros, Cataphora, quas ſub nomine Subeth Arabes comprehenderunt. De harum ſignificatione multa & apud Galenum, & alios diſſentio, vt quibus Cataphora & Caros modò pro eodem, modò pro diuerſis affectibus vſurpentur. Sed cùm in eo conſentire videantur, quòd inexplicabilem ferè dormiendi cupiditatem afferant, & ferè ab eiſdem cauſſis oriantur, parum intereſt exquiſitam horum nominum diſtinctionem habere, modò cauſſas ſomnum illum inexpugnabilem efficientes cognitas habeamus, ſine quibus curatio rectè inſtitui non poteſt. Plurimum etiam momenti adfert affectæ partis cognitio, quam anteriorem capitis partem potiùs eſſe, & ventriculos cerebri, quàm corpus eiuſdem Galenus voluit. Harum affectionũ cauſſæ potiſſimùm duæ ſunt, imbecillitas caloris natiui, qui humorum in capite defluentium multitudinem euincere non poteſt, & refrigeratio cerebri, ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus aduenerit, ſiue citra humoris cõſortium, ſiue cum humore frigido, & craſſo, vt pituita.

Sæpius

Sæpius alimenta & medicamenta siue assumpta siue admota, quæ supra modum refrigerant & humectant, hæc procreant: rarius, contusiones, vulnera, morbi capitis præcipuè musculorum temporalium. A virium imbecillitate, quæ ex morbo periculoso aduenit, hoc malum lethale esse scribit Galen. Inducitur aliquando non ab humoribus, sed à multitudine vaporum crassiorum, qui aut à toto corpore transmittuntur, vt in acutis quibusdam morbis atque in vigore, & in accessionibus febrium à pituita. Nonnunquam efferuntur è ventriculo aut intestinis, idq; non rarò à calidis aut laxantibus medicamentis ob magnam fumorum copiam, quam ad caput mittunt: qualis est cassia fistularis, compositionésque omnes quæ illam recipiunt. Est enim humore & odore prędita, quibus cerebrum fumis replet, & inde cataphoram inducit. Huius generis quoque sunt myrrha, crocus, iris, modò frigidam capitis constitutionem nanciscantur. Nam in natura calida Cephalalgias & capitis grauitatem potiùs afferunt, vt docet Hippoc. Quomodo odorata muliebria ducere dicit, sed capitis grauitatem parere. Quòd autem interdum in pueris somnus profundus concilietur, in caussa sunt vermes ex chili putredine generati. Putrescẽdo nanque vaporibus ad cerebrum sublatis consopiuntur, præsertim à pituita, cuius vapores sunt crassiores, humidiores, & magis continui.

Cassia nocumen tũ.

De catoche, siue catalepsi. CAP. XX.

Catalepsis & catoche non multùm à caro & lethargo quantùm ad actiones læsas, sed materia differunt. Est enim catalepsis veluti comprehensio omnium sensuum ita, vt remaneant aperta aut clausa instrumenta prout à morbo deprehenduntur, vt quandoque videas ęgrotantes qui loquebantur, ore aperto remanere, & non posse loqui: oculos apertos, & non posse videre, & omnes alias partes in eadem dispositione seruant, in qua occupantur, ita vt eos dicas esse in extasi. Est aliquid medium inter phrenitidem, & lethargum, sed maior est copia sanguinis in catalepsi, minus frigidi, quàm in lethargo, magis humidi, aut minus calfacti, quàm in phrenitide. Ego puto similem, & simili modo fieri quo apoplexia. Nam vt in hac tota substantia cerebri irrigata est fri-

Discrim

gido humore, sic in catalepsi multo sanguine irrigatur tota substantia cerebri, & fit per defluxionem. Cuius rei est argumentum, quod subitò & affatim fiat per defluxum sanguinis ad caput, qui obstructionem facit. Remanet tamen libera magis respiratio, quàm in apoplexia. Hęc docet historia de adolescente apud Aëtium ca. 4. ser. 2. tetrab. 2. qui magna sanguinis per nares eruptione liberatus fuit. Fit etiam à sanguine melãcholico substanti[a]m cerebri occupante. Quam speciem ego vidi in quodam pago. Puella erat annos nata xv. quæ nupserat iuueni cuidam, quem parum amabat. Cum eo vixit tantum octo dies, antequàm corriperetur hoc morbo præ mœrore. Ratione morbi rediit in domum patris, in qua hoc morbo nũquam vexabatur, nisi cùm de marito cogitaret, vel audiret de eo mentionem fieri, aut etiam si illa nesciẽte ad illam maritus veniret, priusquam illum videret aut audiret. Quòd si esset in via gestans hydriam aquæ, eam deponebat & sedebat, & per aliquot horas in eo statũ remanebat, sedens vel decumbens, oculis & ore aperto, sine sensu & motu aliquo, nisi quòd musculi vẽtris, & costarum infernarum multùm mouebantur. Alium vidi Romæ qui hanc affectionem simulabat, dicebátque se corripi extasi, quoties audiebat verba illa passionis Christi (consummatum est.) Quod cùm ego audiuissẽ, volui probare an corriperetur verè, an fingeret. Eramus apud Alexandrum Hebrææ linguæ professorẽ, & fortè eius vxor in mei gratiam recitabat illa duo verba, quibus auditis statim Iulius ille sacerdos correptus fuit extasi, quem cùm vidissem & iussissem mihi adferri baculum, quo illius morbum excuterem, statim ad sese rediit eo audito. Auxit suspicionem, quòd cùm corriperetur ab insania, prospiciebat vndiquaque, vt caput suũ reponeret, ne læderetur. Is verè erat melancholicus, neque tam fictione quàm insania hoc faciebat. Quare oportet omnes istos vel esse melãcholicos vel nimio sãguine redundare, qui non est inflammatus. Igitur danda erit opera, vt victus rationem pręcedẽtem intelligamus. Quòd si liberalis præcesserit, facies rubicunda fuerit, & venę iugulares inflatæ, ætas florẽs vel puerilis fuerit, à sanguine morbum prouenisse indicio est. Quare tenuem

Historia.

Alia historia.

tenuem victum imperare oportet, illíque dare alimẽta, quæ parùm nutriant, vt herbas in iusculo, cremorem ptisanæ tantùm, non ptisanam totam, & similia alimenta, quæ vires seruare possunt, plenitudinem & cacochymiã minuere. Pro potu, vtatur syr. acetoso simplici. Si vires, ætas, & omnia consentiant, trahendus est sanguis ex vena cephalica ad magnam quantitatem. Cucurbitulæ adhibendæ in lateribus colli, & scarificatio facienda prope iugularem. Deinde clyster iniiciendus, vel ante vel post sanguinis missionem, prout morbus vrgebit. Caput perfundatur oxyrrhodino multo cum aceto parato, & potissimùm si caput calidum præsentiatur. Postremò vtilissimum erit in declinatione etiam aliqua digerentia apponere, vt pulu. capitalem post irrigationem ex oleo rosa. antiquo vel chamom. Frictiones & ligaturæ conueniunt primùm in brachiis: deinde in dorso, tertiò in cruribus & extremis pedibus, vt sanguis deorsum trahatur. Si iuuenis sit, oportet setis nares pungere, vt sanguis è naribus fluat. Quæ est à sanguine catalepsis, multò faciliùs curatur, quàm quę à melãcholico, à qua & si curentur, remanent melancholici. Quare curandi erunt clysteribus trahentibus succum melancholicum ad inferiora, & medicamentis laxantibus, & humorem melancholicum purgantibus. Caput erit perfundendum ol. viol. cum pauco aceto. Hæmorrhoides prouocandæ, si aliquando fluxerint. Omnia alia, quæ cap. de melancholia dicentur, conuenient.

Obseruatio in caput de Catoche.

Galen. in Epidem. hanc similitudinem inter Catochen & Coma profundum constituit, quòd in vtraque affectione sensus & motus consopiantur, quamuis Comatosis oculi perpetuò sint clausi, catalepticis verò aperti. Magnum tamen inter illa discrimen, tum in loco affectionem recipiente, tum in materia efficiẽte existit, licet, quænam sit Catoches materia, plurimùm ambigatur. Nam Gal. in Aphor. refrigerationem cerebri vehementem cum siccitate scribit Catalepsim committere. Ob id in Porrheticis Catalepticos tensos, apertósque oculos habere. Comatosos verò clausos addidit, quòd in his humiditas affectionis caussa sit, neruorum robur &

firmitatem dissoluens: in illis autem propter siccitatem tensio oriatur. In libro porrò pulsuum cùm de Catochorum pulsu differit, vehementem refrigerationem, cui adiuncta sit siccitas, priuationis in toto corpore motus caussam esse statuit. Sed cùm hæc affectio repentè & statim inuadat, statim etiam desinat: non videtur à refrigeratione & siccitate siue solis, siue commixtis committi posse. Nulla enim affectio sicca generationem & solutionem in neruis, præsertim repentinã subitaneámque habere potest, quemadmodum Galen .2. de locis affect. concludit de Epilepsia: imò conuulsionem, quæ à siccitate fit in neruis, immedicabilem scripsit. Et vt tensionis neruorum siccitas caussa sit, conuulsionem tamen ab ea potius, quàm Catochen exoriri consentaneũ esset. Cùm ergo in eo omnes conueniant, quòd repentè fiat, sine humore procreari non potest. Quis autem humor eam procreet, necdum satis definitum esse videtur. Aëtius interdum sanguinem, interdum humorem melancholicum esse tradit. Sed in quorundam reprehensionem eo nomine incurrit, quòd si verum esset, omnes laborantes melancholia, eo affectu corripi oportere contendant. Ego autem nec necessariò, nec semper id euenire debere, sed tamen frequenter, concedo, cùm huiusmodi materiæ multitudine venæ & arteriæ cerebri, non ventres oppleantur, vnde rigescit corpus, & distensum in modum corporum à frigore congelatorum conspicitur, speciémque præbet eorum, quos vulgus in cœlum raptos esse iactat, quod prima historia superius recitata indicat. Ob eámque caussam venia dignus videtur Aëtius, qui humorem melancholicum huius affectionis caussam interdum esse statuit. Cuius verba libenter hîc subiiciemus. Mediam (inquit) inter Lethargum & Phrenitidem affectionem reperies, quæ species est delirij & amentiæ. Medici autem Catochen & Catalepsim vocare solent: ex humore atræ bilis contingens, verùm in febribus Lethargo similibus consistit. Aliquando verò palpebras habent apertas, aut nutant, aut intentæ videntur. Idem docet Paulus. Dicunt (inquit) & priuatim diuersámque à vigili Comate Catochen fieri, cùm simplicem, non mixtam habebit caussam,



ſam, nimirum frigidiorem ſicciorémque materiam, quæ poſteriore cerebri ventriculo malum excitarit, quo qui corripiuntur, repentè in illo permanẽt habitu, quo correpti ſunt. Ex his verbis verum Catoche, Comatis vigilis, & eius affectionis, quæ inter Lethargum & phrenitidem media eſt, percipimus diſcrimen, quòd illa, ſcilicet ex non permixta, ſed ſimplici materia: poſteriores verò ex contrariarum cauſſarum permixtione naſcantur. Cuius ignoratio efficit, vt quidam eum affectum, qui ex pituita & bile flaua permixtis in cerebro exoritur, Catochen appellent. Alij autem affectionem inter phrenitidem & Lethargum mediam cum comate vigili confundunt. Sed nos pleniorem illarum diſtinctionem ex Gal. proponimus. Scribit enim coma eſſe in ſomnum delationem nequeuntibus, qui ab hoc occupantur ſymptomate, vigilantium munia obire: interdum fieri, vt clauſis palpebris dormire nequeãt, ſed plurimùm vigilẽt, quod Hipp. coma non ſomniculoſum appellauit. Cataphorã verò in ſomnum delationẽ coma eſſe. Atque inde fieri vt eoſdem comatoſos & vigilantes dici mirum non ſit. Paulò poſt ſubiicit phrenitidẽ, quæ exquiſita eſt, & nulli alteri morbo permiſcetur, fieri, cùm flaua bilis locum, in quo princeps animæ pars reſidet, præhenderit: Lethargum verò, cùm eundem humectarit, diluerítque pituita. Quibus verò vterque humor cerebro moleſtus fuerit, contraria ſymptomata hominẽ præhendere, ita vt cùm vigilet, tum leuiter in ſomnum deferatur. Cùm verò & ad ſomnum defertur & deſipit, mixtam ipſi permanere affectionem eſſe putandum. Nonnunquam & in horum alterũ rem ita deflectere, vt vel bilis, vel pituita ſuperior ſit, atque ægrum aut phreniticum exquiſitè, aut Lethargicum dici, ſed quoties ad finem vſque tum deſipientia tum coma perſiſtunt, affectionem hanc ex phrenitide & Lethargo permixtam appellari. Adhuc non minus accuratè diſcrimen comatis vigilantis à catalepſi explicat ſecũdo de cauſſis pulſuum. Quòd porrò Paulus poſt Gal. addidit, malum hoc in poſterioribus cerebri ventriculis excitari, non abſolutè verum eſſe poteſt, cùm partes faciei & oculi pati ſimul deprehendantur. Cum enim hic affectus, vt Gal. teſtatur de ſymptom. cau. reſolutio ſit fa-

cultatis imaginatricis, quæ in anteriore magis, quàm posteriore cerebri parte sedem habet, non magis hanc, quàm illam affici iudicandum est. Proinde facilè adducor vt credam, cerebri potiùs substantiam, quàm eius ventriculos siue anteriores, siue posteriores huius mali materiam recipere, alioqui Epilepsiam citius, quàm melancholiam, aut Catalepsim pareret. Id autem accidit, cùm venæ & arteriæ, quæ per cerebri menynges disseminatæ sunt, humore multo & copioso affatim irruente implentur, & hinc inflatæ distenduntur. Ex quo non absimilem affectum esse Apoplexiæ dictum est: licet in Apoplexia vasa penitus sint obstructa, quo fit vt difficiliorem pariat respirationem. Fieri autem non solùm ab humore melancholico Catoche, sed & frequentissimè à sanguine, argumento est eruptio sanguinis per nares in adolescente, cuius historia superiùs posita est ex Aëtio. Idem obseruaui in muliere nobili nomine (de Pignam) quæ cùm Synocho (qui à sanguine febris est) laboraret, decimonono die Catalepsi correpta est: sed largo tandem fluēte è naribus sanguine, recuperatis sensuum functionibus tanquam ab orco reuocata est. Nemo ergo nisi temerè, sanguinem interdum huius affectionis materiam existere inficiari potest. Leue enim est, quod obiiciunt sanguinem humidum flaccidúmque rigidas tensásque partes efficere non posse. Nam de pauco id concedimus. Sed cùm copiosus est, multitudine sua venas & arterias distendit, tensásque retinet, non alia ratione, quàm humorum plenitudo neruos in conuulsione contrahit tenditque. At fortè sententiæ nostræ aduersari quispiam existimabit, quòd interdum Catalepsi deprehensis aliqua siue motus siue sensus officia aut in manibus, aut in pedibus vel palpebris restare visa sint. Nam cum Galeno in secundo Porrh. duplicem Catalepsim seu Catochen constituimus, vnam absolutam, quæ motum & vocem ægro adimit: alteram, in qua immotum & concretum quidem corpus est, exiguum verò quidpiam homo loquitur. Qualis est illa Aëtij, in qua spectabat & aliquando manus capiti admouebat æger, quæ in febribus Lethargo similis est. Superest vt intelligamus, quo pacto Catoche media quædam affectio inter Lethar-

thargum & Phrenitidem secundùm Aetium dici posſit. Id quod ſic accipiendum eſſe cenſemus, quòd maior ſanguinis quantitas (qui inflammatus non eſt) minus frigidi, quàm in Lethargo, magis autem calidi & humidi, quàm in Phrenitide, huius cauſſa ſit. Quæ cùm ita ſint, conſentaneum eſt omnes Catoche detentos vel melancholicos eſſe, vel plenitudine ſanguinis & exuperantia laborare.

De memoria diminuta. CAP. XXI.

MEmoria minuitur ob frigiditatem & humiditatem, interdum ob caliditatem, & ſiccitatem eximiam, ſicuti & imaginatio. Si igitur imaginatio vel memoria ob frigiditatem & humiditatem minuantur, iiſdem remediis curantur, hoc dempto, quòd in imaginatione topica remedia oportet adhibere ſuper mediam regionem capitis, & verticem: in corruptione verò memoriæ circa poſteriorem partem. Purganda eſt ſenſim pituita, incipiendo à leuioribus. Detur clyſter, qualis eſt deſcriptus in dolore capitis à pituita. Dentur pillulæ de hiera ſimplici, vel de aromatibus cum agar. formentur cum aquis capitalibus. Dentur autem illico poſt clyſterem ante aſſumptionem ſyruporum. Nam ſyrupi calidi humores ventriculi ſecum trahunt ad venas, vnde ſequitur obſtructio; quod in omnibus huiuſmodi affectibus obſeruandum eſt. Fiant ſyr. calfacientes & exiccantes cerebrum, vt ſunt qui parantur ex ſyr. de ſtechade, de hyſſopo, & aquis meliſſæ, betonicæ, ſampſuci, & ſimilibus. Si velis magiſtralem facere, fac hoc modo.

℞. radic. galangæ craſſæ ℥. ß. rad. ireos, gly. & zinzib. an. ʒ. iij. pyretri ʒ. j. meliſſ. betonicæ, ſampſuci, hyſſ. puleg. mentæ ana M. j. ſeminis aniſi, fœnic. cubebarum ana ʒ. j. ß. ſeminis apij petro. ana ℈. j. florum ſtechad. anthos, ſaluiæ, an. p j fiat decoctio ad ℔ ij in col. diſſ. mell. roſ. col. q. ſ. fiat ſyru. mediæ coctionis. cla. & arom. cum ʒ. ij. cinamomi & ʒ. j. diamoſci, vtatur in quinque vel vj. matutinis. Vtendo ſyr. cap. tertio quoque die clyſterem, vel aſſumptis tribus doſibus ſyru. cap. ʒ. j. de pilulis præſcriptis cap. de lethargo, vel præſcribantur hoc modo. *Syrup.*

℞. massæ pillul. de arom. & assaieret ana ℈. j. aga. recen. tro. ℈. ß. castor. gr. ij. fiant pillulę vj. vel vij. cum oxymel. scill. vel cum syrup. de stechade. Postea vtatur tribus aliis dosibus syrup. præscripti, & post syrup. cap. potionem sequentem vel pillulas.

℞. indi maioris ʒ. iij. elect. de citro sol. vel diacarth. ʒ. ij. vel vtriusque ʒ. j. ß. aquarum meliss. & fœnic. ana ℥. ij. syrup. capill. ven. mell. ros. ℥. ß. fiat potio. Vel in decoctione capitali detur confectio hamech secunda descriptione mes. ad ʒ. iiij. cum diacartham. ʒ. j. vel cum syr. capill. vel cum alio. Pillulę ad eradicationem materię erunt pillulæ præscriptæ, si addas tro. alandal. gr. vj. vel loco illarum capiat pillulas cochias, vel de aga. Optimum est semper parum castorei addere. Si nolint toties accipere pillulas, fiat apozema laxatiuum addendo seminis carth. ℥. ij. ag. ʒ. j. turbith ʒ. ß. ol. senæ ℥. ij. Nam non solùm purgat melancholiam, sed pituitam. Potest etiam addi fœniculus marinus vulgariter vocatus, qui purgat pituitam, simúlque extenuat crassos humores, & ciet vrinas, qui videtur esse verum empetro. Si addantur ℥. iij. vel iiij. syru. de pomis compositis, erit efficacissimum & præstantissimum remedium. Ad corroborationem cerebri & exiccationem capiat opiatam ex conseruis & pulueribus capitalibus, & theriacam antiquam vel mythridaticam compositionem. Laudatur summè compositio anacardina. Sed hac non vtantur medici propter nimiam calfactionem, & exiccationem quam facit, & quòd sæpius febrem accendat. Potest tamen dari hyeme, vbi alia non profuerint, his, qui sunt frigido & humido temperamento, & vt securior sit vsus, capiat ʒ. ß. semel in hebdom. cum ʒ. ij. conser. rosarum vel violarum, vt magis reducatur ad mediocritatem. Opiata magistralis, quæ summè laudanda erit, fiat hoc modo.

Sene purgat pituitam & melācho.

OPIATA.

℞. zinzib. conditi ℥. ß. myrob. condit. chebulorum, & emblicorum vel indorum an. N. ij. conseruæ anthos, stechad. vel florum saluiæ, vel enulæ campanæ. (Sed hæc propter amarorem solet poni in minore dosi) ana ʒ. j. cons. rad. buglo ss. ʒ. vj. pulu. diambræ & diamosci ana ʒ.

j. diag.

j. diag. ℨ. j. ß. cubebarum & galangæ crass. subtiliss. pul. an. ʒ. ß. sacch. ros. ʒ. iij. syru. conseru. cortic. citri q. s. fiat opiata, de qua cap. bis in hebdomada ad quantitatem nucis ponticæ post cœnam. At extra laudantur inunctiones præscriptæ in lethargo. Laudatur insuper inunctio cum theriaca antiqua, vel cum confectione anacardina, vel cum mythridato, quæ si dissoluitur cum aqua vitæ, fiet præstantissimum remedium.

℞. ol. glandis vnguentariæ (vulgus appellat semen behen) ol. sambucini an. ℥. iij. castor. ℥ j. euphorb. ʒ. ß. piper. longi & nucis moscatæ an. ʒ. j. fiat vnguentum, inungatur pars posterior cerebri. Si addatur parum aceti, facilius penetrabit, sed cõmodius erit scil. quia scilla est amica neruis, sicut acetum est illis aduersissimum.

A siccitate Curatio.

Si à siccitate nimia proueniat, vt sæpe accidit post febres acutissimas & pestilentiales humectatur vniuersum corpus optimis alimentis. Vtatur hordeo illo mundato suprà scripto in vigiliis superfluis, ablato semine papaueris. Humectetur cerebrum decoctione illa præscripta in dolore capitis à melancholia minuendo quãtitatem herbarum calfacientium, addendo ad maiorem refrigerationem hordei mundati M. j. foliorum lact. & viol. & cucurb. ana M. j. humectetur caput, vel ex oleo sequenti fiat inunctio. *Vnguentum.*

℞. ol. viol. & amygd. dulc. ana ℥ iij. lactis mulieris ℥. ij. (quod nõ misceatur, nisi tempore applicationis, quia facilè corrumpitur) pinguedinis gallinæ & anatis an. ℥. j. misce, vel si addas ceram, reducantur ad formam vnguenti. Laudatur frequens ablutio capitis cum decoctione capitis veruecis, cui addatur hord. mundati, florum viol. bugloss. & borrag. ana p. j. ros. florum nenupharis, ana p. ß. humectabit, & refrigerabit. At intrà vtatur elect. resumptiuo frigido, diatrag. frigidi, nucleis pineis post pastum. *Vnctio.*

Curatio deperditæ memoriæ à frigiditate.

In deperditione memoriæ à frigiditate, & humiditate & pituita masticatoriis vtatur, caputpurgiis, apophleg. & aliis particularibus ac topicis remediis præscriptis in dolore cap. à pituita. Castaneæ, quæ ex India

adferantur, & formam renis habent, ita vt videatur esse quædam species anacardi, maximè laudantur, si coctæ in flamma candelę sumantur. Vsus etiam zinzib. conditi post pastum commendatur multùm. Quòd si reperiantur radic. pyretri virides & condiantur, vt zinzib. præstantiores erunt: si non adsint virides, & siccæ possunt macerari in aqua donec mollescant, & condiri, vt zinzib. Fructus ligni vulgò vocati (Bresil) multùm etiam commendatur.

De Apoplexia. CAP. XXII.

APoplexia morbus est acutissimus, & extremus, & qui citò strangulat: ob id extremis indiget remediis & fortissimis, sed hoc animaduertendum est, vt à lenioribus incipiamus. Si quis enim extrema & vltima in principio vsurpet, in his permanendum erit quoniam ad fortiora non possit pertransire. Extrema igitur remedia in tres classes sunt diuidenda, in imbecilliora, mediocria, & extrema siue summa. Ergo ab imbecillioribus incipiendum. Sunt autem imbecillia in apoplexia, quæ mediocria censebuntur in epilepsia: & mediocria in apoplexia, quæ summa in epilepsia. Extrema igitur erunt, quæ istis mediocribus erunt fortiora. Ergo primùm detur clyster descriptus in epilepsia. In hoc morbo primus erit, qui secundus in epileps. vel fiat ad hunc modum. Primus clyster ad secundam purgationem, & vt totum corpus incalescat, & dilatentur meatus, cùm fiat ex obstructione.

Clyster 1.

℞. mal. bismal. rutæ, centaurij minor. sambuci an. M. j. pass. pa. xx. seminis anis. fœnic. carui ana ℥. iij flor. stechad. anth. sambuci an. p. j. polyp. querc. (ad purgationem melancholiæ) & seminis carth. ad purgationem pituitæ, an. ℥. j. ag. ℥. ij. vt fortior sit, seminis vrticæ, quia purgat pituitam & calfacit potentissimè, ℥. iij. fiat decoct. In ℔. j. col. diss. mell. ros. col ℥. j. ß vel ℥. ij. hierę picræ & benedictæ an. ℥. ß. Non ponitur colocinthis, quia oportet prius inanire, quàm attrahere à partibus remotis, hieræ colocinthidos ℥. j. ol. chamom. ℥. iij. fiat clyster, detur in principio. Erit enim in apoplexia primus, & in epileps. medius. Medius in apoplex. talis sit.

Clyster 2.

℞. mal. bismal. fol. lauri, centaur. minor. origani, calamenti

lamenti, pulegij, herbæ paralyſ. ana M.j. ſeminis cubeb. rutæ agreſtis & vrticę ana ʒ. iij polyp. quer. & ſeminis carth. ana. ℥.j ß ſummitatum thymi & florum anth. & ſtechad. ana p.j.ag.ʒ.iij pulpæ colocint.ʒ j.fi. decoctio. In ℔.j col.diſſ.indi maior ℥.ß.vel.diaph.℥.j benedictæ ℥.j.hieræ colocint.℥.ß ol.liliorum vel anethi,vel rutacei ℥.iij.ſalis gemmæ ʒ.j.ß. fiat clyſter medius in apoplexia, qui poſtremus eſt in epilepſia. Poſtremus & fortiſsimus talis erit. *Clyſter 3.*

℞. foliorum lauri, rutæ, centaur. minor. orig. calamenti, puleg. ſaluiæ, meliſſ. beton. ana M. j. ſeminis vrticæ, cubebarum, ſeminis anethi, ſeſeleos, & ſeminis rutæ agreſtis ana ʒ.iij.ag.rad. elleb.ana ʒ.ij.pulpæ colocinth. ʒ.j. ß. florum ſaluiæ, ſummitatum thymi, florum ſtechad.ana p.j.furfur.p.j.fiat decoctio. In col diſſ. benedictæ,& hierę colocinthidos, vel ruffi Archigenis ana ℥.j.ß. ol rutacei vel nucum, vel anethi ℥. iij. ſalis gemmæ ʒ ij.fiat clyſter. Si variandus ſit clyſter ob iterationem, interdum ponatur colocint. ſiue ruffi, interdum Archigenis. Poſt primum clyſterem mittendus eſt ſanguis vt ſoluatur plethora. Auicenna laudat ſectionem ſaphenæ, ſed quia eſt remotior & minor, quàm vt plethoram ſoluat, aperienda eſt potius baſilica. Aut ne toties iteretur venæ ſectio, fiat venæ ſectio de baſilica, & vt attrahatur ſufficiens quantitas ſanguinis, oportet ab vtroque brachio ſanguinem mittere. Poſtea admoueantur cucurb. cum ſcarificatione ſupra ſpatulas. Poſſunt etiam aperiri venæ, quæ ſunt ſub lingua. Auicenna voluit in omni diuerſione maximè diſtantes venas ſecari, quod non eſt imitandum, tum quia non ſoluunt plethoræ, cùm ſint exiguæ, tum ne cogantur multas venas ſecare. Fiant ligaturę fortiſsimæ & dolorificæ, & frictiones aſperæ in extremis partibus. Interim dum primus clyſter paratur, applicetur ſuppoſ. acutiſsimum factum ex mell. elleboro, ſale gemmæ, pul. hieræ picræ. Hæc ſuppoſitoria maximè cõmendantur in omnibus frigidis affectionibus capitis, quia ob agitationẽ, quam faciunt, diuertunt. Si æger veras hæmorrhoidas inflatas habeat, aperiantur & non fiat ſanguinis miſsio, ſi ſufficienter ſanguis fluat. Hiſce peractis, detur ſecundus clyſter, &

Miſsio ſan.

Cucurb.

Non eſt imitandum Aui. in ſectione Vena.

Ligaturæ frict.

Suppoſitorium.

semper fiant frictiones, clamores, ligaturæ, & trahantur pili. Detur sequens potio excalfaciens, & extenuans.

Potio. ℞. theriacæ antiq. mythrid. electi ana ʒ. ij. oxymel. scil. ℥. j. aquæ vitæ ℥. ß aquarum meliss. & rutæ an. ℥. j. Si ad fortiora remedia veniendum sit, dentur in potione pilulæ in aquis capill. diss. sic.

℞. pil. coch. & fœtidarum ana ℈. ij. tro. alandal gr. iiij. oxymel. scill. ℥. ij. aquæ chelidon maior. ℥. j. ß. misce, fiat potio Hæc potio laxans ex pilulis dissolutis detur, si plethora non sit sublata aut diminuta per sanguinis missionem, per clysteres, & alia. Quando verò pilulæ ita dissoluuntur, debent dari in maiori dosi, quàm solidæ. Si velis castoreum addere, poteris ad ℈. ß. Laudantur pilulæ de euphorb. de lapide lazuli, & quæcunque fortissimè soluunt: vt in epileps. vtimur ag. ita in hoc morbo colocinthide. Potio illa, quæ theriacam recipit, non est danda nisi post sufficientem purgationem per clysteres, & pilulas. Neque in ea debent addi tro. alandal, vt in alia ex pilulis dissolutis. Est etiam reiteranda potio pilularum vel alia similis, verùm post operationem pilularum datur potio prima Si verò pilulæ non moueant, detur tertius clyster & postea sequens potio.

Potio. ℞. pul. diamosci & diamb. an. ℥. ß. castor. ℈. ß. aquarum chelid. saluiæ, rutæ an. ℥. ß. fiat potio. Reiteretur vltimus clyster fortificando cum ag. & colocinth. adauctis. Quia non possunt vti garg. ponatur in ore sinapi dissolutum in oxymel. vel benedicta, vel diaph. & fricetur palatum.

Sternutatoria.

Sternutatoria post ista vniuersalia remedia applicantur tutò, sed circa principium non sine periculo. Aliqui fumigia parant, sed parùm probari debent, quia in habentibus difficultatem spirandi periculosa sunt, quales sunt asthmatici, & apoplectici. Satius erit vel rutam, vel castoreum, vel galbanum, vel euphorb. naribus apponere, quia trahendo aërem, trahunt aliquid eius odoris ad cerebrum, & calefit. Aliqui ex practicis laudant galeam ignitam, & capiti appositam, sed melius erit eius loco vti sinapismo aliq. simpl. vel compos. Simplex

Quibus periculosa fumigia.

plex est, qui ex ficubus, & semine sinapi cõficitur. Compositus est efficax sic.

℞. castor. euphorb. ana ℥. j. trium pip. sulphuris, nucis moscatæ, ana ard. seminis verticæ ana ʒ. j. fimi colomborum ℥. iij. fiat. pul. qui incorpo. cum ficubus vel cum terebinth. addendo ol. petrolei, vel ol. de piperibus, (modò non sit paratum, vt solent parare pharmacopolæ vulgò, sed vt infrà dicetur) vel ol. de lateribus, vel laurini ℥ iij. ß. fiat ad formam emplastri, vel vnguenti crassioris, & apponatur supra caput priùs derasum. Verùm ante sinapismi applicationem pro dropace fiat talis inunctio. *Sinapismus.*

℞. ol. laurini, rutacei, de castor. ana ℥. ij. aquæ vitæ ℥. iij. misceantur, vng. caput, & postea admoueatur sinapismus. Applicetur etiam ferrum candens (patellam vocant) supra caput, & vrantur pili, & superficies cutis. Si euadunt à paroxysmo, concoquere oportet materiam & euacuare, sed quia in paralysim alicuius partis desinit, ad curationem illius sequẽtibus vtemur, & primùm oleo de piperibus, quod præparatur sic. *I. Vnguẽto euellẽdis pilis conuenienti. Inunctio.*

Oleum de piperibus.

℞. trium piper. ana ℥. iij. medullæ seminis behen ʒ. xx. radic. apij & fœnic. ana ʒ. iij. serapini, opop. (qui est in emolliendo efficacissimus) turbith albi ana ʒ. ij. ß. ag. albi ℥. j. ß. zinzib. ʒ. iij. costi ʒ. iiij. (si recens ponatur, M. j.) hyss. rutæ ana M. j. contundantur & decoquantur omnia in ℔. 24. vini vsq; ad consumptionem tertiæ partis. Colentur & in col. adiice ol. ricinini, siue de cherua heminas duas, vel sextaria iij. rursus coquantur leuiter. Sunt qui addunt (quod est probandum) ireos ʒ. vj. tapf. ʒ. ij. anis. carda. ana ʒ. j. ß. calami aro. ʒ. ij. ß. spicæ nardi ʒ. ij. succi stecha. ℔. ij. Iris & calamus aro. poni debent in prima decoctione. Loco ol. de cherua, poni potest oleum irinum, vel amyg. amar. vel cherinum, vel nucum, vel antiquum. Hoc ol. debet esse admodum calidum, & siccum, ac tenuium partium, vt facilè ad soliditatem neruorum penetret, cùm dicatur cõferre morbis neruorum frigidis. Quamobrem vinum loco aquæ positum est, in quo fit decoctio. Myrob. loco posuimus balanum myrepsicam, siue glandem vnguentariam, ita

vocatam, quòd eius oleum antiquis assumeretur ad vnguentorum odoratorum confectionem, quia non facilè rancessit, & qualitates externas facilè suscipit, & diutissimè seruatur. Hoc oleum etiam calculum vesicæ frangere dicitur. Vim habet calfaciendi & attenuandi. Et quia vocatur etiam myrobalanus, credendũ est sciolum quendam expressisse, myrobalanorum communium nomine, homonymia vocabulorum deceptum. Communes enim myrobalan. astringunt, & crassarum sunt partium, qua ratione neruos potius læderent, propterea quòd aliorum commixtorum penetrationem impedirent. Loco hyosquiami albi, qui etiam refrigerat, condensat, ac etiam incrassat, positus est ag. albus, qui etiam foris admotus, vim quandam attrahendi pituitam à neruis habet, adiutus calore nostro, & aliis medicamentis. Loco caulis recentis, ponitur costus vel succus ad ℥. iiij. vel recens ad M. j. Nam quanuis caulis neruorum morbis frigidis conferre putetur, longè tamen est efficacior costus: Aut si velis, yua arthetica, ratione id monstrante. Loco succi thymi ponitur stech. quæ maximè commendatur in affectus neruorum, siue intro sumatur, siue foris admoueatur. Præterea maxima thymi copia opus esset, vt inde possint exprimi ℔. ij. succi, seu sextaria tria.

In caput de Apoplexia obseruatio.

Apoplexia fit à sanguine pituitoso, aut à pituita. Cùm fit à sanguine pituitoso, & venæ amplæ & distentæ sunt, cæteris consentientibus, vena secanda est non quidem saphena, vel maleoli, vt quidam imperant. Est enim exigua & longè distat ab officina sanguinis, vt nec sat citò, nec sat copiosus sanguis à capite reuelli possit. Satius est poplitis venam tundere, nimirum quæ ampla est, & tutò feritur. Potest etiam incidi cephalica vtriusque brachij, vt & dextra, & sinistra pars exoneretur corpore sic vacuato. Magna est controuersia, per quas venas deriuationem moliamur. Venas linguæ quidam præferunt; sed quoniam apoplectici nec os diducere, nec linguam exerere possunt, chirurgus eas videre nequit. Quidam narium venulas scalpunt, sed vix hoc modo tres aut quatuor guttæ manant, vnde nil iuuatur æger.

Missio san.

Alij

Alij malunt eas, quæ in medio fronte coeunt, vt in sanis etiam cernuntur. Sed hæ, & quæ sub lingua sunt, quoniam à iugularibus internis, vel externis oriuntur, præstat iugularem externam secare, angusta plaga, metu hæmorrhagiæ. Qui hanc sectionem damnant, quòd, vt solet brachium, sic collum ligari nec possit, nec debeat in tam magna difficultate respirandi, hi non intelligunt ligari brachium vt venæ sint conspicuæ. Satis verò sunt conspicuæ iugulares in apoplexia, quoniam sanguine ruēte in caput, vaporibúsque multis implentur & turgēt. Qui autem hanc rationem vituperant, quoniam à Guidone & aliis proditum est accepta vulnera in collo esse lethalia, quòd sectis iugularibus sanguinis erumpentis impetus non possit cohiberi, nec aduertunt verum esse, si omnino sectæ sint. Sed licet chirurgo eas modicè aperire, & cùm satis sanguinis exierit, medicamento Gal. ex pilis leporis, aloe, thure, & albumine oui sanguinem cohibere. Quapropter id remedium præstantissimum censeo. Si phleb. non conuenit, cucurbitulæ cum scarificatione affigantur, non humeris, dorso, aut fontanellæ, vt Arabes volunt, quia illic nulla vena est insignis, quæ in cerebrum proueniat, sed prope iugulares, & quasi sub mento, si possunt adhærere. Hæc enim topica remedia sic adhibenda sunt, vt per venas fiant, non solùm in partem ægram pertinentes, sed & in proximas & amplas, si partis constitutio id permittat. Indita glande, vel clystere iniecto, quorũ exempla reperies cap. superiori, dari potest ℥. j pil. cochiarum in aqua vitæ dissolutarum, quia ea tenuitate partium summa, œsophagum defluente è cerebro pituita impeditum deterget, & sopitam facultatem expultricem irritat, & obrutum calorē natiuum excitat. Clyster è vino nunquam parandus est, quia è ventre ad caput vapor vini quàm citissimè attollitur. Sternutamentum prouocare (quod peruulgato errore statim omnes faciunt) noxium est, quia humor biliosus in corpore cerebri est, non in eius ventriculis. Itaque sternutatione non potest excuti. Præterea agitatione capitis & pectoris cerebrum oppletur humoribus ad se tractis. Quare sternutatio non conducit, sed etiam lædit plurimùm. Multi per initia

Error quorundam.

cucurbitas imponunt hypochondriis, vt humores à capite ad inferna detrahant, sed id cum noxa maxima, quoniam musculi abdominis intenduntur, respirationémque difficilem magis lædunt, quod est experientia comprobatum. Dum enim tabidis, & asthmaticis in catarrho mulieres eo remedio fuissent vsæ temerè, ægros penè suffocarunt. Quòd si quis obiiciat, Aëtium consensisse, respondendũ est id sensisse quidem, sed non in paroxysmo. Sunt qui theriacam aut mythridatium bibendum exhibent magno quidem errore, quoniam in illis tametsi diu seruatis vis opij non omnino periit, vt taceam antidota ea composita esse ex multis, quæ astringunt, vt acacia, hypociltide, & similibus, astringentium & frigidorum quantumuis hebetata facultas suspecta est, quoniam humor, vnde morbus hic committitur, cerebri corpus imbuit, & altiùs impingitur his medicamentis. His accedit, quòd hæc calida multos vapores in caput efferunt, sicque malum augent, vt & omnia odorata, vt diamoscum, diambra, &c. Quia cerebrum suaues odores auidè haurit, & excipit, præsertim cùm malè affectum est: Proinde fugienda sunt hæc omnia, sed eorum loco dandus est castorei ℈.j. aut ij. tum piperis, zinzib. & euphorbij modicum. Hæc verò quanuis nonnihil excitent vapores suo calore, quia tamen castorei odor est iniucundus cerebro, minus cerebrum feritur. At vbi fuerit cerebrum expurgatum, tutò dentur antidota, quæ principio damnauimus, vt theriaca, mythridatum, quoniam cerebro imbecillo ex morbo præcedente robur addunt.

Error Aëtij.

Cerebrum malè affectum.

De paralysi. CAP. XXIII.

PAralysis siue resolutio interdum fit à sanguine, interdum propter ictum aut casum, sed sæpius ex intemperie frigida & humida, atque à pituita crassa in neruis imbuta & obstruente, ne animalis spiritus possit penetrare. Quia morbus chronicus est, & difficilis curationis, non est pollicenda salus à medico intra paucos dies, sed admonendi sunt ægri vt tolerent, & spem habeant, quo facilius obtemperent.

Curatio paralysis à pituita.

Si ergo fiat à pituita, curetur hoc modo. Primùm distingua-

stinguatur syru. in classes, & medicamenta soluentia, & vnguenta, & omnia topica. Nam in hac affectione semper à debilioribus incipiendum est, & per mediocria ad summa veniendum. Sed necesse est inter ista remedia esse aliquod interuallum. Nam affectio est valde chronica, ob id sensim euacuare & exiccare oportet. Detur à principio clyster, si sit aluo astricta, vel si nihil vetet, prouocetur vomitus. Nam clysteres & vomitus maximè laudantur in hac affectione. Ad clysterem igitur accipe mal. bismal. betas, & similes ad remollitionem, miscendo quæ calfaciunt & attenuant, & fiat decoctio in iure aliquo pingui, vel in oleo, non tamen oportet multum remollire in hac affectione per clysteres, ne sedis musculus relaxetur. Clyster primus fiat hoc modo.

℞. mal. bismal. ciclæ, pariet. ana m. j. yuæ artheticæ, primulæ veris (quam alij putant esse speciem verbasci, alij tapsum barbatum odoratum) foliorum rutæ, & centaurij maioris ana M. ß. semin. anis. fœnic. & sesel, ana ʒ. ij. fiat decoctio in brodio multùm pingui, & capite veruecis, vel in oleo communi antiquo, meliúsque erit, si fiat in oleo. Quòd si antiquum non sit in promptu, adde maiorem quantitatem olei, & sine diu bullire. In ℔. j. col. dissolue mel. anthos. ℥. ij. hieræ logodij, vel Ruffi, vel Archigenis ʒ. ij. hieræ picræ, & benedictæ an. ℥. ß. misce, fiat clyster. Si hieræ ponantur in morbi huius principio, debent poni in parua quantitate. Fortiores fient, si addantur herbæ magis calfacientes, vel si dosis hierarum augeatur. Addatur in decoctione agaricus, colocinthis, & cætera. Fient imbecilliores, mediocres, & fortiores eo modo, quo monstratum est in cap. de apoplexia, quæ morbus est acutissimus, ob ídque oportet multùm & citò euacuare, cùm differre non concedatur. In hac autem affectione dantur induciæ. Accipient igitur post clysteres (vt quæ sunt in ventriculo vacuentur) pilularum de hiera simp. ʒ. j. cum aga. tro. scru. j. & castorei gran. iij. (quia oportet semper vti remediis affectioni curandæ propriis, sicut & parti affectæ) vel pilulas de arom. vel hiera composita. Istis pilulis vtatur ses in hebdomada; postea syrup. materiam pituitosam

Clyster 1.

Fortiores clyst.

Pilul. post clyst.

Syrup.

concoquentibus & incidentibus. Syrupi optimi sunt de stechade, de bixantiis, mel. ros. colatum, anthosatum, scyll. & aliquando oxymell. scill. sed quia acetum inimicum est neruis, propterea ab eo est abstinendum. Simplicia ex quibus fiunt syrup. aquæ vel decoctiones sunt rad. galangæ, ireos, zinzib. fœnicu. apij. petro. condisi (quod putatur esse strution) enulæ campa. aristoloc. pyretri, calami arom. & zedoariæ. Herbæ, vt pollium montanum, marrub. chamæpithis, primula veris, pulicaria, saluia, yua arthetica, origanum, calamentum, nepeta, chelidonium vtrunque, hyss. thymus, stechas, pulegium, serpillum, sysimbrium, meliss. beton. ruta. Semina cubebarum, rutæ agrestis, seseleos, carui, cumini, apij, petro. card. piperis triplic. balsami, & terebinthi. Flores stechad. anthos, schenanthos, sambuci, saluiæ. Ex his conficiuntur syr. decoctiones, balnea, stuphę. Syrupi hoc modo.

Radic. *Herba.* *Semina.* *Flores.*

SYRVPI.

℞. mel. ros. col. mel. anthos. ana ℥. j. syrup. de hyss. ℥. ij. aquarum yuæ artheticæ, herbæ paralysis, saluiæ an. qr. j. misce, pro tribus dosibus manè. Si velis cla. & aro. id fiat cum nuce muscat. vel galanga tenui aut crassa, vel cum diambra, diamosco, & similibus. Si non clarificetur, detur tabula vna diagalangæ, vel ros. no. Hoc digestiuum erit pro principio. Verùm adaugeri debet in morbi processu, vt monstrabitur in sequentibus syr. Dosis syrup. & aquarum, vt sufficiat ad 5. aut 6. sumptiones, quia materia eget præparatione longa. Et cùm vtuntur his syrup. vtantur tertio quoque die, vel clystere, vel pilulis ante pastum. In medio morbi vti oportet syrup. ex aquis mediocribus. Fiat igitur tale digestiuum pro medio morbi tempore.

Digest. syr. ℞. mel. anthos. ℥. ij. syrup. de stechad. ℥. iiij. aquarum saluiæ, yuæ arth. primulæ veris, melissæ an qr. j misce, pro 5. dosibus cla. & arom. modo suprà dicto, vel dentur tabulæ prædictæ. Fortiores post alios syr. & multas euacuationes dandi sunt parati sic:

Fortiores syrupi. ℞. mel. scill. ℥. iij. syr. de stechade ℥. iiij. aquarum chelid. rutæ, fœnic. saluiæ, yuæ arth. an. qr. j. misce pro vj. dosibus aromat. vel dentur tabulæ, vt suprà. His omnibus

pera-

peractis, dandum erit apoz. sequens quod erit fortissimum, efficacissimum, & vltimum. Calfacit enim, concoquit, attenuat, digerit, & purgat pituitam.

Apozema.

℞. rad. galang. ireos virid. (recens pituitam purgat, & serosos humores, sicca pituitam attenuat & incidit) enulæ campanæ. fœnic. apij, petro. an. ℥. j. cal. aro. rap. pyrethri an. ℥. ß. saluiæ, rutæ, foliorum lauri, calam. orig. puleg. chamæpith. ana M. j. primulæ ver. chamed. chelid. an. m. ß. (Possunt & alię herbę præscriptę in sylua symp. addi) seminis cubeb. seselcos, rutæ agrest. (quod efficacissimum est in extenuanda pituita) ana drac. ij seminis vrticæ & carth. an. ℥. ij. seminis iuniperi ℥. ß. agar. esulæ, (quæ verum est turbith.) an, ʒ. iij. (in robustis & bene habitis addi potest veratrum ad ʒ. iij.) florum stechados, saluiæ, anthos an. p. j. ras. ligni indici qr. j. ß. macerentur radices & lignum per noctem in aqua & vino albo, & sensim leuitérque decoquantur. Postea ponuntur herbę & alia, quæ simul coquantur, & fiat syrup. vt artis est. addendo melil. ros. vel anthos. vel scill. q. s. saltem ℔. ß. cum pauco sacch. clarificetur & aromatizetur cum ℥. ß. cinamomi & ʒ. iij. zinzib. capiat ℥. vj pro dosi tertio quoque die. Potest coqui media pars syr. perfectè vt conseruetur, & si spissior fuerit, detur cum decoctione cicerum rub. vel ligni indici Vtatur attenuante victu, sit in loco calido. Si sudor moueatùr, addantur lapides calfacti, & melius cooperiatur, vt magis sudor prouocetur. Nam hæc materia iuuatur sudoribus.

Pilulæ.

Pilulæ conuenientes in hac affectione, sunt etiam in classes distinguendæ, imbecilliores sunt pilulæ de hiera simplici, cum agar. vel de hiera compos. pilulæ de aro. & quæ sunt sine diagridio, & sine colocint. Mediæ autem erunt eædem, si addatur tro. alandal. gr. iij. aut iiij. fortissimæ sunt pilulæ de euphorbio, fœtidæ, cochiæ, de opop. de sagapeno, de assa fœtida, & similes.

Conseruæ.

Conseruæ laudantur omnes, quæ calfaciunt, & exiccant: vt zinzib. conditum, pyretrum conditum, conserua secacul. Est autem secacul, quod vulgò Mequinum

appellant, non autem est radix polygonati, quod vocant sigillum Salomonis, vt quidam putant: ob id malè vtuntur ad Venerem, nisi in pituosis, cùm sit radix sicca. Arabes magis vtuntur ad calfactionem & exiccationem. Alij putant esse radic. iringiorum, sed malè. Mequinum autem est radix simillima zinzib. & conditur vt zinziber, sed est calidius, sine humiditate, quæ tamen reperitur in zinzibere. Ob id zinzib. patitur cariem, non Mequinum, qua nota à zinzibere distinguitur, sicut etiam filamentis, & vllis quibus caret Mequinum, non autem zinziber. Maximè laudatur in paralysi pudendorum cõserua florum saluiæ, anthos, stechados, inter quas saluiæ, & stechados obtinent principatum, in hoc morbo, & omnibus neruorum affectibus: conserua etiam enulæ campanæ, & conserua ireos. Conserua acori vulgaris non probatur in hac affectione, quia astringit & incrassat. Sed verus acorus est galanga crassa. Si galanga in aliquibus locis reperiatur, recens cum melle condiatur. Eius enim conserua præstantissima erit: sin minus, pone loco conseruæ, 3. j. galangæ crassæ. Commendantur etiam confect. theriaca, anacardina, mythridatium, aurea Alexandrina. Pulu. diambræ, diamosci dulcis, diagalanga, diacastorei, ros. nouellæ, diacalaminthes, & eorundem electuaria. Pilulæ laudatissimæ in morbis cerebri, & neruorum frigidis, nouæ & anonymæ à me primùm inuentæ hæ sunt, & vocantur de beniouin.

Quid mequinum.

Quæ conserua conferant.

Conser. noxiæ.

Confect.

Puluer.

Pilula de beniouin.

℞. assæ fœtidæ 3. ij. castor. euphor. beniouin (quod est laserpitium) opop. sagap. an. 3. ß. tro. alandal. 3. j. ß. seminis rutæ agrestis, gal. cala. ar. spicæ nardi & celticæ an. scrupu. j. cinamomi, mastiches, sarcocollæ, myrrhæ, croci, esulæ, an. ℈. iiij. ag. tro. ℈ iiij. cum tereb. q. s. ad incorporandum, fiat massa pilularum addendo mell. scill. (ad gustum, & ne tam facilè acescant) yuæ art. drach. j. ß. stech. scrup. ij. fiant pil. vij. pro drach. Addi potest veratrum in pondere 3. j. & diag. scrup. j. Sed hoc est in fortissimis morbis. Ponitur diagredium. Nam semper vbi veratrum ponitur in parua quantitate, illi miscendum est vel diagred. vel aliud forte medicamentum, quod

Cautio Veratri.

quod illud foras è corpore propellat, alioqui diutius manet in corpore, & illud cõturbat, grauémque noxam infert. Assa fœtida præstantissima est in paralysi, sed præstat vti in pilulis, quàm aliter, ob fœtorem & insuauitatem. Hæ pilulæ valent etiam in doloribus iuncturarum, si addas hermodactil. & zinzib. ana ℨ ß. In morbo articulari erunt meliores, si addas myrobal. drac. j. Valent in epilepsi. si addas tro. de scilla ℨ. j. ß vel carnis scillæ assatæ, si reperiatur ℨ. j. & seminis pœoniæ, & rad. eiusdem drach. ß. Valent in mania si addatur veratrum, vel lapidis lazuli ad scrup. ij. Melius vsurpantur tro. de scilla in opiatis & aliis confectionibus quàm in pilulis, quia ob farinam hordei, quæ in illis multa est, magnam molem occupant, & sic pilulæ essent multæ cum pauca efficacia. Item pilulæ debent assumi cum multa custodia. Si in tempore, & temperatura multùm calidis, minuatur dosis assæ fœtidæ, quia facilè febrem accendit, si frequenter assumatur. Quare si accẽdatur, modò non sit putrida, optimum est, quia materia exiccatur. Et in hac affectione vt accendatur febris, aliqui solent confectionem anacardinam exhibere, non tamen debet excitari ephemera, nisi purgato priùs corpore, ne ex ephemera fiat putrida. Si ergo excitetur ephemera, nil fiat, sed sinatur: Si autem putrida, vel etiam continua, aut medicamentis, aut alia causa calida, curanda erit, vt postea monstrabimus cap. proprio, quod est decimum ab hoc cap. 33.

Assa fœtida in paralysi præstantiss. & aliis affectib.

TOPICA.

Post quamlibet euacuationem vniuersalem vti oportet particularibus, vt garg. masticator. caputpurg. sternutat. maximè cùm paralysis facta est post apoplexiam, vel propter aliam affectionem cerebri, vel vertebrarum colli. Nam per tales affectiones pituita educitur è cerebro, quæ ad partes affectas difficillimè fluit, & capita neruorum obstruit. Vtatur itaque masticatoriis, caputpurgiis, gargarismatis, fumigiis, & aliis præscriptis in dolore capitis à pituita. Vtatur gargarismate secundo illic præscripto, quod recipit gly. rasam, &c. Fumigia maximè commendantur ad exiccationem cerebri, quæ parari possunt eo modo, quo suprà diximus in do-

lore cap. à pituita., sed augeatur dosis nigellæ romanæ; aut si non sit, addatur ad vnc. j. sed prius macerari debet in aceto & exiccari. Potes etiam hoc modo præscribere fumigia.

Fumigiū. ℞. gum. hederæ nigellæ torref. ana ℥. ij mastic. thur. myrrhæ, cubebarum ana ʒ. vj. beniouin, styrac florum anthos, stechad. ana ʒ. j. ß. macis, garyoph. ana scrup. j. con. cass. grosso modo, fiat suffumigium.

BALNEA.

Laudantur balnea naturalia, bituminosa, sulphurosa, & nitrosa. Non ita probantur aluminosa, quia nimiùm astringunt, nisi fuerit in morbi declinatione. Parantur etiam balnea ex herbis calfacientibus, & exiccantibus, & attenuantibus, & sudores mouentibus, sed maximè obseruandum est, ne balneum sit valde calidum actu. Sufficit tepidum esse, aut paulò calidius. Nam hi, qui sensum amittunt non sentiunt, & si valde lædantur, & ob id multa accidentia sequuntur. Resoluitur quippe naturalis calor, ex diuturna in illis mora, & ex illa super calfactione exiccantur pustulæ, fiunt vlcera, & mortificationes extremarum partium, in his maximè, qui ob compressionem, vel ligaturam non sentiunt, vel debiles motus habent. Balneum bituminosum, vel sulphureum fit hoc modo.

℞. aquæ q. s. ad innatationem: ad ℔. centum aquæ appone sulphur ℔. vj. aut bituminis tantundem, & erit balneum sulphuris aut bituminosum, eandem vim habens ac naturale, sed non parem efficaciam. Erit enim paulò imbecillius. Aqua sit alicuius fluminis tardi motus, vel alicuius stagni. Possunt admisceri radic. & herbæ sic.

℞. rad. pyreth. galang. ana ℥. ß. rad. ireos siccæ ℔. j. radic. cucum. agrest. & enulæ cam. ana qr. j. rad. cyper. ℔. ß chamep. cala orig. sampſ. parthen. saluiæ rutæ, foliorum lauri, roris. pulegij, mentastri ana m. ij. vel iij. Possunt etiam addi aliæ herbæ calfacientes, attenuantes, vt beton. melyss. hyss. lauendula, saluia, absynth. & similes, vt etiam radic. bardanæ, quæ potentissimè mouent sudores, & aliæ eiusmodi, florum stech. anth. saluiæ, cham. ana p. j. fiat decoctio pro balneo, in qua possit inna-

Radix bardana mouet sudores.

innatare æger:herbæ ponantur in sacculo, super quem sedeat. Si decoquatur vulpes viua ad disiunctionem ossium, vel catus viuus, erit sufficiens balneum. Sic ol. vulpinum commendatur in hac affectione. Aliqui laudant irrigationes sensim & ex alto factas, sed nimium est morosum: ob id satius est vti lauacro. Stuphæ siccæ maximè laudantur in paralysi, quæ possunt fieri cum hac decoctione irrorando lapides calidos Vel hoc modo decoctio ponatur in vas aliquod angusti oris, super quod ponatur embotum, quod sit collo oblongo, fiat foramen in Tina, & applicetur embotum foramini, vt fumus seu vapor omnis decoctionis ingrediatur in Tinam bene coopertam, & vt decet, paratam. Vas illud angusti oris debet circundari carbonibus ignitis, vt decoctio seruetur calida. Tina sit oblonga cum pedibus sufficienter altis, vt vis decoctionis sub ipsa possit manere cùm opus fuerit. Parabitur autem hoc modo: Infra Tinam ponatur assula, seu tabula multis foraminibus perforata, inter quam & fundum Tinæ sit interuallum, vbi sint lapides calfacti. Super illam assulam ponantur herbę, super quas iaceat æger, donec prouocetur sudor, & hoc ieiuno ventriculo faciendum. Panno sicco abstergendus est sudor, in egressu stuphæ, postea inungẽdus est æger ol. antiquo vel vnguento. quia pori tunc sunt aperti, & vis vnctionis facilè penetrabit.

Olea paralysi apta & Vnguenta.

Olea apta huic negotio sunt, quæcunque calfaciunt & siccant, & tenuium sunt partium & digerunt. Vnguenta verò quatuor illa calida communia, si modò bene præparata fuerint. Olea verò imbecilliora sunt ol. chamomil. nardinum, liliorum descriptione Mes. Nam ex descriptione Nicol. rosę sunt auferendæ, & minuenda dosis mastich. veluti ad ℥. ij. item oleum antiquum. Mediocria sunt ol. amygd. amar. ricininum (vulgo de cherua dictum) de narcisso. Fortissima, ol. laurinum, de costo descriptione Mes. Nam in descriptione Nicolai loco oleandri, cuius succum ponit ad ℔. j. substituere oportet cyperi ℔. j. Oleander enim refrigerat, astringit, & incrassat, quod ex diametro pugnat cum scopo nostro, sed deceptus est affinitate vocabulorum. Oleum

de croco, nucum, de nuce indica, de spica, de piperibus, paratum, vt dixi, ol. philosophorum, irinum, sambucinum, rutaceum, de euphorb. & similia. Sunt etiam alia olea, quæ & tota substantia, & proprietate occulta conferre huic morbo creduntur, quæ ad media referre oportet, vt vulpinum, de cato, de cidonia.

De pinguedinibus.

Pinguedines ad confectionem vnguentorum imbecilliores sunt anatis, anseris, gallinæ. Mediæ, pinguedo cati & maximè agrestis, vulpis, taxi. Fortissimæ, leonis, pardi, viperarum, & serpentum communium. Sic de medullis est faciendum. In vnguentis additur interdum aqua vitæ, & succi aliquarum herbarum, vt chamep. saluiæ, rutæ & similium. In vnguentis & emplastris hoc obseruare oportet, vt ab imbecillioribus incipiamus. Conficiatur itaque inunctio pro principio ex imbecillioribus oleis, & pinguedinibus, additis aliquibus exiccantibus & resoluentibus, vt si fiat hoc modo.

Inunctio pro princi. ℞. ol. cham. ℥. iiij. ol. liliorum ℥. ij. laurini ℥. j. ping. anat. & gall. ana ℥. iij. Si fieri potest, iam sint rancidæ, vel ob antiquitatem deposuerint superfluam illam humiditatem, & tenuitatem substantiæ acquisierint, succi chamep. & saluiæ, an. qr. j. ceræ parum, fiat vnguentum, quod erit optimum pro principio, & pro iis, qui sentiendi imbecillitatem habent ob ligaturam. Si imbecillius sit hoc vnguentum, addatur parum aquæ vitæ, vt ℥. ß. & fiet efficacius. Hoc vnguentum aptum erit pueris, senibus, & mulieribus. Medium vnguentum erit illud vocatum de bdellio, vnguentum aragon, Martiatum si bene paratum fuerit. Possunt hoc modo confici vnguenta media.

Vnguenta media.

℞. radic. acori, id est, galangæ crassæ ℥. j. radic. ireos ℥. iij. chamep. primulæ veris, saluiæ, stechad. ana M. j. olei laurini, & de lilio an. ℔. j. vini optimi ℔. j. ß coquatur simul ad vini consumptionem. Et posteaquam refrigeratum fuerit, adde piper carda. cala. aro. castor. bdellij an. ʒ. j. mell. & ceræ parum, vel propoleos loco illorum, fiat vnguentum. *Fortissim.* Fortissimum est vnguentum illud quod describitur à Gainerio, cap. de paralysi, quod

habuit

habuit ab eremita alchymista. vel fiat aliud hoc modo.

℞.ol.nucis indicæ ℥.ij.de costo,de piperibus,de terebinth. an.℥. iij. succi chamep. succi saluiæ & peucedani (si reperiatur verum peucedanum mōtanum,nam quod pro eo ostenditur,est hypomaratrum) vel loco eius succi rutæ an ℥.iij.castor.℥.ß.piper.longi, pyretri an. ʒ. iij. sagapeni,opog.bdellij an.ʒ. ij. pingued. taxi ℔. ß. ping. viperæ ℥.j. vel serpentum communium, ℥.ij. (sed terrestres sunt eligendi,&non aquatiles,quia sunt excrementosi, & multum humidi, & non tenuium partium) fiat vnguentum vt artis est. Oleo de nuce indica loco accipe pro pauperibus ol.nucum communium antiquiss. vel si non adsit, paretur ex nucibus rancidis, aut recens coq. lento igne & pro ℥.j. ol. nucis indicæ,pone ℥.ij.ol. nucum communium. Fiet efficacius remedium & ferè vltimum sic.

℞.ol.gaiaci ℥.iij. vel ol. cedoritis, quę est species iuniperi, ℔. ß. pingued. viperæ, vel serpentis communis ℥.j. si non adsit pinguedo,pone cineres serpentum ad ℥. ß.Comburentur in furno intra vas terreum bene lutatum euphorb. castor. an. ℥.j. myrrhæ, cardamomi, ass. fœtidæ, gummi hederæ,gummi elemnij ana ℥.ß. trium piper. cubeb. nucis moscatæ, garyoph.yuæ arth.an.ʒ.iij. cum terebinth. & pauca cera fiat vnguentum. Fiet adhuc fortius addendo succi scillæ,& chelidon.minor. an. ℥.ij.Vel fiat talis aqua.

Aqua excellentissima.

℞.ass. fœtidæ, ammo. bdellij,gummi hederæ, myrrhæ, euphor. castor. carda.an. ℥. ß. beniouini & gummi elemnij,terebinth. & mastiches ana ℥. j. seminis agrestis, bacch. lauri, pyretri.cubeb.nucis moscatæ,secacul. trium piper.an. ʒ.ij. carnis scillæ radic. narcisci ana ℥. iij. radic.cucume.agrest.℥.j. chamep. saluiæ, florum & foliorum rorif. & trifolij fœtidi ana p.j. omnia in vino per noctem temperentur & ponantur cum vino in alambico vitreo simul, distillentur: prima aqua erit imbecillior, secunda fortior. Si addas residentiæ aquæ rutæ ℔. ß. aquæ sublimationis prioris ℔. j. & rursus distillentur, fiet medicamentum efficacissimum, & maximè tenuium partium, quo vti debemus in extremis

morbis. Cum cera prius remollita, ne aqua calefiat, potest incorporari,& fieri ad formam vnguenti, vt magis adhæreat cuti.

Opiatæ.

Ad intra dantur aliqua ad cerebri confortationem & neruorum, & ad extenuationem materiæ, vt theriaca antiqua, mythridat. pul. diamosc. dulc. & amari, pul. diambræ, dianthos, diag. diacalamites, diatrium piper. & diacastor. & alia omnia, quæ calfaciunt & attenuant.

Conservæ.

Conser. valentes in hac affectione sunt, conserua saluiæ, stech. anth. secacul, zinzib. conditum, pyretrum conditum, galanga condita, non communis acorus, nisi fortè in declinatione, cùm per leuiter astringentia & aromatica volumus corroborare neruos. Sunt qui maximè laudant vsum assę fœtidæ & castorei, sed quia sunt fœtida, & ingráti saporis, satius erit pilulas ex illis ad corroborationem & exiccationem sic parare.

℞. castor. ʒ.ij. euphorb. ʒ.j. ass. fœtidæ ʒ.ß. chamep. florum stecha roris. & saluiæ an. scrup. ij. pul. diamosci & diambræ, vel ex aliis pulueribus, vt dianthos, ex vno aut duobus ʒ.j. cum syrup. de stechade & terebinth. fiat massa pilularum, de quibus cap. pilulam vnam post primum somnum. Opiata autem potest parari eo modo quo docebimus cap. de epileps. Hoc tantùm interest, quòd maiorem dosim conseruæ zinzib. vel pyretri, vel enulæ campanæ debemus exhibere. Ex conseruis nunquam debemus omittere conseruam roris. & saluiæ. Quòd si magis placeat ad corroborationem & exiccationem totius corporis, vtatur aqua theriacali, aut hyrundinum, quæ describentur cap. de epilep. A qua sublimata huic morbo propria, & quæ maximè commendatur, talis est.

Aqua sublimata.

℞. florum roris. ℔. iij. aquæ saluiæ ℔. j. distilla in balneo mariæ: accipiat semel in hebdo. cochlear vnum ieiuno stomacho. Quæcunque enim multùm calida & tenuantia sunt, debét sumi vacuo, & priùs purgato ventriculo, nec commiscenda sunt cibis. Nam cogerent cibos

bos nondum concoctos secum descendere, & sic parerent obstructiones. Quia interdicendi sunt vino hi, qui paralysim patiuntur, confici debent potiones, quibus vtantur loco vini. Sunt, qui laudant aquam hordei, quæ tametsi abstergit, nō multùm tamen laudanda est. Nam si parùm cocta sit, flatus generat: si perfectè concoquatur, nimis nutrit, crassos & glutinosos humores gignit. Quamobrem satius erit vti aqua mulsa. Quòd si valentiores desideres, fiat sic. *Cautio.* *Potus aqua mulsa.*

℞. flor. roris. stechados & saluiæ an. p. j. aquæ fontis ℔. ix. (non aquæ fluuialis, quia astringit) mell optimi despumati ℔. j. coq. leuiter, cla. aro. cum ʒ. iij. zinzib. & ʒ. j. galangæ & cinamomi. Vtatur loco vini. Obseruare oportet, ne mel sit ex eo loco, vbi myrthus frequēs prouenit, aut etiam rosmarinus & spica, vt in Gallia Narbonensi. *Aqua fluuialis astringit.*

Alterum caput de Paralysi.

PAralysis, Latinè resolutio, differt ab Apoplexia, in qua interioribus sensibus illæsis externi læduntur, sentiendique & mouēdi vis amittitur. Quod cum alteri tantùm parti accidit, dextræ vel sinistræ, Paralysis nominatur, eius, videlicet, partis, in qua affectus consistet, vt in brachio, œsophago, supercilio, vesica, vel ano. In his interiores sensus manent illæsi, quòd in spinali medulla potiùs, quàm in cerebri substantia affectus contineatur. Necesse quoque est sensus & motus amissionem esse, vt propriè dicatur Paralysis. Nam si sensus tantùm lædatur vel amittatur, Stupor est. Fit tendonum vel neruorum relaxatione, emollitione, vel nimia extensione. Debent enim secundum naturam tendi, quò leuissima contractione facta, partem, cui tendo inseritur, trahere queunt. Sed cùm neruus laxior ob humiditatem aut Apoplexiam, vel post ictum humidior vel frigidior redditur, vel spiritus propter obstructionem non permeat, sensum & motum necesse est lædi. Frequenter accidit ob tenuis menyngis vulnus, quòd cerebri substantiam contineat, neruos inuestiat, venas & arterias sustentet, fitque eius partis resolutio, quæ est è directo vulneris. Moriuntur, aut nunquam curantur. Ob ictum in spinali medulla, humore transitum spirituum impe-

diente ſublato, curatur. Fit frequentius poſt luxationem vertebrarum, ſi in partem vel dextram, vel ſiniſtram vertebra aliqua obluxetur. Si verò in partem inferiorem, difficillima eſt curatio. Sequitur enim partium internarum Paralyſis. In pede citius curatur, quàm in manibus. Etenim multi in dies conſpiciuntur, qui poſt Apoplexiam & mediæ partis Paralyſim ambulant, nec tamen quidquam manibus apprehendere poſſunt, licet contrarium potius fieri debere videatur ob cordis vicinitatem & caloris copiam. In cauſa eſt, quia nerui pedum ſunt ſicciores & robuſtiores. Omnes enim nerui, qui è vertebris lumborum oriuntur, ante egreſſum nerui ſunt. Spinalis ſiquidem medulla in neruos degenerauit. Curatio in vniuerſum fit reſolutionis exiccatione, idq; medicamentis relaxantibus & reſiccantibus, vel febribus inductis, vel ſuperuenientibus, balneis naturalibus, vnguentis. Balneum effœminat, & vſus calidorum nimius reſolutionem inducit. Quare non leuiter peccant recentiores, cùm olea multùm calida parum reſiccantia præſcribunt, vel cùm oleum liliorum aut alia, quæ emolliant potius, quàm tendant, aut indurent. Nerui enim cùm frigidi ſint, & ſicci, eorum natura conſeruari debet, non deſtrui. Et quia denſi ſunt, medicamenta tenuium partium poſtulant. Quòd ſi talia ſuapte natura non ſint, adiungi debent, quæ ad penetrationem faciant. Peccant etiam, quòd reſoluentibus ſemper vtantur, quæ quidem neceſſaria ſunt ad materiæ reſolutionem, ita tamen, vt poſtea exhibeantur, quæ leui quadam aſtrictione, temperato calore partem affectã corroborent. Errant denique, cùm eadem medicamenta in Paralyſi & conuulſione præſcribunt, cùm in conuulſione materiam flatulentam diſcutere oporteat, & neruum rigidum ac tenſum emollire. Curanda eſt Paralyſis ſenſim, quia morbus chronicus. Victus tenuis conuenientiſsimus eſt. Abſtineat ab herbis humidis ac flatulentis, à vini potione, à iuſculis. Vtatur aqua vel hydromelite valde diluto, & mediocriter cocto in principio, quo tempore non erunt aromata permiſcenda, vt cinamomum galang. & alia, niſi in progreſſu, ne humores crudi extenuati, magis neruos penetrent. Datur minus

Balnei incommodũ.

nus coctum in principio & magis dilutum, vt minus nutriat ac magis laxet detergendo. Sunt etiam illis interdicenda omnia illa alimenta, quæ crassos humores gignunt, vt extrema animalium, caro lactantium animalium, vt hœdorum, vitulorum. Vtatur carne parum salita, assa potius, quàm elixa. Frequenter edat auiculas & potissimùm hyrundines, passerculos, ficedulas, & similes. Si resolutio sit in pedibus, aut in pudendo, vel in vesica, clysteribus frequenter vtendum est, qui parandi sunt ex detergentibus, incidentibus, attenuantibus ac laxantibus pituitosum humorem, vt,

CLYSTER.

℞. merc. betæ, brassicæ, ana ℈.j. chamæpithis, rutæ, primulæ veris, ana M. ß. anis. fœn. ana ʒ. ij. seminis chartami & vrticæ ana ℥. ß. florum roris. stechados & sampsu. ana p. j. fiat decoctio. In libra vna colaturæ diss. benedictæ ℥. ß. vel hieræ picræ ℥. j. salis ℥. ij. fiat clyster, detur manè.

Datur sine oleo, sine emollientibus herbis vel infrigidantibus, & parari debet. Quòd si æger non admodum sentiat, parari potest in aqua maris, vel in vna parte muriæ oliuarum, vel piscium, vel in lixiuio debili, vel in vrina pueri.

Si ventrem laxum habeant, parentur clysteres additis herbis tantùm resiccantibus, corroborantibus neruos. Folia anthos, saluiæ, primulæ veris, lauendulæ, pulegij vtriusque, chamep. origani, pollium conueniunt. Deinde commiscenda, quæ aliquam astrictionem habeant, vt folia lentisci, therebenti, myrthi, ladani. Addere possumus radicem acori vulgaris, quæ leuiter astringendo & resiccando neruis relaxatis robur addit. Circa initia clystere supradicto vtendum erit & frequenter, si paralysis sit in quadam parte inferiore. Deinde vtatur frequenter pillulis sequentibus, & maximè si affectus sit in partibus superioribus. Hæ pituitam trahunt sine magna exagitatione.

PILVLÆ.

℞. agar. troc. ʒ. ij. turbith gummo. in hydromelite infusi ʒ. ß. myrrhæ, sarc. nutritæ in succo ros. vel lacte (vt deponat acrimoniam, qua oculo nocet) ana ʒ. ß. vel

ſcrup. ij. Caſtorei ſcrup. j. ß. maſtiches, ſalis gemmæ ℥. j. aloes ℥. ß. cum melle ſcill. vel ſyr. de ſtechade, fiant pilulæ vj. pro ʒ. Capiat poſt mediam noctem præcedente leui cœna: vel loco harum pilularum, vtatur pilulis, de hiera, vel de aromatibus, vel ſebellinis vel pil. ante paſtum, quibus adiungere oportet agarici tertiam partem. Quòd ſi ætas, aut regio, aut tempus calidum non prohibeat, vtile eſt Caſtorei ſcrup. ß. pro ʒ. j addere, vbi ventriculi excrementa & primarum venarum, & quæ fluxioni parata erant, vacuata fuerint pilulis ſuprà dictis, vel frequenti vomitione. Coquẽdus humor, qui in venis & neruis eſt, ſyrup. magis detergentibus, quàm fortiter attenuantibus ac incidentibus, niſi in proceſſu, hoc modo.

SYRVPVS.

℞. mellis anthoſati & mellis roſ. col. an. ℥. iij. ſyrupi de ſtechad. ℥. ij. decoctionis hyſſopi, chamep. ℔. j. ß. miſce, fiat ſyrupus pro quinque matutinis.

Si aromatiſare velis, id fiat cum puluere diagal. de aro. roſ. vel zinzib. vel galan. Nullum oxymel in hoc affectu vſurpandum eſt ob nimiam partium tenuitatem, & quia acetum neruis aduerſatur. Diu concoquendus eſt humor, & quia inter coquendum, vel propter defluxionem materiæ aut erratum aliquod in victus ratione crudi ſucci in ventriculo gignuntur, vel ab aliis partibus defluentes congregantur, vtiliſſimum erit tertio quoque die clyſterem ſuperiorem iniicere, interdum pilulas eccoproticas ante cœnam dare, vt de aro. de hiera, & ſimiles, vel ex ſuprà ſcriptis, ſi fortiùs ſit euacuandum.

PILVLÆ.

Finitis ſyrupis, materia vtcunque euacuata & deterſa, meatibus reſeratis, purgetur medicamentis pituitam agentibus, vel in forma pilularum, vel boli, aut tabularum, vt diutius remorando in ventriculo à parte magis remota trahant. Pilulæ magis conueniunt, ſecundò, tabulæ: tertiò, boli: omnium minimè mollia vel liquida.

Pilulæ huic affectui conuenientiſſimæ ſunt, quæ valde trahunt, humores liquant, & fortiter euacuant.

Sunt

Sunt autem tales, quæcunque ex lachrymis parantur, ex agar. colocinth. turbith, & aliis pituitosis medicamentis, in quibus myrobalani nullæ admixtæ sunt, quales pilulæ fœtidæ maiores & minores, de opopanaco, de sagapeno, de euphorbio, de hermodactylis maiores, & quæcunque sine myrobalanis citrinis paratæ sunt. Pilulæ de sarcocolla, de agar. cochiæ ad ʒ. j. vel scrup. iiij. Electuaria autem sicca, vt electuarium diachartami, & citro solut. In forma boli dantur, indum maius vel minus, diaphenicum, hiera diacolo. & benedicta. Quia à parte longinqua, & humor frigidus trahendus, fortiora esse oportet medicamenta, si vires ferre possint, vt,

℞. pil. fœt. & cochia. ana scrup. ij. cum aqua betonicæ formentur pilulæ septem. Dentur post primum somnum. In iis, qui maiorem stuporem sentiunt, pilulas è lachrymis eligimus, vt,

℞. pil. de Euphorb. vel fœtida. maior. vel minor. scru. iiij. formentur & dentur, vt suprà. In aliis, quibus sensus tam stupidus non est, pil. ex agar. & cochiæ conueniunt, vel quæ minorem quantitatem lachrymarum recipiunt. Item in quibus diu non est, quòd materia fluxit, pilulis è lachrymis non vtimur, quia nimiùm liquefaciunt humores, & ad fluxiones præparant, nisi multùm crassa & lenta esset materia.

ELECTVARIA.

Inter electuaria sicca, electu. de citro magis conuenit, tum propter turbith, tum quia astringentia non recipit. Electuarium diachartami minus, quanquam pituitam purgat, propter carnem cydoniorum: quare eo tempore dandum est, quo aliquid adhuc fluit. Dentur ad ʒ. vj Indum maius satis patenter pituitam purgat: detur in eadem quantitate. Adaugere possumus in robustioribus. Nam imbecillioribus quantitatem minuere, sed frequentiùs euacuare oportet. Hiera colocinth. vel benedicta datur ad ʒ. ß. Quòd si quis potione magis delectaretur, quàm alia forma, diluere hæc medicamenta oportet, in decocto thymi vel epithymi, seminis chartami, vel vrticæ. quæ omnia calefaciunt & exiccant. Danda est decoctio ex his & quibusdam dulcio-

ribus & odoratis, & detergentibus, vt hoc modo.

Potiones purgantes.

℞. glycir. ℥ ß. pass. ficu. ana pa. xx. medullæ chartami ℥. j. summit. thymi ℥. ij. anis. ʒ. iij. florum anthos p. j. fiat decoctio, & in quart. j. dissolue indi maioris ʒ. vj. mellis ros. ℥. ij. misce, fiat potus. Purgato corpore in crastinum dentur masticatoria & gargarismi, sed melius est incipere à gargarismis, qui fiunt ob duplicem scopum, vel ad euacuandam pituitam, quæ redundat in capite & principio spinalis medullæ, vel ad discutionem & euacuationem materiæ partis affectæ, vt in paralysi linguæ, œsophagi, vel gutturis, & in hoc differunt collutiones siue gargarismi, quæ ad euacuationem pituitæ capitis ex euacuantibus, trahentibus, & detergentibus conficiuntur, vt,

Gargarismorum finis duplex.

Gargarisma pituitam è cerebro trahens.

℞. pass. ficuum ana pa. xx. summit. thymi & seminis chartami vel vrticæ ℥. j. turbith, staphisagriæ vel costi, ana ℥. ß. Decoquantur in hydromelite, vel in aqua & sapa, vel in aqua tãtùm. In collat. adde syrup. de stechade vel mellis scillitici, pro ℔. j. ℥. ij. vel plus, si decoctum sit ægrotanti ingratum, vt,

℞. decoctionis præced. ℔ iij. mel. ros. col. vel anthosati, vel schilini, vel syrup. de stechade ℥. vj. vtatur manè, & frequenter expuat. Loco huius decoct., decoctum suprà scriptum ad diluendam compositionem indi maioris. Istis erit vtendum in crastinum medicamentorum purgantium, & cõtinuare per quatuor aut quinque dies, nisi sponte sua per os multa pituita deflueret, ob linguæ liquefactionem factam à medicamento. Neque danda est Theriaca ante horum vsum, maximè quæ adhuc recens est. Illa enim impediret fluxionem & huius medicamenti operationem. Alterum genus collutionis fit ex calfacientibus, siccantibus, & parùm detergentibus, vt,

℞. costi, zinzib. galang. nucis mosca. ana ℥. ß. decoquantur leuiter in vino & syrupo de stechade, & diu contineat in ore.

Antiqui mirum in modum laudabant collutiones ex Synapi. Quòd si ex aceto scillitico, vel melle scilli-

tico paretur, optima fiet collutio, vel dissoluantur prædicta decoctione, vel in aqua arthemisiæ, vel saluiæ, vel pulegij, vel calaminthæ, vel aqua vitæ. Hæc fiunt in particularibus resolutionibus partium oris.

MASTICATORIA.

Masticatoria duplicia sunt, vel ad pituitam capitis euacuandam, vel ad digestionem, vel ad resolutionem materiæ partium resolutarum. Quæ ad euacuationem pituitæ parantur, ex attrahentibus parari debent, vt ex piretro, staphisagria, cubebis, & aliis, de quibus in dolore capitis dictum est & eorum vsu. Alia autem masticatoria proportione respondent secundis collutionibus, quæ ad digestionem materiæ & exiccationem partium oris resolutarum conficiebantur, nempe ex his quæ magis resiccant, quàm calfaciunt, vt est mastiche, nuce moscata, sale, mace, aut zinzibere: aut radicibus galangæ, aut acoro vulgari, vel cyperi, excipiuntur ficubus semina nasturtij aut synapi. Quæ masticantur, manè præscribenda sunt, quemadmodum dictum est de collutionibus post purgationem, quæ ante antidota per tres aut quatuor dies conueniunt, & post illa. Ad materiæ consumptionem totius cerebri, & ad totius neruosi generis corroborationem theriaca antiqua, & magis mithridatum Nicolai, deinde Aurea Alexandrina omnibus aliis præferenda est. Quibus omnibus castorei vel euphorbij, vel bituminis parua quantitas addi debet, quò magis determinata ad hanc affectionem reddantur. Superbibendum est parum aquæ arthemisiæ, vel calaminthæ, vel saluiæ, vel chamepythios. In horum loco parari potest hæc opiata, qua vtatur quotidie, vel alternis diebus, vt,

Masticat. duo genera & finis triplex.

OPIATA.

℞. zinziberis conditi vnc. j. conseruæ vulgaris acori colatæ per cribrum (vt auferantur fibræ, quibus abundat, quòd palato & inter odorandum molestæ sint) vnc. ß. conseruæ florum anthos & saluiæ an. ʒ. iij. conseruæ rosarum ʒ. vj. pulueris galangæ ʒ. iij. cineris viperarum, vel hirundinum ʒ. iij cum syrupo de stechade, fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem fabæ, superbibendo parum aquarum supradictarum.

Pulueres.

Puluis rosatæ nouellæ, diacameron, diamoschi, & diambræ conueniunt, sed his, quę parantur ex multo moscho & ambra, in parua quantitate & parcius vtendum, quia odorata & cerebri & neruorum substantiam exoluunt, Quo fit, vt vnguentarij facilè in hunc morbum vel tremorem incidant, ob moschi & ambræ continuum vsum, aut aliorum odoratorum.

Odoratrix incōmodata.

Rursus post duos aut tres mēses repurgandi sunt modo suprà scripto, nisi quòd magis attenuantia sunt præscribenda, & fortiùs purgātia. Quare syrup. de stechade, vel mel scilliticum cum decoctione herbarum supradictarum, vel cum aquis supradictis dari poterunt. Quòd si quis velit apozema facere, paret ex enumeratis herbis, radicibus & seminibus aliquibus resiccantibus & calfacientibus hoc modo.

Apozema cum potione purgante.

℞. rad. enulæ campanæ, cyperi ana ℥. ß. bethonicæ, pulegij vtriusque, saluiæ, hyssopi, chamepithios, sampsuci, arthemisiæ, calaminthæ, primulæ veris ana M. j. capili veneris, cætherach, pollitrici, filicis masculæ ana M. ß. anisi, seminis rutæ, ana vnc. ß. summitatum thymi vel epithymi, florum stechados, anth. & chamom. ana p. j. fiat decoctio. In ℔. j. ß. dissol. syrupi de stechade, mellis scill. ana vnc. iiij. mellis communis parum. Fiat syrup. aromat. cum ʒ. ij. diagal. Capiat in quinque matutinis.

℞. decoct. præced. ℔. j. ß. in qua decoque agarici tro. ʒ. ß polypod. querc. vnc. iiij. seminis carthami contusi & senæ orient. ana vnc. ij. turbith. vnc. ß. fiat decoctio. In qua dissolue sacchari vel mellis q. s. capiat post vsum apozematis supradicti in quatuor dosibus, duos dies intermittendo.

Quòd si non satis moueant hi syrupi, in vltima dosi dissolue electu. de citro solutiui, vel diachar. vel indi maioris ʒ. iij vel dentur pillulæ suprascriptæ. Sequentibus diebus redeat ad vsum opiatæ præscriptæ, vel capiat sequentem puluerem.

Pulueres.

℞. priapi cerui & tauri (hi duo non multùm differunt

runt) ana vnc.iiij. Inuolucrorum castorei,vel testiculorum luthræ ana vnc.ß vrantur simul in furno in vase fictili nouo, & extinguantur vino albo, & rursus abluantur cineres in vino albo, deinde in aqua decoctionis saluiæ,vel sampsuci. Fiat puluis tenuissimus,quo vtatur vt sequitur.

℞. cineris supradicti ℥. ij.cinamomi galangæ, gariophillo ana ℥. ß sacchari candi ℥.iij. misce,fiat puluis,de quo capiat cochlear vnum mane, superbibendo parum vini diluti aqua saluiæ. Quòd si diuiti præscribatur hic puluis,adde ℈ j.diambræ, vel diamoschi dulcis ad odorem gratum inducendum, vel fiat alio modo. Saccharum candum ponitur potius quàm commune,vel rosatum, quia commune non satis exiccat, rosatum verò cùm habeat aquam rosarum,quę refrigerat & astringit, nocere posset. Candum magis exiccat & abstergit, ob idque in multis oculi affectibus eo vtimur.

℞. ossium castoris & luthræ an. ℥. j. vrantur & reducantur in cineres. Abluantur & extinguantur vt suprà. Quibus adde spicæ celticæ, cinamomi an.℈ j. galangæ ʒ.ij sacchari candi ℥.iiij. vtatur vt superiùs. Item

℞. extremitatum viperarum quar. j. vrantur & reducantur in cineres,& abluantur aqua maris,vel aqua salita,& exiccentur in sole. Cui adde duplũ salis torrefacti leuiter,& reducãtur in puluerem,quo vtatur pro sale in cibis,in prandio & cœna,vel eius loco paretur sal theriacalis descriptus à Gal. lib. de theriaca ad Pisonem sub finem. Sed quia difficilè comparatur, satius erit nostrum parare. Quòd si non reperiantur viperæ,vrantur alij serpentes. *Sal theriacalis.*

Dieta vulgò dicta,quibus conueniat.

Si quis fuerit corpore admodum humido, non erit inutile vti decocto radicis Schinæ, vel gaiaci cùm victu attenuante. Sed quò magis determinatum sit hoc remedium,paretur hoc modo.

℞. rasuræ ligni gaiaci, vel palmæ sanctæ ℔. 1. corticis eiusdem ℥ iiij.asphalti,carabæ ana ℥. ij macerentur in ℔. 12. aquæ fontis vel cysternæ per horas 14. Decoquantur lento igne ad consumptionem tertiæ partis. In quibus dissolue mellis communis ℔. 2.clarificentur ad

dendo vini albi ℔. 2. ad penetrationem, & arom. vnc. j. galangę & vnc. ß. beniouin. Vtatur manè & serò vnc. 4. cùm volumus exiccare tantùm, & ab iis ad vnc. 6. vtatur, cùm volueris prouocare sudorem. Rursus fiat secunda decoctio pro potu in eadem materia, seu residentia præcedentis decocti, addendo mellis ℔. 2. Prętermittatur, vel intermittatur vinum, & minus decoquatur, ne fortius fiat. Vtatur per 40. dies, sudet tertio vel quarto quoque die.

TOPICA.

Si facilè & sine magna molestia fieri potest, ne tanta fiat spirituum dissolutio, post vnam atque alteram purgationem (& non antè) ad topica remedia veniendum est, à leuioribus incipiendo, & à medio ad summum progrediendo. Sunt autem tópica remedia, olea, vnguẽta, emplastra, digerentia, & exiccantia, non emollientia, vt oleum de sulphure, de gagate, vel de bitumine, petroleum, oleum de thymo, ex floribus saluię, rosmarini, de lateribus, de tartaro, de piperibus paratum cum semine behen, siue myrobalanis arabicis & hyosquiamo oleo, de sinapi, de euphorbio, castoreo, costo, oleum lucernarum antiquissimum cum sale. Eligenda sunt, quę citra exulcerationem exiccare & detergere possint. Nam de tartaro, vitreolo, & similia exulcerant. Quare pauca quantitate imbecillioribus erunt admiscenda, vel terebinthina addenda, quia retundit vehementem penetrationem. Axungię quędam huic affectui conuenire possunt aliquo tempore, vt serpentum, & aliæ antiquissimæ, sed salitæ potissimùm. Seuum hirci, veruecis, tauri, potissimùm si cum castoreo & euphorbio aut aliis siccioribus inungatur. Aliæ axungiæ humidiores sunt & magis relaxantes, quàm oportet. Inter resinas, cupressi resina, terebinthina, mastiche abluta in aqua aut vino vsurpantur. Vnguenta parata in officinis conueniunt huic affectui quæ siccant & digerunt citra emollitionem, vt marciatum, aragon. Sunt & alia quædam vnguenta ad vlcera instituta, quæ huic affectui non admodum disconueniunt, vt vnguentum magnum cerusatum Mesue, vel vnguentum mirabile eiusdem, vnguentum etiam alterum descriptum post vnguen-

guentum de bdellio. Emplastra, quæ ex iisdem componuntur, apposita supra spinam dorsi, vel in cerata vel vnguenta redacta vsurpantur, vt emplastrum de baccis lauri, & quæ ad vlcera capitis parata sunt. Hæc autem omnia remedia vel in vino, vel cum aqua vitæ, vel cum vrina pueri recenti, ne ægrum lædat fœtor, tempore inunctionis adhiberi debent: nimirum prima cum vrina: media cum vino albo tenui: fortiora cum aqua vitæ: Debile parari potest hoc modo.

LINIMENTA.

℞. olei casto. ℥. iiij. olei rutæ ℥. ij. ceræ q. s. fiat linimentum. Tempore inunctionis adde vrinæ pueri parum. Medium verò ita habet.

℞. olei nucum, de spica ℥. olei de costo, vel de piperibus, ℥. j. ceræ q. s. castorei ℈. j. addendo vinum antiquum tempore inunctionis. Fortissima autem sunt, quæcunque parantur ex oleo de euphorbio & petroleo vel oleo de sulphure, de gagate, de floribus thymi vel stechade, vel rorismarini, vel si parantur ex mediis addita maiore quantitate euphorbij, vel castorei, vel bituminis, vt

℞. Petrolei ℥. ß. olei de euphorb. olei de casto. an. ℥ ij. costi, galangæ sulphuris viui an. ʒ. ij. florum stechados ʒ. iij. ceræ vel colophoniæ ℥. iij. misce, fiat vnguentum, tempore inunctionis adde aquam vitæ, vel fiat sequens per sublimationē, ex quo extrahitur aqua vel oleum, vt

Aqua per sublimationem.

℞. florum thymi aut summitatum thymi, lauandulæ, stechados & saluiæ an. ℔. vj florum hyperici & anthos an. ℔. iij. nucis moscatæ, non perforatæ contusæ, garyophill. macis, cyperi, galangæ crassæ & minoris, piperis longi & nigri an. ℥. iiij. zedoarię, spicæ nard. cala. arom. costi, cinamo. an. ℥. ij. cortic. thuris, myrrhæ, beniouin, euphorbij, castorei, ana ℥. j salis communis fricti aut assati ℔ j temperentur & irrorentur in vino albo & vrina pueri, æquis partibus, & in alembico distillentur in balneo mariæ, vel alio modo. Aqua & oleū seruantur vsui, quia maior est quantitas aquæ, quàm olei, nec minus efficax aqua, quàm oleum. Applicetur partibus, & quo faciliùs extendatur per omnes partes, &

retineatur, paruam quantitatem excipere oportet aliquo oleo imbecilliori, aut multa cera, aut multa terebinthina. Oleum pro spina, aqua pro partibus carnosis externis, quæ non solùm valet ad paralysim, sed etiam ad stuporem cuiuslibet partis.

BALNEA.

Balnea naturalia, bituminosa, sulphurea, nitrosa sunt ex vsu ad materiæ resolutionem. Alia autem, quæ nonnihil adstrictionis habent, ad iuncturarum corroborationem vel mollificationem. Si æger sit procul à balneis naturalibus vel pauper, sic fiat balneum ex lixiuio & sale: additur & bitumen & sulphur. Ditioribus paretur lixiuium tale.

℞. cinerum ossium equorum, aut asinorum, aut ceruorum, aut aliorum animalium siccorum ℔. 6. cineris rad. cannarum ℔. 3. cineris ligni cupressi, vel myrthi, vel lentisci, vel iuniperi, aut lauri, aut rorismarini ℔. 2. aquæ fluuiorum vel pluuiæ q. s. fiat in principio debile. Cui adde salis communis ℔. 4. fæcis vini generosi ℔. j. calcitidis ℔. ß primùm probet in pede, vel aliqua parte. Quod si fortius esset, temperetur aqua. Post natationem detergatur spongiis nouis. Post vsum præcedentium balneorum, ad roborationem partium. Diuitibus sequens parari potest, vt

℞. rad. cyperi, galangæ vtriusque, calami arom. vnc. 3. rad. arist. acori vulgaris, irid. an. ℔. ß. pulegij vtriusque, arthemisiæ, absynthij, saluiæ, calaminthæ, abrotoni, foliorum cupressi & rorismar. ana m. j. florum ros. siccar. stechad. vtriusque, saluiæ, summit. hyper. & chamepith. ana p. 3. fiat decoctio in aqua fluuiali. Cui adde fæcis vini siccæ ℔. j. fiat balneum. Ingrediatur manè, ieiuno ventriculo, & citra defatigationem natet in eo per vnam horam. Non prouocetur sudor post balneum sed detergatur. Non bibat, neque edat donec corpus refrigeratum fuerit. Nam potus vini paralysim inducit, & quia cum vi balnei, cutis, caro, nerui & alia sunt patentiora, tunc vinum facilè deducit pituitam per neruos à balneo, vel stupha. At potius aquæ frigidissimæ hepatis refrigerationem & hydropem inducit. Hæc sufficiunt pro vniuersali curatione Paralyseos, sed vnicuique

Vinum inducit paralysim.
Aqua potus.

parti

parti ſequentia remedia accommodata ſunt.

De reſolutionibus particularibus in vniuerſum, & de Paralyſi linguæ. CAP. XXIIII.

PAralyſis accidit omnibus partibus, quæ motu voluntario mouentur, potiſsimùm partibus illis, quæ proprium & peculiarem neruum habent. Fit autem huiuſmodi reſolutio, quando neque cerebrum, neque ſpinalis medulla, ſed neruus ipſe læditur, vt palpebrarum, cùm neruus tertiæ coniugationis, qui per foramen ſuperciliorum, ſeu oſsis orbitæ tranſit, afficitur, vel à nimia refrigeratione, vel ictu. Idem de cæteris iudicium, vt reſolutione penis, veſicæ, œſophagi, linguæ, & laryngis, labrorum, ſuperciliorum. Curatur hac ratione. Si poſt apoplexiam fiat, aut affectum ſpinalis medullæ, conueniunt ſuperius præſcripta. Cacochymia auferatur: topica eligantur, in omnibus quidem capitis partium reſolutionibus, maſticatoria, gargariſ. errhina. In pene, vel ano, vel veſica, clyſteres iniiciendi, fumigia in ano magis ex vſu ſunt. Vnguenta, emplaſtra, detergentia, exiccantia ſupra eam partem ponenda ſunt tantùm, à qua neruus reſolutus oritur, non autẽ, vt Empyrici anatomes imperiti, ſupra cerebrum & totam ſpinam. Reſoluitur enim ſpiritus partium ſiccarum. Supra partem affectam dropaces ad ſanguinis & ſpiritus attractionem ſunt adhibendi, & hac via erit ad ſpeciem progrediendum.

Ergo paralyſis linguæ, quod ad vniuerſalia remedia ſpectat, eodem modò curatur. Primùm enim concoquenda eſt pituita, & vniuerſum corpus purgandum vt ſuprà monſtratum eſt. Quia ante deriuationem omnem, vniuerſales purgationes debent præcedere, ſicut & diuerſionem, quæ fit per venarum minutarum ſectionem, euacuationem, quæ fit ab aliqua inſigni vena, vt baſilica. Poſtea venas linguæ oportet aperire. Quòd ſi paralyſis ſit in media tantùm linguæ parte, venam partis ſanæ aperi. Si in tota lingua, ex vtroque latere mittendus eſt ſanguis. Fiant gargar. acria, vt hoc modo.

℞. radic. gly. ℥. j. radic. pyretri & ireos ana ℥. ß. hyſſ. cala. origanni, ſaluiæ, ſtech. roriſ. ana M. ß. cubeb. ℥. ß. coquantur in aqua & vino albo, & ℔. j. coll. miſce mell. ſcill. ℥. iij. fiat garg. Potes addere parum elect. indi mag *Gargar.*

ioris. Sed hoc notare oportet, vt in declinatione tantùm ponantur laxantia, & non in principio, ne humores ad partem affectam trahantur. Ergo sint primùm parata garg. hoc modo, ex his, quæ calfaciendi, attenuandi, abstergendi, incidendi facultatem habent, sine aliquo phlegmagogo. In declinatione potes dare garg. aliud descriptum in cap. de epileps. Vel in decocto huius superioris adde seminis vrticæ ℥. j. seminis carth. ℥. ij. & in col. diss. ʒ. ij. vel iij. alicuius elect. phlegmagogi. Sed ponatur in minore dosi, quàm in epileps. aut in apoplexia. Nam in his à toto capite volumus euacuare: in paralys. autem linguæ à sola parte læsa. Postea vtatur primo garg. siue aliquo medicamento phleg. & ponatur radix cucum. agrest. & parum castorei. Quòd si castoreum ob fœtorem vituperetur, adde simul beniouin ʒ. ij. vel iij. Eadem ratione (ne sic humores ad partem affectam trahantur) vituperatur vomitus in hac paralysi, qui tamen in aliis speciebus paralyseos est conuenientissimus à cibo factus. Affigantur cucurbitulæ sine scarificatione in collo, & spatulis. Studeat aliquo pacto mouere linguam, & illam exerere. Ad partis corroborationem, ac illius materiæ consumptionem, fiant formulæ, quas teneat sæpe in ore supra linguam, hoc modo.

Vomitus non est ex vsu.

℞. assæ fœtidæ, castor. an. ʒ. ß. beniouin ʒ. j. ß. pip. longi, cubeb. zinz. pyretri an ʒ. ß. nucis mosc. spicæ nardi an. ℈. j succi gly. & chamepith. (si reperiatur herba recens) an ʒ. j. ß. sin minus, pone herbæ ʒ. ij. incorpo. cum melle, & fiant formulæ ad figuram lupinorum, quas teneat ferè semper in ore supra linguam. Vel infrà inunctiones fiant, vt in superioribus monstratum est. Optima erit, si fiat ex ol. antiquissimo, in quo sit decocta scilla, quæ insignem vim incidendi habet. Applicentur cauteria in parte capitis posteriore, vel apponantur vesicatoria, vt ex melle anacardino, vel cantharidibus, vel ex vatrachio, cuius omnes species laudantur, sed maximè ea, quæ vulgò dicitur apium risus.

Additio ad caput de Paralysi linguæ.

Resoluitur lingua, aut manet resoluta post Apoplexiam, potissimùm in his, qui tempore sanitatis balbi erant. Solet enim hic morbus firmari aut remanere in

parte magis debili. Qui autem balbi sunt, linguam habent humidam & mollem, ob ídque illis facilè fit Paralysis in lingua, quæ difficiliùs, quàm in cæteris, aut nunquam curatur.

CVRATIO.

Si recens sit, & copia sanguinis apparet, misso sanguine curatur, è venis linguæ, & apposita cucurbitula in occipitio cum scarificatione. Sed priùs vacuabitur, &, vt suprà demonstratum est, bis vel ter, priusquam topica remedia adhibeantur, ne plus ad partem affectam trahatur, quàm discutiatur. Errhina ex succo Anagallidis, vel ciclaminis, vel iridis & melle parantur, vt ex decoctione trahentium medicamentorum, vt pyretri, turbith, esulæ, agarici, colocinthidis, veratri. Parentur autem hoc modo. *Missio sanguinis.* *Cucurbit.* *Errhina.*

℞. costi, pyretri & esulæ, ana ℥. j. florum stechados, p. j. fiat decoctio in aqua & vino albo, & in ℔. j. colaturæ dissol. mell. scill. ℥. iiij. fiat errhinum, vel reducatur ad formam linimenti, quò diutius naribus hæreat, & potentiùs trahat. Nam propter impeditam transpirationē diutius hæc errhina liquida in naribus retineri non possunt. Quare nihil, aut parum pituitæ trahunt. Hoc modo paratum diutius hæret, & magis trahet, vt *Linimentum.*

℞. diagredij & trocis. alandal ana ʒ. j excipiantur melle scillitico, & reducantur ad formam linimenti, quo intingantur partes interiores narium, & post aliquam euacuationem detergantur aqua calida. Potentiùs multò trahunt hæc errhina, si præcesserit sternutatorium, vel si in istis adiungatur medicamentum aliquod, quod posit sternutamentum excitare, quale euphorbium vel veratrum. Materia enim commouetur sternutamento, quæ faciliùs trahitur, si prædicto vnguento addatur ℈. j. euphorbij, vel veratri. Hæc prosunt, quia euacuant pituitam, & cerebrum exiccant. Gargarismata, quæ siccant & trahunt pituitam, huic affectui præscribenda sunt, de quibus superiùs dictum est. Vel fiant formulę tales, quas in ore retineant, vel masticent. *Gargaris.* *Formulæ.*

℞. cubebar. macis, nucis moscatæ, gariophy. galan. piperis longi an. ʒ. j. salis communis ℥. j. excipiantur cera, contineat ore, & masticet. Eluat os frequenter muria

piscium, id est, garo, vel oliuarum, quæ plurimùm prodest. Inungatur pars posterior ceruicis & latera maxillarum vnguento sequenti, vt

℞. olei de euphorb. costini & de piperibus secundum nostram castigationem an. ʒ. ij. ceræ rubræ vel viridis q. s. fiat linimentum, quo inungatur pars posterior capitis & ceruicis retro aures. Tempore inunctionis adde aquæ vitæ parum.

Sinapismi Sinapismi, dropaces, & alia remedia metasyncritica, vel vesicatoria ex melle anacardino, vel ex cantharidibus parti posteriori capitis appositis plurimùm prosunt. Eodem vnguento inungenda sunt latera colli vsque ad clauiculam in paralysi laryngis & œsophagi, in quibus, quæ ex aceto & synapi parantur, magis conueniunt, quàm aliæ collutiones. Item ex decoctione gallarum & nucum cupressi, & masticatoria, vt semen synapi exceptum mastiche, & caro cydoniorũ leuiter masticata & subitò deuorata. Linimenta fieri debent ex resiccantibus & constringentibus, vt

℞. olei ex acinis vuarum ℥. ij. olei myrthini & cydoniorum an. ℥. j. ladani, acasiæ, cyperi, hypocist. an. ʒ. ij aluminis de pluma ʒ. j. cera parum, fiat linimẽtum. Tempore inunctionis adde aceti rosi. parum ad penetrationem & contractionem. In hac sola resolutione conuenit acetum ad partem nimium dilatatam contrahendã. Vngantur latera colli, & spinæ dorsi, & ceruix tota. Et quia difficiliùs hæc cognoscitur affectio, ob id adiungenda sunt signa. Hac nota potissimùm deprehẽditur, quòd resolutione œsophagi laborantes cibaria deuorare possũt, quæ consistentia sunt spissa: quæ verò liquida sunt, non possunt. Huius rei caussa est, quòd alimenta non nisi sensim descendent, propter quod œsophagus considit in sese. Ob eam caussam partem superiorem œsophagi contrahi oportet, vt cibum deorsum deturbet. At illa alimenta, quæ dura & spissa sunt, leui contractione facta propelluntur. Liquida, quia illam cõsistentiam non habent & cedunt impellenti, ob id non deglutiuntur.

De Paralysi Vesicæ. Cap. XXV.

Resoluitur interdum musculus constringens collum vesicæ, ob quam resolutionem vrina inuoluntariè exit.

exit. Si ita accedit, curanda est alterantibus, & euacuantibus pituitam, vt dictum fuit suprà. Topica autem remedia erunt hæc. Fiant iniectiones: vng. penis, & tota regio ossis sacri, à quo procedunt omnes nerui descendentes ad vesicam. Iniectiones possunt fieri ex oleis, decoct. calorificis. & affectioni accommodatis. Post purgationé etiam à principio sunt iniicienda per syringam olea, quæ digerunt, qualia sunt laurinum, ex rad. cucu. agre. liliorum, antiquiss. de nucibus, de costo. In declinatione autem olea, quæ aliquam habent astrictionem simul cum calore, sunt iniicienda, vel miscenda sunt calfacientibus, quæ vim habent restringendi sine refrigeratione, vt est oleum nardinum, de absynthio, oleum in quo decocta sit radix pyretri & alia id genus, quæ simul habent vim calfaciendi & astringendi. Iniectiones etiam fiunt ex decoctionibus hoc modo.

℞. rad. cucum. agrest. enulæ camp. vel ireos ℥. j herbæ paralys. yuæ arth. saluiæ, foliorum lauriana M. ß. fiat decoctio in ol. antiquo, vel amygd. amar. vel in oleo de cherua, & iniiciatur cum syringa. In declinatione verò conficiendæ sunt deco. quæ leuẽ vim habeant astrin. sic.

℞. rad. pyretri, rad. cucum. agrest. ana ℥. ß. puleg. saluiæ, primulæ veris, chamep. sabinæ ana M. ß. cortic. pini, cyperi ana ℥. j. nucis cupressi, corticis thur. ana ʒ. iij. fructus lentisci, vel summitatum eiusdem, aut fructus terebinthi, aut summitatum eius, vel oleastri maris ana ʒ. ij. fiat decoctio in vino stiptico. Potes etiam addere ros. stechad. Sunt verò colligendi cum surculis, & foliis. Saluiæ, roris. ana p. j. & ex decoctione fit iniectio. Fiat inunctio ex oleis supradictis, vel ex pinguedinibus, & vnga. penis, & tota regio vesicæ, & ossis sacri, & perinei. Non prætermittatur castor. siue in iniectionibus, siue in vnctionibus. Tantam enim habet proprietatem vt in omni paralysi conueniat. Coniza etiam siue pulicaria, trifolium fœtidum, & ruta maximè in hac affectione cõferunt, quocunq; modo administrentur. Tandem affigãtur cucurbitulæ, sine scarificatione supra nares primũ postea emplastrum ponatur, quale est cheroneũ vel ex pice & colophonia tantùm. Nam cucurbitulæ trahunt sanguinis & spiritus copiam, vnde pars incalescit, & humo-

Castor. mirum in modum confert paraly.

Cucurbitu.vsu. rum crassities, & lentor attenuatur, & inciditur. Idem præstat & picatio, aut alterius emplastri calorifici applicatio. Pix enim attrahit à centro ad circumferentiam.

Annotatio in caput superius.

Eadem remedia, quæ describentur in additione ad cap. 26. de resolutione ani, conueniunt post clysteres. Iniicienda est aliqua pars decocti clysteris in vesicam per syringam. Regio perinei inungenda vnguento descripto deinceps, in additione ad cap. 27. de resolutione mentulæ. Detur etiam hic puluis.

℞. cineris muriũ vel mustellarum ʒ. j. capiat cum aqua myrtillorum, vel peculi rosarum per catenchritem.

De Paralysi podicis. Cap. XXVI.

EAdem ratione curanda erit paralysis intestini recti: hoc tamen addere oportet, quòd in hac affectione fieri possunt fomentationes in ano in principio, & post purgationes. In principio iniectiones fient per clysteres, qui similes erunt superioribus, nisi quòd fortiores esse possunt. Sed fomentationes astringentes & calfacientes non debent fieri nisi purgato corpore, rectóque intestino intro reducto, admotis etiam cucurbit. duabus in fine ossis sacri, prope caudam vtrinque vna. Nam ventosæ veluti manus retinent intestinum. Et astrictio illa iuuatur per fomentationes recti intestini, & musculi ani. Fumigia etiam fiant ex castoreo, pice, & aliis rebus calorificis, & aliquo pacto astringentibus. vt hoc modo.

℞. cortic. pini ℥. j. cortic. thur. ℥. ß. picis coloph. thuris, mastichis ana ʒ. iij. castor. ʒ. j. formentur cum vino stiptico formulæ instar trocis. quæ ponantur supra carbones, & recipiat fumum in ano per cathedram perforatam. Si addantur ramenta cornu cerui, erit efficacius. Ponantur in hoc fumigio fœtida, quia non solùm vterus fugit odores fœtidos, sed etiam rectum intestinum, & aliæ corporis partes sponte naturæ. Quòd si alui excrementa retineantur, humectetur per clysterem ex oleo, & apponantur etiam quæ vim habent irritandi facultatem expultricem, vt sal & muria. Ita etiam in paralysi vesicæ, si contingat vrinas supprimi, prouocentur.

Nõ solùm vterus fugit fœtida

Alterum caput de resolutione ani.

Resoluitur musc. sphincter, vel musculi retrahentes

rectum

rectum intestinum. Si resoluantur musculi suspendentes qui in lateribus recti intestini positi sunt, fit descensus recti intestini. Si verò sphincter, alui excrementa non possunt retineri per aliquod tempus, post illam irrigationem factam. Curantur autem hæ duæ resolutiones clysteribus & fumigiis. Clysteres autē fiunt ex reficcātibus & constringētibus vtcunq; aut calfaciētibus, vt,

℞. rad. acori vulg. & bistortæ cyperi. galangæ ana ℥. ij. fol. saluiæ M. j. pulegij, absinthij M. ß. florū stech. rosana p. j. fiat decoctio in aqua & vino stiptico, & in ℔. ß. col. diss. castor. ℈. ß. ladani puri ℥. ß. misce, fiat clyster, iniiciatur frequenter. Ex eadem decoct. fit fotus addendo aliqua quæ magis astringant, vt foliorum verbasci M. j. balaustiorum, sumach, hypocistidos ana ℥. ij. foueatur vel sedeat in decoctione calidiss. vel frigidissima. Balani fieri solent hoc modo.

℞. ladani ℥. j. castor. ʒ. ß. malaxentur simul, fiant supp. crassa & breuia, immittantur & teneat æger per noctem. Item suffumigia potenter exiccantia sunt ex vsu. Parantur autem ex pice derasa de nauibus, vel fiat hoc modo.

℞. cortic. nucum ℥. j. castorei ʒ. j. styr. rub. ladani, hypocist. ana ʒ. iij. excipiantur pice & terebinth fiant for. quibus suffumigetur anus per embotum sic. Vel sedeat in sella perforata pannis inuoluta. Vndiquaque recipiat fumum post reiectionem excrementorum alui, vel fumum lapidum molarium extinctorum vino, vel deco. præcedentis clysteris.

De Paralysi penis. CAP. XXVII.

FIt interdum resolutio in pene ob musculos eius relaxatos, & male affectos. Curanda erit alterantibus, & purgantibus medicamentis suprà traditis. Obseruare tamen oportet, ne eos vrgeamus multis aut ingentibus vacuationibus. Nam omnis vacuatio insignis maximè contraria est distētioni penis, & veneri. Quin potius alimentis laudatis sunt alendi, & quæ adaugeant semen. Pro topicis remediis applicentur cucurbitulæ supra nates, postea circa inguina. Inunctiones fiant circa os sacrum, & ossa ilium, ex vnguentis suprascriptis. In principio & quò magis propria, & determinata huic affectioni reddantur, miscenda sunt aliqua, quæ vim ha-

beant corroborandi illas partes, & inflandi siue disten-dendi penem. Præterea dāda est opera, vt quæ nimiū digerunt & calfaciunt, in declinatione non adhibeantur. Hæc enim semen absumunt, & flatus discutiunt, digerúntque qui admodum necessarij sunt ad penis erectionem. Ponatur ergo in declinatione maior pars eorum, quæ vim habent gignendi flatus (vt sunt olea nucum & auellanarum)quàm eorum quæ digerunt, vt hoc modo.

℞. ol. de cherua, vel ol. veteris, vel ol nucum ℥.ij. ol. pinearum vel auella. ℥.iij. ciuetæ ℥.ij vel ℥.ß. si sit diues, renum vel caudæ stincorum, & cineris priapi tauri, vel cerui ana ℥.j. seminis bulbi, vel cæpe, vel erysimi, vel erucæ hispanicæ ʒ. iij. ceræ parum. Fiat vng. quo vng. renes, perineum, & latera liliorum, & inguina, inferior pars vētris maximè, vnde oriūtur nerui, & musculi distēdentes penē. Vtatur opiatis quæ poterunt cōfici ad hūc modū.

℞. conf. secacul. eryng. ana ℥.j. auellanarum per duos dies & totidē noctes maceratarum in melle N. x pinearum, fisticorum ana ℥. ß. priapi tauri siue cerui, boracis ana ʒ. ij. caudæ stincorum, linguæ anseris ana ʒ. j semi-nis bulbi ℈. iiij. syr. conf. satyrionis q. s. fiat opiata. Cap. ad quantitatem auellanæ, cùm ibit dormitum. Aduertendū tamen est vt diligenter obseruemus ægri temperaturam. Nam in valde biliosis non est vtendū multùm calidis, & digerentibus, quia potiùs in istis semen & flatus extinguut, quàm generāt, quæ tamen in pituitosis & humidis multū cōmendantur. Danda ergo biliosis sunt, quæ non admodum calida sunt, cum quadam humiditate, vt est satyrion, in pituitosis econtra. Auellanæ diu in melle maceratæ, plurimū iuuant penis distētionem. Borax non est crisocolla veterū: hæc enim venenum est, & borax citra noxā intus assumitur. Potest tamen dici crisocolla ab effectu. Nam aurifices ea vtuntur, sed ea non præstat quæ à veteribus sunt illi tributa. Lingua anseris tota substantia venerem stimulat. Est autem & semen fraxini, quod vulgò lingua auis dicitur. Ne quis hæc cōfundat, venerem etiam excitās, vt & omnia semina, quæ aliquam habent dulcedinem, & sunt edendo, vt semen lini. Conueniunt in hac affectione omnia alia remedia, quæ præscribuntur ad erectionem virgæ. Abstineant à

menta,

menta, ruta, vitice, lactucis, & omnibus semen minuentibus. Pignolatum multùm laudatur: vel si velis alio modo parare, fiet vt sequitur.

℞. pinearum infusarum in melle, auellanarum & fisticorum ana ℥.ij medullæ seminis fraxini ℥. j. zinz. seminis erucæ, & bulbi ana ʒ. j. medullæ seminis pœoniæ ʒ. j. ß. cinam. ℈. ij. cum melle despumato fiat confectio in forma solida vt turiones, vel morcelli, quibus vtatur in fine mensæ. Si addas pul. priapi tauri vel cerui ad ʒ. j. & seminis lini tosti ʒ. ij. fiet efficacius. Vel si velis amyg. pistatas & sacch. addere, fiet velut pasta regia, vulgò (tartre de marsepain) dicta.

Alterum caput de resolutione mentulæ.

Mentula resoluta dicitur, quando erigi non potest existente seminis flatulenti multitudine. Resoluitur autem ob maiorem extensionem manu factam. Solent enim meretrices ob zelotypiam iuuenibus mentulã extendere vi. Aliquando fit ob natationem in aqua frigida ob refrigerationem factam circa perineum: aut propter compressionem, aut longam equitationem, quæ accidit præcipuè his, qui in ephippio sedent admodum duro, & qui sunt parùm pingues. Si fiat resolutio ob extenuationem corporis, fotus aquæ frigidæ in principio iuuat ob contractionem, quam inducit. Quòd si id factum statim non iuuerit, ad alia remedia veniendum est & pars perinei inungenda sequenti vnguento.

℞. ol. mastich. & ol. ex acinis vuarum ana ℥. ij. mastic. sang. ʒ. ana ℥. ij. alumnis ʒ. j. ceræ rub. q. s. fiat linimentum, tempore vnctionis adde parùm vini cretici, vng. mentula ad podicem vsque, quia ibi musculi positi sunt duo inferiores. Quòd si morbus non fuerit curatus, & inueteratus iam sit, foueatur sequenti lixiuio.

℞. cineris inuolucri castor. vel priapi tauri, vel cerui ℔. ß. fiat lixiuium in quo decoq. nucũ cupressi ℥. ij. foueantur prædictæ partes calidissimæ vel frigidiss. Hæc fient post leuem aliquam euacuationem, vt pilulis primis inferioribus addito castor. ad ℈. ij. Detur theriaca antiqua, vel aurea alexandrina, vel fiat talis opiata addendo ℈. ß. mosci in ditioribus, vt,

℞. zinzib. conditi ℥. ij. conser. acori vulg. & conser.

eryng.ana ℥.j.bauracis ʒ.iij.aureæ alexand.ʒ.ij.cum syr. conseru.corticis citri fiat opiata.cap. ʒ. j.manè, & sæpè vtatur alimentis flatulentis, & quæ ad penis distentionem præscripta sunt. Hac ratione perficitur huius resolutionis curatio. Dropax ex pice & sale & semine sinapi hāc resolutionem curat, vt fiat leuis excoriatio in extremitate præputij. Non sunt etiam negligendi clysteres, & alia topica remedia, quæ ad ani resolutionem præscribuntur. Hæc vltima remedia in resolutione penis conueniunt, à quacunque caussa fiat. Potus aquæ frigidæ, & inunctio prima in resolutione facta à violenta extensione conuenit.

Emplastrum.

De Paralysi facta ex contusione, ictu, aut casu.

CAPVT XXVIII.

SI ex ictu timeatur defluxio ad partem læsam, vt si adsit plethora, fiat sanguinis missio, vt in aliis contusionibus fieri consueuit. Verùm topica remedia in hoc differunt, quòd in cōtusione, vel casu, siue resolutione adhibemus adstringentia, & refrigerantia, ne humores ad talem partem attracti, inflammationem excitent. In hac autem contusione adhibemus medicamenta, quæ partim digerunt, partim astringunt cum calfactione quadam, quale est medicamentum illud compositum ab Haly ad formam emplastri, cum quo curauit fratrem filij Mosis, vt recenset. Vel fiat sic.

℞. cortic. pini, mastichis, thuris ana ʒ. iij. bituminis iudaici, vel mumiæ ana ʒ.ij. cyperi, cala. arom. galangæ crassæ, spicæ ana ʒ.j olei chamo. oleandri ana ℥.ij. ceræ parum, fiat vnguentum, vel addendo picis & resinæ q. s. fiat emplastrum. Adde ladani ℥. ß. grum. hederæ ʒ. ij. Post aliquot dies ab ictu, accedente declinatione, iam minuantur astringentia, & augeantur digerentia, vt loco olei oleādri, pone oleum de castoreo, vel lumbricorum. Si autem suscitetur inflammatio, vt eius generatio impediatur, adaugenda erunt in principio astringentia. Tunc adde rosas & similia. Et loco olei cham. addi potest portio aliqua ol. ros. aut alterius eiusdem facultatis.

De Paralysi extremorum. CAP. XXIX.

SI Paralysis fiat in altero brachiorum, vel in pede aut in aliqua alia parte extrema, hæc erit ratio curandi

randi. Purgetur vniuersum corpus, concocta prius materia, vt supra monstratum est. Cerebrum exiccetur, & reliquum corpus. Præcipuũ est post purgationem, vt supra partem, vnde nerui mouentes membrum resolutum oriuntur, apponantur cucurbitulæ, & vesicatoria, & vlcus exiccatum maneat longo tempore apertũ. Supra partẽ verò affectam, affigantur paruæ cucurbitulæ cum pauco igne sine scarificatione, vt fiat tantùm attractio ad partem, & non attracti resolutio. Id sæpius faciendum est, ter aut quater nempe in hebdomada. Inunctiones etiam fieri debent ex oleis præscriptis. Apponantur cucurbitulæ, & vesicatoria super spatulas in medio, si paralysis sit in brachiis: vt supra vertebras lumborum, si crura sint resoluta, & supra os sacrũ, vbi vesica, vel penis, aut rectum intestinum.

De paralysi partium faciei, superciliorum, labiorum, manuum, pedum. CAP. XXX.

RESoluuntur faciei partes affecto cerebro, vel quando neruus particularis afficitur. Interdum oculi resoluuntur, supercilia, labia. Si resolutio oculis accedat, remediis præscriptis in additione ad caput de resolutione linguæ curatur, nisi quòd masticatoria magis conueniunt, quàm errhina. Alexander Trallianus imperat etiã sternutamenta, & errhina: sed hoc erit post masticatoria. Si autem resoluatur supercilium, difficillimè curatur, quòd pars illa parum caloris habeat, neruos, venas, arterias, admodum constrictas, & magis propter refrigerationem partis externæ fit, quàm internę.

Curatio paralysis superciliorum.

Dropaces ex pice, aut emplastra trahentia cum castoreo, euphorbio, erunt ex vsu, vel linimenta descripta in additione ad caput de Paralysi linguæ: vngatur vndiquaque. Vel pro topicis & loco vnguenti, vtere succo tapsiæ, vel rutæ, vel vrticæ, & inungatur pars affecta, & vicinæ partes, maximè pars posterior capitis & primæ vertebræ, vnde oriuntur nerui superciliorum motorij. Id autem fieri debet post vniuersales purgationes. Quòd si medicamento non curetur, ferro curabitur. Inducendum est vulnus obliquè à canto minori ad maiorem. Facta deperditione cutis contrahitur, & sursum

K

trahitur palpebra. Sed semper deinde oculum apertum habebũt. Satius autem est semper apertum, quàm clausum habere.

Curatio paralysis labiorum.

Iisdem remediis curatur, quibus lingua, nisi quòd gargarismata euacuantia præscribi possunt.

Curatio paralysis manuum.

Curantur remediis præscriptis secundo cap. de cura vniuersali. Inunctiones faciendæ sunt circa finem ceruicis, & principium dorsi, & in aliis, quia citiùs medicamenta per eam partem ad principium neruorum penetrant. Quòd si digiti aliquantulum resoluantur (quod tamen raró accidit) topica remedia adhibenda sunt supra partem per quam neruus descendit ad digitos alios. Si paruus digitus & media pars annularis, topica remedia adhibenda sunt cubito. Si alij tres resoluuntur, vel stuporem patiuntur, aliis illæsis, vulnerata est aut affecta spinalis medulla, vel in ipso principio neruorum brachij. Omnes æqualiter resoluuntur, vel stuporem patiuntur, si per defluxionem vel concussionem lędantur. Nam per sectionem id non est necessarium, propterea quòd omnes nerui circa principium simul iuncti sunt: separantur autem paulò post supra cubitum. Et quia neruus, qui in cauitate olecranij latitat siue cubiti, paruo digito & annulari sensum præbet, si lædatur vel contundatur, horum tantùm duorum digitorum resolutio sequitur, aliis illæsis, vt ex anatome & per experientiam conspicitur.

Curatio paralysis pedum.

Si in pedibus fiat resolutio, topica remedia ponendà sunt super vertebras lumborum, & in inguinibus, qualia priùs descripta sunt in cura vniuersali. Alexander Trallianus meminit eiusdem resolutionis ex sola qualitate sine materia, à siccitate cum caliditate; quam refrigerantibus & humectantibus curari vult, quæ à me nunquam visa est.

Vniuersalis ratio vtendi medicamentis præscriptis ad paralysim. CAP. XXXI.

PRimùm præscribantur pilulæ sine custodia, de quibus capiat ter aut quater in hebdomada. Exhibentur

tur eiusmodi pilulæ leuiores ante alia remedia, & maximè ante vsum syruporum attenuantium, & aperientium, vt repurgentur viæ communes, ventriculus nimirum, & intestina ab excrementis, & humoribus crudis, ne idem nobis contingat, quod medico cuidam, qui cùm vellet prouocare menses, vsu aperientium, & attenuantium syrup. deduxit mulierem ad paralysim, eò quod crudi humores, & glutinosi, qui erant in viis ductuum, vi illorum medicamentorum aperientium deducti sunt ad partes, & in neruis impacti paralysim concitarunt. Alter etiam Lutetianus, cùm vellet curare pallidos colores, eadem ratione deduxit puellam ad paralysim crurum. Oportet ergo in omni morbo ante vsum aperientium medicamentorum repurgare vias communes leui medicamento, siue prouocandi sint menses, siue resoluendæ obstructiones, aut ob aliud, vti multùm calidis aperientibus, & attenuantibus medicamentis velimus. Post pilulas ordinetur syrup digestiuus pro 5. vel 6. dosibus ex syrup. imbecillioribus, & primi ordinis, vel detur syrup. præscriptus, qui dicebatur imbecillior. Purgetur postea pilulis illis mitioribus, sed fortificatis cum ag. vel tro. alandal, & pauco castoreo, vel etiam mediocribus præscripus. Post primam purgationem, aliquot diebus vtatur theriaca antiqua per se, vel dissoluta in aqua saluiæ, vel chamepit. Continuet per duas hebdomadas, accipiendo, tertio vel quarto quoque die prætermittat pilulas illas leuiores sine custodia vel clysterem. Tandem inunctio facienda est, qualis est, quæ conficiebatur ex ol. cham. quam vocabamus imbecilliorem. Post aliquot hebdomadas vel menses, rursus concoquatur materia syru. mediis, sed præcedente semper clystere, & purgetur pilulis fortioribus. Vtatur insuper opiata præscripta à nobis, vel compositione mythridatica, vel confectione anacardina in minore dosi. Confectio tamen hæc anacardina non admodum probatur, vt modò paratur à Pharmacopolis, propter myrobalanos, qui multùm astringunt. Nam multùm astringentia non debent cum multùm calidis admisceri. Faciunt enim, vt diutius maneant in corpore, & noxam inferant. Ob id confectio anacardina febrem excitat.

Error multorum.

Incommodum confectionis anacard.

Melius est ergo loco myroba. ponere aliquod medicamentum tenuium partium, vt est cinamomum & similia. Adde frequenter castaneas illas indicas, quæ similitudinem habent cum anacardis. Fiant stuffæ & inunctiones. Applicentur cucurbitulę. Fiant exulcerationes. Post aliquot menses rursus humor concoquatur, & vacuetur. Concoquatur quidem syr. fortissimis, si vires tolerant, & vtantur omnibus extremis remediis, vt modo apozemate præscripto. Capiat bis in hebdomada ʒ. ij. pilu. de beniouin intentionis nostrę præscriptarum cap. 23. Vtantur aquis sublimatis præscriptis. Sunt enim tenuiorum partium, quàm decoctiones. Quare cùm volumus vti attenuantibus, & incidentibus, prçeligendæ sunt, vt in prouocandis mensibus, & obstructionibus soluendis. Vtantur semper victu attenuãte, abstineant à iusculis Quòd si velint eis vti, conficiantur ex pipionibus, passeribus decoctis cum saluia & betonica. Commendatur etiam esus ciconiæ Erit optimum in iusculis addere puluerem prçscriptum cap. de epilep. Qui penis resolutionem patiuntur, victu minus exiccãte, & paulò pleniore alendi sunt. Parentur polypi pisces pro cibo, quos diu & multùm oportet verberare baculo, vt fiant teneriores. Sunt enim admodum duri, attamen vbi ita parantur, & bene concoquantur à ventriculo, præstantissimi sunt, inter omnia alimenta in generando semine efficacissima. Cùm finditur polypus, reperitur quidpiam lacteo oui simile, quod plurimùm venerem stimulat. Parantur etiam echini marini elixi, vel assi, quos vulgò prouinciales (vrsins vocant.) In summa omnia alimenta, quæ semen gignunt, multúmque nutriunt, probum succum, & non excrementosum generant, quę omnia commendantur in augendo semine. Vino vti possunt hi, sed bene diluto. In his omnibus habenda est ratio temperamenti, & in victus ratione præscribenda, & in medicamentis. Nam qui natura sunt calidiores, paulò crassiore victu vti possunt, & remediis minus calidis: Nam multùm calida & sicca, in his semen absumunt. Quare medicamenta eligenda sunt, quæ magis à tota substantia, quàm quę qualitate manifesta operantur, vt sunt Priapus tauri, vel cerui, & conserua satyrionis, quæ magis

Quando vtendum aquis distillatis.

magis ob flatus, quos gignit, excitat venerem, quàm ob caliditatem aliquam insignem. Videtur enim esse temperata hæc conserua, vt indicat eius sapor dulcis, aut potiùs insipidus. Qui verò natura sunt frigidiores & pituitosi, magis vti debent conserua secacul, & zinzibere condito. & pyretro etiam condito (si reperiatur) & conserua, quam vulgò Bauciam vocant. Est etiam Baucia radix spondylij, aut pastinacæ agrestis, & aliis similibus remediis calorificis. In biliosis naturis commendantur myrobal. conditi, vt nux communis condita in pituitosis. Qui vel linguam, vel vesicam, vel partem aliam resolutam habent, vtantur similiter victu attenuante. In paralysi linguæ laudatur frequens eius frictio cum theriaca antiqua, vel mythridatio. *Conserua satyrionis.*

De paralysi in Fernelium. CAP. XXXII.

PAralysim à pituita crassa neruo tenaciter inhęrente fieri omnium medicorum est sententia. Ego verò à tenui, sed multa, quæ à cerebro defluit, & ob tenuitatem, totam nerui substantiam irrigat, molliorémque efficit, in quo idem neruis, quod in apoplexia cerebro accidit. Ex illa enim nerui remollitione sequitur nerui extensio, constructioni naturali contraria, quę efficit, vt partem, cui inseritur neruus mouere non possit. Quare non est audiendus Fernelius, qui flauam bilem, paralysim posse excitare scribit. Huius autem verba sunt: Quin etiam alius humor in spinali medulla influxus, paralysim committere potest. At sæpe flaua bilis hanc infligit, cùm sub finem intermittentium febrium in spinam dorsi, deinde in neruorum origines effunditur. Hactenus ille. Non eo inficias sanguinem in spinam prouenire, & ab eo paralysim induci posse, cùm in spinali medulla frequentissimæ sint venę, à quibus multum sanguinis effundi potest, quia sua humiditate vim habet humectandi neruos: sed qua ratione, aut bilis, aut melancholia id efficere possint, non video, cùm hęc rarò, nec facilè ad spinam deferantur, & cùm eò peruenerint, neruos potiùs siccent, & indurent, quàm emolliãt: vt in elephantia laborantibus videre est, quorum corpus propter siccitatem arescit: non tamẽ inde paralysim accersit, quanuis sentiendi munus extinctum in his propè

appareat. Tantùm abest, vt nerui ob id resoluantur, & laxiores efficiantur, vt robustiores euadant, nisi ad extremam senectutem redigantur. Bilis enim non minùs, quàm melancholia siccat, sed cùm acrimoniam adiunctam habeat, idonea magis est ad conuulsionem, quàm ad paralysim excitandã. Acrimoniæ enim conditio est, neruos potiùs vellicando contrahere & cogere, quàm relaxare & emollire, vt puncturæ, quæ illis ab acribus & mordacibus humoribus accidunt, nobis demonstrant. Non ergo satis mirari possum, quòd tantus vir, tam leuiter, etiam sine ratione in hanc sententiam præcipitãter adductus sit, vt quòd sub finem febrium intermittentium paralysim ortam, aliquando conspexerit, à bile in spinam dorsi, & neruorum originem effusa concitatam crediderit, quasi bilis, quæ tunc euicta est & pauca, ad locum adeo dissitum & remotum accessu difficilem permeare queat. Quòd enim pauca eo tempore sit, & coacta, nõ dubium est, cùm morbus in declinatione sit. Sed quis illi aditus ad spinalem medullã esse potuerit? Aut enim à cerebri sinu posteriore delapsam esse, aut per vertebrarum foramina ad spinam peruenisse oportet. Quòd si per cerebrum, cur non phrenitim potiùs in illis febribus excitauit? cur non etiam in ardentibus? quod æquius esse videtur. Idem etiam præstat. Quòd cùm non fiat, nec in febrium intermittentium declinatione per hanc viam fieri putãdum est. Per vertebrarum autem foramina, quia cum sanguine simul deduci oporteret, subiisse cum sanguine, bilis videri non debet, aut in venis contentam fuisse. Quare ardentem aut continuam potiùs, quàm intermittentem febrem concitauisse oportuit, Adde quòd venæ illæ quæ per vertebrarum foramina intra spinam peruadunt, nutritionis esse vertebrarum tantùm, aut periostij interioris, quod efficere tertiam spinæ membranam crediderim, cõstitutæ sunt. Quæ cùm nec duram, nec tenuem ipsius membranam attingunt, nec bilem etiam ad illas deferre posse credendæ sunt. Nec si sub finem intermittentium paralyses fiant, à bile promotas argumentum est, cùm bilis aut febrilis calor, pituitam in cerebro contentam, aut in ipsa medulla spinali latitantem eliquare potuerit, quę in

neruos

neruos effusa, paralysim induxerit. Ex quibus concludimus sanguinem solùm tenuiorem, bilémque aquosiorem paralysim committere posse, dum aut multitudine sua obstructionem faciunt, viámque spirituum intercipiunt, aut humiditate spiritus extinguunt, aut consopiunt, aut neruos emolliunt, & elongant. Qua ratione paralysi conuulsio superueniens, curare illam aliquando videtur, propterea quòd neruus immodicè extensus per illam contractionem, ad illum naturalem statum reuocatur, qui tamen cessante conuulsione, ad prioré extensionem recurrit. Calori porrò non minus quàm frigori paralysim inducendi vis est, cum illi emolliendi & effœminandi neruos (si ita loqui licet) potestas insit, siue per se id præstet, siue dum humores præsertim pituitosos fundit, & ad fluendum paratiores reddit, atque vt facilius substantiam neruorum peruadant, poros aperiendo efficit. Qua ratione vinum, quòd suo calore & tenuitate excrementa ad neruos deducat, paralysim efficere dicitur. Quòd verò Aetius, & qui illum secuti sunt, à siccitate fieri scripserint, admodum difficile, & rarum esse censeo. Hoc autem ideo euenit, quòd musculi, vel tendines minùs à spiritu influente, turgeant, vnde flaccescunt, & longiores efficiuntur. Sic quodam in loco Gal. ex atrophia laxiores euadere pronunciauit. Ad id quanuis resolutionis speciem præ se ferat, non tamen veram esse paralysim iudicandum est, quæ tamen existit, cùm sensus, & motus spiritus extinctione, vel absentia perit. Quare cùm solùm sensus, non autem motus amittitur, aut obtunditur, vt per partium refrigerationes accidit. Stupor affectus nominatur, ad paralysim via est, aut paralyseos altera pars. His ita constitutis, si particularis aliquis neruus emolliatur, elongetur, refrigeretur, aut à tumore aliquo comprimatur, sequitur illius particulæ, cui neruus animalem facultatem defert, resolutio. Quòd si tota spinalis medulla ita affecta sit, totius à capite resolutio succedit. Si tantùm altera eius pars, siue dextra, siue sinistra, aut nerui saltem alicuius partis, semiplena fit, cuius generatio admirationem præbere non debet, cùm defluxio, quæ caussa est resolutionis, per vasa fiat. Illa autem sic distincta

Qua ratione vinum inducit paralysim.

sunt, vt dextra sinistris non permisceantur. Nerui enim omnes (quod à nullo ante nos obseruatum fuit) ab ipso cerebri principio, vel in ipsa spinali medulla, diuisi sunt. Quare non tam à spinali medulla, quàm à capitibus neruorum paralysis caussa proueniet. Ob eam caussam Gal. passim paralysim accidere ait, quando neruorum capita, vel obstructa, vel resoluta sunt.

De resolutione ossis hyoidis, & musculorum laryng.

Cap. XXXIII.

Resoluuntur musculi omnes, qui motu voluntario mouentur, sed alij frequentiùs, alij minùs frequenter. Musculi labiorum laryngis frequentiùs, œsophagi minùs frequenter. Rarissimè fit paralysis in osse hyoidis, quam tamen vidi in nobili quodam viro, de qua cùm nulli hactenus scripserint, vel quia non viderint, vel quia illam non cognouerint, à me nunc explicabitur. Primùm dicam, qua via eam deprehenderim & cognouerim, vt cæteri eadem ratione eam cognoscant, & semel cognitam possint curare iisdem remediis quibus ipsi fecimus in resolutione linguæ & partium faciei. Hanc resolutionem cognoui ex actione & vtilitate læsa musculorum, quorum functio est ad os illud firmandum, quod nulla alia ratione firmari potest, cùm in interiori parte sit positum. Descendente enim cibo per œsophagum, os illud firmum & stabile esse oportet ad linguæ musculorum firmitatem, & laryngis. Ob id natura, vt nautæ diuersis anchoris appositis firmant nauim, sic hoc os stabiliuit duobus paruis musculis suspensis mento, qui à parte inferiore retrahunt. Nascuntur è media parte menti, siue maxillæ ab ea parte, in quam inseruntur musculi aperientes maxillam, simul iuncti sunt, vt quasi vnus videatur. His apposuit duos alios rectos longiores & latiores. Quare magis distat os hyoides à clauicula, quàm à mento, quia oriuntur à superiore osse sterni. Abusa est his natura ad ligãdam asperam arteriã, ob id latiores, & longiores fecit: & quia non potuit natura ponere duos transuersos, qui in medio retinerent, alterum in dextra, alterum in sinistra. Non enim locus aliquis restabat commodus, à quo tutò orirentur, & in quem insererentur. Quòd si etiam locus fuisset, vel nimiùm

mium contraherent, & tanquam laqueus collo iniectus strangularent ægrum in contractione. Ob id sagax & prouida natura binos ex vtroque latere obliquos posuit, qui in medio retinerent, & in recto situ firmarent. Sunt enim duo, qui cum musculis maxillam aperientibus, à processu stilloydis nati, obliquè ad os hyoidis descendunt. Alij duo ab acromio orti ad id os obliquè, & tenues, & rotundi ascendunt, in aliquibus carnosi in principio & in fine, in medio verò tendinem habentes, veluti musculi maxillam aperiētes. Sic etiam dicti musculi, si altera in parte resoluti sint, os hyoides in alterā partem retrahitur, nec in recto situ manet, quia tensi nō sunt musculi eius, vnde sequitur vocis & loquellæ impedimentum, quin os hyoides firmum non est. Quare & musculi linguæ & laryngis, qui ossi hyoidi innituntur, non mouentur. Omne enim quod mouetur, innitatur alicui fixo oportet. Cogitur ergo, qui vult loqui, vt musculi extendantur, rigidioresque fiant, in partem appositam parti affectæ retorquendo collum, ob quam tensionem rectè loquitur, cùm in media figura collum retinet. Minus bellè loquitur si ad partem affectam collum vertatur. ἄφωνος est ob laxitatem illorum musculorum linguæ, ortorum ab osse hyoidis & laryngis. Fit hæc resolutio musculorum ossis hyoidis ob refrigerationem, vel ob tenuem defluxionem in partes illas tenues internas. Curatur vt aliæ resolutiones, pilulis fortiter euacuantibus, masticatoriis, gargaris. trahentibus & euacuantibus, deinde calfacientibus. Vnguenta, quæ ad linguæ resolutionem præscripta sunt, apponantur, & lateria colli, & clauiculæ inungendæ, cum menti & aurium parte inferiore. Intus sumere non prætermittentes, quæ neruos & cerebrum siccant, firmant, & corroborant, & quæ arteriam detergunt, de quibus superiùs satis dictum est.

Axioma.

Caussa resolut.

Curatio.

De Stupore. Cap. XXXIIII.

STupor cùm sit veluti diminuta paralysis, iisdem etiam remediis, sed leuioribus curabitur. Optimum remedium est, lauare membrum stupidum cum musto, tempore vindemiarum.

De febre in Paralysi excitata à medicamentis calidis aut ab alia caussa. CAP. XXXV.

FEbris interdum complicatur cũ paralysi ob putredinem alicuius humoris. Quòd si febris fiat sua sponte, ex sola humorum putredine, coquatur humor peccans, & purgetur, vt monstratum est cap. de cura feb. Interim non est negligenda prior affectio, maior tamen cura habenda est de febre, tanquam de eo, quod magis vrget, quia posset ægrum occidere.

Curatio febris à pituita.

Si igitur fiat febris pituitosa quotidiana, quæ magna ex parte & frequentiùs accidit, curetur hoc modo. In principio detur clyster communis, in cuius decoctione optimum erit addere parum agarici. Postea coq. humor syr. sequentibus, siue sit continua, siue intermittens.

Syrupus digestiuus ℞. syr. de bysant. mel. rosf. col. an. ℥. j. syr. capil. ven ℥. ij. aquę gram. aspar. bugl. an. qr. j. misce pro tribus dosib. da manè. Purgetur vel pilulis vel potione, sed potiones laudantur magis, quia non tantùm calfaciunt. Vt

℞. gly. ras. ʒ. iij. pass. prunorũ nu. 6. seminis melonum, petro. & apij. an. ℈ j. senæ oriental. ʒ. j agar. ʒ. ß. medull. seminis carth. ʒ. vj. fiat dec. in qr. j. diss. diap. ʒ. iij. rha. in aqua end. & vino albo infusi & fortiter expressi ʒ. ß. cynamomi gr. vj. syr. capil. ℥. ß. misce, fiat potio. Hæc potio propria est febri ex paralysi, quia crassos humores attenuat simul & euacuat. vt sunt pituitosi, à quibus & febris, & paralysis fiunt. Facilius autem curatur hæc pituitosa febris, quàm aliæ, quia eius remedium, & paralysis ferè conueniunt. In vtraque enim pituitosus humor extenuatur, & euacuatur, & minùs calidis restinguitur calor febrilis. Si autem febris fit à bile, aut à sanguine, maior est difficultas.

Curatio febris à sanguine.

Si à sanguine fiat, & plenitudo corpus grauet, pro cura paralysis & febris sanguinem mittere oportet, si modò omnia consentiant, minor tamen sanguinis copia euacuanda est, quàm si sola esset febris, & non cum paralysi. Refrigerandus est humor minoribus etiam remediis, sed longiori tempore. Nam affectio frigida & humida, qualis est paralysis, non patitur ea, quæ insigniter

refrigerant,& humectant, vel quæ incalescunt. Curetur hæc febris eo modo, quo diximus curari dolorem capitis à sanguine: vt si tertiana fuerit, curabitur etiam, vt capitis dolor à bile, miscendo tamen, quæ ad pituitam respectum habeant, tum in medicamentis attrahentibus, tum in purgantibus.

De epilepsia. CAP. XXXVI.

EPilepsia magna ex parte fit à pituita, interdum à melancholia, raro à sanguine, rarissimè aut nunquam à bile. Fiat aliquando per essentiam affecto cerebro, aliquando per consensum aliarum partium. Morbus hic magna ex parte solet corripere infantes,& pueros. Si infans epilepsia corripiatur, curatio est talis. Primùm nutrix interdicatur vino vtatúrque aqua, vel hydromelite vtatur victu attenuante, & abstineat à coitu. Si nutrix redundet malis succis, purgetur pro ratione humoris peccantis. Si sanguis vaporosus redundet, fiat leuis sanguinis missio ad euentilationem. Vtatur electariis diamosci, diambræ, pliris cum mosco, & se exerceat. Pueris applicetur cauteriũ actuale, in parte posteriore capitis, & maximè iis, qui obesiores sunt, éstq; præstantissimum remedium Florẽtiæ, quia pueri sunt obnoxij huic morbo, etiam mulieres admouẽt cauteria actualia, vt torrem ignitum. Detur puero pul. sequẽtis ʒ. j. cum lacte manẽ.

PVLVIS.

℞. radi. peoniæ & seminis eiusdem ʒ. j. seseleos, anisi, carui, ana ʒ. ß. visci quercini (quod huic affectui maximè est proprium) ʒ. j. fiat pul. subtilissimus, addendo sacc. candi ℥. j. Sunt qui laudant vsum pul. diamosci in eadem dosi cum lacte, vel aqua hyss. Hoc modo facillimè curantur. Si pueri sint maiores natu, non est prætermittenda euacuatio. Curabitur primùm per clysteres leuiter purgantes,& attenuantes materiam, sic.

CLYSTER.

℞. mal. viol. pariet. hyss. pul. ana M. ß. sem. anis. fœni. sesel. ana ʒ ij. cumini, seminis rutæ ana ʒ. j. flor. viol. cha. stechad. ana p j. agar. ʒ. j. fiat dec. in q. iij. diss. mel. viol. & anth. ana ℥. j. ol. cham. ℥. j. ß misce, fiat clyster. Si velis magis diuertere, adde drachmas aliquot diaph. vel indi maioris. Possunt vti pro digestiuo syr. sequenti.

SYR.

℞. mel. scil. ℥. j. aquarum hyss. meliss. & violarũ an. qr. j addendo parũ sacch. fiat iulep. cla. & aro. cũ ʒ. j. diamosci. vtatur post clysterem. Detur potio sequens pueris non lactãtibus, in lactantibus sufficit nutricem purgari.

Potio in grandioribus.

℞. ag. tro. in oxymel. scil. infusi & fortiter expressi an. ℈. iiij. castor. gr. iij salis gemmæ tantundem, mell. rosi col. vel syr. capill. ℥. ß aquarum hyss. absynthij, vel melis. an. ij. fiat potio. Bonum est interdum omittere salem gemmæ, nisi vbi crassis & lentis humoribus abundant, & opus sit euacuatione forti. Si maior natu sit, & maiorem euacuationem ferre possit, fiat hoc modo.

℞. gly. ras. polypod. querc. visci querc. ana ʒ. ij. pass. mund. pa. vj. seminis anis. fœn. cub. an. ʒ. j. sesel. medul. seminis carth. & seminis vrticæ an. ʒ. ij. ag. ʒ. j turbith. ʒ. ß. zinzib. ℈. j fiat decoct. In col. qr j. diss. mannæ granatę ℥. j diaph ℈. iiij. misce fiat potio. Potes addere syr. cap. ven. vel mel. ros. col. ʒ. j. Si fortiori euacuatione opus sit, adde elect. de citro sol. ʒ. j. Si debiles sint, & velis omittere diaph. adde in decoctione follic. senæ ʒ. ij. In hac affectione casia non probatur, nec cath. In crastinum cap. bolum sequentem confortatiuum.

Casia nõ probatur.

BOLVS.

℞. cõser. anthos ʒ. j. diamosci dulc. ℈. j. sacch. parum, fiat bolus. Vel vt facilius capiant, diss. in aqua hyss. & fiat potus. Capiant ter in hebd. ʒ j. pul. præscripti, & applicetur cauterium in occipite, vt in aliis diximus. Si pueris accidat (vt sæpe solet) epilepsia à vermibus, primùm occidantur vermes, & eiiciantur è corpore, postea vtantur pul. præscripto. Potest fieri potus in access. epileps. in pueris sic.

Epileps. à Vermibus in pueris curatio.

℞. pul. præscripti, vel loco eius pul. diamosci dulc. ℈. ij. seminis contra. ag. tro. an. ℈. ß. syr. acetos. simpl. ℥. ß. aquarum absynth. & meliss. an. ℥. j. fiat potus, detur statim. Si à pastu & repletum habeat ventriculum, prouocetur vomitus primùm, postea detur potio. Interea parabitur clyster præscriptus.

Curatio epilepsiæ in maioribus.

Iuuenibus autem, senibus, aut viris, aut mulieribus si hic

hic morbus fiat, curetur hoc modo. Primùm detur clyster,& fiat sanguinis missio de cephalica, quibus redundat sanguis. Si in mulieribus fiat ob retentionem mensium, prouocentur menses. Si ob retentionem hæmorrhoidarum, aperiantur. Si ob retentionem spermatis, subueniatur conuenienti remedio, vel ieiunent,& multum laborent, vtatur semine viticis, loco piperis in brodiis & acetariis. Si ob pituitam, vt sæpe fieri solet, concoquatur & euacuetur. Concoquatur syr. calfacientibus & attenuantibus, quales sunt præscripti cap. de dolore cap. à pituita. Eos prætermittere oportet, qui succum vel radic. apij recipiunt, quia creditur à tota substantia epilepsiam generare, & fouere, quanuis Gal. in consilio pro puero epileptico cõcedat vsum apij,& petro. Maximè commendatur oxymel. scil. & syru. de pomis compos. qui est omnibus aliis anteferendus. Eo vti oportet, sicut docuimus cap. de cephal. à melancholia nempe post purgationem. Vtantur pilulis ante cibum priusquam syrup. digestiuis, aperientibus,& attenuantibus,& repurgetur ventric. à pituita,& cruditate, aut prouocetur vomitus. Sed pil. magis laudantur hoc modo. Hoc commune præceptum est, in quibus vitiosi humores continentur in ventriculo, vel vbi adest cruditas. *Pracep. cõmune.* Pilulæ descriptæ fuerunt cap. de cephalalgea à pituita. Pro principio ergo vtantur hoc syrupo digestiuo.

Syrupus digestiuus.

℞. mel. scil. ℥. ij. syr. de stech. ℥. iij. aqu. hyss. meliss. rutę, beton. sampsu. ana ℥. iiij. fiat syr. qui potest cla. & aro. cum ʒ. j. diamosci vel diambræ. Fortius erit hoc modo.

℞. oxymel. scill. ℥. iiij. syr. de stech. ℥. ij. aquarum rutæ, meliss. fœn. samps. ana q. j. misce. Post primam purgationem purgetur pilulis, quia attrahunt fortius à partibus longinquis, cuiusmodi est caput, quàm potiones. Pilulæ sunt cochiæ, fœtidæ, de farc. de ag. de lapide lazuli, &c. Fiant hoc modo.

PILVLÆ.

℞. mass. pil. fœtid. & de mastiche ana ℈. ij. ag. tro. ℈. ß. troc. alandal. & castor. ana gr. iij. fiant pilulæ vij. cum aqua meliss. vel hyss. cap. cum custodia. Optimum est semper aliquid castorei addere in eiusmodi

pilulis. In crastinum detur theriaca, vel aurea Alexandrina, vel mithridat. nisi aliquid vetet vsum calidorum, vel si mauis, accipe conseruas capitales cum pulueribus capitalibus, calfacientibus, & exiccantibus, & fac hoc modo opiatam.

OPIATA.

℞. conseru. anth. vel saluiæ, & stech. ana ℥. j. pul. diamosci dulc. vel diamb. vel pliris cum mosco. ʒ. ij. mell. scill. ℥. ij. fiat in formam opiatæ, & cap. in crastinum medicamenti, éstque id præstantissimum. Potest addi scilla exiccata in sole per 40. dies, maximè sub canicula, vel loco huius pone mel. scil. aut tro. de scilla, vt communiter parantur pro theriaca. Trocisci tantùm debent poni maiore dosi, quàm caro scillæ exiccatæ propter farinam orobi, quæ ingreditur eorum compositionem, vt ponatur tro. ʒ. j. vel ʒ. ß. vel carnis scillæ ℈. j. vel ℈. ij. mel adhuc in maiori dosi, vt ad ℥. ß. vel ʒ. ij. vel iij. Et diss. cum aqua hyss. & dentur post hebdomadam, vel fiat

Opiata. sequens opiata.

℞. conser. anthos, stecha. ana ℥. j. conser. enulæ campanæ ℥. iij. (Est enim in omni affectu pituitoso, & melancholico laudatissima) tro. de scilla ʒ. ij rad. pœoniç, & seminis eiusdem ʒ. j. visci quer. seseleos ana ʒ. ß. pul. pliris cum mosco, vel diambræ, vel diamosci, vel diacastorei ℈. iiij. syr. conser. zinzib. vel syr. stechad. q. s. fiat opiata. Si morbus contumax sit & antiquatus, veniendum est ad fortiora, & ad ea, quæ tota substantia operantur, & ad superstitiones. Ad fortiora quidem sic.

SYRVPI.

℞. syr. de pomis compos. (qui robusto corpore præditis, & vomitu minimè obnoxiis est efficacissimus) ℥. vj. oxymel, scill. ℥. ij. misce, dētur cum aquis sequētibus, vel cum decoctione aliqua conuenienti.

℞. aquarum melissæ, beton. samb. rutæ ana q. j. misce cum syr. Si verò fiat decoctio, erit efficacissima. Nunquam debet misceri syrup. de pomis compos. nec aliud violentum & forte medicamentum cum myrobal. aliísque multùm astringentibus, quia illa violenta diutius in corpore manentia noxiam in corpore inferunt a-

Cautio. liquando grauem. Quare potius debent misceri cum

aliis

aliis,quæ citò expellunt è corpore.

DECOCTIO.

Decoctio potest fieri diuersis modis,simplex aut cõposita. Simplex erit decoctum ligni indici, accipiendo quantitatem sufficientem pro quatuor aut 5. dosibus. Composita autem, quæ erit extremum remedium, fiet hoc modo,& præstantissima.

℞. puleg. hyss.meliss.beton.capil.ven. ceterach,politrici, adianthos, sampsu. ana M. j. seminis rutæ agrestis vel domesticæ loco eius, sefet, carui, anis. ana ℥.j. agar. ʒ.iij.seminis carth.& vrticæ ana ℥. ß. visci querc. & galangæ crass. ana ʒ. iij. polyp. & rad. enulæ camp. ana ℥. ij. Possunt addi flor. anthos & stecha. fiat decoctio. In col. diss. syr. præscriptus. M. clar. & arom.pro delicatis cum ʒ. j. zinzib. & ʒ.ß. diamb. & diamosci tantundem. cap.in quat. aut quinque dosibus. Rursum cap.pil. præscriptas,vel alias,vt,

Pilulæ conuenientes.

℞. pil.fœtid.cochiarum ana ℈.j.pil.de euphor.(quæ sunt vtiles morbis omnibus, in quibus opus est ingenti incisione, vt in apoplexiâ, epilepsia, lethargo,& similibus)agar.tro.ana ℈. ß. fiant pilulæ cum aqua endiuiæ & reducantur aliquantulùm ad mediocritatem, vel cum syr.viol.V tantur sequenti potione.

POTIO.

℞. hieræ colocinth.& hieræ Ruffi ana ʒ. ij. aquæ hyss. & melis.ana ℥.ij.mel.ros.℥. ß.misce fiat potio.Cassia nõ laudatur, vt iam monuimus à principio. Si ob amarorem hanc reiiciant, vtantur sequentibus. In hac enim materia optimum est vti decoctionibus, quia in eis adduntur medicamenta purgantia pituitã, aut melancholiam & simul attenuantia. Vel potest sumi reliquum apozematis,in quo dissoluantur laxantia,vt hoc modo. *Cap.19.*

℞. decoctionis apozematis præordinati q. j. in quo diss. indæ maior.& diacarth. ana ʒ. ij. confect. hamech. descriptionis Mes. ʒ. j. ß.mell.ros.℥. ß.misce,fiat potio, vel fiat talis decoctio.

℞.gly.ras. polyp. querc. ana ℥. j.pass. mundatarum & prunorum ana N.x hyss.capil. ana M.j.seminis anis. fœnuc.cubeb.ana ʒ. j. seminis carth.℥.j.agar. turbith, vel

esulæ (esula enim creditur esse verum turbith) ana ʒ.j. myroball. chebul. indorum, vel citrinorum, (maximè cùm est admixta cholera, vel melancholia) confricatarum cum ol. amygdalarum dulcium ana ʒ.ij. follic. fenæ ʒ.j.& ß.fiat deco. In q.j.col.diss.elect.de citro sol.ʒ.ij.indi maior & cōfect hamech secundū descriptionem Mes.ana ʒ.j.ß fiat potio. Augeatur dosis si opus est, pro materiæ euacuandæ copia, & viribus ægrotantis. Si non ponantur myrob.adde syr.de pomis compositi,& mell. ros.ana ℥.ß. vel syr. de pomis compos. ℥.j. In crastinum vtatur theriaca antiqua, vel mithridatio. Sequentibus diebus capiat de opiata præscripta,vel sequente.

Opiata.

℞. zinzib.conditi,& pyretri conditi ana ℥ ß. (Si non reperiatur pyretrū conditum,ponatur zinzib.℥.j.)cons. enulæ camp.& stechad.ana ʒ.vj.carnis scillæ,si reperiatur, vel eius loco, mellis scill. illius ʒ.ij.huius ℥.j vel ʒ. vj.seminis pœoniç,& radic eiusdē,visci quer. sesel.(quæ tota substantia valent, vt & sequentia) ana ʒ. ij. coaguli leporis ʒ.ß. cineris cuculli, & cranij hominis adusti,an. ℈.iiij.vel ʒ.j.ß.diamosci dulcis,rosatæ nouellæ,vel diagal. ana ʒ.ij. mell. scill. vel oxymel. scill q. s. Cùm ponitur oxymel, ponitur parùm facch. Vtantur pro summo remedio hac opiata, manè, superbibendo parum aquæ hyss. vel meliss. accipiant ad quantitatem auellanç, in prima hebdomada singulis diebus, aliàs ter in hebdomada. Si opiatam nolint accipere, fiant pilulæ tales. Nam quæ insuauia gustui sunt medicamenta, meliùs aptantur ad formam pilularum,quàm alio modo.

Quæ tota substantia ad epile. valent.

Pilula.

℞. cineris cranij hominis, cineris cuculli, ciner. hyrund.ana ʒ.j.castor calami aro.seseleos.seminis pœoniç (quod colligi debet luna decrescente) & rad. eiusdem, radic. aristolochiæ rotundæ, & visci quer.ana ʒ. ß. pul. diamosci, diamb. & galangæ ana ℈. j. coag. lepor. vel hœdi ʒ. ß. incorpo. simul, fiat massa pil. cum.mel. scill. for. pilulæ vj. pro ℥. capiat pilulas manè iiij. loco opiatæ. Et vt faciliùs dissoluantur in ventriculo, ac proinde citiùs operentur,bibat parum aquæ chamepit. vel rutæ, vel callitrici,quæ postrema confert epilepsiæ à tota substantia. Poterit vti his pilulis loco opiatæ, vel etiam licet accipiatur opiata, alternis vicibus, nunc ex pilulis,

nunc

nunc ex opiata. Si interdum misceatur agar. tro. valde iuuabit. Potest cōfici pul. capitalis, & ex præscriptis albato castoreo, vel eius dosi dimidium, addendo sacch. quo vtantur cum vino albo, vel cum aqua descripta, ne videamur semper eodem medicamento vti. Potest fieri aqua theriacalis, quæ præstantissima est hoc modo.

Aqua theriacalis.

℞. theriacæ antiquæ qr. j. mythrid. qr. ß. radic. enulæ camp. ℔ ß callithrici M. ij. chelidonij maior. M. j. temperentur per noctem in vino maluatico. Omnia simul ponantur in alambico vitreo, & fiat distillatio. Hęc aqua valet in omnibus affectibus cerebri, & neruorū frigidis. Commendatur etiam aqua hyrundinum, quę conficitur hoc modo. *Cautio.*

Aqua hyrundinum.

℞. hyrundinum ℥. vj. castor ℥. j temperentur in vino, & modo supradicto distillētur. De istis aquis capiat duo cochlearia ad summum, semel in mēse manè ieiuno stomacho. Omnia enim, quę sunt tenuium partium, debent sumi vacuo ventriculo. Quòd si ante vsum harum aquarum per duos aut tres dies accipiat pilulas, erit melius. Potest ergo fieri massa pilularum de quibus capiat ter in mense, vel semel in hebd. hoc modo. *Pilula.*

℞. agar. tro. (qui maximè commendatur in epilepsia) ʒ. iiij. radic. brion. & cucumeris agresti, esulæ, zinziber. cal. aroma. ana ʒ. ß castor. myrrhæ, croci, cubeb. spicæ, schenanth. nucis moscatæ an. ℈. ij. tro. alandal. ʒ. ß. aloes vnc. ij. mell. scill. vel oxymel. scil. ʒ. fiat massa pilularum, de quibus capiat ter in mense, cum custodia, ʒ. j. Radix cucumer. agrestis ponitur loco elatarij, quod non paratur. Quòd si pararetur, ponendum esset. Si non sit fortibus vtendum, vtere mitioribus, & roborantibus pilulis, quas poterit capere sine custodia, vt sunt pilulæ assaieret, de aromatibus, addendo tertiam partem agar. vel pilularum sine quibus, vel de hiera composita, nunquam prætermittēdo agar. formentur semper cum melle scill. vel oxymelle scil. vel cum syru. de stechad. vel de hyss. vel cum aquis appropriatis, vt rutæ, callitrici, & similibus.

TOPICA.

Masticatoriis vtantur, caputpurgiis, &c. ad corroborationem cerebri. In caputpurgiis nunquam omittatur succus sampsuci. In masticatoriis verò addatur vel pyretrum, vel zinziber, addendo rad pœoniæ. Gargaris. fiunt ex decoctione herbarum appropriatarum & oxym. scil. Decoctio gargarismatis fiat talis.

Gargar. ℞. origani, calam. marrub. sambuci, beton. melis. callithrici ana M. j. gly. ras. rad. pyretri ana ℥. ß galangæ ʒ. ij. (bonum esset ponere galangæ ℥. j. sed carior est, & loco eius ponitur iris in maiore dosi, quàm galanga) rad. ireos ℥. j. seminis cubeb. ʒ. j. pass. mundatarum, ficuum ana pa. xx. fiat decoctio. In ℔. j. col. misce oxymel. scil. vel mel. ros. vel syr. de stech. ana ℥. iij. vel iiij. fiat gargar. Adduntur interdum laxantia in gargarismatis ad maiorem pituitæ detractionem, vt si addas indi maioris ʒ. ij. Aliqui laudant suffimigia, quæ fiunt ex secundina asinæ, blatta bizantia, radice pœoniæ. Sed illa magis conueniunt in ipsis paroxysmis, vt etiam olfacere rutam, vt excitentur. Quòd si velis exiccare cerebrum, satius erit parare sic.

Fumigiũ. ℞. cyperi, cal. arom. myrrhæ, mastiches, beniouin, ana ʒ. ij. florum stechad. & anthos ana vnc. ß. nigellæ rom. in aceto madefactæ, & torrefactæ vnc. j. misce, fiat suffumigium. Si sit cerebro maximè humido, & egeat fortiore exiccatione, adde sandaracæ ʒ. j. Vtatur pro suffumigio, quo suffiantur operimenta capitis ægrotantis, intra cubiculum bene clausum. Gestet secum pomum hoc sequens.

Pomum. ℞. rad. peoniæ ℥. j. rad. pyretri ʒ. 6. flor. anthos, saluiæ, & summitatum thymi ana ʒ. iij. seminis rutæ agrestis, castor. piperis, cal. aro. cyperi, ana ℥ j beniouin, styrac. rub. ana ʒ. ß. mosci g̃. vj In ditioribus possunt addi plura grana. Fiat pomum cum aqua rosata, in qua maceratum sit gummi arab. vel tragacanthum.

Epilepsia à melancholia curatio.

Si autem epilepsia fiat propter admixtionem melancholiæ, in syr. concoquentibus oportet addere, quæ humorem melancholicum respiciunt, splenémque, in quo naturaliter maior eius portio est, simul miscendo, quæ

propria

propria sunt affectioni, cum iis, quæ tum humorem admixtum, tùm partem affectam respiciunt, quod est in omnibus affectibus obseruandum. Melancholiam respiciunt, borrago, bugloss. capill. vener. ceterach, phillitis, felix, capparis, cortex capparis, tamarisci, & fraxini, thymus, epithymus, portulaca. chamed. chamep. & scordium. Idem etiam faciendum in medicamentis purgantibus. Addimus enim his, quæ sunt affectioni propria, polyp. folia senæ, summitates thymi, myrobal. indos, & in fortioribus, lapidem lazuli, & armeni præparatos, & alia, quæ melancholiam trahere nata sunt, vt sunt inter composita medicamenta, pilulæ indæ, de fumaria, fœtidæ, de lapide lazuli. Inter elect. confect. hamech. diasenæ, diamannæ, diaph, diacarth. Syrupi de pomis compositis, de fumaria, & omnia alia, quæ præscripta sunt in dolore capit. à melancholia. Semper tamen adiungere his oportet, quæ à tota substantia epilepsiam, & caput respiciunt. Si autem admisceatur bilis, vel timeatur supercalfactio hepatis, vel renum, vel aliarum partium, vel propter anni tempus, & aeris caliditatem, cum siccitate, aut ob temperiem ægri calidam, & siccam, aut per consensum hepatis calidioris, aut renum cum iis, quæ propria sunt epilepsiæ: addimus cichor. endiuiam scariolam, summitates asparagi, lupulorum capil. ven. portulacæ. Syr. infrigidantes etiam, vt de endiuia, capil. vener de cich. qui principatum obtinet in hac affectione, vsurpabimus. Eadem erit ratio curandi epilepsiam factam per admixtionem bilis, vel propter ichores sanguinis (dempta sanguinis missione) vel curandi epilepsiam factam tempore calidissimo, aut temperatura biliosa, vt si fiat hoc modo.

Quæ melancho. referant.

Quæ bilē respiciunt.

℞. syr. de cicho. ℥. ij. oxymel. scil. ℥. j. aqua cicho. capil. callithrici, beton. vel hyss. ana ℥. iij. misce, fiat syr. pro tribus dosibus. Capiat post, tab. j. elect. trias. si requiratur maior infrigidatio: sin minùs, ros. nouellæ. Purgetur pilulis sequentibus. *Syrupus.*

℞. mass. pilul. de agar. & de rhabar. ana ℈. j agar. tro. ℈. j. cum melle scill. aut oxymel. simpl. aut scilliti. (si non timeatur calfactio viscerum) formentur pilulæ. Pilulæ omnes sunt calidæ op aloem. Quare in syrupis *Pilulæ.*

est maior vis infrigidandi, hísque magis vtimur in calidis affectionibus. Possunt etiam dari pilulæ de quinque generibus myrobal. addita parte tertia ag. Potest eadem ratione & metho. componi opiata.

Opiata. ℞. conf. florum cicho. & viol. ana ℥. ß conf. anthos ℥. ij visci quer. rad. peoniæ ana ʒ. j. cineris cranij hominis ℈. iiij. pul. diambr. ʒ. ß. pul. diarrh. abb. & pul. triasand. an. ℈. j sacch. parum, cum syru. capil. fiat opiata. Vbi intendimus alterare, aut refrigerare, non solùm eligere debemus, quæ id præstare queant, sed ea maximè spectanda sunt, quæ à tota substantia operantur, illáq nunquam prætermittere oportet, etiamsi contraria sint nostræ intentioni, & calfaciant. Et hæc remedia erunt pro epilepsia facta ob bilis commixtionem, & per consensum alicuius partis calfactæ, vt hepatis, renum, &c. Et quando cogimur æstate media huic morbo mederi. Eadem methodo sunt componenda medicamenta, vbi epilepsia fit per consensum splenis, vel per mixtionem melancholiæ. Vt si fiat hoc pacto digestiuum.

Qua methodo cōponenda medic.

℞. syr. de fumar. ℥ ij. de pomis compos. oxymel. scil. ana vnc. iij. (quia fortiora remedia sunt necessaria pro splene laborante, quàm pro hepate, cùm ob partis, tum ob humoris melancholici crassitiem & frigiditatem) aquarum portulacæ, scolopen. melissæ, rutę ana qr. j fiat syr. pro quinque matutinis.

℞. elect. diamosci vel diambræ tab. j pro dosi. Purgetur pilulis sequentibus.

Pilulæ. ℞. massæ pil. de fumaria, & fœtidarum, ag. tro. ana ℈. j. formentur pilulæ cum oxymel. scil. Fortissimæ sunt pilulæ de lapide lazuli, & periculosæ. Post purgationem vtatur hac opiata.

Opiata. ℞. conf. scolopen. & capil. veneris ana ʒ. ij. conf. stechad. anth. ana vnc. j conf. ireos conditæ (si reperiatur) conf. enulæ campanæ ana ʒ. j. Potest addi conf. rad. bugloss. & florum borrag & similes, pul. diamosci, diambræ ana ʒ. j. pul. lætitiæ Gal. vel pul. regum, vel de gemmis, vel confectionis alchermes ℈ ij. medullæ seminis pæoniæ, & visci quercini ana drach. j. seminis palmæ Christi, macerati in aceto scill. drachm. ß. Semen hoc debet in aceto macerari, & maximè scill,

antequàm exhibeatur. (Tunc enim citò descendit, & nullam infert noxam ventriculo: alioqui ciet vomitum, ob vnctuositatem. Errant ergo, qui non maceratum exhibent. Nam quamuis proprium sit affectioni, ventriculo tamen noxium est.) cineris cranij hominis, vel vngulæ asini, vel cineris hyrundinum, vel cineris vesicæ apri, in furno exiccatæ cum lotio ℥ iiij syr. conser. myrobala. vel syr. de stechade, vel de hyss. vel oxymel scil. q. s. addendo parum sacch. fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem auellanæ, superbibédo parum aquæ enulæ camp. vel meliss. In hac sola opiata ponitur alchermes, quia cùm sit admixta melancholia, volumus confortare cor, & à fumis atris repurgare, & fuliginosis. Sunt enim isti obnoxij melancholiæ morbo.

Epilepsia per consensum partis facta curatio.

Si verò epilepsia fiat per consensum alicuius partis externæ, vt cruris, vel manus, ligetur pars paulò supra locum, à qua incipit affectio. Supra partem affectam cauterium applicetur, vel vesicatorium, vt illud quod parabatur ex cantharidibus, cap. 11. vel melle anacardino, vel applicetur capitellum Ioannis de Vigo, & permitte vulnus diu apertum, vt vacuetur venenosa illa materia, & qualitas, quæ est caussa primaria affectionis. Quoties epilepsia fit per consensum alicuius partis externæ, nunquam debent adhiberi setones vel cauteria circa caput, nisi morbus ob antiquitatem, iam factus sit per essentiam, & proprietatem, & tunc debent applicari duo cauteria, vnum quod diuertet à parte affecta longè à cerebro, magis quàm pars, vnde incipit affectio, & infra partem affectam. Alterum ratione cerebri, quia iam epilepsia facta est per essentiam, & fit in spatulis, aut aliò loco, vnde fiat diuersio à cerebro. Quando infestantur paroxysmo, oportet frictionibus eos excitare, & fumigiis, vt suffumigio descripto suprà ex secundina asinæ, & blatta bizantia, ponendo etiam intra nares succum rutæ, & præsertim agrestis, aut trifolij fœtidi, quod menianthem Diosc. appellat. Si ventriculus plenus deprehendatur, excitetur vomitus. Detur præordinatus clyster. Post aliquod tempus, & non in princi-

Cautio.

Epilepsia ab inedia.

Epilepsia ab ira.

pio sunt adhibenda sternutatoria. Nam in principio magis mouerent materiam, & morbum adaugerent. Si fiat epilepsia ob nimiam inediam, vt in ieiunantibus, detur parum vini maluatici. Si propter iram, aliásq. affectiones, detur mica panis cum vino tincta. Non sunt negligendi sinapismi in omni epilepsia post multas vacuationes vniuersales. Si fiat epilepsia, per consensum ventriculi, laudatur vomitio, vbi est venter plenus: in aliis caussis non laudatur. Bonum est vti clystere praescripto, & pilulis stomachicis ante cœnam, vt sunt de hiera, de aromatibus. Omnia remedia interna debent esse communia tum capiti, tum ventriculo. Præscribendi sunt igitur syrupi materiam pituitosam concoquentes, simul admiscendo quę vētriculum respiciunt, eúmque corroborant, non propter astrictionem (quoniam astringentium vsus non laudatur in hac affectione) sed ob aromaticitatem, vt sunt menta, balsamita, calamus aromaticus, spina nardi, & celtica, & schenantum, quæ simul sunt capitalia, & stomachica.

Syrupi concoquentes pituitam.

Syr. autem erunt de hyss. (qui simul confert capiti & ventriculo) de stech. de absynth. sed hoc in minori dosi, quàm alij, syr. de menta, conseruæ cortic. citri. Verus acor. maximè laudatur, qui est galanga crassa. Communis verò acorus astringit, sine aromaticitate. Fiat ergo digestiuum tale.

℞. syr. de hyss. de absynth. an. ℥. j. syr. de stechad. vel de menta, & mell. scill. ana ℥ ij.) oxymel non debet poni, nisi in exigua quantitate) aquarum betonicæ, melissæ, hyss. & mentæ ana qr. j. misce pro quatuor matutinis.

℞. elect. diamosci, vel diambræ, vel aro. ros. vel pliris cum mosco, Ros. nouellæ tab. iiij. Purgetur leui medicamento, quia non sunt præscribenda fortia medicamenta in affectibus ventriculi, quia omnia lædunt ventriculum, & ita adaugetur morbus. Fiant ergo pilulæ hoc modo.

Pilulæ pro ventricul. ℞. mass. pil. de assaieret, & de hiera compos. vel de mastiche, ag. tro. an. ℈. j. formentur pilulæ cum syr. de hysso. vel cum aqua mentæ, aut absynthij. Opiatæ magis laudantur, quàm tabellæ. *Opiata.*

℞. cortic.

℞.cortic.citri conditi facch vel melle(si sit pauper,& non quæramus suauitatem)℥.j conf anthos,zinzib.cōditi,cōf.stech.an.ʒ vj.pul.aro.rof.ʒ.j ß.pul. diamosci ʒ. j.pul diarrhod.abb.ʒ.ß.cineris hyrundinum,velcuculli, vel cranij hominis,radic.peoniæ, & visci,querc. ana ʒ. j. seminum anis. cumini, & seseleos tenuissimè tritorum ana℈.j.syr.conseru.myrobalanorum,vel cortic.citri,vel syr. de hyss.q.s.fiat opiata. Quæ immoderatè calfaciunt, resoluunt calorem natiuum ventriculi, & tandem frigiditatem inducunt, vt apparet in puellis, quæ edunt zinziber, & similia. Ob id enim occupantur à pallidis coloribus. Quare non vtimur illis sine delectu, præsertim ventriculo laborante. Si epilepsia fiat à bile asseruata in ventriculo, curanda erit modo præscripto,addēdo semper aliqua quæ ventriculum respiciunt, maximè quæ frigida sunt. Quòd si vtamur calidis, vtemur in pauca quantitate. Si epilepsia fiat per consensum ventriculi, laudantur pulueres à pastu, qui fiunt hoc modo.

Quæ resoluunt vim ventriculi.

In epilepsia à bile quid cauendum.

PVLVERES.

℞.anis. conditi ℥.ij. coriandri vnicæ coperturæ, & fœni. an, ʒ. iij. medullæ seminis peoniæ, & cubebarum, corall. albi & rub. an ʒ.j.pul.aro.rof.ʒ.j.pul. diag. ʒ.ß. facch.q.s. fiat pul. de quo capiat duo cochlearia post pastum, non superbibendo. Admiscentur coralli ob cubebas,quæ sunt fortiores. Nam quæ multùm sunt calida & tenuium partium, non sunt sumenda post pastum,quia cogerent cibum nondum coctum descendere ad venas meseraicas,& ad iecur,atque ita parerent obstructiones, & cruditates. Est etiam roborandus ventriculus emplastro aliquo, vel sacculo, accommodatis ventriculo.

Calida post pastū non sunt sumenda.

VICTVS RATIO.

Ratio victus præcipua est in hoc morbo. Vtantur victu attenuante, & exiccante. Edant panem biscoctum ij, qui non laborant epilepsia facta per consensum ventriculi. Si fieri posit, bibant aquam, vel fiat hydromel cla.arom. cum ℥.j. zinzib. & ℥. j. galangæ crassæ, & cinamomi. Hæc aromatisatio fit pro ℔. viij. aquæ, &

mell. ℔.j. coctis ad consumptionem tertiæ partis. Vtantur asis potius, quàm elixis: abstineant à iusculis & brodiis, quod etiam in omni materia catarrhali præcipitur. Si interdum ob virium imbecillitatem, vel ob consuetudinem, danda sunt brodia, vtatur iis, in quibus decocta sint hyss. beton. melissa & similes herbæ attenuantes. Optimum erit decoquere pipiones in iusculo cum betonica, vel etiam intra pipiones cum aliis appropriatis infarcire. Vel fiat pul. qui sequitur, quo vtatur in brodiis & condimentis.

Puluis. ℞. zinzib. nucis moscatæ, cubeb. piper. an. ʒ. ij. cinamomi ʒ. iij. seminis seseleos & peoniæ ana ʒ. ß. fiat pul. huic affectioni determinatus.

Curatio epilepsiæ ab affectibus vteri.

Si ab vtero fiat epilepsia, vel ob imprægnationem, vel ob retentionem, vel ob corruptionem spermatis, vel secundinæ retentionem, fiet vt sequitur. Et quidem si fiat ob retentionem mensium, prouocentur menses, vt suo loco dicetur. *Cautio.* Obseruandum verò est maximè, quoties sint prouocandi menses, aut alioqui vtendum aperientibus, vt semper tollatur cruditas, si adsit. Saltem ventriculus est repurgandus humoribus nocuis, & excrementis, aut pilulis ante cœnam, aut vomitu, aut aliter. Purgetur pilulis fœtidis, vel de ag. Concoquatur materia cum syr. præscriptis, admiscendo syr. de arth. vel aquam arthes. matricariæ, nepetæ hoc modo.

℞. oxymel. scill. ℥. iij. syr. arthe. & de hyss. ana ℥. ij. aquarum meliss. fœnic. matric. & nepetæ an. qr. j. misce pro tribus dosibus aut iiij.

℞. triph. magnæ sine opio (quia est appropriata vtero) tab. iij. aut iiij.

℞. pil. fœtid ℈ ij. ag. tro. ℈. ß. formentur pilulæ cum oxymel. scill. Vtantur theriaca, mythrid. vel triphera magna sine opio, fiat opiata post purgationem, vt in aliis dictum est. Sed præeligendus est pul. diambræ, qui in mulieribus est magis conueniens. Emplastrum pro matrice in hoc affectu tale fiat.

Emplastrum pro matrice. ℞. mass. empla. cheronei ℥. iiij. malaxetur cum ol. liliorum vel spicæ, adde musci gr. iiij. Si à retentione & corru-

corruptione ſeminis, vel ſecundinarum, eiiciantur, & poſtea corroboretur vterus modo prædicto.

Epilepſiæ prægnantis curatio.

Si prægnanti accidat epilepſia, difficilis eſt curatio, tum quia purgantibus medicamentis vti prohibemur, niſi à quarto ad ſeptimum menſem. (Sed propter accidentia, quæ ſuperueniunt, ſatius eſt curationẽ non moliri) Tum etiam propter moroſitatem mulierum, donec pepererint. Interim vtendum his remediis, quò morbus fiat mitior. Emplaſtrum pro matrice prægnantis.

℞. maſſ. emplaſtri pro matrice & cheronici an. ℥. iij ß. moſci gr. vj malaxentur cum oleo liliorum vel de ſpica, fiant emplaſtra duo, alterum ſupra ventrem ad regionem matricis ponatur, alterum ſupra renes in dorſo. Vbi ſolùm eſt intentio purgandi, & exiccandi vterum, ponitur ſolùm emplaſtrum cheroneum. Vbi roborandi & retinendi fœtum, miſcemus emplaſtrum pro matrice. Ad varietatem, loco emplaſtri poſſumus vti vnctionibus & ſacculis, vt in vna parte emplaſtro, in alia vnguento. Vtatur electu. diamoſci, diambræ. Teneat ſæpe in ore tro. de moſco. Ventriculus corroborandus eſt ſacculis & vnctionibus. Sacculis quidem præſcriptis cap. de dolore capitis facto per conſenſum ventriculi: inunctione verò, ſequenti.

℞. olei nardini ℥ iij. de abſynth. & de menta an. ℥. ij. miſce, vngatur ventriculus, vel addendo ceræ parum, fiat vnguentum. Poſſunt addi aliqua arom. vt cyperi, garioph. nucis moſcatæ, amborum corallorum, macis, roſ. ſpicæ, ſchenanthi ana ʒ. j. fiat vnguentum. Fiat peſſarium pro ſemine corrupto, & menſibus retentis. *Inunctio.*

℞. benedictæ ℥. ß. ag. trociſ. ʒ. j. colocynth. ſeminis nigellæ romanę an ℥. ß. cũ ſucco mercurialis, fiat peſſarium, indatur vuluæ, adhibeantur cucurbitulæ inguinibus. *Peßarium pro ſemine corrupto.*

De Epilepſia, caput alterum.

EPilepſia, Latinis comitialis morbus, ſacer, herculeus, & lunaticus dicitur. Eſt autem vniuerſalis conuulſio corporis ob affectum communium neruorum principium; dicitúrque vniuerſalis ad differentiam

Differentia. tum particularis tũ Emprosthotoni, Opisthotoni & tetani. Cùm particularis est, dicitur eius partis conuulsio, quæ contrahitur, vt brachij. Fit autem, cùm cerebrum in seipsum sese contrahit, vt, quod noxium est expellat, quemadmodum & in sternutatione, cui similis est. Fit enim sternutatio, quando quod molestat, in anteriori parte cerebri tantùm continetur, prope eius appendices, & narium interna foramina, ita vt si materia pauca sit, vna vel duabus vel tribus contractionibus expelli queat. Materia autem Epilepsiæ in ventriculis mediis & posterioribus hæret aut in parte posteriori, ob idque difficiliùs excutitur. Cõmunis medicorum schola credit cum Galeno, crassum humorem cerebri ventriculos obstruentem hunc maximè affectum parere, quibus obstructis spirituum transitum impediri necesse est. Existimant enim spiritus animales in ventriculis cerebri contineri extra arterias: in quo plurimùm aberrare mihi videntur. Nam si crassus & viscidus humor ventriculos cerebri obstrueret, vt illi putant, qui spiritum, quominus posset exire, impediret, cessaret motus, aut saltem minor fieret, vt in Paralysi accidit. At tantùm abest vt cesset, vt omnes partes præter voluntatem ad motum concitentur. Porrò si Epilepsia fiat propter aliquam obstructionem, ea erit in meatu illo, qui à cerebro ad coanam, id est, peluim siue infundibulum perueniat, per quem pituita ad palati foramina descendit, quod contra fit in Epilepsia. Ob id Gal. 4. & 11. de vsu partium optimè à natura comparatum esse ait, vt per decliues cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium orificis perspicuis ac magnis, pituita aut alia cerebri excrementa excernantur, ne animal frequenter corripiatur Epilepsia. At contrà in Epilepsia accidit, in qua per illam viam expurgatur materia, quæ insultum excitat, & ea, quæ cum spuma ex ore eiicitur ab ægris. Adde quòd Epilepsia magis à tenui materia vel spumosa & acri fit, quàm crassa, vt illi existimant. Subitaria enim obstructione in magnis cauitatibus non fit. Nec sequitur, subitò fit, ergo à crasso viscosóque humore. Argumentũ Galeni docet Epilepsiam non fieri absque materia. Nam morbi omnes, qui ab intem-

Caussa.

Locus materia epilep.

temperie sicca fiunt, citra affluxum materiæ, sensim fiũt. quod Galenus demonstrare voluit. Quòd autem repentè fiat Epilepsia, id materiam potiùs tenuem esse, quàm crassam indicat, vt cita morbi solutio, materiæ paucitatem & tenuitatem. Crassa enim difficillimè mouetur, tenuis facillimè. Sed quò magis veritas elucescat, aliis argumentis conuincamus Epilepsiam fieri à materia acri vel tenui, vel aquea vel spumosa potius quàm crassa Primùm negari nõ potest Epilepsiæ omnia genera, quæ per consensum fiunt, à substantia tenui fieri. Quod Galenus de locis affectis in iuuene illo grãmatico indicat, qui quoties vehementius doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, aut irasceretur, morbo comitiali corripiebatur. Eodem in loco scribit se multos vidisse conuulsione comitiali ab ore stomachi correptos, aut cùm non probè concoxissent, aut vini meracioris plurimum potassent, aut vbi veneri immodicè operam dedissent: quinetiam per febres quosdam conspexisse derepentè conuulsione præhendi, nullo (quod eam præsagiret) præcedente indicio, qui bilioso superueniente vomitu protinus ab omni noxa liberati fuerunt. Atque hoc modo affectorum nonnulli res quasdam fuscas vomendo reiecerunt, alij humorẽ porri succo similẽ. Hactenus Galenus. Ex his locis manifestè apparet. per cõsensum ventriculi fieri epilepsiã à vaporibus eleuatis à bile flaua & porracea & fusca, quę atram bilem indicare videtur. Præterea docet hunc affectum oriri ex agitatione, aut ab ira, aut à magna contensione, aut vaporũ acrimonia, vt in eo, qui ob potum meracioris vini epilepsia corripiebatur, aut inedia, quæ humores exacuit. Item quę fit per consensum vteri in mulieribus, à vaporibus caput conscendentibus fieri manifestum est. Materia enim crassa ea in parte conclusa sursum eleuari nequit. Testantur & hoc mulieres, quæ fumum quendam ascendentem sentiũt Extat historia apud Galenum de puero. qui aurã è pede sursum eleuari sentiebat. In eadem sententia videtur esse Aristot. sub finem libri de somno & vigilia, cùm scribit pueros maximè esse obnoxios epilepsiæ, quòd eorum caput multis fumis repleatur. Quare ab vsu vini, quod suapte natura est

vaporosum,& quod caput tentat, vult mulieres abstinere. Solutio enim morbi repentina ostendit materiam paucam eandémque tenuem esse, quòd facilè discutiatur. Simili argumento Galenus vsus est in lib. de tremore & palpitatione, vt probaret iectigationem fieri à tenui humore, quia citò dissoluitur & generatur. Quod etiam testãtur vacuationes, quæ fiunt, cum à paroxysmo liberantur. Oscitant enim, sternutant, & spumam per os reddunt, quæ omnia materiam esse tenuem ostendunt. Materia autem crassa, nisi attenuata fuerit, non facilè euacuatur. Fit autem comitialis morbus à nidore & odoratis, vt experientia comperi. Quare necesse est fumos omnes, aut omnes, aut materiem communem habere aliquam qualitatem, vel quantitatem, quæ cerebri facultatem expultricem commoueat. Noui multos, qui cùm iter facerent, ex aëre vel vento concepto per nares, statim epilepsia corripiebantur, à qua si aures bombace, aut aliqua alia substantia molli, obstruerent, sese vindicabant. Hæc annotaui, vt intelligerent studiosi epilepsiam fieri & à pituita tenui, & à spumosa, vel à bile flaua, vel attenuata atra, aut eius ichoribus, vel à vaporibus acribus, vel ab odoratu, propter cerebri exactiorem sensum. Hinc efficitur, vt qui ingenij acumine pollent, huic morbo frequenter obnoxij sint, vt de Cæsare, Mahumete, Carolo quinto Imperatore scriptũ legimus. Id quod illi à Comitiis inditum nomen testatur, eò quòd plurimi ex Romanis in illis eo morbo frequenter corripi viderentur. Hac igitur distinctione facta, faciliùs morbo medebimur. Nam quædam prosunt epilepsiæ consortij lege factæ, atque in materia calida, quæ non conuenirent in crassa & viscida, vt perfusio capitis cum oxyrrhodino, quam Celsus imperat ad repellendos fumos, & succos irruentes in ventriculos cerebri. Item missio sanguinis, vsus theriaces recentis, aquæ vel conseruæ, violarum vsus, quam non alia ratione prodesse puto, nisi quòd vim narcoticam quandam habere scripsit Mesue. Item asyncritum & aliæ compositiones quæ opium recipiunt, ab antiquis ad comitialis morbi insultus commendatæ fuerunt. Morbus hic citò deprehenditur, distinguitúrque facilè ab omnibus morbis à materia frigida

Solertes comitiali morbo obnoxij.

Signa.

gida in capite collecta factis, à Caro, Lethargo, Paralysi, quos affectus quies necessariò sequitur. Differt etiam ab illis mentis perturbationibus per spumam in ore collectam, quæ peculiaris est admodum huius morbi nota, non tamen in omnibus semper apparet. Nam qui ob nidorem vel fumos acres epilepsiam patiuntur, in his confestim soluitur, etiam sine spuma, quæ fit cùm diutius durat accessio, & cùm ob frequentem inspirationem & expirationem aqua tenuis agitatur, & spiritu, aut substantia quadam vaporosa circumplectitur, ex qua spuma generari solet. Occupat hoc genus morbi pueros potius, quia maxima fit effumatio in illis ad caput, vt ostendit somnus, qui primis diebus & mensibus eos detinet. Eam ob caussam Aristot. iubebat nutrices à vino abstinere, quòd multos vapores excitet, eósque paruulos corripit potiùs, quàm adolescentes, & iuuenes, quàm prouectiores. Ob id matrem puerorum nonnulli appellant. Frequentiùs in aliquibus regionibus morbus hic, quàm in aliis grassatur, vt Florentiæ magis est familiaris, quàm in alia Italiæ parte. Quod tribus de caussis accidere puto. Prima & potissima, est substantia cerebri tenuis & valde sensilis, ob quem sensum facilem hunc morbum incurrunt, vt melancholici dicuntur natura ingeniosi. Quòd autem substantiam habeant subtilem, ostendit eorum ciuium perspicax ingenium & iudicium acre. Altera caussa esse potest victus ratio vaporosa & flatulenta. Tertiam esse puto, quòd hic morbus sit hereditarius. Cùm enim multi olim hũc morbum passi sunt, plures liberos ad eum suscipiendum idoneos procreant. Nam vt Hipp. scriptum reliquit, Sani sanos, & ægri ægros pueros generant. Est & hic morbus frequens in Prouincia, quæ ab eiusdem incolis vocatur (la gouttette) vt in Aluernia, quod non aliunde accidere puto, quàm ex praua victus ratione, & vinorum mixtorum, quæ apud illos sunt, vsu. Sunt enim valde fumosa, cruda, aliis permixta, vnde caput vaporibus tentant & implent. Habent etiam cerebrum valde sensile, quanuis id vinorum vsui tribuendum magis existimarim, eò quòd qui illuc commigrant, in similem propensionem incidisse obserua-

ti ſint. In aliis regionibus minùs frequens eſt.

Curatio puerorum.

Victus ratio. Primùm præſcribatur optima victus ratio & nutrici & infanti. Deinde medicamenta ſumenda. Nutrici vinum interdicatur, fugiat venerem, quæ lac ipſum corrumpit, vel materiam lactis mutat. Ab ira, & corporis omnino, ac vehementi animi commotione abſtineat. Flatulentis & acribus alimentis non vtatur. Si bilioſa ſit, mutanda eſt, aut frequenter euacuanda medicamentis leuiter laxantibus, & ſine magna agitatione humorum. Exhibendum lac aſininum, in quo decoquantur, vel infundantur, quæ magis humori noxio determinata ſunt, vt ſi bilioſa ſit, decoquantur roſæ & violæ recentes, vel infundantur & ſub dio maneant. Si melancholica fuerit, epithymum, polypodium, ſenna cum aniſo decoquantur. Si pituitoſa, agaricus, vel carthamus, vel viſcus quercinum, vel pœonia recens, quæ vim habent purgandi pituitam, vel eadem ventre galli antiqui concluſa coquantur. Quòd ſi hæc parùm proſint, mulieri dentur fortiora medicamenta, pilulæ, vel aliæ compoſitiones ſuperiùs traditæ, cùm de humorum vacuatione in capitis doloribus ageremus. Eo autem die, quo ſumet medicamenta fortiſſima, mamillam puero non porrigat niſi ſerò. Exhibebimus autem puero puluerem ſuperiore capite præſcriptum cum lacte vel melle manè. Valent enim à tota proprietate ſeſeli, pœoniæ radix, & viſcus quercinum. Vel fiat ſequens.

PVLVIS.

℞. violarum ℥. j. cumini, carui, ſeſelij ana ʒ. ij. ſeminis pœoniæ, rutæ ana ʒ. j cineris cranij hominis, vel cuniculi, vel hyrundinum, vel muſtellæ, ʒ. iij. fiat puluis tenuiſſimus, de quo capiat ʒ. ß. ſacchari candi. ʒ. j. cum aqua violar. vel cum ſyrupo violaceo, vel cum aqua callithrici, vel cum lacte recenter mulſo, vel cum melle roſato. Noſtræ mulieres frequenter in hoc affectu vſurpant compoſitionem diamoſchi dulcis, quæ minus probanda eſt, quia nimis tentat caput ob odorem, in parua tamen quãtitate temporis paroxyſmi dari poteſt, vt, quod in capite eſt, diſcutiatur. Aliæ mithridaticam compoſitionem, aliæ theriacam exhibent,

quod

quod Galenus improbat. Hæc enim remedia fortissima pueros læderent, qui calidiores sunt, & ad dissolutionem promptissimi. Florẽtinæ mulieres cauterio occiput vrunt, idque habent in communi vsu, edoctæ quotidiana experientia. Rusticæ pueros sacerdotibus deferunt, vt cauterio, vel carbone ignito partem illam posteriorem vrãt, quod maximè confert, si epilepsia facta fuerit per idiopathiam. Si enim per sympathiam aut ventriculi, aut partium infernarum, hoc esset potiùs trahere humores ad cerebrum, quàm idem euacuare. Tunc autem optimum est extra partem vapores vehemẽter deriuare. Supra partem inspergere oportet puluerem sequẽtem, quia vti oxyrrhodino mulieres reformidant.

℞. cor. rosf gra. myrthi ana ℥. ß seminis lactucæ ʒ. j. granorum tinctorum, santali rubri (quia minus odoratum est) coralli rubri vsti (vritur corallum, vt faciliùs in puluerem reducatur) & loti (vt maiorẽ tenuitatem habeat) ana ʒ. j ß garyophillorum & cyperi ana ℈. ij. fiat puluis subtilissimus, qui aceto irroratus, & leuiter exiccatus inspergatur parti bregmatis. *Puluis ad inspergẽdum capiti.*

Si autem aluus non sit libera, iniiciatur clyster ex hordeo, melle, & saccharo. Hac ratione pueri & infantes liberantur. *Clyster.*

Curatio maiorum natu.

Si autem maiores natu, vel iuniores & adolescentes corripiat, in principio mittatur sanguis ex vtraque cephalica, si multus sit: sin paucus, secetur vena poplitis ad materiæ deriuationem, quod iubet Gal. lib. de curat. per sang. missionẽ. Caput oxyrrhodino frequenter perfundatur, vt Celsus iubet, & ratio faciendum censet, potissimùm in his, qui per cõsensum læduntur, eadem ratione, qua Galen. in Methodo commune Phrenitidi, Lethargo, & similibus affectibus esse asserit, vt oxyrrhodinum in principio admoueamus ad repellendum à capite humorem, qualiscunque sit. Cibus sit euchymus, nec vaporosus. Vinũ quoq; vitetur, quia epilepsiã facit, vt & Ceruisia, & Zitum, & alia decoctio facta cum cinamomo & similia, quæ caput tentãt. Ex his enim omnibus vapor multus in caput tollitur, qui accessionem *Sanguinis missio.* *Perfusio capitis.* *Victus ratio.*

Pilula. epilepticam accersit. Vtatur pilulis paratis ex agarico, myrob. rhabar. & aliis medicamentis humori vacuando accommodatis. Parantur autem pilulæ absque croco, myrrha, & aliis, quæ caput tentare nata sunt. Sarcocolla, & pæonia sufficienter purgant. Myrobal. laudantur. Aliquam astrictionem relinquũt, neque humores multùm exagitant. Agaricus, tum quia bilem, pituitam, aliósque humores euacuat, tum quia siccat & cerebrum *Purgatio.* & neruos, commendatur. Detur tamen absque zinzibere. Sufficit enim aqueam pituitam trahere. Quòd si à bile, vel in corpore bilioso fiat, dari debet agaricus cum syrupo violato, vel rosato. Si à pituita, cum hydromelite. Leuiter & frequenter euacuandi sunt, cùm incipiunt laborare. Nam si antiquus morbus fuerit, fortissimis medicamentis humor vacuandus erit, vt colocyntide, scammoneo, euphorbio, lapide lazuli, & similibus, citra tamen magnam humorum agitationem. Quòd si cacochimia sit in venis & aliis partibus multùm remotis à vẽtriculo, vtilissimum erit humores præparare, quò faciliùs expellatur, facta priùs illorum distinctione. Si enim corpus pituitosum, & multis flatibus refertum sit, concoquere oportet pituitam detergẽtibus & leuiter incidentibus potiùs, quàm fortiter aperientibus. Ad eius etiam concoctionem valet mel ros. collatum, hydromel, syr. de stechade cum aquis callitrici, beton. hyssopi, rutæ, vel cum earum herbarum decocto, aut cum radicibus pæoniæ, polypodij, querc. & acori. Si autem pituita sit viscida & lenta, mel scilliticum erit ex vsu. Incidit enim & deterget. Epilepticus ex Galeni sententia vsus est oxymelite scillitico ad euacuationem. Hoc tamen consilium Galenum non dedisse asserunt, quod facilè crediderim. Si verò bilis sit concoquenda, id commodè fit cum syrupo endiuiæ simplicis, syrup. capill. ven. acetoso simplici & violarum, cum aquis violarum, cicho. end. papa. portulacæ & similium. Si materia sit melancholica, conueniunt de fumaria simpl. de stechade, de pomis compositus ad euacuationem. Simplex ad concoctionem descriptus à Mesue de dolore cap. à pituita. Cum aquis vel decoctione herbarum, bugil. fumar. borrag. beton. callitrici & similium. Finitis syrupis

iniiciatur clyster ante medicamenti assumptionem ex decoctione herbarum detergentium cum melle & succo ciclæ, vel mercurialis. In crastinum dentur vel pilulę, vel electuaria, vel potiones. Quæ omnia descripta sunt capite de dol. cap. qui fiunt pro consensum, pro humorum varietate. Si autem alicui syrupus compositus cum medicamento laxante gratior sit, paretur talis.

Syrupus.

℞. polyp. quer. ℥. iiij. rad. pœoniæ & seminis eiusdem an. ℥. ij. callithrici, violatriæ, merc. an. M. j. summitatum rutæ, puleg. vtriusque beton. hyssopi, an M ß. pass. enuclear. prunorum & sebesten ana P. xx. anisi seseli, ana ℥. iij. seminis carthami contusi, & sennæ orienta. an. ℥. ij. flo. vio. P. ij. buglos. anthos, an P. j. fiat decoctio in hydromelite, & ad ℔ j ß. In qua infunde ag. ℥. j. ß. Leuiter decoquantur & fiat syrupus. Arom. ʒ. j. vel ij. galangæ emissæ, addendo sacchari parum. Capiat tribus diebus continuis, Vere, & Autumno, post priorem euacuationem.

Idem præstat syr. de fumaria comp. vel syr. de pomis comp. si exhibeatur cum aqua callithrici. Quod si aluum mouere magis velis, vel corpus purgare, detur cum decocto agarici, vel mercurialis, cum decoctione myro.

Epilepsiæ per consensum curatio.

Si epilepsia per consensum fiat, decoctum galli antiqui, cum brassica marina, polypodio aut passulis plurimum valet, vel si desit brassica, eius loco substituatur senna, vel cum decoctione pœoniæ maris, vel fœminæ recentis, quia iuuat, & ventrem purgat. Pilulæ optimæ parantur citra crocum & myrrham hoc modo.

℞. aga. ʒ. ij. zinziberis, salis gemmæ, cinamomi, spicæ vtriusque, cubeb. ana ℈. ß. castorei gr. vj. aloes non lotæ ℥. ß. cum succo merc. fiant pilulæ, de quibus capiat pilulam vnam, vel duas singulis diebus per spatiū duorum vel trium mensium. Quòd si duabus non moueatur, capiat quatuor, vel quinque, vel sex, vel septem, semel in hebdomada, vel adde troc. alanda. gr. ij. vel iij. pro vna dosi.

Pilulæ eædem valent ad melancholiæ euacuationem, dummodo tantillum epithymi addatur, quantum agarici,

Ad epilepsiam biliosam & per consensum ventriculi factum parentur in hunc modum.

℞. rhabar. tenuissimè puluerisati & irrorati aqua viol. ʒ. ij. myrob. citrino. & indor. confric. & in infus. in succo ros. ana ʒ. j. agarici ʒ. ß. cinamomi, spicæ, seseli ana ℈. ß. aloes ʒ. iij. cum syru. rosato formentur pilulæ 6. pro ʒ. de quibus capiat quatuor, quinque, vel sex semel in hebd. per duos sequentes dies. Hę pilulę ab aliis differũt, quòd astringentia & bilem purgãtia recipiant. Agaricus etiam non trociscatus in minore dosi ponitur. Den que sine castoreo parantur, quòd humores pituitosos frigidos fundit & liquat. Conficitur puluis ad euacuationem pituitosæ aquæ aut liquidæ hoc modo.

Puluis ad pituitam. ℞. tartari vini albi vnc. ß. sennæ orient. vnc. j. salis gemmæ & zinziber, ana ℈ j. anisi ʒ. j. fiat puluis, ex quo capiat cochlear vnum cum decocto mercorialis vel cum iure capi, vel pulli, vel pauca quantitate syrupi vio. vel ros.

Si fortiorem velis pro morbo antiquo, adde turbith infusum in hydromelite, & rosacei ʒ. j. scammonei ℈. j. Mutandæ sunt formæ medicamentorum, in quibus euacuare frequenter est necesse, facta vniuersali purgatione. Si æger frequenter expuere solebat, si stupido animo & multùm dormiat, argumentum est multum pituitæ in cerebro coaceruatum esse, à qua fumi & spiritus eleuantur, quibus concitatis in ventriculis cerebri fit epilepsia, tunc pituita apophlegmatismis elicienda est, vt cubeb. pyretro, nasturcio, quæ per se masticari debent, vel in puluerem reddita, & simul iuncta excipiantur cera, vel potiùs ficubus, vel passulis, & masticentur, loquendo, vel vociferando, vt materia trahentibus his faciliùs cedat. Repete masticatoria, quæ capite de Alopecia dicta sunt, item errhina. Hæc sunt masticanda ante prandium & cœnam. Oliuæ sale conditæ & diu masticatæ pituitam è cerebro potentissimè trahunt & citra fastidium ægri. Hæc fiant per tres aut quatuor dies, quibus vtilissimum erit herbas attenuãtes & incidentes in brodiis dare, vel prisana, ad eliquationem humorum, vel aquã hyrundinum, de qua postea dicemus, & castoreum.

Multò

Multò tamen facilius euacuantur cerebri recrementa pituitosa, vel pituitæ permixta, si priùs eliquata fuerint. Post istas particulares euacuationes, theriaca, quæ materiã absumit in parte, danda est, nisi valde antiqua fuerit. Nam tunc etiam loco castorei cum sternutamentis vsurpari potest, ante theriaces, vel mythridatij, vel asyncriti assumptionem. Quòd si ex istis masticatoriis maior excitetur fluxio, exhibendæ sunt pilul. præscriptæ ad pituitæ euacuationem, & in crastinum danda theriaca recens, vel trium anno. Si verò æger biliosus fuerit, aut substantiam cerebri tenuem & subtilem habeat, recens danda erit. Sin stupido sit animo ob largã illam humiditatem, tunc exhibemus theriacã antiquam ad illam humiditatem absumendam. Idem præstat opiata sequens.

Opiata.

℞. conf anthos, stechados, ana ℥. ß. zinziberis viridis melle conditi ʒ. ij. cineris cranij hominis ℥. j cineris cuculli, vel hyrundinum, vel mustellæ, rasuræ eboris, vel cornu capræ ana ℥. ß. pulueris diagalangæ ʒ. ij cum syr. capil. vel de stechade ℥. ß. vel conser. corticis citri, cum syr. de papauere fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem castaneæ manè, ieiuno stomacho, superbibendo parum aquæ callithrici, vel hyssopi. Hæc opiata conuenit in morbo antiquato, in quo multum pituitæ trahere oportet. Si ab humorum vel vaporum acrimonia fiat, sequens erit paranda.

℞. conf. viol. vnc. ij. conser. cicho. vnc. ß. conf acori vulgaris ʒ. iij. cineris cranij vnc. ß. rasuræ eboris, ʒ. iij. ad nimium sensum stupefaciendum (vel syr. capil. ven. si minùs sit sensus exactus) fiat opiata. Capiat ieiunus ad quantitatem castaneæ. Eorum caput perfundendum est oxyrrhodino, vel puluere sequenti inspergendum in sequentem modum.

Puluis.

℞. granorum myrrhi & granorum tinctorum, rosarum, coriandri ana vnc. ß. sant. rub. viol. nenuph. capit. papaueris ana ʒ. iij. florum anthos, stecha. ana ʒ. ß fiat puluis tenuissimus, vt collyriũ: cum quo irrorato aceto & resiccato inspergatur pars anterior capitis. Pulueres, qui ad epilepsiam arcendam præscribuntur, non debent

esse multum odorati, quia vt capitis grauitatem faciunt, sic in dispositis ad epilepsiam, paroxysmum accersunt. Ob id santalum rubrum, non moscatellinum, neque citrinum apponere volumus, neque alia, quæ malum odorem inspirant. Item capita papaueris addimus, tum ad obtundendam acrimoniam vaporum, tum ad sensum menyngum obtundendum. Ob quem nimium sensum facilè conuulsionem patiuntur epileptici aliqui. Quare stupidis, & his, qui elepsiam à proprietate cerebri patiuntur, minus conuenit hic puluis, & remedia suprà scripta, sed potius alia scripta in dolore capitis à materia frigida. In antiqua epilepsia aqua sequens mirificè confert, & potissimùm in paroxysmo data, illos subitò excitat.

Aqua excellentißima.

℞. hyrundinum N. 40. rutæ M. 2. castorei vnc 1. vini albi ℔. iij. distillentur in balneo marię, & aqua seruetur vsui. Ex ea dentur cochlearia duo in paroxysmo, vel manè extra paroxysmum, præcedente vniuersali purgatione totius corporis & capitis. Valet enim intus assumpta, & extrinsecus apposita in conuulsione & paralysi, sed magis in paralysi, & efficacior est oleis. Quare si quis in hoc affectu vti velit, paret in maiori quantitate. Idem etiam præstat aqua theriacalis descripta in dolore capitis à morbo Hispanico. In hunc vsum confert puluis descriptus in affectibus oculorum ex hyrundinibus & viperis factus. Si epilepsia fiat in pueris propter vermes, quod multi credunt, hoc facerent, quia mordendo os ventriculi materiam quandam commouerent. Nam si Galeno credimus, epilepsia ex sola intemperie nō fit. Quare oportet vermes putrescere, & ex eorum putrefactione fumos putres, & tetros circunferri, & internam partem ventriculorum cerebri diuexare. Quanquam conuulsio à plenitudine, & ab inanitione, & à materia venenosa fiat. Sed hoc de particularibus conuulsionibus ab Hyppocr. scriptum fuisse existimo. Prius enim æger moreretur, quàm ex cerebri inanitione epilepsia sequeretur. Cæterùm non dicitur epilepsia, etiamsi conuellantur omnes partes, nisi mens lædatur, vt Galenus de locis affectis demonstrat. Si ergo caussa huius

affectus

affectus sint vermes, dentur medic. amara purgantia pituitam, & vermes necantia. Adhibentur enim supra vmbilicum vnguenta ex aloe, myrrha, absynthio, & aliis amaris odoratis composita, non vt solent mulierculæ & pharmacopolæ, qui supra os ventriculi non verentur adhibere fella, bitumen iudaicum, vel liquidum, quod petroleum appellant. Quæ omnia supra os ventriculi adhibita, nocent. Vmbilico igitur potiùs admoueri debent ad vermes occidendos & deturbandos. Fiunt & alia, quæ cap. de vermibus dicuntur. Si per consensum vteri & retentionem mensium fiat, mouendi sunt menses, aut si à retentione seminis corrupti, ratione cuius fit epilepsia, inditur pessarium altero capite descriptum, & quod & laxat partẽ, & attrahit. Alia remedia superiùs posita erũt ex vsu. Possunt tamen addi aliqui pul. odorati in opiatis, vt citiùs medic. ab vtero trahatur, vt pulueres diambræ, diamoschi, diagalangæ, & alij reficcantes & odorati.

Curatio insultus epileptici.

Quæ superiùs dicta sunt de epilepsiæ curatione, extra paroxysmum facienda sunt, quæ magis ad præcautionem, quàm ad curationem instituuntur. Quæ sequuntur, ad insultus epilepticos & paroxysmos conducent. Sunt autem duplicia. Alia ad symptomatis mitigationem instituuntur, alia ad morbi facti curationem. Si æger multùm moueatur, conuellatúrque, oportet medicum inhibere motionem vehementiorem, ne corpus nimiùm defatigetur. Nam in totum prohibere, nihil aliud est, quàm retardare paroxysmi solutionem. Cùm enim concutiuntur partes, materia discutitur, quæ partem internam grauat. Secundum est dare aliqua, quæ naribus obiecta, sua tenuitate partium, ad ventriculorum cauitatem penetrare possint, & materiam illam absumere digerendo reficcandóque. Sunt autem illa ipsa, quæ epilepsiam produnt, vel eam inducunt, vt lachrymæ fœtidæ, quale est ammoniacum, sagapenum, assa fœtida bitumen castoreum, folia rutæ, pulegium regale & ceruinum, calamynta, & id genus alia. Nec cuiquam mirum esse debet, si hæc epilepsiam concitent, materiam commouendo, eandémque commotam discutiant longiori tempore. Eadem ratione id faciunt, quod pæonia collo

ſuſpenſa, attenuando, incidendo, & diſcutiendo. Poteſt etiam dari aqua illa diſtillationis hyrundinum ad ℥. ij. quæ ori impoſita ſua tenuitate partium diſcutit, & ſe in partes abditiſſimas inſinuat, vel danda in maiore quantitate, ſi ſpumam reddat, quia cum ſpuma medicamentum reiicitur. Olea, quæ ſunt valde tenuium partium, in aures diſtillando adhibēda, & ſupra capitis commiſſuras, vt oleum de ſpica, oleum ſampſu. oleum de cinamomo, de nuce moſcata, de macere, vel alia, quæ citra diſtillationem parantur, vt oleum rutaceum. ſycionium de abro. addita aqua vitæ ad tertiam partem. Vngantur ſuturæ, vt penetrationem acquirant. Si per conſenſum fiat, ſupra partem affectam ſynapiſmus, vel veſicatorium ex fermento, & cantharidibus adhibendum. Nam cucurbitulæ propter ſuccuſſionem non poſſent adhærere, alioqui vtiles eſſent. Si per conſenſum vteri fiat, erunt ea inſtituenda, quæ ad vteri ſuffocationem præſcribuntur, vt fœtida naribus, odorata verò admouenda, niſi mulieribus vtero gerentibus, in quibus ſufficit ſucceſſionem nimiam inhibere. Compoſitiones, quæ ſunt antidota, diſcutiunt, & materiam abſumunt, ſed illa oportet eſſe antiqua quanquam in vehementiori corporis agitatione, minùs antiqua conueniunt. Si fiat per conſenſum alicuius partis exterioris, vt digitorum manus vel pedis, fiat ſtrictura inter partem & caput, vel corporis truncum, vt ſi in manu, à cubito ad alas ponenda eſt, quia æqualiter & meliùs ligatur hæc pars, per quam aura tenuis defertur ad caput, quàm à cubito ad carpū, quia vno oſſe conſtat, cubitus autem duo oſſa habet. Ob id vaſa, quæ inter duo oſſa latitant, conſtringi nequeunt. Idem faciēdum eſt in tibia, cùm inde defertur illa aura, in qua ligaturam à parte inferiore incipere oportet, ab eáque conſtrictionem arctiorem faciendo, & ſenſim remittendo vſque ad ſuperiorem.

De conuulſione. CAP. XXXVII.

SPaſmus ſiue conuulſio à repletione, & ab inanitione fit. Eſt & non proportionatus ad materiam. Conuulſio facta ab inanitione lethalis. Quare ſatius erit prohibere ne fiat, auferendo cauſſam, quæ conuulſionem poteſt excitare, velut in febre ardentiſſima, ſi tanta ſiccitas

tiuis partium fuerit, & conuulſionem minetur, ſpinam dorſi inungere oportet, ne nerui ſupra modum exiccati, conuulſionem patiantur. Huiuſmodi conuulſiones quæ fiunt à febribus, ſolent vt plurimùm ſequi phrenitim. Ordinentur itaque inunctiones ſiue irrigationes, partim ex refrigerantibus ob febrem, partim ex humectantibus ob neruorum ſiccitatem hoc modo.

℞. ol. viol. ℥ iiij. ol. amygd. dulc. & de lilio ana ℥.ij. lactis mul. ℥.j. mucilag. ſeminis pſillij ℥. ß. miſce. fiat vnguentum, quo vngatur ſpina dorſi. Ad intra danda ſunt, quæ humectant & refrigerant. Fiat inunctio fortis pro principio hoc modo.

℞. ol. narciſsi, liliorum ana qr. j. ol. amygd. viol. vel ſeſamini ana ℥.ij. mucil. ſeminis pſillij & lini ana ℥. j. pinguedinis gallinæ & porci, ana ℥. iij. miſce ad formam linimenti, quo inungatur ſpina dorſi. Poteſt fieri irrigatio ſupra caput hoc modo

℞. flor. viol. nenuphar. & liliorum & narciſsi ana p. j. viol. mal. cum tota an. M. ij. chamepith. & hederæ terreſtris ana M. ß. (Si febris ſit admodum ardens, poſſunt addi folia ſalicis, & cucurbitæ ana M. j.) ſeminis lini & fœnug. ana ℥. j. fiat decoctio in aqua, & cum decoctione fiat irroratio ſupra caput. Poteſt addi aliquod oleum remolliens, vt amygd. dulc. vel viol. ſi timeatur nimia calfactio. Poteſt addi in decoctione hordeum mundatum ad maiorem humectationem, tepidum applicetur, ne ob caliditatem reſoluat potiùs quàm humectet. Spaſmus ſi ab inanitione fiat, poſt vomitiones & inanitiones, tunc danda eſt opera, vt corpus reficiatur, & fiant ſimiles inunctiones. Si fiat ab inanitione cum aſtrictione ventris, leniatur clyſtere molliente, vt facto cum decoctione capitis veruecis. Detur caſsia extracta cum ol. amygd. dulc. (Nam hoc modo magis lenit & humectat) vel detur manna in brodio pulli, vel decoctum galli antiqui, cum quo decocta ſint maluæ, vel blitum, vulgò ſpinachia appellant. Dentur ad intra, quę humiditatem reparant, vt teſtudinum carnes, & cancrorum fluuiatilium, vel marinorum. Dentur electuaria reſtaurãtia humiditatẽ, vel diapenidium ſine ſpeciebus, pũluis reſtauans humiditates, conſ. humectantes, vt radicis bugloſ.

Conuulſio ab inanitione.

Elect.

Conſer.

viol. florum borrag. & nenuphar. Pineæ etiam laudantur, & omnia, quæ prosunt hecticis & cõsumptis. Si conuulsio fiat à vulnere, post multam sang. profusionem, incurabilis est, & proinde relinquenda. Quòd si eius curationem tentare velis, erit curanda iisdem remediis.

Conuulsio à vulnere.

Spasmus à punctura.

Si autem fiat spasmus à punctura facta in neruo, vel in tendone, (quem spasmum non proportionatum ad materiam vocant) vulnus dilatetur, & infra vulnus ol. ponatur tereb. vel de euphorbio. Fiat emplastrum de galbano, & maneat diu apertum vulnus: tum vt medicamenti vis faciliùs penetret, tum vt venenosa illa qualitas, & sanies extrahatur. Si oboriatur dolor, sedandus erit, ne fiat inflammatio. Quòd si istis remediis non prohibeatur conuulsio, propter sympath. & consensum cum cerebro, si inueniatur tendo, vel neruus ictus, per transuersum scindatur, in parte altiore, quàm punctura. Satius enim est motum alicuius partis perire, quàm totum animal.

Herba cõtra venenum.

A punctura animalis venenosi.

Si à punctura alicuius animalis venenosi fiat conuulsio, apponatur supra partem cucurbitula cum multo igne, vel cauterium, vel apponatur illius veneni amuletum, seu antipharmacum. Ad intra sumat theriacam, cum decoctione illius herbæ, quæ respectum habet ad tale venenum. Si proprium antipharmacum ignores, aut cuius animalis sit punctura, confugiendum est ad communia antipharmaca, vt ad rutam, pentaphilum, scabiosam, chamep. & alia id genus, vt in decoctione radic. gentianæ, tunicis vel trifolij fœtidi, quod Diosc. vocat menyanthes. Si adaugeatur dosis castorei vel carpobalsami, remedium erit magis proprium, & determinatum. Theriaca etiam exteriùs admota, & intra vulnus posita confert. Nam à tota substantia venenum absumit, & non repellit intrò, vt aliqui putant, quin potiùs attrahit. In spasmo facta à punctura, possumus etiam vti inunctionibus inferiùs describendis, quæ fieri debent non supra vulnus, sed in partibus conuulsis, & super nucam, & spinam, & originem neruorum mouentium partem conuulsam.

Qua in parte fieri debeat inunctio.

Spasmi

Spasmi per consensum Vteri & ex Vermibus curatio.

Si spasmus fiat per consensum vteri, dentur remedia præscripta in epilepsia facta per consensum vteri. Si à vermibus, occidantur vermes & expellantur à corpore, Spina inungatur vnguento, vel aliquo oleo mediocriter calido. Si fiat à plenitudine, erit à pituita, vel sanguine, sed raro. Si à sanguine trahatur iteratis vicibus, & non euacuatione vna insigni. Nam omnis euacuatio insignis maximè & subitò, corpus refrigerat. Fiant inunctiones ex ol. mediis. Si ob pituitam redundantem, concoquenda erit materia, & euacuanda, vt in paralysi monstratum. Nam curatio paralysis & huius spasmi eadem esse videtur. Hoc tantùm interest, quòd conuulsio fit à materia magis crassa, & minus subtili, quæ neruorum nõ potest penetrare soliditatem. In hoc spasmi genere, vtimur etiam emollientibus, vt in vnguentis, axungiis anatis, anseris, gallinæ, vt in balneis, mal. semine lini & fœnug. &c. Inunctiones ergo differunt. Nam in spasmo malactica aliqua cum digerentibus recipiunt, in quo maior adhibenda est cura, ne id, quod subtile est resoluatur per fortiter exiccantia & digerentia. Primùm vtantur pilulis leuioribus, vt in paralysi est dictum. Coquatur materia syr. mediis præscriptis in paralysi. Purgetur pilulis cochiis & fœtidis, addita aliqua parte castorei. Semper enim addere oportet aliquod medicamentum affectioni proprium. Vtantur sæpe pilulis de beniouino, descriptis de paralysi & epilepsia. Fiant opiatæ vt suprà mõstrauimus eodem capite & de epilepsia. Quòd si nolint accipere opiatam, fiant pilulæ, vt dictum est cap. de epilep. vel capiat tabellã j. diamoschi diambrę, vel diagalangæ, superbibendo parũ aquæ rutæ, vel chamepit. Vtãtur balneis naturalibus, vel arte paratis. Sed balnea artificialia magis laudãtur in principio, quæ fiant hoc modo.

A plenit. spasmus.

Curatio spasmi à plenit.

Vnctiones

Pilulæ.

Opiata.

BALNEVM.

℞. radic. bismal. & liliorum ana ℔. j. radic. ireos ℔. ß. maluæ, bismal. ciclæ, branchæ vrsinæ, geranij maioris (quod est simile folio mal.) ana M. iij. florum cham. meliloti, samb. ana p. iiij. florum ischen. & anthos ana p.

j. feminis lini, fœnug. an. ℔. ij. seminis bismal. & anethi (si tamen adsit anethum recens cum floribus, accipe potiùs summitates eius, quàm semen siccum) seminis sesami ana qr. j. florum narcissi p. ij. Aut si non reperiantur flores, pone radices eius ad ℔. j. fiat decoctio pro balneo. Adde olei veteris ℔. iiij. ingrediatur ter vel quater balneum in die. Balneum hoc est pro conuulsione antiqua, vbi nerui sunt duri. Quod si non tanta sit durities, & sit in principio, addantur digerentia & exiccantia, vt absynth. conisæ, chamep. saluiæ, & origani ana M j. Auferantur, quę supra modum emolliunt. Nam balnei vsus est ad materiæ resolutionem & remollitionem. In principio itaque, dum materia non est admodum impacta, nec exiccata, magis est resoluendum: sicut vbi morbus est antiquus, quando duri facti sunt nerui, magis est emolliendum, ne ob nimiam resolutionem magis indurescant. Vngatur vnctione mitiori post balneum. Fiet autem balneum efficacius & magis emolliens, si decoquantur in eo aliquot capita veruecis, aut vulpes integra vel catus. Si non reperiantur in promptu animalia ipsa, ponantur pelles eorundem. Post vsum istius balnei, fiat alterum magis digerens, vel in prędicta decoctione addantur aliqua digerentia, vt chamepith. beton. meliss. absynth. abrotoni vtriusque, arthemi. matric. ana M. j. augeatur dosis radic. ireos. Adde rad. cucum. agrestis ℔. ß. & radic. ebuli tantundem. Nam plurimùm commẽdatur. Optima est etiam radix, & herba glycirrizæ si reperiatur. Post hoc secundum balneum, inungatur fortiori vnctione. Inunctiones sunt meliores ex oleis mitioribus, & pinguedinibus minus calidis. Olea sunt antiquorum amygd. de florib. narcissi, de lilio & cæt. Olea fortiora sunt, amygd. amar. antiquum, de Kerua, fæx ol. liliorum, amurca ol. communis. Oleum de mastiche, tametsi astringat, habet tamen & vim emolliendi. Extrema olea sunt de piperibus, de costo, de bdellio, sicionium, irinum, amaracinum de croco. Pinguedines sunt gallinæ, testudinis, porci, anatis, seuum veruecinum, pinguedo anguillæ. Fortiores sunt, pinguedo cati, anseris, pardi, leonis, vrsi, asini, viperarũ. Addantur & medullæ, vt ceruina, cruris

Quid faciẽdum in principio.

Olea.

Olea fortiora, & extrema.

Pingued.

vituli, &c. Conficiantur itaque vnguenta, velut per gradus quosdam digesta. Mitius erit tale.

℞. olei amydg. dulc. ol. liliorum ana ℥. iiij. ping. gallinæ, anser. porci, ana q j. medullæ cruris vituli ℥. ij. mucilaginis, seminis lini, ℥. j. ß ceræ parũ, fiat vnguentum. Adde castorei ʒ. ij. vt fiat proprium affectioni curandæ. Vnguentum fortius. *Vnguentum mitius.*

℞. fæcis ol. liliorum, olei de Kerua, vel sesamini ana q. j. ping. anseris, vrsi, vel caudæ mutonis, vel cati ana ℥. ij. mucil. seminis lini & fœnug. ana j. ß. propoleos ℥. iij. bdellij dissoluti in vino ℥. ß. castorei ʒ. ij. pyretri ʒ. j. cum cera q. s. fiat vnguentum. Fortissimum tale erit. *Fortius.*

℞. ol. vulpini ℔. j ol. liliorum & narcissi ana q. j. pingued. testudinis, vel sang eiusdem ʒ. ij. ping. anguillæ, dum torretur in veru collectæ ℥ ij. bdellij dissol. in aceto scil. ℥. ß. styracis liquidæ ℥. j. vermium terrestrium contritorum diligentissimè q. s. castor. ℥. ij styrac. rubræ ʒ. iij. mell. anacardini ℥. ß. vel theriacæ antiquæ ℥. j. ceræ q. s. fiat vnguentum. *Fortissimum.*

Conuulsio à congelatione humorum.

Si conuulsio fiat ob congelationem humoris, & sentiantur partes conuulsæ, admodum duræ & frigidæ, optimum est adiungere, quæ calfaciunt magis, vt quis adaugeat dosim castorei. Nam quæ dura sunt & distenta, propter frigiditatem sunt curanda calorificis remediis, qualia esse possunt, vnguentum dialtheę, œsopus, emplastrum de meliloto, si in oleo liliorum dissoluatur, vel in oleo seminis lini, vel oleo sesamino. Multùm enim conferunt. Ad intra detur theriaca, compositio mythridatica, vel castoreum, vel assa fœtida, quocunque modo exhibeantur, siue in potionibus, opiatis, pilulis aut aliter. Plurimùm enim iuuant. Optimũ erit si capiat ℈. ß. castorei cum ℥. ij ol. amygdal. dulc. Sæpius iterare oportet, & balnea & inunctiones, modò vtendo mitioribus, modò fortioribus, vt magis commodum videbitur, perinde ac in curatione scirrhi, cùm hæc conuulsionis species fiat, ob neruorum cum duritie congelationẽ. Practici laudant pinguedinem anseris, si paretur hoc modo. Accipe catum in multas partes diuisum, & ponatur intra ventrem anseris, herbæ chamepith.

M j. pinguedinis porci, vel lardi rancidi q. j. bdellij, assæ fœtidæ, castorei ana ʒ.ij. recipiatur pinguedo, dum anser assatur. Si addatur anguilla similiter concisa in multas partes, erit remedium efficacius. Si voles decoquere vulpem in ol. antiquo, erit adhuc præstantius, sed ex supradictis similiter fiat, & vnà cũ pelle coquatur. Eadem ratione curabitur, siue sit tetanus, siue opisthotonos, siue emprosthotonos, quia huiusmodi rigores magna ex parte proueniunt ex congelatione. Topica remedia erunt magis calfacientia, & partes erũt inuoluendæ multa lana succida. Assignantur cucurbitulæ in parte opposita contractioni, vt si contractio fiat ad partem anteriorem, ponantur supra scapulas, & in colli principio. Si autem in partem posteriorem conuulsio fiat, ponãtur ventosæ prope clauiculas. Si in partem sinistram, in parte dextra & contrà. Sed maiores & plures debent poni supra caput musculorum illam partem mouẽtium, quàm in fine, vel in medio musculorum, cùm musculus semper contrahatur versus suum principium. Non ergo ponantur cucurbitulæ supra tendones, quia impediretur contractio, quæ propria est functio musculi.

Ratio curandi alias conuul. species.

Topica remedia.

De conuulsione caput alterum.

Spasmos Græcè, conuulsio Latinè, est contractio in neruis ad suam originem seu principium citra voluntatem cum rigiditate. Est autem cum motu aut sine motu. Si absque motu sit, Latinis rigor dicitur. Accidit autem ceruici, cuius tres sunt species seu differentiæ. Prima Græcis Tetanos, quando ceruix recta, atq; immobilis manet, & in neutram partem inflectitur: altera, Emprosthotonos, cùm mentum pectori adnectitur: tertia, Opisthotonos, cùm caput in dorsum ac scapulas cõuellitur. Fit autem hic affectus contractis potiùs, aut congelatis, vel inflatis musculis à pituita viscida, quàm affecto neruo, vel post aliquem morbum malè curatum, & non satis exiccatum. Accidit autem Synoche digitis pedum vel manuum, vel cubito, vel genu, quando nerui breuiores fiunt, vel ob ictum, vel ob tumorem scirrhosum, vel pituitosum, aut propter atrophiam, aut congelationem, aut propter vstionem. Spasmus autem quãdoq; est vniuersalis, vt in Epilepsia, in qua cerebrum totum

Differentiæ.

tum in se contrahitur: quandóque particularis, vt brachij vel cruris. Fiet aliquando ob saniem collectam in aliqua parte capitis ob vulnus aliquod, aut puncto neruo, aut tendone alicuius partis. Quod autem ad huius mali caussas attinet, sciendũ est, duas duntaxat ab Hip. constitutas esse, Plenitudinem, & inanitionem. Præter has duas, Medici posteriores tertiam addiderunt, quæ dicitur per condolentiam, dolente, scilicet, neruo, ob puncturam, aut ictum animalium venenosorum. Hanc verò speciem Galen. semper ad inanitionem refert, quę cùm fiat à materia venenosa, eadémq; pauca, satius esset caussam potiùs ad plenitudinem, quàm id inanitionem referre. Est enim partis plenitudo. Conuulsio alia curatur, alia non curatur. Quæ ex inanitione accidit (vt post largam sanguinis euacuationem, aut pòst febres ardentes, aut post meningum inflammationes cerebríve) lethalis est. Quæ fit à plenitudine, siue per condolentiam, siue per proprietatem, euacuata materia, curatur. Porrò fit quædam conuulsio ob immoderatam euacuationem quæ curari potest: sed hæc potiùs à flatibus medicamenti, aut agitatione materiæ fit, quæ potius plenitudinẽ, quàm inanitionẽ indicat. Prouenit neruorum origine cõtracta. Ab inanitione, cũ incipit, curatur aliquando. Quare statim adhibenda sunt remedia, quæ illam inhibere valeãt. Facilius est enim viam præcludere, quàm factam euincere. Huic autem occurrimus, cùm caussam quæ illam nata est excitare, auferimus, vt in febre ardentissima, cerebrum irrigamus, irrigationibus viam & principium neruorum humectantibus & totam spinam oleis frigidis & humigidis inũgimus. Olea ad id faciendum sunt accommodatiora, oleum violarum, amygda. dulc. de lilio recens, non magna (nam potiùs resoluit) de seminibus frigidis maioribus, vt oleum cucurbitæ, & peponis. Aliquando axungias adiungimus recentes, vt gallinæ, porci, anatis, & piscium, vt anguillarum, mugilum, & similiũ, quod oleum extrahitur ex hepate in sartagine fricto, quod funditur & liquatur. Huiusmodi autem liquor oleum appellatur. Oleum etiam ex hepate raiarum, & gallorum confectum mirificè prodest. Ex his addita pauca cera noua, linimenta paramus,

Caussæ.

quibus & adiungimus butyrũ recens in multo lacte ablutũ. Cõferunt & mucilagines psilij & cydoniorũ multo lacte, aut aqua viol. aut lact. ablutæ & dilutæ. Parãtur irrigationes ex oleis supradictis, vel in sequẽtem modum.

Irrigatio.

℞. violarum, maluarum, lactucæ, ana M. iiij semi. frigidorum maiorum conquassatorum ana ℥. ij. florum violarum, borraginis, bugloss. ana p. iij. fiat decoctio cum aqua, partes irrigentur. Ex eisdem parari poterit balneum aucta, videlicet, dosi, modò Phrenitim non patiatur, aut futurus sit sudor, aut alia excretio critica. Eo enim tempore satius erit à balneo abstinere, & linimentis vti. Post irrigationem vngatur sic.

Linimentum.

℞. olei violati, olei amygdalarum dulc. recen. ana ℥. iij. olei liliorum recent. vel olei florum narcissi ℥. ij. pingued. porci recent. ℥. iij. axungiæ anguillarum, & mugilum ana ℥. ij. ceræ nouæ parum, fiat linimentum, quod abluatur lacte muliebri recenter mulso, & eo tota spina inungatur. Exhibeantur alimenta corpus multùm humectantia, qualia sunt iuscula, quibus ad faciliorem distributionem guttæ aliquot vini addi possunt.

Victus ratio.

Lac quoq; recẽs mulsum exhiberi potest, modò febris non adsit. Succus carnis aut aqua stillatitia ex porcellis lactantibus multùm confert. Parari etiam potest gelatina, ex carnibus aut piscibus citra piper, aut alia odorata. Addi tamen poterit ad gratiam & penetrationem cinamomi parum. Huic etiam pauca quantitas aceti addatur, aut nulla prorsus. Fit & alia gelatina ex carne contusa, amygdalis, & farina orobi, quibus adduntur semina frigida maiora, ad maiorem humectationem. Decoctum anguillarum, vel ius album piscium saxatilium cum oleo amygdalarum dulc. paratum, sufficienter humectant. Commodè exhibemus carnem cicularem vel schillarum gibbarum, vel testudinum, vel cancrorum fluuiatilium, vel marinorum, vel stagni. Quod si cancri parentur eo modo, quo solent in Pontificum cœna, cibus & delicatior & melior erit. Parantur autem sic. Cancri fluuiatiles aqua multa communi abluantur, marini in decocto hordei, vt deponant salsuginem, quæ est in parte externa: deinde viui suffocentur in lacte recenter mulso, vel in eodem decoquantur vel

in iure

In iure capi pinguis. Multùm hic cibus humectat, & facilè cōcoquitur, quare in atrophia, & phthisicis, & in quibus venus est prouocanda, conuenit. Iniici possunt clysteres ad humectationem ex decocto pulli, & oleis supradictis, vel ex iure piscium pinguium, vel gallinarum, vel porcellorum, vel ex oleo tantùm, vel ex decocto herbarum prædictarum, vel iniiciatur aliqua portio irrigationis supradictæ, aut cremor hordei. Sumenda quoque aliqua interna remedia, vt conseruæ, buglossæ, viol. florum borraginis, vel nenupharum, quibus adiungantur aliqui pulueres, modò recentes sint, vt pul. diacitonites sine speciebus, puluis restaurans humiditates, & diatragacanth. siue caphura, nuclei pinearum infusi in lacte, vel in aqua violarum, quomodocunque administrati conueniunt. Curatio conuulsionis, quæ à plenitudine sanguinis, quanuis rarò oriatur, statim à sanguinis missione auspicanda est, iteratis vicibus. Omnis enim repentina euacuatio vim naturæ infert. Poterit tamen aluus elui clystere euacuante & attrahente. Spina auté oleis moderatè calidis inungenda, vt oleo chamom. amygd. amararum, oleo sesamino, & oleo communi, non antiquo, quibus adiungi poterunt axungiæ supradictæ, modò sint antiquæ. Quòd si recentes sint, ℈. ß. castorei pro ℥. ij. vnguenti poni poterit, quibus addimus aquam vitæ imbecilliorem, ad maiorem penetrationem. Si verò à pituita flatulenta spumosa, vel salsa conuulsio euertit, iniecto clystere, pituita est concoquenda, & ad expulsionem præparanda, cum pilulis leuibus vacuanda. Post valentiùs præparanda, & rursum fortibus pilulis euacuanda, quales sunt, quæ cap. de paralysi præscriptæ sunt. Si tamen morbus est vehementior, ac dolorem magnum affert, qui vires prosternat, citra concoctionem etiam vacuanda est potentioribus remediis. Periculum enim esset, ne dum concoquimus, vires deiiciantur, & æger moriatur. Pilulæ quæ multùm & potenter & facilè purgant, sunt, quæ ex lachrymis parantur, ex agarico, colocynthide, & turbith, quibus semper adiungenda sunt grana aliquot castorei, vel euphorbij. Vti possunt pilulis de beniouino, descriptis cap. de paralysi. Sumenda quoque sunt an-

tidota antiqua: vt theriaca, mithridatum, aurea Alexandrina, vel pul. diagalangæ, aromatici rosati, pul. diamoschi, & diambræ, vel eligenda sunt, quæ magis discutiunt flatus, calfaciunt, attenuant, & quæ tenuium sunt partium. Inungenda porrò est spina vnguentis paratis in Officinis, vt Martiato, Aragon, Dialthea, vel oleis desiccantibus & digerentibus cum quadam remollitione, qualia sunt oleum therebintinæ, irinum, liliorum, amygdalarum amararum, olei de bethen, de spica, de thymo, rorismarini. Parentur autem, si fieri potest, per sublimationem. Oleum de piperibus si paratum fuerit sine myrobalanis, & hyosciami, vt monstrauimus in officina nostra, conuenientissimum erit. Etiam oleum de costo, vel de castoreo in summa refrigeratione. Ex bdellio, galbano, opopanace dissolutis in multo oleo, & addita aqua vitæ, vnguentum parari poterit Castoreum, vel id quod in castoreo reperitur, si excipiatur multo oleo, eóque mitiori, medicamentum erit efficacissimum in omni conuulsione, quæ à frigido humore ortum traxit. Aqua ex hyrundinibus, & castoreo parata exhibita, conuulsionem à plenitudiue subitò cessare facit. Eius descriptio est in cap. de Epilepsia. Victus ratio extenuans esse debet. Interdicendum est vino, & his, quæ multùm aperiunt, quia sua tenuitate neruos tendunt, ad eósque crudos suos deducunt, & potissimùm ante corporis purgationem. Legumina, & omnia cruda & flatulentia morbum hunc faciunt, eundémque augent. Frictiones corporis, purgato corpore, ad materiæ discussionem plurimùm faciunt. Per condolentiam fit conuulsio cerebri, cùm mouetur in sese, vt expellat, quod persentit. Fit & aliquando affecto ore ventriculi, vel vulnerata aliqua parte, & maximè punctura, vt ab ictu feræ venenatæ, vel à materia collecta inter cerebri meninges, easdem pungens. Curatur autem hæc denudato cerebro trepano, aut alio instrumento, vt materia illa per vulnus illatum euacuari possit, aut per rimulam ossis dilatatam euaporari, aut si magna inflammatio non adsit, trahatur epipasticis medicamentis Si verò conuulsio sit neruo puncto, aut tendone, aperiatur punctura, vt sanies expiret, si angustior

Victus ratio.

Conuulsio per condolentiam.

Conuulsio per cōsensum ventriculi.

A punctura.

ſit, dilatetur, & cucurbitula adhibeatur, vel medicamentum epipaſticum, vt trahat æruginoſam, vel venenoſam materiam, ne ibi retenta putreſcat. Imponatur euphorbium, vel caſtoreũ, vel ſucci alij calidiores. Quòd ſi conuulſio hęc à nullis remediis compeſci poteſt, neruus, vel tendo ſecetur à Chirurgis. Præſtat enim priùs nerui, vel tendonis actionem deperdere, quàm hominem certa morte interimi. Si ob morſum oris ventriculi fiat, æruginoſa & bilioſa materia purgãda eſt vomitione, vel medicamento purgante, & ventriculus abluendus diligenter. Si propter vermes, occidendi & impellendi, vt oleo nucum, & pauco bitumine impoſito vmbilico. Topica remedia ſupra ſpinam adhibeantur, qualia ſuperiùs enumerata ſunt. Habenda tamen ratio eſt eorum, quæ minus ſiccant, & magis emolliunt partes tenſas. Rigores ſiue tenſiones ceruicis curantur eodem modo, quo ſpaſmus à plenitudine. Cùm incipit, mittatur ſanguis, vt in apoplexia, ſed ſenſim. Olea quoque, vnguenta, cataplaſmata digerentia, emollientia, & tumores liquantia, in principio moderata, in fine ex caſtoreo, & aliis calidioribus paranda erunt. Cucurbitulæ etiam affigendæ, in opiſthotono, circa clauiculam in emproſthotono, ſuper dorſum inter omoplatas: in tetano viciſſim in vtraque parte. Hippoc. Aphoriſm 21. lib. 5. commendat perfuſionem aquæ frigidæ, quæ tamen periculoſa eſt, nec tentanda, niſi in principio, æſtate media, iuuene bene carnoſo, & in leui affectione. Periculum enim eſſet magis materiam congelari, & impingi, quàm calorem à frigore vltrò compulſum congregari.

A punctura.

A vermibus.

Obſeruatio in ſuperiora duo capita de conuulſione.

Conuulſio eſt vitioſus motus, muſculis ſeſe ad principium contrahentibus. Si quis verò contendat in tetano motum nullum eſſe, quòd ceruix immobilis ſit, nec huc nec illuc flectatur, is ſic habeat à Gale. lib. de motu muſcul. Tonicum motum eſſe inter cæteros valde vehementem. Quòd ſi quis quærat, cur cùm tetani, opiſthotoni, & emproſthotoni, ipſi authores meminerint, nullam fecere mentionem conuulſionis colli in ſiniſtram aut dextrâm, cùm æquè in latus atque retrorſum vel antrorſum moueatur, Huic ſic eſt ſatisfaciendum.

Collum adduci in pectus duobus musculis sat imbecillis: retrò verò flecti sex bene validis, & sex infirmioribus: tot verò musculis opus fuisse, vt retro conuerteretur, quoniam grauitate sua antrorsum propendebat, & suo nutu illuc ferebatur. Retrorsum non nisi magna vi, & contentione impellitur, ídque pluribus musculis, quàm antrorsum. Sic conuulsio duobus anterioribus musculis fit emprosthotonos: posterioribus duodecim, opisthotonos: vtrisque pariter, tetanos. At posteriorem quædam summæ margines, latéque aponeuroses, in latera capitis pertinentes. Præterea anteriorum & posteriorum æquabilis intentio, motus obliquos efficiunt. Itaque si contractum in dextram aut sinistram collum videatur, eius conuulsionis vna eadémque ratio est, vnóque genere curationis continetur cum superioribus. In conuulsione non est vsurpandum remedium Hippoc. nempe frigidæ perfusio, nisi magna curatione. Conuulsione à plenitudine medemur primùm purgatione ex pilulis cochiis, vel solis vel dilutis aqua vitæ, pilulis fœtidis, addita aliqua portione castorei. Catharticis paratis ex agar. colocyn. turbith. Si metuimus ne hæc sua violentia noceant, panno ligata hæc incoquenda sunt decocto herbarum, quæ neruis prosunt, vt chamep. chamed. hyss. florum stechados, anthos, & similibus, adiecta nuce moscata, & reliquis id genus. Sic ea noxam omnem exuent, & valdè purgabunt. Sanguinis missionem nullus scriptorum præscribit. In tetano tamen aliísque colli conuulsionibus, vt & in epilepsia, secare potest venam, non omnibus cognitam, quæ in prima dorsi vertebra conspicitur elata, & per summum vertebrarum spinæ ad eos vsque sacrum deorsum perreptat, & paulò supra primam dorsi vertebram in spinam subiens occulitur. Si sanguis deriuatione à collo deducitur, & vnà cum sanguine, quicquid humoris pituitosi musculos colli perfundit, ac imbuit, aut si nunquam ea apparet, eo in loco sunt efficiendæ cucurbitulæ cum scarificatione. Ex topicis primo loco vtilia sunt acopa, & modicè calfacientia, ex oleis emollientibus, ac calfacientibus, vt de lilio, chamo, œsypo, butyro & vnguento resumptiuo, quod vere acopum est, si auferatur

Conuulsio à plenitudine Cathartica.

Herba.

Topica.

tur mucilago psyllij, & cydoniorum, quæ ob id adiecta est, quòd interdum simul laxandum est, & refrigerandum. Inspissanda hæc sunt cum cera recenti, & quæ à propoli non sit repurgata, tum quòd sic non facilè defluit, & remedium ob propolim efficacius emolliat, vt quæ vi molliendi bdellio non cedat. Hæc si malum non tollant, transeundum erit ad magis discutientia, vt oleum rutaceum, laurinum, irinum, axungias anatis, anseris, petroleum, quod propter tenuitatem penetrat altissimè & potentissimè discutit. His adiungi potest nonnihil aquæ vitæ, quòd in profundas partes vim medicamenti ferat, cum pul. castorei, myrrhæ, aloes, croci, nucis moscatæ & similibus. Sunt earundem virium dialthea, martiatum, aragum, oleum de piperibus, de costo, & alia huiusmodi. Fouentur & conuulsæ partes decocto herbarum discutientium, aut catapl. admoueatur ex eisdem paratum. Prosunt & in tetano ea remedia, quibus vtuntur in angina, vt hyrundinum cinis & nidus earundem. Huc pertinet quod diximus cap de apoplex. de theriaca, & mythridato. Hic enim eandem rationem sequimur. Conuulsionem à siccitate insanabilem scribunt, nón tamen continuò spes omnis abiicienda est. Experientia enim cognitum est, profuisse nonnullis remedia, præsertim balnea & illitus. Balnea fiunt ex mal. althea. viol. decocto pedum veruecis & capititis. Illitus fiunt ex ol. viol. amygdalarum dulcium, liliorum, multo butyro, rad. mandragoræ, cum intestiuis & capitibus veruecis & medulla porci multa, & vino modico decocta, adiecto modico castoreo, ne frigiditate lædat. Et trita cum superioribus neruos contractos laxat, & mollit promptissimè. His remediis cùm nonnihil pars conuulsa remissa fuerit, cogendus est paulatim æger membrum distendere, donec ad habitum naturalem redierit, aut pars est paulatim explicanda alligatis bacillis, & tessellis. Conuulsio si à fungis, aut veneno, aut bile æruginosa, vel prassina accidat, non est statim ciendus vomitus. Nam dum reuomuntur, os ventriculi lædunt. Tutius est ea clystere acri trahere deorsum, aut pilulis deiicere, spinámque superioribus medicamentis ad conuulsionem à plenitudine præscriptis inungere

Propolis emollit.

Olea discutientia & adipes.

Conuulsionis à siccitate curatio.

Balnea.

Vnctiones.

additis oleis calfacientibus, & nonnihil astringentibus; vt oleum de mastiche, terebinth. & menthæ. Guido à Cauliaco in spasmo a siccitate statim à principio masticatoria, errhina, gargarismata præscribit, cum alij nullam purgationem probent. Id verò facit, vt eiectis excrementis (quæ cerebrum propter imbecillitatem à siccitate contractum colligunt) ipsum commodiùs postea humectare liceat.

De tortura oris. Cap. XXXVIII.

TOrtura oris, quæ & spasmus dicitur caninus, etiam si leuis sit, magnam tamen adhiberi diligentiam vult in curatione Primùm detur clyster, vt in aliis affectibus monstratum est. Concoquitur materia pituitosa syr. suprà descriptis. Post exactam euacuationem purgetur cerebrum caputpurgiis acrioribus, postea vtatur masticatoriis. Masticet tantùm radicem pyretri in parte sana, aut aliud simile, aut masticatorium præscriptum cap. de epileps. Vtatur gargaris. acribus factis ex digerentibus. Teneat in ore ex formulis in paralysi linguæ præscriptis: nihil enim est in hac affectione præstantius, quæ si cum aqua vitæ formentur, erunt magis huic affectui accommodata, & dosis castorei augeatur ad ʒ. j. ß. Fiant inunctiones ex oleo de costo, bdellio, de terebinthina, de baccis lauri, de piperibus, de semine behen & ol. sinapi. Post inunctiones applicetur sacculus paratus sic.

℞. pulicariæ, herbæ paralys. orig. calamenti, foliorum lauri, & rutæ, anthos ana M. ß florum stechad. saluiæ, sambuci an. p. j. radic. pyretri ʒ. j. fiat sacculus interbastatus, qui calfactus supra tegulam irroratam vino, applicetur supra partem affectam post inunctionem, aut potius applicetur in posteriorem partem capitis, vsque ad quintam vertebram. Nam à secunda & tertia oriuntur nerui mouentes mandibulas. Ex iisdem herbis fiat decoctio in aceto, & pars affecta suffumigetur ex fumo decoctionis eius. Potest fieri emplastrum ex gummi & aliis calfacientibus. Ex emplastris optimum erit cheroneum, & de meliloto, si malaxentur cum oleo rutæ, vel de piperibus, vel sicyonio. i. oleo ex radicibus cucumeris agrestis. Oleum sicyonium Dioscoridi est oleum

albuм,

album,& est duplex, simplex quod ex decoctione cucumer. agrest. tantum fit: Compositum recipit etiam rad. enulæ campanæ, & multa alia. Adduntur castorei ℥. ij & euphorbij ℥. j. *Oleum sicyonium duplex.*

Annotatio in cap. de tortura oris.

Conuulsio lato musculo, qui faciem tegit, & ex quo musculi narium, superciliorum, & labiorum fiunt, accidit. Quare si neruis ortis à primis vertebris & ramis tertiæ coniugationis accidit refrigeratio, vel obstructio ob sudorem refrigeratum, vel ob ventum aliquem refrigerantem, sequitur labrorum & narium cõtractio, & pars, quæ contracta est, alteram scilicet, suam trahit, atque ita caninus spasmus accidit. Qui hodie medicinam faciunt, oris torturam vocant. Quòd si pars tam dextra, quàm sinistra lædatur, & contrahitur, sequitur risus sardonius, sic dictus, quòd qui ita sunt affecti, semper ridere videantur. Vatracum apium risus appellatur à nonnullis, quòd sumptum in maiori quantitate talem affectum inducat. Tortura oris si leuis sit contractio, non debet negligi, sed magna diligentia in eius curatione studendum, alioqui diu durat, & difficiliùs postea curatur. Primùm igitur si plenitudo adsit, sine cruditate tamen, iniecto priùs clystere, sanguis detrahatur è venis linguæ. Apponantur cucurbitulæ in radice colli, minuatur materia pilulis, concoquatur syrupis pituitam concoquentibus, vtatur remediis præscriptis in curatione spasmi à plenitudine. Hæc enim est exacta euacuatio.

De tremore. Cap. XXXIX.

Tremor à multis caussis fit, ac proinde multis curatur rationibus. In hoc tamen conueniunt omnes curandi rationes, vt semper auferamus caussam, postea corroboremus cerebrum & neruos, vt si fiat propter ebrietatem, bibat aquam, vel potiùs mulsam, seu hydromel. Optimum erit in aqua decoquere aliquot folia saluiæ, vel lauandulæ (nam mirum in modum in hac affectione conferunt, quare non sunt prætermittenda, tam in remediis intrò sumptis, quàm in externis) vel stech. Si à frigidis & crassis humoribus tremor fiat, purgetur pituita, præcedente concoctione, remediis præscriptis

Curatio. cap. de dolore capitis à pituita, & de paralysi. Fiant opiatæ ad corroborationem & exiccationem cerebri (præsertim his qui sunt humidiore cerebro) quales fuerunt præscriptæ capite de epileps. maximè illa, quæ recipit cineres cranij hominis. Vel fiat talis præstantissima.

℞. conseru. acori j. galangæ crassæ, conseru. anthos & florum saluiæ an. ℥ j ciner. cranij hominis ℥. ß. cereb. leporis ℥. j. radic. & seminis pæoniæ, radic. damasonij (quod Alisma Græcis dicitur, vulgò plantago aquatica. Vim habet in hoc affectu maximam) ana ʒ. j. castor. & asphalti ana ʒ. ß. pul diagalangæ ℈. iiij. syr. conseru. secacul. vel conseru. satyrionis, vel syr. de stechade q. s. Si addatur conserua ipsa satyrionis, efficacior erit. Vel cùm tremor fit à nimio coitu, adde seminis vrticæ ʒ j. ß. Hæc opiata erit conueniens in omni tremore, à quacunque caussa fiat, nisi à nimio coitu. Tunc enim non est ponenda conserua satyrionis, neque syr. conseruationis eiusdem, sed potest poni syr. cap. vel syr. de menta quæ impedit venerem, sua siccitate semen absumendo, vt ruta citra refrigerationem, ob cuius timorem non audemus vti syr. de nenuph. aut alio multùm refrigerante. Nam quamuis habeant vim minuendi seminis, qua ratione videntur conferre in hoc affectu, sua tamen insigni frigiditate, noxam maiorem inferunt. Qui ob immodicam venerem tremunt, refici debent optimis alimentis. Si tremor accidat ob frequentem contactum argenti viui, vt solet accidere aurificis in deaurando, fiat inunctio ex oleis calidis, & aliquo pacto constringentibus, vt sic

Tremor à Venere immodica.

A cōtactu argenti viui.

℞. schenanthi, spicæ, cali. aro cyperi, nucis moscatæ ana ʒ. j hermodact. satyr. an. ℥. ß. succi saluiæ qr. j. ol. de castor. ℥. iij. ceræ parum, fiat vnguentum satis liquidum. Hoc vnguentum valet in omni caussa, sed in hac potissimùm. Pro diuitibus huiusmodi tremore laborantibus, adde auri limati ʒ. ß. illinantur manus & superiores vertebræ metaphreni. Loco auri pro pauperibus adde ℥. ij. theriacæ. Membra trementia etiam possunt ablui vrina. Tremor accidit aliquando propter fumigationem aliquam factam ex semine hyoscyami, & pap. albi,

Tremor à fumigatione.

albi, quo aliqui vtuntur ad occidendos cyrones. Quare si quis eo vti velit, addenda est prædictis media pars stechados vel saluiæ. Qui ob eam caussam tremunt, abluant manus cum decoctione florum stechad. saluiæ, & radic. galangæ. Fumigatio ex semine hyosc. generat quiddam in dentibus simile paruis vermibus albis, & dolorem dentium sedat. Qui sine manifesta caussa tremunt, vel propter pituitam aut refrigerationem, aut aliam caussam, vtantur pilulis nostris de beniouino, & nunquam abluant manus, nisi in prandio & cœna. Nam frequens ablutio manus ex frigida, maximè nocet, ita vt non solùm tremorem foueat, sed etiam generet. Vtatur aqua tepida pro lotione, nec nimiùm calidis, aut frigidis, sed decoctione saluiæ, & florum stechad, vt dictum est, cum radice galangæ.

Tremor à caussa non manifesta

De palpitatione. CAP. XL.

Ictigatio fit à flatibus, flatus, à debili calore, & à materia pituitosa, vnde flatibus solent abundare, qui calorem natiuum, & coctricem facultatem ventriculi imbecillam habent. Quare purgetur corpus pilulis mediis in paralysi præscriptis, postea corroboretur ventriculus, aliqua vnctione moderata, non nimium calida. Nam quæ nimiùm calfaciunt, tantùm abest, vt ventriculum calfaciant, & corroborent, vt potiùs refrigerent rarefaciendo, vel ex alto trahendo caloré internum ad circunferétiam. Nam maior caliditas attrahit ad se minorem. vt apparet æstate, quo tempore externa frigiditas facilè subintrat, rarefacta cuti ob aeris calorem. Quamobrem in vnctionibus sunt apponenda minùs calida, & quæ vim habeant astringendi, vt oleum nardinum, rosl. lentiscinum, cidoniorum, mastiches Eadem ratione & schenanth. & spica, & cyperus & alia id genus multùm conferunt ventriculo. Inunctiones magis laudantur, quàm sacculi, aut emplastra. Nam illa facilè ad interna penetrant, quæ ponuntur in sacculo non item: solus enim vapor penetrat. Emplastrum mediam velut naturam, & efficaciam obtinet, nisi quòd etiam ex accidenti plus, quàm reliqua calfacere potest, ob vim illam emplasticam, constipantem cutis meatus. Ad intra dentur illa, quæ calfaciunt ventriculũ, & flatus discutiunt, cui rei est

animaduertendum. Nam tribus aut quatuor horis ante pastum, dare possumus quæ fortiter calfaciunt, & flatus discutiunt, modò iecur non sit præcalidum, qualia sunt diatrium pip. diacyminum, dianisum, aromat. rof. diagalanga & similia. Hæc non debent dari immediatè post, nec ante pastum, quia sua caliditate, & tenuitate secum statim ad primas venas alimentum semicrudum raperent. Hinc patet illos errare, qui pulueres maximè calidos à pastu exhibent, qui debent esse mediocriter calidi: à cibo autem quæ calfaciunt minùs, & attenuant, minúsque discutiunt flatus (vt suprà meminimus) vt est puluis ille præscriptus in dolore capitis per consensum ventriculi à pituita. Accipiant etiam anisum conditum à pastu. Suprà autem partem affectam, ponatur spongia noua macerata in lixiuio, vel vtatur aqua sulphurea, vel aluminosa, vel fiat sacculus ex discutientibus flatus, vel apponatur emplastrum de baccis lauri, sed hoc vbi esset tanta flatuum copia, vt leuioribus non posint discuti. Vel fiat talis inunctio.

A cibo non debēt exhiberi nimium calida.

℞. olei rutac. nardini an. ℥. j. viticis, cumini, carui ana ʒ. j. ceræ parum, fiat vnguentum. Si voceris in principio, fiat vnctio ex oleo rof. addita aliqua parte ol. de absynthio, ne partes facilè flatus recipiant.

De Melancholia à morbo. CAP. XLI.

Melancholia alia est propter vitium cerebri tantùm, alia per consensum totius corporis, alia flatuosa, (hypochondriacam vocant, Arabes verò mirachiam.) Quæ fit per consensum totius corporis, curatur sic. Detur clyster à principio. Si facienda sit sanguinis missio, postridie fiat. Si sanguis sit niger & admodum crassus, extrahe quantùm æger potest tolerare: si autem flauus sit, tenuis & rubicundus, sistatur statim. Concoquatur materia syrupis appropriatis, quales sunt syr. de bugloss. borrag. epithymo, de pomis simpl. & compos. de fumaria, viol. etiam & endiuiæ adduntur, & alij infrigidantes, quando flaua bilis permixta est, aut si ex bile adusta fiat. Herbæ autem, ex quibus fiunt aquæ & syr. sunt buglossa, borrago, melissa, endiuia, fumus terræ, capill. ven. ceterach, polypod. adianthum, scabiosa, ocymum, chamed. chamepith.

Melancholia per cōsensum corporis curatio. Syr. cōcoq. sang. crassum & melāc.

Herbæ ex quibus syr. & aquæ.

Ex

Ex radicibus inter omnes laudatur radix veratri nigri, & enulæ campanæ. His poſſumus addere radicem behen albi & rub. radic. polygonati, pentaphilli, philipendulæ, & corticem radic. capparis, & fraxini, & tamariſci, radic. tormentillæ, & zedoariæ. Addendi ſunt etiam flores bugloſ. borrag. anth. ſampſ. chamomillæ, nymph. ſtechad. tamariſci, geniſtæ. In ſumma quæcunque habent lætificandi vim, & quæ ſplenem reſpiciunt. Pro principio itaque fiat ſyrup. digeſtiuus cum aquis. Vt *Radices.* *Flores.*

℞. ſyr. de epithy. de bugl. ana ℥. ij. de fum. de pomis ſimpl. ana ℥. j. ß. aquæ bugl. borrag. ana qr. j Si adſit ſiccitas, vel permixtio bilis, adde aquæ viol. end. vel lupul. ℥. ij. Si non adſit inſomnitas, neque corporis tanta ſiccitas, adde aquæ meliſſæ & enulæ camp. an. qr. ß. *Syr.*

℞. elect. de gemmis tab. j. pro doſi, vel diamarg. frig. vel alterius elect. pro melanch. vel ex eorum pulueribus aro. Purgabitur in principio decoctione polypod. quer. thymi, epithymi, diamanna, & frequentius reiterabitur. Cùm morbus altas radices egerit, vel contumax fuerit, ordinentur ſyr. fortiores, & medic. laxantia fortiora, vt hoc modo. *Syr. fortior*

℞. ſyr. de pomis compoſ. ℥. iiij. ſyrup. de epithy. & de fumaria an. ℥ ii. aquarum mel. capil. ven. bugl. borrag. ana qr. j. aquæ enulæ camp. ℥. ij. fiat ſyr. pro 4. doſibus, cla. aro. cum pul. de gemmis vel lætitiæ Gal. vel diamar. frigi. Purgetur fortiori pharmaco. Soluentia ſunt confectio hamech, diaph. diaſenæ ſol. diamannæ. Ex pilulis ſunt, de fumaria, indæ de lapide lazuli, vel armeno, ſed ex iſtis oportet eligere, quæ facilè & ſine moleſtia euacuant, non autem quæ fortiùs. Præeligendæ tamen ſunt potiones, vt quæ minùs exiccent quàm pilulæ. Nam pilulæ multùm & fortiter euacuant, & corpus ſupra modum exiccant, ex qua exiccatione peiùs habet æger. Sed vt faciliùs & potentiùs euacuetur humor potionibus, accipiantur hæc electuaria, in decoctionibus alterantibus, & euacuantibus ſuccum melancholicum, hoc modo. *Purgãtia fortiora.*

℞. gly. raſæ, rad. enulæ camp. ana ℥. ß. rad. buglo. ℥. j.

paſſ. mund. pa. x prunorum N. xx. capil. ven. & ceterach, an. M. ß. qu. ſem. frig. maiorum an. ʒ. iij. ſeminis apij, petro & ocymi an. ʒ ß. ſeminis cuſcutæ, ſummitatum thymi, foliculorum ſenæ an. ℥. ß. florum cord. ana p. ʝ. fiat decoctio. In qr. j. diſſ. diaph. ʒ. iij. confect. hamech. ʒ. ij. diaſenæ ʒ. j. ſyr. de pomis compoſiti vel viol. ℥. j. Si diues ſit, potes addere ʒ. j. infuſionis rhab. ſi pauper, ſyr. roſ. lax. ℥. j. & tunc loco diaph. ponatur cath. Poſſunt etiam addi alia elect. ſolutiua, ſi videamus aliquem alium ex humoribus eſſe permiſtum, pro ratione humoris permiſti, vt ſi videatur pituita permixta, poteſt addi elect. de citro ſol. ʒ. j. Si bilis ſit, elect. de ſucco roſ. vel diaprunis ſol. ʒ. j. Poſtridie medicamenti detur potio ſequens.

℞. ſyr. viol. ℥. ij. aquæ hordei perfectè cocti ℥. iiij. fiat potio, capiat poſtridie medicamenti. Hæc potio humectat, & ſiccitatem vel aſperitatem relictam à medicamēto lenit. Si dentur pilulæ, corpus ſit præparatum, accipiant clyſterem emollientem die præcedente.

Pilulæ. ℞. maſſ. pil. ind. & de fumaria an. ℈. ij. fiant pil. viij. cum vino. Si fortiores, oportet.

℞. maſſ. pil. indæ & de lapide lazuli an. ℈. j. ß. fiant pil. cum ſyr. de pomis compoſ. vel augeatur doſis, vel minuatur pro viribus ægrotantis. Delicatis & diuitibus poteſt hoc modo parari medicamentum quod eſt præſtantiſsimum.

Potio poſt purg. vniuerſales.

℞. flor. viol. bugl. borrag. & anth an. p. j. ſum. thy. & polyp. quer. an. ℥. ij ſenæ orient. ʒ j. paſſ. mund. ℥. j. fiat decoctio in aqua bugl. & fumi in col. ℥ iij. diſſ confect. alchermes communiter præparatæ ʒ ij. diagridij gr. vj. ſyr. de pomis compoſ. ℥. j. vel ſyr. roſm. lax. aut viol. aut de fumar. compoſ tantundem. Hęc potio danda poſt vniuerſales purgationes. Soluit mirum in modum melancholiam ſine moleſtia: nec minùs iuuat, quàm ſi quis acciperet decoctum veratri. Nam confectio alchermes ſi præparetur cum vero lapide lazuli, ſoluit ichores melancholicos. Si non reperiatur vera confectio alchermes, adde communi modo paratæ lapidem lazuli ablutum cum aqua bugl. & roſ. donec aqua remaneat clara, & co-

Cautio confect. alchermes.

& colore lazuli non ampliùs inficiatur ad ℈. ij. Si nullo modo reperiatur confectio alkermes (quia nunquam vsus est Falco in morbis, in quibus suspicio erat de fluxu ventris, quæ vim habet soluendi paulò minus, quàm confectio hamech) vtatur puluere sequenti.

℞. sum. thymi ℥. ß. epith. ℥. j. seminis cusc. ʒ. iij. lapid. lazuli abluti, vt diximus, ʒ. ij. diagrid. ʒ. j. cinamomi, macis, garyoph. spicæ nar. perlarum non perforatarum ana ʒ. ß. mastic. ʒ. j mosci gr. vj. fiat pul. vel, vt meliùs conseruetur, adde syr. de pomis compos. q. s. ad incorporandum, & fiat ad formam opiatæ, cuius dosis erit à ℈. ij. ad ʒ. j. ß. pul. verò ad ʒ. j Potest etiam fieri sine mosco, nisi quando volumus magis roborare, quàm euacuare: pro pauperibus potest etiã fieri alius puluis hoc modo. *Puluis.*

℞. polyp. sum. thymi ana ℥. j. ß foliorum senæ, florũ samb. seminis cuscutæ, med. seminis carth. ana ʒ. j. cineris tartari albi ℥. ß cinamomi, spicæ, anisi ana ʒ. j. sacch. candi ℥. ij. misce, fiat pul. vtere, vt suprà. Pro robustioribus & astrictis aluo, adde diagridij, mastich. ana ʒ. ß. Flores sambuci maximè conferunt purgandis ichoribus melancholicis. Ideo acetum ex floribus eius dandum in acetariis. Saccharum candum ponitur loco salis indi ad gustum, sed magis ad corrigendam siccitatem aliorum permixtorum. Est verò sal indum sacch. candum, quod fluebat è cannis apertis, & scissis, & tandem concrescebat vi, & calore solis. Diagridium additur. Nam quamuis bilem purgare dicatur, purgat etiam melancholiam, si cum purgantibus melancholiam misceatur. Vt puluis prior fiat efficacior ad purgationem melancholiæ, si modò corpus quadratum sit, & non extenuatum, potest dari ex ipso puluere ad ʒ. iij. cum decoctione veratri nigri, & florum nymph. vel amaranthi. Oportet tamen prius aluum esse liberam, & solutam, & corpus bene præparatum. vt si fiat hoc modo. *Pul. pro pauper.* *Acetum ex florib. sambuci.* *Sal. Indũ.*

℞. veratri nigri ʒ. j. pass mund. ℥. j. prunor. fic. ana M. x. flor. nymph. vel amaranthi p. j. fiat decoctio. In ℥. ij. decoctionis misce pul. præscripti ʒ. ij. adde ad dulcorandum syr. viol. ℥ j. Hoc tamen decocto non vtantur, nisi post vniuersales purgationes, nec adeo formidandũ est veratrum, vt ab eo omnino abstineamus. Nã cùm Hip-

ait veratrum excitare conuulsionem, eámque lethalem esse. Intelligendum id est, si exhibeatur in substantia, vt solebant antiqui. Vsus tamen erit in decoctione, vel in infusione. Non est tam periculosus, quin potius fortibus, & extremis morbis melancholicis plurimùm cófert, maximè si corrigatur cum floribus amaranti, aut nenuph. loco florum sesamoidis, quod semper est obseruandum. Reprimitur enim ab iis, ac temperatur acrimonia eius.

CONSERVÆ.

Puluere poterunt vti semel in hebd. decocto verò semel in mense. Fiunt confectiones & opiatæ ex conf. & pul. Conseruæ sunt rad. bugl. & flor. eiusdem, flor. borrag. viol. (ad humectationem) & nenupharis, maximè cùm est insomnitas vel siccitas. Conserua satyr. cum sit calida & humida, & enulæ campanæ. Nam his post conseruam, buglos. nullæ sunt efficaciores, & magis propriæ huic affectioni Conserua capil. ven. ceterach, scolop. vulgar. confer. cort. citri cum sacch. conditi, conf. yring. non vituperanda, maximè cum est melancholia hypochondriaca. Mirobala. conditi, conser. radic. polygon. (si parata reperiatur, quam in aliquibus Officinis pro fecacul solent præparare) conseruæ anth. stech. cùm admiscentur conser. viol. vel nenuph. & vt deducatur vis medicamenti ad caput. Confectio alkermes, & triphera magna sine opio in mulieribus. Conserua satyrionis est prestantissima in hac affectione melancholica & arthritide, vt probatum est experientia. Hinc aliqui putarunt esse hermodactylos. Pulueres sunt diamarg. frigid. & calidum, dianthos, pliris cum mosco, de gemmis, lætitiæ Gal. diacameron, diambræ & his similes, & omnia, quæ cordialia dicuntur. Ex confer. eligere oportet, quæ maiorem habent vim lætificandi, vt sunt conser. satyrionis, enulæ camp. rad. bugloss & hoc est commune in omnibus. Interdum verò vel ob temperamentum vel symptoma aliquod, vel quia morbus fit per consensum ventriculi, vteri vel splenis, aliquam ex conseruis accipere oportet, quę respiciat partem primariò affectam, vel symptoma. Idem faciendum est in electione puluerum, syr. & omnium aliorum remediorum.

Conserua satyr. arthrit. prodest.

Pulueres.

Sed

Sed quæ proprietate id faciunt, communia esse solent auxilia in omnibus caussis & illa nunquam prætermittere oportet. Quòd si fortè cum tali proprietate qualitatem habeant manifestam affectioni contrariam, castiganda erit illa qualitas, addendo conseruas, aut pul. aut aliquid, quod sit affectioni vtile, & qualitati illius medicamenti contrarium, vt si hoc modo fiat opiata communis, à quacunque caussa sit.

℞. conser. radic bugloss. ℥. ij. conser. enulæ camp. ℥. ß. Quòd si propter amarorem hæc ingrata sit, pone tantùm ℥. ij. tum etiam quia vim habet exiccandi cum illa proprietate lætificandi. Adde conseruam aliquam humidam, qualis est conserua viol. aut nenuph. sed satius est conseruam satyrionis addere, quæ humectat simul, & maiorem vim habet lætificandi. Verùm conser. viol. & nenuph. cùm adsunt vigiliæ, vel siccitas & caliditas pro conseruis enulæ camp. & satyrionis rectè ponuntur vel cum illis debent misceri. Vt si ob consensum ventriculi morbus fuerit, debes addere conseruam corticis citri conditi cum sacch. Vt etiam cùm fit ob consensum splenis, conserua florum tamarisci vel scolopendriæ. Si fit per consensum vteri, conse. anthos. pul. lætitiæ Gal. ℥. ij. pul. de gemmis ℥. j. Pro diuitibus pone confect. alkermes ℥. j. ß. cum syrup conseru. myrobal. fiat opiata. Cùm per cõsensum vteri, triphera magna sine opio erit danda, & conserua diambræ. Et pro syr. conser. myrobal. ponatur syr. de arthemisia. vel cùm fit per consensum ventriculi, pone illius loco syr. conseru. corticis citri. Potest fieri alia opiata pro ditioribus sic.

Conf. affect. consentientes.

℞. myrobal. emblicorum & chebul. conditorum ana N. ij. corticis citri cum sacchare conditi, & radic. bugloss ana ℥. j. conseruæ anth. & florum borrag. ana ℥. ß. conseruę satyrionis ℥. iij. confect. alkermes ℥. ij. huic adde lapidis lazuli abluti & assati ℥ ß. elect. de gemmis, & diacameron ana ℥. j. confect. de hyacintho, syr. de pomis simpl. q. s. fiat opiata, de qua capiat bis in hebdomada ad quantitatem auellanæ, & superbibat parum vini lymphati cum aqua bugloss. vel melissi. vel enulæ camp. Dosis conseru. satyr. erit augenda, si à retento semine fiat melancholia. Vtatur sæpe electuario diamargar.

frigid. & conſ. radic. bugloſſ. Poſſunt fieri epithemata ſupra cor, & inunctiones ſupra partes, per quarum cõſenſum excitatur morbus. Epit. pro corde fiunt hoc modo.

℞. aquæ. roſ. q. j. aquæ bugloſſ. endiuiæ vel acetoſ. vel borrag ana ℥. ij. ſandali albi & rub. corall. ana ʒ. ß. croci ℈. j. miſce, fiat epithema, quod vt citius & promptius fiat, accipe ʒ. j. diamarg. frig. loco puluerum, addendo g̃. vj. croci, & cum aquis fiat epith. Adde ocymi ℈. ij. & cum pauco panno ſcarlatæ applicetur cordi tepidè. Vel nę toties refrigeretur, fiat ſacculus talis, & applicetur.

Sacculus. ℞. florum cord. roſ. ana p. ij. florum nenuph. & ſambuci ana p. j. foliorum meliſſ. ſiccæ & ſeminis ocymi, behen albi & rub. ſandal. omnium ana ʒ. j. macis ℥. ß. contundantur, fiat ſacculus interbaſtatus & irroratus aqua roſ. & meliſſæ, ponatur ſupra pectus. Inunctiones fiunt pro diſpoſitione locorum, vnde affectus manant, vt pro ventriculo fiat inunctio, vel ſacculus ad eius confortationem, & flatuum conſumptionem.

Topica pro vtero.

Pro vtero fiant etiam topica remedia varia. Si ob retentionem menſium, vel propter duritiem quendam, & ſcirrhum per cuius conſenſum melancholia fiat, ordinetur emplaſtrum illud ceroneum. Vel fiat vnguentum ex eodem illo emplaſtro diſſ. in oleo liliorũ. Si ob retẽtionẽ ſeminis, addenda ſunt, quæ ſemen minuunt (quod & obſeruandum in ſtrangulationibus vteri ob retẽtum ſemen, vt, ſcilicet, in omnibus remediis tam internis, quàm externis vtamur minuentibus ſemen) vt ſi vnctioni ſupradictæ addas ol. rutaceum, vel de menta, niſi adſit caliditas manifeſta. Tunc enim optimum erit addere oleum de nenuph. de ſemine lact. aut pap. & ſeminis agni caſti. Si ab alia cauſſa occulta, vt poſt immoderatum fluxum aliquãdo accidit, vtendũ eſt emplaſtro pro matrice, aut emplaſtro de maſtiche, addẽdo moſci, vel ambræ grana aliquot. Poſt vniuerſalia remedia optimum eſt vti balneo aquæ dulcis. Nam medicamẽtoſa inimica ſunt, eò quòd nimium exiccent. Fiat ergo balneũ aquæ tepidę, & ſi velis addere deco. ſequentem, efficacius erit.

Balneũ. ℞. flor. roſ. bugloſſ. viol. borrag. nenupha. ana p. iij. mal.

mal. viol. bugl. borrag. ana M. ij. meliss. lauendulæ ana M. ß. fiat deco. pro balneo, in quo innatet sæpe longè à pastu. Consumptis, & valde exiccatis omnia decoq. cum capitibus aliquot veruecis, addendo hordeum mundat. In ea deco. potest addi florum cham. sambuci, & anthos ana p. j. Fiunt etiam lotiones capitis, cùm materia tantũ in capite est, & per proprietatem caput afficitur, vel ad conciliãdum somnum, vel ad resolutionem materiæ. Vt concilietur somnus, vtantur lotionibus pręscriptis in capite de phrenitide, vt floribus viol. nenuph. & aliis, quæ vim habent humectandi, & mediocriter refrigerandi, & non summè, ne incrassentur & sopiantur spiritus. Hoc tamen differunt, quòd obseruare oportet, vt capita pap. aut semen hyoscyami, aut cortex mandragoræ, aut alia, quæ insigniter refrigerant, vt solanum furiosum, nullo modo ponantur, nisi semen papaueris albi, quod cum frigiditate habet quandam familiaritatem, & humiditatem. Pro digestione siue resolutione materiæ sic.

℞. meliss. beto. ana M. ß flor. cham. melil. ana p. j. flor. samb. ros. & anth. ana p. ß. foliorũ senę ℥. j. summi. thymi ℥. ß. fiat deco. ex qua fit lotio capitis. Lotiones pedum cùm ad conciliandum somnum, tum ad diuersionẽ laudantur à practicis. Cauteria posita supra commissuram capitis coronalem multùm laudantur, sed oportet diutius remanere, vt os capitis vstionem sentiat, postea pręparetur vt decidat eschara cũ butyro, & diutius maneat vlcus apertum. Nonnulli laudant trepanationem, quæ fit separata cute capitis, & fracto osse cranij. Nam casu fortuito multi sic curati sunt, fracta caluaria, quod mihi non videtur omnino reiiciendum. Nam & ratione & experientia comprobatur. Visa est mulier melanch. & maniaca nostro tempore, cui ob casum apertum est cranium, vnde effluxit aqua, & curata est ab insania. Quare si pari ratione trepanetur, vapores atri, & si quid est aliud præter naturam in cerebro, vacuantur. In epilepsia itidem facta ab humore melanch. est aperiendum caput. Post vsum syr. & euacuationem, dandum est apoz. sequens æstate, quandoquidem valebit etiam in fine veris, & in melancholia, cùm admiscetur flaua bilis, vel cùm temperamentum est calidius & siccius.

Lotio cap.

Cauteria

Trepanatio.

Apoze.

℞.cort.rad.capp. & fraxini,rad.bugl. & satyr. ana ℥.j. gly.ras.rad. enulæ camp. philip. quinque folij ℥. ana ß. summi. lupuli, aspar. & fumi scab. bugl. borrag agrim. ceterac. polytric. ana M. j. acetos. vel oxyl. absynthij pontici,beth.meliss.ana M. ß.pass.prunorum,sebest,iuiub. ana N.xx. seminis ocymi, seminis citri ana ʒ. ij. seminis melonum ℥. ß.polyp. querc.℥. ij. summi. thymi. seminis cuscutæ ana ℥.j.epith. & seminis carth. ana ʒ.vj. arg.recen.tro. ʒ.j. cicerum rub. p. j. fiat decoct. in sero caprino,& in ℔.ij. col.adde succi endi. cich. & bugloss. ana q.j.sacch.q.s.fiat syr.aro. cum ℥.ß cinam.& ℥.j. lætitiæ Gal. sit mediæ deco. & cap. in sex matutinis. Hoc syr. possumus vti initio melanch. factæ à fæce sanguinis vel à melanc.naturali adusta,facta priùs sang.missione. Huic dec.addere possumus veratri ℥.ß. florum nenuph. viol.ana p.j.vel florum amaranthi,si reperiantur.Si hæc addantur, vtemur isto apoz. in morbi processu, de quo accipiant tertio quoque die, & ante primam dosim capiāt clysterem.Possunt addi prædictæ deco. omnes species myrobal. modò non ponatur veratrum. Nam veratrum & myrobala. se non compatiuntur, neque fit aliqua sigillatio,quæ necessaria est medicam. purgantibus. Præterea quæ inferunt violentiam corpori. non debent diutius retineri intra corpus. Quare non sunt miscenda cum astringentibus,sed potiùs cum aliis,quæ violenter illa educunt foras.

Cautio.

De melancholia,Caput alterum.

Melancholia est dementia, aut si mauis, desipientia, sine febre cum timore & mœstitia. Differt autē à phrenitide & mania. Phrenitis enim est alienatio mētis cum febre, & cum quodam furore, aut incomposito motu. Mania verò furor est sine febre, & timore, & mœstitia. Melācholia symptoma est,cui à caussa putata nomen est inditum,vt testatur Gal.2.methodi medendi cap.2.cum de nominū diuersitate,quæ ægritudinibus imposuerunt ipsi primi nominum auctores,agit.Fit autem à succo frigido, teste Gal lib.de symp. caussis. Sola enim melancholica demētia à frigidiore succo,vt caussa,euenire solet. Hoc verò intellexit de vera melanch. quæ vitio totius corporis vel cerebri fit, non de hypochondriaca,

quæ

quæ magna ex parte fit à fumis malignis, & acrioribus ad cerebrum eleuatis. Porrò tres in vniuersum melanch. sunt differentiæ, quæ à partibus vnde ortum habent, discernuntur. In omnibus verò cerebrum afficitur. Sed aliquando cerebrum tãtùm, quia humor melanch. à partis intemperie generatus, vel post aliquas capitis inflammationes relictus, hunc affectum gignit. Dignoscitur autem vitio tantùm capitis fieri, & non per consensum, si tales caussæ præcesserint, & nulla appareant signa in toto corpore redundantis humoris melanch. neque victus ratio, quæ atram bilem procreare potuerit, præcesserit, & si misso sangui. ad maiorem fidem, non appareat crassus, nec ater, neque tempus anni, neque regio, nec ætas declinans, aut temperies melanch. vel biliosa declinans, quæ solet mutari in melanchol. habitudinem, vel si suppressæ nõ sunt hemor. vel verax curata, vel corporis habitus non sit gracilis, niger, hirsutus, nec latas habeat venas, nec distentas ob flatus, non sang. copia. Si in solicitudine, curis, multis laboribus, victu tenui & sordido educatus fuerit (talis enim aptus est ad melanch. per consensum totius corporis.) Quòd si mœror & mœstitia diu perseuerauerint sine tali corporis constitutione, indicium est cerebrum tantùm affectum esse. communia enim signa sunt, metus, tristitia sine caussa manifesta, extremam mœstitiam inducens, odium hominum, & auersio, iuxta hanc Hippocrat. sententiam, Si timor & mœstitia diu, & longo tempore perseuerent, ex eo atra bilis significatur. Qui ex hyppochond. vitium cõtraxerint, eos sanè cruditates, quas plurimi flatus consequuntur, acidi ructus, ardor & grauitas intestinorum arguunt. Augetur autem his insania, aucta cruditate. Optima autem concoct. aut alui deiectione, vel ructu vel vomitu leuantur ægri. Hæc βουλιμίαν sequi solet, vel mesenterij, vel splenis affectus. In hac hypochon. sursum conuelluntur. Multum edunt, parum dormiunt, & pauca excrementa deiiciunt per aluum. Quare ob recrementorum in intestinis retentionem magis læditur mens. Hæc omnia indicant partes inferiores ventris, vel calida intemperie laborare, vel effusam esse bilem atram per mesenterium, & partes ventris. Hæc autem magna intestinorum cali-

ditas vrit, & chylum assat, vnde fit multa effumatio ad caput ob retentionem recrementorum nimiùm exiccatorum. Hæc calida intemperies, vt omnis alia, concoctionem lædit. Ob id si calidis vescuntur alimentis, nidorulentos ructus emittunt. Si duris & siccis, acidos. Infinitæ verò sunt melancholicorum imaginationes. Aliquando enim dementia sequitur corporis dispositionem: aliquando studium, quo maximè delectabatur, qui ea correptus est. Alij se numine afflatos existimant, & in eo errore sunt, vt omnia futura se vaticinari putant, ἐνθεαστικοὺς Græci vocant. Sunt qui auaritiæ inhiantes, de pecuniis congerendis perpetuò cogitant. Alij perditè amant, & nihil nisi de amore loquuntur. Hos Græci ἐρωτικοὺς vocant. Alij ob longas inedias, studia, & meditationes cælestes, de rebus sacris & de religione semper agitant. Alij se Reges, Imperatores, Papas, Cardinales existimant. Alij poetico furore perciti, semper versus scribere volunt. Nonnulli vbi ad corporis euacuationem deuenerunt, veneno se læsos dicunt, & sępissimè de hac re medicos consulunt. Multi sunt præterea qui secundum corporis dispositionem melancholia afficiuntur, vt qui multo semine abundant, ad venerem propensi annosas mulieres depereunt. Qui vermes habent, serpentes in ventre se habere imaginantur. Alij secundum vitæ institutum imaginationes habent, vt quidam sacerdotes semper precationes murmurant, & templa cōstruere volunt. Qui contentionibus forensibus insudauerunt, nihil nisi aresta, & libellos supplicatorios scribunt & recensent. Melancholici autem talibus imaginationibus vigilantes afficiunrur, quales nobis somniantibus accidunt, vino, crapula, amore, pecuniis, vel alia re affectis. Est & alia insaniæ species, in quam incidunt sæpissimè, qui vitiatos & crassos humores habent, & mores brutales. Insaniunt enim luporum more. Quare λυκάνθρωποι vocantur. Affecti verò lycanthropia noctu per syluas, luporum more, discurrunt, & hominibus insidiantur, ita vt meritò lupos esse dicamus: hi etiam, quia hominum osores sunt, μισάνθρωποι appellari possunt. Melancholia, quę fit vitio totius corporis, difficillimè curatur, vt quæ vitio cerebri fit. Si post morbum euenerit, o-

ptima-

ptima victus ratione,& medicamentis curatur. Sed quæ est hæreditaria, vt illa (baillarguet) dicta, & aliæ multæ familiares nostræ regionis & Hispaniæ, ferè nunquam curatur. Quæ verò ab hypochondriis ortum habet, curationem admittit, optima victus ratione adhibita, & vsu medicamentorum repellentium, & corroborantium caput. Melancholica insania, quæ corporis vitio fit, est, cùm humor melancholicus in toto corpore collectus est, à quo spiritus vitales & animales inficiuntur, & turbulenti fiunt. Ob id mens læditur. Quare cùm caussa fit in toto corpore, vniuersalibus euacuationibus, corpus ab huiusmodi humoribus est repurgandum. Cùm igitur sanguini materia permixta sit, missione sanguinis vacuāda est, præmisso clystere, qui quidem in omni specie, & toto morbi decursu conuenientissimè exhiberi potest. Nam ferè in omnibus aluus est adstricta, & flatibus est distenta. Fiant ergo ex emollientibus, purgantibus, & discutientibus flatus, & humorem concoquentibus. vt

℞. rad. maluæ, bismaluæ cum radicibus, buglos. borraginis, mercurialis ana M. j. pass. prunorum, ficuum dulcium ana p. x. seminum anisi, viticis, & cuscutæ ana ʒ. iij. seminis maluæ, & melon. ana ℥. ß. seminis lini ℥. j. (lubricat & concoquit) florum chamo. buglos. borrag. viol. sambuci (concoquunt enim & humectant) ana p. j. fiat decoctio in iure capitis veruecis. Et in ℔. j. dissol. diaphœnici ʒ. ij. mellis violati, & succi mercurialis ana ℥. ij. (hic optimè vacuat bilem à liene, & ab astantibus) olei violati & chamo. ana ℥ j. ß. vel liliorum vel amygd. ℥. iij. misce, fiat clyster, cap. duabus horis ante cœnam. In crastinum mittatur sanguis è basilica. Vulnus autem fiat satis latum. Et si sanguis spissus & ater satis appareat, mittatur quantum videbitur. Materia enim sanguini est permixta. Si tenuis & clarus, statim sistatur. Est enim argumento, materiam affectus non esse sanguinem crassum, sed bilem, quam sanguinis missione vacuare non debemus, sed potiùs medicamento cholagogo. Periculum enim esset, ne misso sanguine furiosus euadat æger. Quare in omnibus affectibus melancholicis, vt in cancro, febre quart. lepra & aliis affecti-

Obseruatio in sanguinis missione.

bus: quos à sanguine melancholico nasci putamus, obseruandum est vt sanguinis missionem præcedat exercitatio, quo sanguis crassus & ater agitetur, & faciliùs extrahatur. Motio autem sine defatigatione esse debet, ne vires debiliores reddantur. Quare post coitum, aut longam inediam, aut magnam lassitudinem, à sanguinis missione est abstinendum. Vtile erit etiam, si antequam corpus exerceatur, caput perfundamus oxyrrhodino, ne ad illud tanta fiat effumatio, néve plus iusto incalescat. Et sic post missionem sanguinis, quietem imperabimus. Porrò materia concoquenda est syrup. concoquentibus, non euacuantibus. Et quia aliqua melancholia magis fit vel à bile vsta, vel in bilioso corpore, alia verò in pituitoso, consideranda totius corporis constitutio, & natura, vel mores animi, vel insaniæ species, vt si ad iram, vel bellum, vel contentiones, procliuis sit, tunc ob bilem, & melancholiam, vel biliosam naturam, permiscendi erunt bilem extinguentes syrupi, vt syrup. viol. qui exhibitus cum aqua buglossæ, vel borraginis, ob suam humiditatem conuenientissimus erit, vel syrup. de buglossa, vel de borragine. Si verò melancholia laborans, habitudinem corporis, & accidentia ferat pituitam referentia, vt qui voraces sunt, qui pituitam vomunt, sunt flaccidi, segnes, & ad omnem motum inepti, aut tardi, aut minùs vigiles. In iis syrupi, qui incidunt & attenuant citra magnam exiccationem, conueniunt, vt syrup. acetosus datus cum aqua fœniculi, petroselini, vel graminis, vel syrup. capillorum veneris, vel alius ex detergentibus, vel syrup. de liquir. cum aqua buglossi, vel borraginis. Porrò si melancholica sint accidentia, & habitus corporis melancholicus, sanguis ater & crassus, & omnia frigiditatem testentur, vt mœror, timor, pigritia, taciturnitas, & hominum odium, tunc syrupos melancholico humori accommodatos præscribimus, vt qui vtraque qualitate, nimirum actiua, & passiua conueniunt. Quales sunt syrupi de borragine, de buglossa, & syrupi conseruationis satyrionis, qui vna tantùm qualitate, vt qui modicè calfaciunt & attenuant, in quorum numero sunt, syrup. capill. veneris, & syrupus acetosus permixtus aquæ buglossi, vel qui multùm humectant,

mectant, vt syr. violatus, vel de cucurbita, de lactuca. Nihil enim est, quod sagis conueniat in humoris melancholici coctione & præparatione, quàm quæ humida sunt. Ob suam enim siccitatem resistit curationi humor melancholicus, nec facilè cedit medicamentis. Vinum nisi tentaret caput, & calidius esset, conuenientissimum esset ad humorem melancholicum coquendum, maturandum, & præparandum. Quare in omnibus morbis melancholicis, in quibus caput non est affectum, vinum commodissimè exhiberi poterit, vt in febre quartana, vinum album, tenue, aquosum, debile. Sunt alij syr. qui melancholico humori non conueniūt, nisi ob humorem alium permixtum, vel ob aliam occasionem, vt syr. end. simpl. vel compos. nisi ob bilem, vel hepatis obstructionem, vt mel rosatum, vel syrup. de stechade ad pituitam, quibus sanè humida quædam semper sunt adiungenda, ne corpus exiccent. Ob quam resiccationem multùm læduntur ægri. Syr. compositi non conueniunt eo tempore, quo volumus, vel humorem, vel meatus ad humorum euacuationem præparare, sed in ipsa euacuatione, vel post vniuersalem euacuationem, vt syr. de fumaria compos. de thymo, de epithymo, de pomis compositis, syrupus Sabor regis, & similia apozemata, qualia ab Empiricis medicis, aut parùm methodicis in principio morborum dantur citra magnum commodum, sed potiùs damno ægrotantis. In his componendis herbarum delectus habendus est, & aquarum, vt cap. de syr. libro nostro de formis remediorum abundè dictum est. Herbæ autem communes omnibus caussis sunt bugloss. borrago, poligonati radic. & satyrionis. Quòd si splenis sit obstructio, aut affectus nimis frigidus, herbæ capillares, aut scabiosa conuenient. In magis frigido, melissa, ocym. chamedrys, chamepithis, enula campana recens, si magna splenis obstructio absit, rad. capparum, fraxini, pentaphili, filipendulæ, behē alb. & tub. rad. si verè essent, huic affectui valde conuenirent. Sed quia falsæ sunt, reiiciendæ sunt, & earum loco substitui debent radic. borraginis & bugloss. Herbæ ad euacuationem accommodatiores sunt, quæ extenuant, aperiunt splenis obstructiones, & quæ aliquam

Præparātia melanchol.

Febri quartana vinū album & tenue conuenit.

vim laxandi habent, vt mercurialis, borrago, summitates thymi, sennæ folia, & folliculi. Flores ad concoctionem & præparationem humorum, vel spirituum conuenientes sunt borrag. bugloss. Ad refrigerandum & tumultus animi, & agitationes compescendas, flores violarum, nenupharis conueniunt. Ad resolutionem & humoris præparationem, flores chamom. anthos, stechados ad euacuationem flores sambuci, genestæ, violarum recent. maluarum. Radices vacuantes sunt, cortex rad. capparis & sambuci, rad. azari, vel cyclaminis vel cucumeris agrestis, vel ellebori albi, vel nigri (vendi solet multò species quædam aconiti eius loco) Ex his omnibus fiunt decoctiones syr. & aquæ omnibus caussis determinatæ. Si igitur æger sit habitu & temperamento melancholico, fiat talis syrupus.

Syrupus. ℞. syr. de borragine, & capill. ven. ana ℥ iij. aquæ borraginis ℔. j. aquæ melissæ ℥. iij. misce, fiat syr. capiat in quatuor matutinis. Si pro delicatis paretur, aromatizari potest pul. diarrhodon abbat. Et capiat in crastinum missionis sanguinis. Si sit acrimonia in humoribus, vtile erit huic syr. addere aquam violatam, vel syr. violatum. Tertio quoque die iniiciatur clyster, si aluus sit adstricta, aut excrementa dura. Finitis autem syr. exhibeatur sequens potio.

Potio. ℞. syru. de epithymo ℥. iiij. capiat manè cum decoctione mercurialis. In crastinum ad maiorem eradicationem, detur sequens potio.

Polypod. quantitas. ℞ polypodij querni ℥. ij. (nisi ponatur in magna quantitate, non euacuat bilem) pass. enucleatarum p. x. anisi ʒ. iiij. sem. cuscutæ, summitatum thymi, folliculorum sennæ orientalis ana ℥. ß florum bugloss. borrag. violarum ana p. j. fiat decoctio in aqua fumariæ cum fol. mercurialis M. j in quart. j. colatura dissolue diaphœnici ʒ. ij. confectionis hamech ʒ. iij. syr. rosati laxatiui ℥. j. misce, fiat potio. Capiat manè cum custodia. Confe. hamech conuenit, quando materia bene cocta est, data in forma boli, vel dissoluta in aqua graminis, vel capillis veneris. Si autem materia probè cocta non esset, minus conueniret, ob myrobalanos, quæ eam compositionem ingrediuntur. Diacartham. quanquam pituitam

tantùm euacuare creditur, commodissimè tamen exhiberi poterit, cum decoctione prædicta, vel cum aliis succum melancholicum purgantibus. Post exhibitionem medicamenti laxantis, maximè conuenit cremor hordei: hieræ ab antiquis in huiusmodi curatione recipiuntur. Sed hæ tantùm, quæ veratrum, vel colocynth. recipiunt, huic morbo sunt accommodatæ. Dandæ sunt autem cum aquis bugloss. borrag. vel cum decoctione fructuum laxantium, & refrigerantium, vt pass. ficuum, prunorum & tamar. Hæc verò danda non sunt, nisi in constitutionibus frigidis, vel multùm humidis, vt pituitosis. Nimiùm enim siccant. Pilulæ etiam hoc nomine nimis probantur, quòd calefaciant, & nimis siccent, vt pilulæ indæ, de lapide lazuli, de fumaria, de lapide armeno, vel quæ ex veratro parantur. Exhibeantur autem post longam præparationem. Præparantur cibis & potionibus humidis, si veratrum sit dandum. Post istas autem pilulas dare oportet syrupi violati ℥. ij. cum aquæ hordei perfectè cocti, in aqua borraginis ad ventriculi humectationem, & detersionem. In crastinum comedat poma dulcia cocta & refrigerata, quæ frequenter sumantur in prima mensa. Post hanc primam euacuationem, instituenda est optima victus ratio, & iuuanda concoctio vnguentis, vel linimentis impositis supra hypochōdria, & totum ventrem. Parantur autem ex oleis temperatis, relaxantibus leuiter, & aperientibus, vt ex ol. chamemel. amygd. dulc. vel amararum, & vino dulci. Anetinum in inferiore ventris parte est imponendum, vel rutac. aliquando ad flatuum discussionem. Non erit etiam inutile partes epigastrij fouere decocto sequenti, quia concoquit, & partes illas humore melancholico terreo siccatas, vel constrictas, relaxat.

℞. florum chamem. meliloti, viol. an. p. ij. rad. enulæ campanæ, irid. florentiæ an. ʒ. v. fiat decoctio in aqua & vino albo. Foueatur venter. Quòd si multi flatus adsint, adde semen apij, vel anethi vel petrosel. an. ʒ ß fouеantur manè, & postea inungatur. Decoquantur folia maluæ cum rad. & flores, semen lini, quando fortiùs est emolliendum, vel cùm volumus multùm euacuare, vel scyrrhum emollire. Balnea aquæ dulcis vel ex

decoctione præcedentium herbarum, & florum vtilia sunt. Concoquunt enim & digerunt. Post vsum autem horum balneorum, vel fotuum, syrupis compositis vti possumus, vt syrupo de pomis comp. syrupo de fumaria comp. vel syrupo de epithymo, vel de thymo. Tales quia inspissantur, quò meliùs seruari possint, vt gratiores fiant, dilui debent decoctione alicuius herbæ, quæ vim laxandi aut aperiendi habeat, vt cum decocto mercuriali, vel pass. vel folliculorum sennæ, vel borrag. vel corti. sambuci, vel cum aqua, aut decocto fumariæ, aut cum aquis graminis, asparagi, vel enulæ campanæ, vel fiat syr. in hunc modum.

℞. rad. enulæ campanæ recent. rad. buglosſ. & liquiritiæ an. ℥. j. pass. enucleatarum p. xx. prunorum dulc. N. x. ficuum. (Quanquam non prohibentur ab Alexandr. Trall. Sed cùm reiicit ficus à medicamentis laxantibus, intellexit de recentibus. Caricæ verò quia humectant & detergunt, conuenient. Discutitur enim flatus aniso permixto. Ab eo igitur non probantur in cibis, verùm in medicamentis non sunt reiiciendæ, quia detergunt, & discutientibus flatus miscentur) ficuum P. v. pomorum dulcium N. ij. mercurialis, borraginis, herbarum capil. an. M. j. seminis anisi ʒ. iij. seminis apij, petros, ocymi an. ʒ. ij. polypodij querni, recentis ℥. iiij. sennæ orientalis, medullæ semin. carthami an. ℥ ij. corticis medianæ sambuci ℥. iij. flor. anthos, buglosſ. borrag. viol. ana p. ij. fiat decoctio, & in ℔. ij. diss. sacch. q. s. fiat syrupus arom. cum ʒ. ij. diarrh. abb. Vtatur in quatuor matutinis cõtinuis, quibus finitis, addere possumus vltimæ dosi ʒ. j. rhabarbari expressi, vel pilularum superiùs enumeratarum ʒ. ß. vel ℈. ij. vt de fumaria, vel indarum, vel de lapide lazuli. Deinde studiosè est adnitendum, vt ventriculus reficiatur, qui frequentiùs medicamentis est deiectus & minùs concoquit. fiat ergo talis inunctio.

Caricæ.

℞. olei de absynthio & nardini an. ℥. ij. ceræ parum, fiat linimentum. Vngatur ventriculus. Tempore inunctionis addatur vini albi odoriferi vel acerbi parum. Absumat tab. j. diarrhodon abb. si obstructiones absint. Si verò frigidior morbus sit, aromatici rosati, vel diagalangæ, superbibendo parum vini diluti aqua absinthij

vel melissæ. Interea detur opiata sequens, ad animi tenebras abigendas, & spirituum clarificationem.

℞. conseruæ rad. bugloss. florum borraginis an. ℥. ij. yringiorum ℥. j. aro. ros. ʒ. ß. pul. diamargari frigidi ʒ. ij. diarrho. abb. ʒ. j. cum syr. conseruationis enulæ, aut satyrionis fiat opiata. Capiat ʒ. ij. manè, superbibendo parum vini diluti aqua bugloss. capil. ven. vel callithrici, vel sic. *Opiata.*

℞. conseruæ enulæ campanæ recentis & conseruæ florum violarum ana ℥. j. cons. anthos, bugloss. borrag. ana ℥. ß. pul. diamargariti frigid. ʒ. j. conf. alkermes ʒ. ij. cum syr. de buglos. fiat opiata. Capiat manè ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum aquæ buglos. & capil. ven.

De melancholia ob cerebrum affectum.

IN cerebro ob intemperaturam frigidam & siccam ægri, humor melancholicus genitus melancholiam facit, vel temperamentum calidius bilem aut sanguinem adassauerit, melancholicus fit humor in capite, qui aliquando epilepsiam, aliquando melancholiam committit, vt Gal. ex Hippo. probat in Epidem. vbi inquit, Melancholici magna ex parte afficiuntur comitiali morbo, & contrà morbo comitiali laborantes melancholia. Si enim infirmitas in corpus repit, epileptici, si verò in mentem, melancholici redduntur. Quòd Gal. sic exposuit, Bilem, dum cerebro, veluti parti instrumentali, nocet, ad cerebri corpus conuerti ait. Id quod in obstructionibus fieri constat. Cum verò temperamentum mutando, vt similari nocet, eam mentem rapere dicit. Si ergo vitio huius humoris fiat melancholia, danda erit opera vt humor genitus vacuetur, intemperies auferatur, & optima victus ratione sensim immutetur. Quòd si post primam ætatem facta sit, emendari poterit: Si verò hæreditaria, in prima ætate minuenda erit optima victus ratione, quæ affectui contraria esset. Igitur purgantibus medicamentis vtendum in facta, supradictis, vt masticatoriis, & errhinis, si humor aliquis subesse appareat (Alioqui rarò vacuantibus, quia valde calefaciũt, & siccant quod vitandum est) sed potiùs alterantibus vtendũ, vt embrocationibus ex alto factis, vel decoctio-

nibus, vel oleis, vnguentis, aliisque remediis tam sumptis, quàm admotis. Sternutatoria non sunt negligenda, ante errhina & masticatoria. Decoctiones materiam concoquentes vsurpandæ sunt, vt syrupi laxantes, obseruando capitis temperiem, imaginationes, somnium, insomnia, naturam. Verùm vt temperaturæ humores generantis, vel humoris cognitionem habeamus, obseruandum, an frequenter moueatur, aut multùm loquatur, aut vigiliis potiùs, quàm somno delectetur. Tunc enim à caliditate humorum fieri certissimũ erit. Aut si inflammatio præcesserit, & post eam discussa non fuerit, tunc refrigerare & humectare conuenit. Quòd si nulla talia accidentia, sed potiùs contraria appareant, à frigiditate oriri coniicimus. Quare quæ calefaciunt & humectant, eligenda. Qui verò citra castigationem vel delectum vtitur omnibus remediis ab antiquis & neotericis præscriptis, plus nocet, quàm iuuat. Quare, vt in syrupis delectum imperamus, sic in pul. & conf. Nam conf. anthos, stechados, capil. ven. ceterach, bugl. borrag. viol nenupharum, satyrij, corticis citri conditi, enulæ, ab omnibus præscribuntur. Sed non omnes in omnibus & semper conueniunt. Quare diuidendæ sunt in communes, & proprias aliquibus caussis, & accidentibus. Communes voco, quę sunt temperatæ & cordiales, quæ non multùm calefaciunt, & humectant aliquantulùm. Quales sunt conseruæ rad. bugl. borrag. satyrionis. Hæ in omnibus speciebus, omni tempore, & symptomate conueniunt, excepta conserua satyrij, quæ in amãtibus non conuenit. At conseruæ humidę & frigidæ, non nisi cùm adest magna vel corporis vel cerebri calefactio, vel cùm vrgent vigiliæ, vel cùm apponuntur calidiora & sicciora, vel cùm vtimur confectione alkermes, vel puluere diamosci, diambrę, lætitię Galeni & similibus. Conseruæ anthos, stechados non nisi in frigidiore, aut humidiore caussa vsurpantur, quia siccant. Conseruæ capillorum veneris, tamarisci, ceterach conuenientissimæ sunt, si morbus cum obstructione hepatis, vel splenis fuerit. Pulueres confectionum huic morbo accommodati sunt, confect. alkermes, diamargar. frigidi & calidi, diambræ, diamosci, lætificans. (Qui omnes

mnes siccant, alij magis, alij minùs. Omnes calefaciunt, præter diamarg. frig. Quod habet tamen aliquid caloris cum siccitate) si permisceantur conseruis & syrupis. Et ex his opiatæ fiunt pro humoris, & temperamenti ratione, vt pro bilioso homine, vel pro melancholia orta post inflammationem, parari sic poterit.

℞. conf. florum buglos. & borrag. (conueniunt magis flores conseruæ, quàm rad.) ana ʒ. j. conf. viol. ℥. ij. pul. diamarg. frigidi ʒ. ij. diatrag frig. ʒ. j. cum syr. viol. fiat opiata. Capiat manè, & serò, longè à pastu. Hæc opiata conuenit tum in temperamentis calidis, tum etiam in vigiliarum instantia, quia humectat sufficienter, neque calefacit supra primum gradum. Quòd si non tantùm fuerit humectandum, sed aliquantum refrigerandum, syr. de pomis simplex, vel nenupharis, vel violatus poni poterit in morbo, & temperatur frigida, & pro taciturno, ac somnolento parari poterit sequens. *Opiata.*

℞. conf. enulæ campanæ ℥. ß. bugloff. & anthos ana ℥. j. conseruæ violarum ℥. ß. pul. diamoschi, & confectionis alchermes præparatæ ex cyanæo lapide vsto, & abluto an. ʒ. ij. cum syrupo de pomis, fiat opiata. Morbus hic potiùs ab intemperie sicca prouenit, quàm è copia humoris. Aliquando à sola intemperie relicta. Vidi mulierem melancholia affectam, quæ nunquam sapiebat, neque ad primum statum redire poterat, nisi cum vtero gereret. Tunc enim multùm non insaniebat, aut nullo modo. Quo tempore magis laborare debebat, si à materia affectus ortum traheret. Verùm quia sanguinis redundantis copia retinetur, ex quo vapores eleuantur, intemperies illa sicca, vel humor siccus genitus in cerebro contemperatur & mitescit. Hoc autem erit nobis argumento, melancholicos potiùs cibis, & balneis, aut potionibus & irrigationibus esse humectandos, quàm horum corpora medicamentis laxantibus calefacienda & exiccanda. Gal. lib. 3. de locis affectis cap. vltimo, vsu balnei aquæ dulcis cum victu humido malum curasse scribit, eùm ait: Interim monendi sunt amici, qui me curantem viderunt, frequentiùs balneis & victu humido, & boni succi, nullo adhibito præsidio, huiusmodi me morbum curasse, vbi nondum *Opiata.*

ob longum temporis tractum nocuus humor multùm vacuationi resisteret. Cùm verò diuturnus iam est factus, fortiora prædictis adhibenda sunt remedia. Humectatio autem longa, si ab intemperie fiat, morbum curat & euincit. Si ab humore fiat, materiam ad euacuationem præparat. Sola enim siccitas est, quæ morbos siccos curationi contumaces facit. Tum enim curantur, cùm pinguescunt, quod est signum certissimum humectationis. Quare danda est opera, vt totum corpus humectetur balneis, potissimum si à toto corpore ortus sit morbus. Quòd si vitio cerebri fiat, humectãdum erit caput & irrigãdum, irrigationibus humectantibus, aut humiditate substantifica, aut madefactiua, vt irrigationibus, balneis, embrochis, & vnguentis humidis, & minimè digerentibus. Substantifica verò cibis humidis & euchymis, laudatísque potionibus. Incipiendum ab humectatione madefactoria. Vtilis enim est ad meliorem nutricationem, hoc est, ad humectationem substantificam. Nam balnea aquæ dulcis siue humectatoria, partes relaxant, alimentum ad eas trahunt, vel missum, & appositum conseruant, & partes, vt priùs, non assant, neque vrunt. Verùm post medicamenta laxantia, priusquam vtamur humectantibus balneis, non erit inutile vti balneo leuiter digerente, & detergente, vt si quid in parte hæreat, detergeatur, & melior postea fiat nutricatio. Tale erit, si ex decoctione borrag. bugl. mal. & florum chamemel. & hordeo paretur. In eo manè natet æger, citra defatigationem, reiectis priùs alui recrementis. Postea leniter detergatur, & vngatur ad eundem scopum sequenti vnguento.

Vnguentum.

℞. olei amygdalarum dulcium, & olei chamemel. ana partes æquales, vel vngatur oleo amygd. amararum recenter parato, continuet per vnam aut alteram hebdomadam, alternis diebus, vel quotidie. Post vsum huius balnei erit optimum rursus ventrem laxare, syrupo superiùs descripto ad atræ bilis euacuationem, vel vtatur puluere sequenti, in iure galli antiqui, vel cremore hordei, vel pul. loco, vtatur opiata in sequentibus descripta.

Puluis.

℞. summitatum thymi, epithymi, sennæ orientalis ana

ana ʒ.j.salis communis,& sacchari candi ana ʒ.iij.tartari ex vino albo ℥.ß. medullæ carth. ℥.j. fiat puluis, cap. iij.cum iure galli antiqui, vel capi, vel in iure albo alicuius piscis saxatilis, vel lupi, vel caripionis, vel mugilum, vel truitarum, vel aliarum non palustrium. Quod si detur in decoc.capi farcti passulis, ficubus, polypodio, efficaciùs laxabit, vel dissolue decoctione sequenti.

℞.violarum, mercu. borraginis, ana M.j. fiat decoct. *Decoctio.* Et in q.j.dis.pul.præordinati ʒ. ij. vel ʒ. iij. vel detur in decocto hordei mundati, addita syr. violati ℥. j. Sic trahitur humor, qui in splene est,& toto corpore. Qui si à capite trahendus est, tribus diebus continuis eo vtendum est, & parùm edendum. Ex lapide armeno, vel lazuli puluis talis fieri potest, qui potenter atram bilem trahit. Verùm per se dari non potest, vel nisi priùs cremor hordei sit sumptus, vel exhibeatur cum supradictis decoctionibus. Parari autem sic poterit.

℥.lapidis armeni, vel lazuli abluti decies in aqua violarum ℥.j. sennæ orientalis ℥. ij. polypodij, querni recentis ℥.j ß.seminis anisi, bismaluæ, cuscutæ ana ʒ.j.sacchari candi ℥. iiij. semin. frigidorum malorum, minutim incisorum, semin. violarum ana ʒ.ij florum sambuci ʒ.iij.fiat pulu.capiat ad ʒ.ij.à ʒ. j. cum supradictis decoctionibus, vel fiat talis confectio solutiua ex lapide lazuli, vel armento.

℞. thymi, epithymi ana ℥. ß. agar. ʒ. lapidis armeni, vel lazuli loti decies in aqua fontis, postea in aqua violarum ʒ.ij.diagridij ʒ. iij. garyophilorum, cinamomi ana ℈.j.cum syrupo rosarum laxatiuo fiat opiata, cui adde syrupi de pomis redolentibus tertiam partem ad syr. rosat. lax. vt si ℥. iij. syr. rosati ponantur, ℥. j. syrup. de pomis erit miscenda. Hæc compositio ad imitationem Aureæ Alexandrinæ facta est, sed hieram prætermisimus. Syr. autem rosat. solutiuum ad augendum vim laxandi, & ad castigationem aliorum medicamentorum tantùm addimus. Cinamomi etiam crass. parum adiunximus, ad ventriculi corroborationem. Hæc compositio maiorem partem scammonij, quàm par sit, recipere videtur. Sed tantum abest, vt hoc nomine vituperanda sit, vt securiùs ea sit vtendum. Lapides enim lazuli, vel

armeni, quo citiùs è ventriculo exeunt, eò melius est, & conducibiliùs. Adde quod vomitionem agarici & lapidis lazuli impedit, & maximè, quia cinamomum deorsum turbat, & eorum ingratum saporem castigat. Syrupus de pomis caliditatem temperat. Si hieram imposuissemus, calidius medicamentum redderetur. Sed ea forma melius operatur, & minùs ventriculum lædit. Quòd si bilioso, vel multùm sicco danda esset hæc compositio, danda esset cum decoctione frigida & humida, vel cum syr. violato, vel cass. admiscenda, modò cum decoctione anisi detur, vel fiat in sequentem modum.

℞. conseruæ violarum & cass. recenter extractæ, ana ℥. ij. thamarindorum electorum ℥. iij. pul. opiatæ præordinatæ ℥. j. misce cum pauco syr. de rosis siccis, fiat opiata, capiat ℥. ß. in forma boli, vel dissoluatur in iure galli pinguis, vel in aqua violarum, & capill. veneris, capiat mane. Statim post assumptionem detur cremor hordei cum saccharo. Prohibet enim vomitionem, & oris ventriculi resiccationem. In verè melancholicis dari potest in puluere cum iure pingui, vel decoctione polypodij querni. Euacuatione rursus facta vel hac opiata, vel puluere, redeat ad balnea aquæ dulcis, vel fiat sequens decoctio pro balneo, pro irrigatione, vel pro ablutione capitis vel pedum.

℞. violarum M. iiij. florum bugloss. borraginis ana p. iij. quat. semin. frigidorum maiorum conquassatorum ana ℥. ij. fiat decoctio in aqua cisternæ, vel fluuiorum vel fontis q. s. Natet in ea decoctione manè, & ex eadem irrigetur caput ex alto guttatim, post irrigationem vngatur vnguento sequenti.

℞. olei, de semine cucurbitæ, & cucumeris ana ℥. ij. olei amygdalarum dulc. ℥. iij. inungatur caput. Tempore inunctionis adde lactis mulieris tertiam partem. Agitentur & applicentur manè, vel post mediam noctem. Conuenit omni speciei, quæ per essentiam fit. In ea verò, quæ per consensum fit addendum est olei rosati ad duplum. Et inunctio fieri debet serò ante lecti ingressum. Si somnus sit conciliandus, loco olei amygdalarum, violatum est apponendum. Quòd si nō sufficiat, adde parum olei de papauere, vel de semine lactucæ.

Aliquan-

Aliquando etiam in ea specie, quæ per consensum fit, non erit præter rationem caput frequenter oxyrrhodino perfundere in hunc modum parato, vt,

℞. olei rosati ℥. iij. aquæ myrthillorum ℥. ij. aceti ℥. j. misce, vngatur pars anterior capitis. In principio semper est repellendum, donec affectio cessauerit. Deinde illa digerentia modicè calida applicanda. Nam qui caput resiccant, ex stulto insanum faciunt.

De melancholia hypochondriaca. CAP. XLII.

HYpochondriaca affectio topica remedia propria habet, & proprias euacuationes differentes ab euacuatione aliarum specierum melancholiæ. Nam ventriculus vel per proprietatem, vel per cõsensum, magna ex parte laborat, ob id non est fortioribus remediis exasperandus, sed eget mitioribus. Mitiora erunt, quæ in hac affectione mitiora dicuntur, non autem talia simpliciter. Morbus nempe est contumax, ob idq; fortiora remedia expostulat, quando sunt illa communia, quæ mitiora simpliciter dicuntur, vt cass. fistula, & catholicum. primùm prouocetur vomitus, maximè si cognoscamus pituitam asseruatam in ventriculo, quæ vomitu possit expurgari. Fiat sanguinis missio, si plethora adaucta sit ex mediana sinistra: vel si fiat ob retentionem mensium, vel venarum hæmorrhoidarum. Quòd si possis è vena poplitis, magis laudanda est, postea prouocentur hæmorrhoides, vel menses. Non enim primùm hæmorrhoid. aut menses prouocare oportet, sed prius, quod est in corpore collectum, debet euacuari, deinde ad illorũ prouocationem veniendũ, quod fit acrioribus medicamentis, & diureticis. Aliàs enim ob plenitudinẽ neq; cucurb. affixę parti domesticæ femoris prodessent, & medicamentorum applicatione nimia fieret in partem attractio, & super vires illius. Quare soluenda primùm plethora, basilicæ sectione, postmodum veniendum ad saphenam. Sic vomitus prouocandus est, cum in ventriculo est cruditas. Facta euacuatione per vomitum, & venæ sectionem, purgandus est humor, qui primum coq. syr. præscriptis. Hoc tamen obseruandum est, vt quoties fit affectio hæc ob splenis obstructionem vel menses suppressos, addantur in syru. magistralibus

Vomitus.

Missio sanguinis.

Prouocatio hæmorrh. & mẽsium.

Curatio.

ea, quæ obstructiones aperiunt, & habent aliquam aromaticitatem, ob quam possint corroborare partes internas, & viscera, vt sunt valeriana, asarum, cyperus, spica, cum radicibus aperitiuis, quod non est faciendum in aliis speciebus. Nam diuretica sunt huic affectioni contraria, cùm sint acria omnia. Vel addantur aquæ cum syr. quæ vim habent aperiendi, & fiat hoc modo.

Syr. aperientes.

℞. syr. de bizantiis & capil. ven. ana ℥. j. syr. de borrag. vel de buglos. vel de epith. vel de fumaria ana ℥. ij. aquarum bugloss. borrag. fœnic. & meliss. ana q. j. misce pro iij. dosibus, vel fac hanc decoctionem sequentem.

℞. rad. petr. graminis, aspar. ana ℥. j. valerianæ, cyperi ana ʒ. ij. herbarum cap. meliss. beton. matric. ana M. j. borrag. & bugl. ana M. ß. seminis anis. fœnic. carui ana ʒ. j. ocymi, cubeb. ana ʒ. ß. fiat decoctio & in colatura dissol. ex syr. præscripris vel de syr. Regis Sab. descripto à Mes. cap. de melancholia. Valet hic syr. ad omnes affectiones melancholicas, præcipuè in quartana, si assumatur cum decocto saluiæ & melissæ. Si quis vtatur vino albo, in quo maduerit saluia per noctem, factis priùs euacuationibus, curatur à quartana. Purgetur frequenter cum decoctione epithymi, vel senæ, vel polyp. & aliis leniter purgantibus melancholiam. In aliis speciebus melanch. laudantur myrobal. sed in hac, cùm fiat ab obstructione, parum laudo, sicut nec cum fit à suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus. Nam omnes illæ astringunt, & astringendo sic laxant quod tenuius est, quod crassius est, remanet, vnde obstructio augetur. Neque etiam laudandus est in his vsus cassiæ, vel compositionum, in quibus ingreditur, vt quæ flatus gignat, & in flatulentis multas tortiones. Quòd si cogamur his vti, aut cass. ob aliam caussam, vel ob penuriam aliorum medicamentorum, addemus pul. anis. ʒ. ß. quod est faciendum in phrenitide cùm cassiam damus, aut cath. Ab istis ad fortiora veniendum est, vt ad pilulas indas, de lapide lazuli, hieras omnes, sed de colocynthid. Iustini, Ruffi, & aliorum, & ad potionem illam, quæ recipiebat confectionem alkermes suprà descriptam superiori cap. Et post assumptionem hieræ, vel pil. detur hordeum mundatum liquidissimum, paratum

Curatio quartanæ.

Cautio myrobal.

Vsus cassiæ improbatur.

paratum cum aqua tãtùm, & non cum decoct.carnium, & addatur facch.in suff. quantitate. Vtantur etiam ptisana, atq; hoc ad robur oris ventriculi, & ad detersionem œsophagi, in his præcipuè, qui vomitui sunt obnoxij. Deinde superdormiant parum, donec medicamentum sit redactum de potentia ad actum, atque tunc operatio erit salubrior. Si medicamentum sit imbecillius, laudabile erit dare decoct. aliquam, post duas aut tres horas (seruata proportione, vt tandem eodem tempore operentur pilulæ, & decoctũ) purgantem melanch. vel dentur syr. de pomis compo. ℥.ij. cum decocto cicerũ rub. Vel syru. regis Sabot cum deco. epith. Medicamenta, quę assumuntur ad corroborandum ventriculum & alias partes sunt hæc, aro. rос. diagalanga, & alia electaria corroborantia facultatem coctricem, & carminentia ventositatem. Laudantur tales clysteres. *Corroborãtia os ventriculi.*

℞.matric.m j. rad.alth ℥.j. polyp. quer. ℥.ij. epit. summitatum thymi. flor genistæ, & sambuci, camomill. an. p. ij flor. buglos. borrag. anthos an. p. j. fiat decoct. cui adde anis. fœni sem. vrticæ an. ℥.j. sem. rutæ ʒ. ß. Et in ℔.j. col. diss. mel. ros ℥.ij. hieræ picræ, & benedictæ ana ʒ.iij. (Adduntur & aliæ hieræ vt Archigenis Ruffi, colocynth sed in minori dosi) ol. chamo. ℥.ij. fiat clyster. Residentia clysteris ponatur supra ventrem ad modum cataplasmatis. Vel applicentur ventosæ cum scarificatione supra ventrem. Vel fiat picatio supra ventrem, priùs oleo inunctũ, & hæc omnia mirè iuuant præsertim cucurbitulæ: quia melancholicus humor non solùm est in venis, sed etiam in musculis sparsus, & aliis partibus. Sed corroborandus est ventriculus foris per sacculos, vnguenta & emplastra applicata. vt & splen, hepar, & aliæ partes, quarũ cõsensu hæc affectio fit, confirmentur. In hac affectione summè laudatur decoctum galli infarcti cum pass. & prunis, & pul. præscripto cap. de melancholia pro pauperibus, cuius est vsque ad ʒ.iij.

De melancholia hypochondriaca caput alterum.

Hypochondriaca affectio fit vitio splenis, mesenterij, & intestinorum. Aliquando est sola intemperies in principio, sed tandem vrit calidos humores. Alimenta coctu difficilia non concoquuntur, hinc cruditates, &

flatus multi gignuntur. Dioclem citat Galen. lib. 3. de locis affect. qui ait os ventriculi inflammari, ac propter inflammationem ipsum obstrui, & prohibere ne alimenta statuto tempore ad intestinum descendant. Quamobrem diutius manentia in ventriculo quàm par est, & tumores, & æstus, & reliqua, quæ prædicta sunt, efficiunt. Hæc sunt, quæ Diocles literis prodidit, quæ Gale. non reprehendit, sed in eadem est sententia. Et hæc paulò pòst confirmare videtur, cùm ait: Atque videtur etiam in ipso inflammatio esse. Sanguis autem in parte inflammata, contentus est crassior, & atræ bili magis conformis. Itaque quemadmodum elato à ventriculo ad oculos fuliginoso quodam, aut fumoso halitu, aut crassis vaporibus similia, vt in suffusione, accidentia contingunt: eadem ratione sublata ad cerebrum ab atra bile euaporatione, veluti fuliginosa fumosaque melancholia in mente euenient accidenti. Hactenus Galenus. Ego aliquando post βουλιμίαν & tristitiam morbo tali laboraui. Verùm non audebam dormire. Fiebat enim tanta effumatio vaporum ad cerebrum, vt caput grauari & mentem affici mille modis sentirem. Horrebam quum humor acidus circa ventriculum mouebatur, vel quum reuocabam ad memoriam aliquid, quod mihi timorem incuteret. Multos ructus emittebam, cor palpitabat, mens erat affecta. Quare hunc affectum nihil aliud esse existimo, quàm intemperiem mesenterij, vel venarũ meseraicarum, quæ ad intestina & ventriculum deducuntur. Neque probo Dioclis & Galeni opin. qui dicunt os ventriculi, quod intestinis continuatur, inflammari. Si enim inflammaretur, & in tumorem eleuaretur, febris continua esset, vt in aliis inflammationibus internis, ac morbus acutus esset. At in hoc affectu neq. febris adest, neque morbus acutus, sed qui in multos menses producitur. Quare potius intemperiem esse siccam existimo, cum aliqua caliditate, sine affluxu, sed cum obstructione potius, à sanguinis crassitie, vt grauitates harum partium indicant, & excrementorum acrimonia, flatus acidi vel nidorulenti, & vaporum sublatio magna ad cerebrum. Quæ non nisi à calore adassante humorem illum, & sanguine crasso fieri possunt. Remanet

Vera caussa.

manet

manet autem crassior pars sanguinis, tenui ad cerebrū delata. Quamobrem ad curationem hęc necessaria sunt. *Curatio.* Victus ratio optima (potissimùm enim talium morborum, qui circa partes concoctioni destinatas accidunt, optima victus ratio remedium fit) quæ intemperiem emendat, & flatibus gignendis materiam non præbet: ventrem lenientia, nec eundem constringentia, recrementa vacuantia, vt mitiora medicamenta ventriculo & intemperiei apta, vsus repellentium à capite, quod est potissimum in huius morbi curatione. Vomitus pręterea vtilis est in iis, qui facilè vomunt. Euacuantur enim plura recrementa, & flatus multi, quare post cibum conciťandus est aqua tepida, vel syru. violato in maiori quantitate assumpto. Postea clysteres iniiciendi, quales suprà descripti sunt. Quibus peractis syr. aperientes leuiter sine magna calefactione dandi. Si tollenda sit obstructio, fiat potus ex syr. capil. ven. & endi. cum aqua cichorij, graminis, portulacæ, endiuiæ, vt

℞. syr. capillorum ℥. iiij. aqua graminis, cichorij. end. ana ℥. iij. misce cap. Si magis sit aperiendum, syr de bizantiis vel endiuiæ simpl. vel compositi, cum aqua bugloss. borrag. exhibere poterimus, vel fiat talis.

℞. rad. borraginis, & graminis ana ℥ j. corticis citri ℥ ß cichorij, endiuiæ borrag. herb. capillarium ana m. j. quatuor sem. frigidorum maiorum ana ℥. ß. anisi, fœniculi ana ʒ. j. florum chamom. violarū, borraginis, thamarisci ana p. j. fiat decoctio & in ℔. j. dissolue succi pomorū ℥. iij. sacchari q. s. fiat syr. aromatisetur cum ʒ. j pulueris diarrhodon abb. cap. manè. Finitis syr. capiat sequentem potionem.

℞. mercurialis, bugloss. ana m. j. viol. m. ß pass. sebesten ana N. xx. anisi ʒ. ij senæ orientalis, medullæ carth. & epithymi ana ℥. ij polypodij quer. recentis qr. j. fiat decoctio, & in colaturæ qr. j. dissolue syr. rosati solutiui ℥. ij. cinamonij ℈. j capiat manè. Si magis laxare velis, cassiæ vel cath. ℥. ß adiunge supradictis, fiat euacuatio, vt suprà dictum est, duobus diebus continuando, quod fiet, si residuum decoctionis in syrupum coquatur, & in crastinum capiat quart. j. Vel detur clyster ante medicamentum, vel in crastinum vtatur medicamento

cum ℥. ij. succi mercurialis. Vtatur frequenter pomis dulcibus coctis & refrigeratis, vel parùm acidis cum pauco saccharo, in prima mensa. In fine verò mensæ edat mediam partẽ pomi assi vel calefacti tantùm, non superbibendo. Pruna prima mensa prosunt. Vitanda sunt medicamenta & alimenta, sicca, siue adstringentia, quæque aliquando exhibentur iis, qui facilè vomunt, vt pyra, poma, mala cotonea cocta. Difficile enim coquuntur, & flatus multos gignunt. Satius erit aquæ parum bibere, cùm concoctio fieri incipit. Impedit enim effumationem, & cibi adassationem. Flatus si multi sint, discutiendi sunt assumpto aromatico rosato, vel pauco aniso. His autem quotidie non est vtendum, vt neque pul. cordialibus, quę corpus siccant & morbum augent. Talis autem parari sic potest.

℞. anisi ℥. j. cort. citri. ℥ ß. margar. florum bugloss & borrag. ʒ. ß pul. diar. abb. ℈. j. sacch. rof. tab. ℥. iij. misce, fiat pul. cap. cochlear vnum. In omnibus speciebus melancholiæ conuenient sacculi, & epithemata, qualia sunt in cap. de incubone. Victus ratio huiusmodi sit, quæ atram bilem minimè possit creare. Alimentis igitur vtatur, quæ frigidiorem sanguinem coquunt, & tenuem gignunt, & quæ non effumant ad cerebrum, nec ventrem siccant, & constipant. Edant ex fructibus poma, quæ & medicamenta & alimenta esse possunt, quouis modo sumpta. Pruna, vuæ, cerusa dulcia, pepones, cucurbitæ, & lactucæ coctæ erunt ex vsu. Ex carnibus conueniet caro vitulorum, hœdorum, porcellorum, caponum pinguium, gallinarum, pullorum earundem, & columborum, si sint elixi cum lactuca vel borragine. Cremor ptisanæ exhiberi poterit conuenientissimè, non tota ptisana, cum pauco cinamomo & aniso & sine amygdalis, nisi sint recentes, aut diu in aqua frigida maceratæ, & frequenter inter contundendum, aqua frigida consperfæ Vinum mihi non placet, quare aqua, quæ facilè per hypochondria descendat, detur. Quòd si à vino abstinere noluerit, eligatur ἀδυνάμων, vt album aquosum. Satius esset tamen poscam bibere bene dilutam. Omnes fructus, qui effumant ad caput, vel omnes cibi, qui nidorem multum reddunt, vel quæcunque

cunque cum aromatis, vel multa pinguedine, butyro, lacte, caseo, & oleo parantur, non sunt ex vsu. Iuscula in parua quantitate sumpta iuuant, in magna verò fluctuationem faciunt, & cruditatem. Quies corporis, leues frictiones pedum, & eorundem ablutio cum decoctione irrigationis multùm conferunt. Animi tranquillitas tenenda fabulis, aut alio quouis modo, animum euocare ab omni cogitatione oportet, nec eorum morbi mentionem vllam facere. Gaudeat verò & lætetur, & habeat qui cantu, aut aliis musicis instrumentis hilaritatem excitentur.

De mania. CAP. XLIII.

MAnia non multùm differt curatione à melancholia, nisi quòd maior sit intentio obtundendi acrimoniam humoris refrigerando & humectando. Sed in sanguinis missione conueniunt, nisi quod nō tanta sanguinis copia est extrahenda in mania. Dantur etiam clysteres, vel ante, vel post sanguinis missionem, emollientes, cum quadam attractione ad diuersionem. Concoquitur humor peccans syr. magis frigidis, & magis respicientibus bilem, additis tamen aliquibus syr. qui humores adustos respiciunt, vt sunt syr. de fumaria, de bugloss. de borragine, de epithymo, sed in minori dosi, & syr. endiuiæ simpl. viol. de nenuph. & de pap. cùm volumus somnum conciliare. Syr. etiam de cicho. non est reiiciendus. Syr. endiuiæ compositus non conuenit, quia vim habet aperiendi, & calfacit. *Syr. cōcoq.*

Aquæ, quæ syr. commiscentur, sunt endiuiæ, cichor. scariol. lupuli, addendo aquam bugloss. borrag. meliss. ros. acetos. fumor. scolopendriæ, lact. & similes. Pro præparatione materiæ fiat talis syr. cùm morbus sit à bile assata. *Aqua.*

℞. syr. viol. & endiuiæ simpl. ana ℥. j. syr. de fumaria & bugloss. ana ℥. ij. aquarum cichor. schariolæ, lupuli, bugloss. borrag. ana qr. j. misce, fiat syrupus, qui aro. cum ʒ. j. sandali albi, quia cinamomum esset calidius, vt & sandal. citrinum. Sunt commiscenda, quæ humores assatos respiciunt pro ratione temporis, ętatis, locorum, temperamenti, & symptomatum in maiori vel minori quantitate. Si magis ferociat biliosum temperamētum, *In tempo. biliosо quid agendum.*

& tempus sit æstiuum, adsítque vigiliarum instantia, & bilis redundet in toto corpore, tunc oportet, vt quę refrigerant, humectant, & incrassant, superabundent. Sin autem humor melancholicus, tristitia, mœror, tempus autumnale, & temperamentum totum sit melancholicum, quæ melancholiam digerunt, & euacuant, præpollere debent. Purgandi cum decoctione myrobal. & epithymi, vel cum cath. fortificato cum elect. diaprun. sol. vel de succo rosf. Myrob. laudātur in hac affectione, quia laxant astringendo, atque ita impediunt vaporum ascensum ad caput. In processu autem purgantur cum pilu. de 5. generibus myrob. sine quibus, & tandem ad fortissima per media deuenientes, cum pilulis de lapide lazuli, & indis, addita tertia parte rhabarba. Non tamen pilulas illas intelligimus de 5. generibus myrobal. quæ vulgò parantur ad morbos articulares, ob hermodact. admixtionem, qui magis nocerent, sed quæ poterunt fieri ex 5. generibus myrob. Syr. rosf. lax. cum decoctione follic. senæ & epithymi, quæ laudantur pro principio multùm, vel cùm adsunt vigiliæ. Quod si addantur gr. 2. vel 3. diagridij, cùm opus est insigni euacuatione fiat efficacius medicamentum. Nam propter vigilias electuaria multùm exiccantia, & pilulę fortiores non competunt, sed syr. violatus eo tempore laudatur cum decoctione fructuum, addita manna vel cath. Quòd si addas ℨ. 1. diasenæ, vel diamannę in processu, multùm proficies. Pro principio igitur fiat talis purgatio.

In melanchol. quid.

Purgatio pro principio.

℞. prunorum, pass. sebest ana N. xx. florum cord. ana p. j. rosar. recen. si reperiantur (nam recentes addunt vim purgatoriam) p. 2. summitatum thymi vel epith. polypod. vel senæ vnc. 1 fiat decoctio in qr. j. col. dissol. tamarindorum elect. vnc. ß. syr. viol. vnc. 1. vel, vt magis purget, syr. rosf. lax. vnc. 2. maximè quando non reperiuntur rosæ recentes. Vbi ponitur syru. viola. possunt addi grana 2. diagridij, & tantundem macis, vel mastich. si timeatur noxa ventriculi, & habebit parem vim cum syrup. rosf. lax. In eadem decoctione potes addere cass. fistulæ extractæ ℨ. vj. diapru. solutiui, vel elect. de succo rosf. vel oxylapathi (quod maximè proprium est

est purgandæ bili) ʒ. j. pro diuitibus possumus addere infusionem ʒ.ʃ. rhab. Pro pauperibus autem additur syr. ros. laxatiuus, vel myrobal. citrini in infusione, vel in decoctione ad ʒ. ij. vel iij. fiat decoctio ex myrobal. maximè laudanda hoc modo.

℞. gly. ras. ʒ. ij. pass. prun. sebest. ana N. xx. quatuor sem. frigidorum maiorum an. ʒ. j. florum anthos vel stechad. ℥. j. trium florum cord. p. j. tamarindorum ℥. j. myrobal. cytrinorum & indorum ana ʒ. ij (si non ponat rhab. vt si sit pauper, auge myrobal. ad ʒ iij.) polypod. querc. seminis cuscutæ an. ʒ. vj. fiat decoctio in qr. j. col. diss. cath. ʒ iij. confect. hamech. ʒ. j fiat potio. Additur gly. quia lenit asperitatem inductam à myrob. vt facilius fluat medicamentum. In forma pilul. fieri possunt sic.

℞. omniũ myrob. ʒ. ß. epith. seminis cuscutæ; ocymi, flor. stech. an. ℈ j. cinam. croci an. ʒ. ß. cum syr. ros. lax. fiant pil. vij. pro ʒ. cap. ʒ. j. pro dosi, in processu autẽ, vel post syr. digestiuum, possunt addi g̃. aliquot diagridij, vel si mauis vti maiori euacuatione, fiat sic.

℞. mass. pil. sine quibus scrup. iiij. cum aqua vel succo bugloss. vel cum vino, vel syr. viol. fiant pilulæ vij. Et hæ pilulæ erunt mediæ inter primas, & modò describendas. Nam pilulæ sine quibus purgant bilem sine molestia, & earum compositio est optimè confecta. Fortiores.

℞. mass. pil. sine quibus, vel aureorum scrup. ij. indę vel de lapide lazuli scrup. j. fiant pilulæ vij. cum aqua bugloss. vel cum syr. viol. Erunt autem fortissimæ, si dentur tantùm pilulæ indę. Sunt enim de robustissimis ob veratrum, lapidem lazuli & colocynthid. Vel si dentur tantùm pilulę de lapide lazuli. Sed hæ sunt magis propriæ melancholię, quàm manię si per se sumantur, & non misceantur cum aliis respicientibus bilem, vel cum rhab. Quare si velis, vt magis proprię fiant maniæ, adde rhab. scrup. j. vel scrup. ß. & fomentur cum syr. viol. vel ros. Supra caput conueniunt irrigationes frigidæ & humidæ, & ex ol. refrigerato, & humido. Pro principio laudatur oleum ros. postea additur ol. viol vel de semine lact. oleum nenuph. vel de papauere, cum vigilię ægrum vexant. Additur & oleum amygd. dulcium,

ſed hoc magis ad humectationem. Oleum de cucurbita optimum eſt. Summè autem frigidis non eſt vtendum, niſi cum cautela, quia ſpiritus congelant & reddunt immobiles. Oleũ roſat. in omni morbo cum fluore, à quacunque materia laudatur in morbi principio. Irrigatur ſeu perfunditur caput lacte mulieris, præſertim pituitoſæ, vel fiat decoctio ad capitis irrigationem hoc modo.

℞. florum viol. p. ij florum cham. meli. roſ. nenuph. an. p j. ſeminis lact. iij. ſeminis pap. albi ʒ. j. fiat decoctio. Quòd ſi velis magis humectare, adde aliquot pedes & caput veruecis, & hordei mundati p. j. & hæc decoctio erit pro principio, & pro inſtantia vigiliarum: vel pro iis, qui poſt morbum acutum & vigilias diuturnas ſine febre inſaniunt. In proceſſu & declinatione fieri poteſt ſicut in phrenitide, Catelli diſſecti apponuntur calidi ſupra caput, qui ſua actuali caliditate, confortant caput, & digerunt ſine exiccatione, vt etiam pulmones arietis. Vel fiat decoctio quę vim habet digerendi cum quadam humectatione, vt hæc præſcripta, ſi ſemen pap. & lactucæ auferas, & addas florum chamo. melil. ſtech. ana p. j. præter id quod ponebatur. Sic faciendum de vnctionibus. Nam à principio poteſt fieri talis.

℞. al. roſ. & viol. ana ℥. iij. miſce, irrigetur pars anterior capitis, vel adde lactis mulieris ℥. j. & fiat medium inter repellens, & digerens. Magis digerens fiet hoc modo.

℞. ol. viol. ℥. iiij. olei amygd. dulc. & lactis mulieris & ol. chamom. ana ℥. ij. miſce, fiat capitis inunctio. Oleum cham. digerit ſine attractione & roborat caput. In vera declinatione ad corroborationem cerebri, poteſt fieri, *Cucuffa.* cucuffa ex aſtringentibus, & aromaticis, vt dictum cap. de phrenit. & de dolore capitis à pituita. Laudantur etiam cauteria, vt id, quod eſt congeſtum in capite, euacuetur, & fieri debent ſupra commiſſuram coronalem. *Cauteria.* Aliquando hic morbus fit propter multitudinem ſanguinis, & tunc competit miſſio ſanguinis ad magnam quantitatẽ. Clyſter etiam & inunctio illa repellens primò conueniunt, vt fumi repellãtur, & vapores, qui mittuntur ad caput. Si fiat à crapula, ieiunet, poſtea detur clyſter. Si perſeueret, mittatur ſanguis, ſed primùm & ſtatim

statim post clysterem, irrigatur prima illa inunctione, cui si addas succum hederæ, vel cauliū, fiet medicamentum proprium huic caussæ, nēpe ebrietati. Quòd si ventriculus sit adhuc plenus vino & crapula, prouocetur vomitus ante clysterem, & sanguinis missionem.

De Mania Cap. alterum.

Mania est insania absque febre. Differt autem, vt Gal. testatur, à phrenitide, quòd sine febre fiat: à melācholia, quòd sine metu, & tristitia accidat, sed cū audacia, multiloquio, saltu, agitatione corporis inordinata, oculorum frequenti motu, cùm aspectu toruo, intrepido & inuerecundo. Differt præterea & à melancholia, materia ipsa. Melancholia enim ab humore frigido, vt Galenus vult, & vt sympto. indicant: mania verò ob tenuium & biliosorum humorum euenit malignitatem. Est autem duplex. Alia ex humorum naturalium, alia ex non naturalium adustione. Quare duas constituit differentias generales, quæ sub se innumerabiles differentias pro corporum affectorum differentia continent. Si ergo à sanguine bilioso assato, vel à sanguine melancholico, aut melācholiæ permisto fiat: caninam efficiet maniam. Ea correpti rixantur, multùm loquuntur, agitantur. Verùm propter sanguinem, frequenter rident, & aliquando obediunt, sed statim redeunt ad insaniam. Aliquando ita stant, vt ad se rediisse videantur. Verùm leui occasione ad pristinam insaniam statim redeunt, mordent adstantes, amicos afficiunt iniuriis, vulnerant & verberant. Si verò à melancholia adusta fiat, vel à sanguine melancholico adassato, fit ferinus furor, deteriores euadunt, excitantur rabidi affectus, insaniunt aliquando cum studio, ita vt semper aliquid mali meditentur. Quare vinciendi sunt, ne alicui noceant, aut sibi manus inferant, aut se præcipites dent. Aspectus horridos, & mores ferinos habēt. Ob id lupinam Arabes cognominauerunt, & dæmonium lupinum, ad prioris generis differentiam, quod etiam dæmonium, sed caninum vocant, à moribus caninis.

CVRATIO.

Curatur hic affectus, vt phrenitis, quantum ad remedia vniuersalia. Sed nonnihil interest in particulari

bus. Missio enim sanguinis facienda non est, quia & sine febre sit, & materia est per totam cerebri substantiam diffusa, & humor multùm supra naturam sanguinis Statim enim incandescit bilis illa assata & torrida, separata sanguinis humiditate. Iniiciantur clysteres, quales in phrenitide, qui attrahant & à capite euellant, sine magna calefactione Fiat igitur hoc modo.

℞. maluæ, bismaluæ, ciclæ, mercurialis ana M j. borraginis M. iij. prunorum Pa. xx quatuor seminum frigid. maiorum an. ℥ ß anisi ʒ. ij. florum buglossæ, viol, borraginis, chamomillæ ana p. j. fiat decoctio in iure capitis veruecis & in ℔. ß. dissol. mellis ros. & loch. de cassia ana ʒ. ij. succi mercurialis, & ciclæ an. ʒ j ß. olei viol. ℥ iij. misce, iniiciatur manè. Affigantur cucurbitulæ collo sine scarificatione, & caput perfundatur sequenti medicamento.

℞. olei violati ℥. iij. olei de semine lactucæ ℥. ij. ouorum fortiter agitatorum ℥. j. Agitentur simul, & tempore applicationis, adde lactis muliebris ℥. iij. Aut si videatur aliqua materia moueri ad cerebrum, oleum rosatum vel myrthinũ addi poterit cum pauco aceto debili, ad repellendum. Hoc autem est faciendum potissimùm, quando sunt euacuãdi, ne ex materia à medicamentis agitata caput fumos recipiat. In purgatione magis vtendum est medicamentis humidis, quàm resiccantibus, quales sunt syrupi præscripti ad melancholiam factam in homine bilioso. Vel prius concoquatur materia syrupis concoquentibus. Quòd si à bilis vstione fiat, parari potest sequens syrupus.

℞. syrupi violati ℥. iij syrup. endiuiæ simplic. & borraginis an. ℥ j. aquarum lact. vel violarum, vel portulacæ, vel nenupharis ℔. j misce, cap. in quatuor matutinis, tertio quoque die iniiciatur clyster. Deinde detur bolus sequens.

℞. cath. ℥. ß. elect. de succo rosarum ʒ. iij. misce, fiat bolus, vel dissoluatur in aqua violarum, vel borrag. vel fumariæ vel sic.

℞. tripheræ persicæ ℥ ß. confectio. hamech. ʒ. ij. dissol. in aqua bugloss. & capil. ven. adde syr. violati ℥. ij. mixta exhibeantur, vel sic.

℞. pru-

℞. prunorum, sebestem, ana pa. x. quatuor seminum frigidorum maiorum ana ʒ. ij. anisi ℥. j. senæ orientalis ℥. ß. thamarindorum ℥. j. florum violarum, bugloss. ana p. j. fiat decoctio. In q. j. dissol. syrupi rosati laxatiui ℥. iij. cap. manè. In hoc modo myrobal. in decoctione ponendi sunt, quia laxant & effumationem prohibent. Confricandi sunt in succo rosarum, vt maiorem vim laxandi habeant. Non probo vsum pilularum neque medicamentorum multùm laxantium nisi cum decoctione humida. Hæc sunt, quæ in curatione maniæ caninæ conuenire poterunt. Iisdem vti possumus in lupina, verùm permiscenda sunt quæ atram bilem magis concoquant humectando, & humores adassatos euacuent, vt syrupi in melancholia præscripti, quales sunt de borragine, violatus cum decoctione vel aquis earundem herbarum.

℞. syr. de borragine ℥. iij. syrupi violati vel de succo cucurbitæ ℥. ij. aquæ bugloss. vel nenupharis, vel violarum ℔. j. misce, capiat in quatuor dosibus. Syrupi compositi vt de fumaria, vel de thymo post concoctionem soli sunt accipiendi, quia leuiter purgant, vel ad purgationem corpus præparant, vel purgationem absoluunt, si dentur cum decoctione laxante post vsum medicamentorum laxantium. In multum melancholico ea omnia, quæ præscripta sunt ad melancholiæ euacuationem, exceptis pilulis, dari poterunt, vt confection. hamech, diacarthami cum catholico, vel cum decoctione epithymi, mercurialis, sambuci vel aliorum melancholiam laxantium, fiat syrupus in hunc modum.

℞. confectionis hamech ʒ. ij. pulueris præscripti ex lapide armeno ʒ. j. dissolue in aquæ violarum sufficienti quantitate. Quibus adde syrupi de fumaria compositi, aliàs de thymo, de epithymo ʒ. j. succi rosarum iij. fiat potio, vel,

℞. glycirrhisæ rasæ ℥. j. corticis mediæ sambuci ℥. ij. senæ orietalis ℥. ß prunorum, sebestem, passularum ana pa. x. anisi ʒ. ij. polypodij quercini recentis ℥. ij. florum violarum p. j. myrobalan. citrinorum, indorum confricatorum cum oleo amygdalarum dulcium ana ʒ. j. ta-

marindorum ℥.ß.vel ℥.j.summitatum thymi & epithymi ana ℥.ij.fiat decoctio. In quartario vno dissolue confectionis hamech ʒ.ij syrupi violati ℥.ß.fiat potio. Residuo decoctionis adde syrupi rosati solutiui & de fumaria, compositi ana ℥.iij. fiat syrupus. Adde decoctioni sacch. quantùm sufficit. Vtatur hoc syrupo sexto quoque die, donec euacuatus erit sufficienter. Si vigiliis æger torqueatur, præscribantur potiones somnum conciliantes.

℞. syr. violati ℥.j. syr. de papauere ʒ.ß aquæ violarum & lactucæ ana ℥.ij. misc. cap. cùm ibit dormitum. In rabidis, & qui multùm mouentur, stupefacientibus est vtendum. Quare maior quantitas syrupi de papauere est ponenda, vt

℞. syrupi de papauere ℥.ij. aquæ nenupharis, violarum, lactucæ ana ℥.j misc. cap. serò. Ad eundem scopum parari poterunt embrochę ex frigidis & humidis. Quibus & addi poterunt stupefacientia.

℞. lactuc. domestic, & agrest. violarum, fol. cucurbitulæ ana M.j. seminis cucurbitæ, lactucæ, papa. albi, melon ana ℥.florum nenupharis & vio.an.p.j fiat decoct. qua abluantur pedes & caput. Eædem partes perfundantur vel irrigentur oleis suprà scriptis cap. de melancholia. Nam in ea, quæ fit in corpore bilioso, refrigerare & humectare oportet. Hîc tantùm addenda, quæ incompositas, & inordinatas motiones sistunt, quæq; stupefaciunt. Ob id capita papaueris, & cortic. mandragoræ addere debemus, vt & opium dissolutum in lacte naribus apponimus. In declinatione vt in phrenitide aliqua digerentia addenda. Quare irrogationes humidis flores chamemel. anthos, vel stechados addi poterunt, Sic.

℞. florum violarum, nenupharis ana p. iij. semin. coriandri ℥ j quat. seminum frigidorum mai. ana ℥.ß. florum chamemeli p.ij. florum thymi p.ß. decoquantur in iure capitis veruecis, vel in iure pipionum integrorum vel hyrundin. tepidè applicentur supra caput, vel fiat pul. quo sinapisetur caput in declinatione vel cùm nullus adest furor, vel cùm bene dormiunt, vt

℞. coriandri ℥.ij. anisi ℥.ß. granor. tinctorum ʒ.ij. florum violarum & chamomillæ ana ℥.ij. florum anthos p.

ß. fiat

ß. fiat puluis quo sinapisetur caput serò, vel manè in iis qui non bene dormiunt non impediatur somnus. Abluendum est caput vino albo in quo decocti sunt flores violarum & chamemeli. Digerunt enim & cerebrũ corroborant. Quod multò magis efficerent, si tertia pars olei rosati, vel cydoniorum, vel myrthillorum iis adderetur. Sed iis vtendum tantùm in fine declinationis. Nutriantur eduliis humidis vt cremore hordei cum sacchare vel cum lacte capræ parato, vtatur etiam pulte ex farina hordei vel tritici æquis partibus decoctis cum iure galli, capi, vel pulli, vel gallinæ, vel hœdi, vel vituli, vel cum decocto pedum veruecis. Pisces saxatiles vel fluuiatiles his multùm prosunt, vt fructus horarij, vt cucurbitæ cucum. si cum carne decoquantur, lactucæ, pepones crudi, vti etiam poterunt pomis, pyris, prunis, vuis, cerasis aliisque laxantibus ventrem. Abstineant ab amygdalis, nucleis, pineis, dactylis, & aliis effumantibus ad caput. Contineantur in loco obscuro & hominũ frequentiam deuitent, nec cum multis colloquantur. Sunt qui verberibus cæsi, & in carcere detenti, & optima victus ratione vsi, curati sunt. Nihil est quod magis vel atræ vel flauæ bilis acrimoniam minuat, quàm cibi humectatio. Quare qui cibos respuunt & potum, in his malum hoc diutius prorogatur, vel rabidi intereunt.

De incubo. CAP. XLIIII.

Εφιάλτης Græcis, incubus Latinis dicitur, & incubo ab incubando. Ob summam enim venarum plenitudinem, thoracis scilicet, quiddam nobis incumbere, & supra nos stare putamus, respirationem opprimens, & impediens ac vocem simul, ita vt suffocari in eo ægrotantes videantur. Quare à Themisone, vt Paulus testatur, πνιγάλιωνα à suffocando vocatur. Solet etiam post primum somnum, & non nisi in somno euenire, vel sentiri, ob id incubonem dici existimo. Cùm enim dormimus, non tam liberè respiramus, quàm cùm vigilamus. Atque inter dormiendum, vel in inchoata actione fumi & flatus eleuati pulmones, & septum premunt. Quare cum suspirio, & suffocationis timore, & motu difficili thoracis expergiscuntur. Oritur id vitij ex crapula pessima victus ratione, & à multitudine crassi sanguinis.

Curatio. Ad eius curationem detur primùm clyster discutiens flatus, & euacuans in paroxysmo. Si fiat à plenitudine, curata priùs ventriculi cruditate, à sanguinis missione curatio est auspicanda. Vena autem basilica, vel mediana secanda est. Quòd si dùm fluit sanguis, videatur tenuis, vel splendidus, statim supprimatur. Si verò crassus appareat, vacua tantùm, quantùm pro corporis habitu satis esse coniicies. Et quo securiùs fiat, trahatur quantitas sanguinis, quam concrescere sinamus, & si in eius parte superiore, multùm pituitæ albæ appareat, à missione sanguinis abstinendum est, & medicamentis concoquentibus pituita est coquenda, & pilulis fortioribus euacuanda. Exhibeantur quoque opiatæ, quæ ad melancholiam veram sunt præscriptæ, minuta tamen quātitate humidorum, & aucta dosi discutientium flatus.

Pul. discutiens flatus. Vel detur pul. flatus discutiens, descriptus in dolore capitis, aut oculorum affectibus. Vel paretur ex anisi ℥. iij. arom. ros. ʒ. ij. cinamom. mu. facchar. cap. à pastu. Si in sanguine multùm sit seri, purgetur, & minus vtatur calidis & incidentibus, sed modicè resiccantibus. Si sanguis ater sit, dentur quæ ad curationem melanch. hypochondriæ instituta sunt, & præter illa, præscribatur sequens opiata.

Opiata. ℞. conser. enulæ camp ℥. iij. cortic. citri conditi ℥. j. confect. aroma. rosa. ℥. ß. dianthos & diag. ana ʒ. j. cum syr. capil. ven. fiat opiata, cap. ad quantitatem auellanæ superbibendo parum vini. Vngatur pectus sequenti vngnento.

Vnct. ℞. olei anethi & chamo. ana ℥. iij. vini albi ℥ ij. agitentur & fiat inunctio, supra ventriculum & thoracem. Fiat & sacculus, qui cordi applicetur sic.

Sacculus. ℞. cortic. citri sicci, galangæ, cyperi, ocymi, seminis citri ana ʒ. ij. florū anthos stechad. bugloss. ana ℥. j. pul. diamarg. frigidi ʒ. j. pul. de gemmæ ℥. ß. fiat sacculus intersutus ad formam scuti, qui irroratus aqua melissæ, tepidè admoueatur cordi. Porrò congruens est victus,

Victus ratio. vt parcè semper in cœna cibus sumatur, vel si fieri poterit, ab eo abstineat. Cibus sit boni succi, qui non inflet, nec flatus generet, facilè coquatur, modicè alat, nec vapores multos in caput mittat. Quare legumina

vitanda omnia, vt fructus oleosi, radices, quæ inflant, & non extenuant. Morbus hic si diu perseueret, & quotidie inuadat, in apoplexiam trãsit, præcipuè si illa plenitudo ad caput vsque perueniat, sæpe melancholiam hypochondriacam sequitur. Dormiant in latus & non supini. Tunc enim sternum comprimit pulmones, vel thorax concidit, nec tam facilè dilatatur. Atque hæc de melancholiæ speciebus. *Decubitus*

De amantibus. CAP. XLV.

DE amantibus nihil nobis est dicendum, quia illi nullam curam sibi adhibere volunt. Tamen si sanguine abundant, vena secetur. Imperandus victus tenuis & alicuius rei studium. Qui enim amori semper indulgent, his difficilè potest abigi affectio. Si verò mens ad alias curas reuocetur, ab ea insania poterunt reuocari. Seminis redundantia & otium sunt caussæ amoris insani, vnde Ouidius, Otia si tollas, periere cupidinis artes. Quòd si insaniant, curandi erunt, vt maniaci: si tristes, vt melancholici. A melancholicis autem medicamenta auferantur, quæ venerem excitare nata sunt, vt satyrium, & conserua eryngij, quibus vtimur in affectu melancholico.

De ophthalmia. CAP. XLVI.

INflammatio coniunctiuæ, quæ ophthalmia dicitur, alia vera est, alia non vera. Vera alia à sanguine, alia à bile, alia à pituita salsa, alia cum dolore capitis, alia sine eius dolore. Si cum dolore capitis fiat, primùm oportet dolorem capitis sedare, postea ad curam inflammationis descendere, quia dolor fouet & auget caussam morbi. Fluorem enim excitat. Inflammatio curabitur hoc modo. Si fiat à sanguine, detrahatur à cephalica partis dolentis in magna quantitate, vel reiteretur quia simul & tollitur plethora, & fit diuersio, cùm habeat consensum cephalica cum parte affecta. Aliquando enim sola sanguinis missione curatur ophthalmia. Apponantur cucurbitulæ cum scarificatione supra collũ & spatulas. Detur clyster, vel ante sanguinis missionem, vel post statim. Clyster sit molliens cum quadam attractione, vt reuellat à capite, vt si ponantur indi maioris ℥. iiij. in clystere. His peractis non supra partem dolen- *Curatio inflãmat.* *Missio sanguinis.* *Clyster.*

tem, sed in circuitu oculi admoueatur medicamentum aliquod repellēs. Medicamenta repellentia confici possunt, vel ex oleis, vel ex succis herbarum, vel ex pulueribus incorporatis cum aceto, vel alio liquore frigido. Olea reiiciuntur, tanquam inimica huic affectioni, quia oculum offendūt, & partes aliquas habent calidas. Quare possunt & rarefacere, & disponere partem ad suscipiendum fluorem. Ob id ex succis, vel alio modo facere oportet. Ex succis repellens hoc modo fiet.

Repellēs. ℞. succi plantag. ℔. j. intingantur panni, & supra partem affectam in circuitu ponantur. Vel succi solani, vitium, salicis, lactu. sumach, vel rhu. cariariorum. In summa quæcunque refrigerant, & leuem quandam astrictionem habent, sunt eligenda, vt est etiam acetosa. Alio modo potest fieri sic.

Repellēs. ℞. rosa. rubra. flor. nymph. & viol. ana ʒ. iij. sandal. omnium ana ʒ. iij. seminis pap. albi, corticis mali granati, sumach berber. ana ʒ. j. boli armeni, myrtil. ana ʒ. ß. fiat pul. subtiliss. qui incorporetur cum aceto & ablumine oui, fiat ad formā vnguenti, applicetur supra frontem, tempora & partes vicinas. Incorporentur cum aceto ad penetrationem, & cum oui albumine, tum ad repellendum, tum ad vim emplasticam, vt melius adhæreat medicamentum. Supra oculum nulla in primis diebus debent addi fortiter repellētia, præsertim ante purgationem, vt sunt tro. albi Ras. cum opio, & omnia alia, quæ opium recipiunt. Sunt enim talia reiicienda propter opium, alioqui minimè. Si tamen dolor vehemens infestet, & morbus sit à bile, id non semper obseruatur.

Topici.

In principio. In principio itaque ponatur supra oculum aqua cuspidum rosarum, vel aqua ros. vel albumē oui fortiter agitatum, vel lac mulieris pituitosæ. Minùs tamen laudatur lac, quia citissimè acescit, & corrumpitur. Componuntur ex his medicamenta sic.

℞. aquæ ros. ℥. iij. albuminis oui fortiter agitati ℥. ij. lactis mulieris ℥. j vel,

℞. musc. seminis psilij, vel cydoniorum extra cum aqua ros. ʒ. iij. aquæ ros. ʒ. ij. albuminis oui ℥. j. misce, vel fiat talis aqua.

℞. medullæ panis albi ℥. iiij. infundantur per noctem in qua

in aqua ros. Si hæc aqua in oculum instilletur, sedat dolorem, & compescit fluorẽ, & aliquo modo digerit. Si accedat incremẽtum, & aliquid saniei appareat, vel aliqua pars materiæ cõiuncta sit, adde mucilag. fœnug. ℥. ß. Valet quippe fœnug. in omni ferè morbi tempore, etiam in principio ad doloris sedationẽ, siue decoctũ, siue mucilago, ob moderatũ calorẽ, quem habet & lentorem. Sed maximè in declinatione, loco albuminis oui. Galen. laudat in oculorum morbis medicamenta, quæ lentorẽ habent, quia aspera maximè offendunt oculum, ob plurimum sensum, quem habet. Potest etiam hoc modo fieri. *In incremento.* *Fœnumgræc.*

℞. tro. alborum Ras. sine opio ʒ. j. aquæ ros. vel verbenæ ℥. iij. fiat collyr. addendo albuminis oui fortiter agitati ℥. j. Post vsum istorum aliqua digerẽtia sunt illis admiscenda, vt si aquam aliquam misceamus superioribus, vel mucilag. fœnug. aut eius decoctum, vel chamo. vel meliloti. Nam hæc omnia digerũt sine magna attrectatione. Cauendum autem à nimium calidis. Nam quæ multùm calida sunt, plus attrahunt, quàm digerunt, vbi præsertim est plenitudo, vel fiat sic collyrium. *Collyriũ.*

℞. seminis fœnug. mundati à pul. & abluti semel tantũ in aqua frigida ℥. ij. fiat decoctio, & in decoctione adde albuminis oui fortiter agitati ℥. ij. misce. Abluitur fœnug. ob pul. à quo oculus exasperatur. Sed meliùs est, vt excutiatur per cribrum, & fricetur panno, & tandem ad maiorem munditiem lauetur in aqua frigida semel tãtùm, ne ob multam lotionem amittat vim digerendi, quæ est in superficie. *Aliud.* *Quo paratur.*

℞. florum chamo. melil. ana ℥. j fiat decoctio in aqua ros. ne sit tantùm digerens. In qr. j. decoctionis adde sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris ʒ. j. ß. vel tuthiæ præparatæ ʒ. j. vel ex ambobus simul, misce, fiat collyrium. Albumen oui addere oportet, sed in minori quantitate, quum in primis collyriis, quibus vtebamur in morbi principio. Nam in collyriis digerentibus additur tantùm, vt vim aliorum medicamentorum sua viscositate retineat supra partem affectam, quæ rotunda est, vbi nõ facilè medicamenta retinentur, in aliis collyriis additur pro principio, vt repellat, & asperitatem oculorum reparet. Sarcocolla digerit sine morsu, & attractione. In *Aliud.* *Albumen oui.* *Sarcocolla.*

lacte mulieris nutritur, vt amittat quicquid acrimoniæ habet. Parua autem quantitas nutricationis addenda, vt statim absumatur. Periculum enim esset, ne antequam maior quantitas absumeretur, acesceret, atque oculum læderet. Accedente statu ad digerentia magis declinare oportet. Talia erunt supradicta, vt fœnug. chamo. mel. flores, sarcocolla, tuthia, aloe, crocus, succus vel aqua fœnic. rutæ & chelidonij, euphras. Decoctio fiat tantum in aqua frigida, & non in aqua ros. Rosæ etiam omittantur, vel addatur succus, vel aqua prædictarum herbarum, vt in declinatione additur aloe, ad digestionem materiæ. Additur & crocus, tum ad digestionem, tum ad doloris sedationem. Fiunt decoctiones & fumum recipiunt. Sed hoc magis fit ad materiæ præparationem, quàm ad euacuationem, vt in suffusione. Hæc remedia fiunt magis propria & determinata materiæ & caussis, addendo vel minuendo, quæ posita sunt, vel addendo alia, quæ propria sunt, vel quæ respiciunt humorem, vel ob symptoma, quod quidem peruertit curationem. Vt ad doloris sedationem digerentibus suprà dictis pro ophthalmia à bile dicta, debēt recipere troc. albos Ras. cum opio, vel in decoctionibus semen pap. augeri debet, vel alia, quæ magis refrigerant, adiungi, vt hyoscyami folia decocta cum pauco croco addi possunt, sed hoc in dolore fortissimo, & digerentia mitiora esse oportet, vel addere aliqua, quæ acrimoniam eorum minuant, vt flores viol. Et in digerentibus pro materia melancholica, sunt, qui addunt in decoctionibus epithymum, quod mihi videtur ad acrimoniam magis, quàm ad necessitatem. Laudarem potius in hoc casu, quæ humectant, vt materia præparetur ad concoctionem.

In statu.

Digerentia.

Repellentia.

Ophthalmia à bile.

Anodynũ præstantiss.

Pro ophthalmia à bile vel cùm dolor est fortissimus à quacunque caussa, paratur hoc modo medicamentum anodynum præstantissimum.

℞. poma dulcia & decoquantur sub cineribus & ponantur supra oculum loco cataplasmatis. Si decoquantur cum aqua ros. vbi maior est intentio repellendi, medicamētum est efficacius, & minorem habet crassitiem. Sed ob id minus calfacit, quàm quod crassiorem habet consisten-

consistentiam, idque per accidens. Si autem ob doloris mitigationem, decoquatur in lacte mulieris pituitosæ, adde camphoræ ℈. ij. in ℥. j pomorum. Quod si tanta caliditas non sit, à qua excitetur dolor, sed potiùs plenitudo, aut flatus, adde croci ℈. ij simul cum camphora. Sed non sufficit mittere sanguinem, quin euacuare oportet ichores sanguinis, vel materiam melancholicam, biliosam, vel pituitosam concoquere & euacuare. Purgatur sanguis nulla expectata coctione, huiusmodi decocto.

℞. prunorum, sebesten ana M.xx florum cord. ana p.j. quatuor semin. frigid. ma ana ʒ.j. myrob. citri & tama rind. ana ℥. ß. fiat decoctio. In qr. j. col. adde syru. ros lax. ℥. ij. fiat potio. Adduntur myrob. quia vim habent obtundendi acrimoniam, & purgãdi bilem, & ichores sanguinis. Pro diuitibus addi potest ʒ. j. rhabarb. sed minuatur dosis syr. ros. lax. vel adde syru. viol pro ros. Si hic nõ reperiatur, adde ℥. j. vel ij. adde g. ij, vel iij. diagridij, & mastiches tantundem. Potest etiam purgari cum electario de succo ros. diaprunis simpl. vel solu. vel cath. Respuentibus medicamentum datur syr. viol. cum gr. aliquot dragridij in aqua hord vel decoctione prunorum, descripta cap. de dolore capitis à sanguine. Si fiat à bile, non tanta trahatur sanguinis copia, sed alteratio & vacuatio maiores sunt. Concoquatur materia concoquentibus materiam biliosam, sed non omnibus. Nam quoties morbus est cum fluore, syr. bilem concoquentes cum facultate illa aperiendi, non sunt exhibendi, sed potiùs incrassantes, & prohibentes fluxum humorum subtilium. Hoc est commune præceptum in omni morbo ex bilis confluxu, vt potiùs compescatur eius fluor. & incrassetur bilis. Optimus igitur erit syru. ros de rosis siccis, syr. nenuph. viol. myrthin. de berberis. de granatis, de acetosa, de agresta, de acetositate citri, & similes. Aquæ autem optimæ erunt, quæ habent similem facultatem, vt aqua solani, plantag. verbenæ, ros. lupul. cichor. & end. Nam si syr. incrassantibus misceantur, non tantum vim aperiendi habent, vt nocere possint. Inter illa, quæ refrigerant sine apertione, sunt quædam, quæ tota substantia acumen vasus minuunt,

Purgatio sanguinis.

Commune præceptũ.

Syrup. incrassantes bilem.

Aquæ.

vel aqua lact. Ob id omittenda sunt. Componatur autem hoc modo syr.

Syrupus. ℞. syr. vio. ℥. iiij. aquæ plantag. rosf. euphras. vel verbenæ (nam semper admiscenda sunt ea, quæ partem affectam respiciunt, vel quæ magis destinata sunt parti affectæ, vel ipsi affectui) ana qr. j. misce pro iij. dosibus.

℞. elect. diatrag. frig. vel diamar. frig. tab. j. pro dosi. Syr. viol. est eligendus in prima dosi, quia lenit aluum. Illa autem, quæ ventrem astringunt, non sumantur, nisi cùm venter facilè fluit, vel post aliquam ventris lenitionem, & materiæ aliquam diminutionem, vt euacuatione facta, cùm volumus adhuc alterare, commodè adhibentur astringentes. Purgetur cum elect. aliquo purgante bilem, vel cum syr. aliquo lax. qualis est ros. & viol. fit laxatiuus cum ℈. iiij. diagridij. Illa etiam, quæ fuere præscripta superius, sed aucta dosi, vel accipiendo ea, quæ diagrid. recipiunt. Nam ea magis propria sunt ad bilem purgandam. Alia verò ad ventris lenitionem, vel ad ichores sanguinis.

Curatio ophthalm. à pituita aut melãcholia. Si fiat ophthalmia à pituita, vel melancholia, eo modo procedere oportet, quo demonstratum est cap. de dolore capitis facto à simili materia, nisi quòd mitiora esse oportet remedia, quia morbus hic est cum fluore. Vel curabitur curatione ophthalmiæ non veræ. *Balnea & meri potio.* Balneà in declinatione cujusque ophthal. laudatur, & meri potiones, sed non à principio, quia materiam dissoluunt, sicut nec in aliis morbis competunt, nisi sub finem, quia exagitant materiam nondum euacuatam, & liquefaciũt humores, fiúntque aptiores ad fluendum. Quare post euacuationes, tantùm illis vtemur.

De ophthalmia non vera. CAP. XLVII.

NOn vera ophthalmia magna ex parte prouenit à caussis procatarticis. Curatur variis modis, & in hoc omnes curæ conueniunt, quòd semper caussam auferre conuenit, vt si à nimia potione proueniat, abstineant à vino. Si ob radios solares, vel lunares, domi se cõtineant, & contegant caput. Si propter esum cæparum, alliorum, erucæ, aut sinapi (quia hæc sua acrimonia fluxiones ad oculos excitant) abstineant ab iis omnibus. Si verò cum aliis caussis aliqua materia capite cõtineatur, adhi-

adhibeantur cucurbitulæ cum ſcarificatione frequenter ſupra ceruicem & ſpatulas. Fiat ſanguinis miſſio, ſi pauca ſit quantitas materiæ, de vena quæ eſt inter ſpatulas. Confert enim & in dolore capitis cùm eſt in anteriore eius parte, & in oculorum affectibus, quia diuertitur humorum fluxus. Præſcribantur pilulæ aliquæ ex iis quæ Myrobal. recipiunt, addendo aliquid cochiarum. Myrobal. competunt in omni morbo, in quo neceſſaria eſt aſtrictio, quicunque ſit ab influxu materiæ, maximè ſi ſit materia ſubtilis: ſicut contrà fugienda ſunt quæ vim habent aperiendi, fiant itaque hoc modo pilulæ. *Cucurb.* *phlebot.* *Pilulæ.*

℞. maſſ pil. ſine quibus, & cochiarum ana ℈.ij fiant pilulæ vij. cum aqua fœn. euphraſ. vel chelidonij, cap. poſt mediam noctem. Si pituita peccet, concoquatur cum melle roſato vel cum ſyru. aliq. mediocriter incidente, addita aliqua parte ſyru. de ſtecha. Vt ſi fiat hoc modo. *Syrup. cōcoq. pituitam.*

℞. mel. roſ. col. ℥. ij. ſyr. ſtech ℥. ß. ſyr. de byſſ. vel de bizantiis ℥. ij. aquarum fœn. euphraſ. verbenæ, chelidon. an. qr. j, miſce pro 4 doſibus manè.

℞. elect. diatr. frig. vel diaprunis ſimpl. tab. j. pro doſi.

Præſcribantur pilulæ, vel potio purgans pituitam vel ex elect. indo maiori vel de citro ſol. & ſimilibus, in decoctione capitali diſſ. Addatur in decoctione beto. vel fœnic. vel euphraſ. vel verbena. Pilulæ ſi præſcribantur, ſint ſuperioribus fortiores, quales erunt cochiæ, aureæ, lucis maiores & minores. Caueant à pilulis indis, & aliis medicamentis, quæ veratrum recipiunt, ſiue ſint pilulæ, ſiue potiones, ſiue vomitoria: Nam veratrum eſt oculis inimicum. Fiant collyria & fomenta ad mitigationem doloris, & ad materiæ digeſtionem. Mitigabitur dolor, vt poſtea ſuo loco monſtrabimus: quia vt diuerſæ ſunt cauſæ doloris, ita diuerſis modis ſedandus eſt. Vti poſſumus aliis collyriis præſcriptis, in quibus opium non recipitur. Poſſunt fieri embrocationes in partibus circumuicinis cum ſuccis præſcriptis, vel cataplaſmata ſeu emplaſtra præſcripta. Poteſt fieri ſequens emplaſtrum, ſi materia ſit admodum ſubtilis, & fluat per venas exteriores, quo vti poſſumus, & in fortiſſimo dolore, & in ſuffuſionibus, & in lachrymis inuolunta- *Purgātia pituitam.* *Collyria.* *Embrocatio.*

riis, cuius scopus est, vt partim trahatur materia ad partem externam, quod facit pix, partim vt compescatur fluor astringentibus.

Emplastrum. ℞ picis, cort. rhu. boli ar. ros. rub. siccarum, gallarum an. ʒ. j. seminis berberis, sumac, mastich. thur. an. ʒ. ß. spicæ nardi, opij. ana ℈. j. incorporentur simul cum terebinth. fiat emplastrum quod apponatur circa tempora.

Spica nardi. Spica nardi ponitur, quia tenuitate partium facit alia penetrare. *Opium* Opium verò ad fluores compescendos est efficacissimum. Emplastrum aliud.

aliud. ℞. mastich. thur. hypocisthidos ladani ana ℥. j. picis ʒ. ij. ol. lentisci parum, fiat emplastrum, & applicetur temporibus. Si materia sit frigida, vt in doloribus dentium, & aliis effluxionibus oculorum, potest fieri aliud emplastrum, addendo aliqua astringentia, vt,

Aliud. ℞. picis naual. ℥. ß. mastich thur. myrrhæ ana ʒ. j. cyperi, spicæ nardi, schenanth. ros ana ℈. j. acaciæ, lycij an. ʒ. ij. fiat emplastrum incorporando cum terebinthina, & applicetur temporibus. Si non reperiatur lycium, ponatur in duplici quantitate acacia, & pro vera acacia possumus vti succo prunellorum communium, vt fit. Quòd si velis meliorem efficere, fiet ex lentisco, vt docet Diosc. cap. de lentisco. Eadem ratione potest fieri lycium ex rhu obsoniorum, vulgò sumac, hoc modo. *Rhu.* Rhu obsoniorum maceratum per triduum, tandem sæpe cócoquitur, & sumitur residentia, quam vlterius decoquimus, donec incrassescat ad mell consistentiam. Si suprascriptum emplastrum non prosit, ne timeas adiungere opij ℈. j. vel seminis pap. albi ʒ. Non vera ophthalmia fit aliquando propter ictum, statim, si timeatur nimia inflammatio, mittatur sanguis, vt sedetur dolor. Postea ad digestionem sanguinis illius ecchymosis factæ in oculo, instilletur sanguis columbæ, vel turturis calidus in oculo.

Ophthalmia ab ictu curatio.

Fit etiam hic morbus per consensum ventriculi, hoc est, quia ventriculus caussam præbet aut morbum fouet.

Per consensum vẽtriculi curatio.

In his commendatur vomitus, modò excitari possit sine magna perturbatione. Nam motus vehementes materiam exagitant, & humores agitati faciliùs in partes imbecilliores fluũt. In omni ophthal. masticatoria & garg. post vniuersales purgationes conueniunt, caputpurgia

Masticatoria & garg.

non

non item. Nam nerui optici non longè à meatibus illis, per quos euacuatur pituita, ortum ducunt. Ob id facilè materia trahetur ad oculos. Præterea caputpurgia magis trahunt materiam ad partem anteriorem, & masticatoria trahunt etiam ad posteriorem. Neque valeret obiectio, quòd multi practici hoc iubeant, dicentes Galenum ita fecisse in aliquibus oculorum affectibus. Quibus respondendum, id fieri leuiori quodam caputpurgio, quod quidem habet tantùm vim aperiendi nares, non autem trahendi pituitam à cerebro. Satius erit itaque masticatorio pituitam extrahere. *Ex vsu nō caputpurg.*

De dolore oculorum. CAP. XLVIII.

DOlor oculorum, vt à multis variísque caussis fit, diuersis etiam modis curatur. Fit autem dolor à plenitudine, ab acrimonia humorum, & à flatu distribuente. Vel multæ caussæ simul iunguntur, vt acrimonia cum plenitudine Si dolor fiat à plenitudine, nihil prosunt topica remedia, siue sint anodyna, siue repellētia, siue acrimoniam reprimentia. Nam quæ repellunt, ob plenitudinem nō possunt humores retrò pellere, & distentionem maiorem faciunt, ob ídque dolorem potiùs augent. Digerentia magis attrahunt, quàm digerūt, & sic morbum etiam augent. Soluitur autem dolor sanguinis missione, clystere attrahēte. Deriuatur cucurbitulis applicatis supra spatulas, vel applicatione sanguisug. in fronte. *A plenitudine.* *Curatio plenitudinis.*

Si verò humor aliquis ob suam acrimoniam dolorem excitet, purg. pilulis aureis, cochiis, sine quibus, lucis & similibus, vel potionibus ex myrob. & tamarindis. Dentur syr. cum aquis accommodatis ad extinctionem acrimoniæ humorum. Admoueantur topica remedia, & ponantur in circuitu oculi, quæ talem vim habent. Super oculum fiant fomentationes vel emplastra, vel collyr. ex iis, quæ doloré sedant. Si verò dolor fiat à flatibus, quanquam flatus non euacuantur medicamentis, sunt tamen danda quæ pituitam euacuant Nam à pituita flatim generantur. Partes in circuitu erunt calfacientibus & discutientibus flatus fouendæ, & topica supra oculū fient, ex mediocriter digerentibus, anodynis, & flatus discutientibus. Si caussæ diuersæ concurrāt, admiscenda erunt medicamenta pro ratione caussarum, Dolor à plenitudi- *Curatio eius ab acrimonia.* *Curatio à flatibus.*

Quibus sedatur dolor a plenitudine. ne mitigandus erit fotu aquæ calidæ, quæ partes sua caliditate moderatas relaxat, & aliquo modo euacuat, factis prius, quæ oportet, fiat hæc fomentatio.

Fomentatio. ℞. flor. mal. viol. rof. an. ℥. j. florum cham ℥. ß. seminis lini, & fœnug. an. ʒ. iij. seminis pap. albi ʒ. j. fiat deco. ex qua foueatur oculus dolens. Applicetur in circuitu aliquod medicamentum astringens, vt repellat humores, qualia sunt descripta cap. de ophthalmia non vera, vel fiat tale.

℞. rof. rub. & flor. nenuph. ana ℥. ij. seminis berber. sumach, corticis mali gra. sandal. rub. an. ʒ. ij. boli armeni ℥ ß. pul. & incorpo. cum succo plantag. vel lactucæ, fol. vitis, vel salicis, vel myrthi. Addendo ol. rosarum, omphac. an. ℥. ij. aceti parum, fiat ad formam vnguenti crassioris; & ponatur in circuitu oculi. Si dolor non remittatur, digerentia augeantur, vt semen fœnug. & chamomillæ, fiat etiam sic collyrium.

Collyriũ. ℞. muscilag. seminis psilij, gum. traga. an. ʒ j. tuthiæ præparatæ, sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris an ℈. ij. aloes ʒ. ß aquæ rof. ℥. iiij. alb. oui fortiter agitati ℥. ij. croci ʒ. ß. fiat collyr. Vel fiat tale cataplasma.

℞. flor. pap. cornuti, & pap. albi an. quartam partem M j. florum cham rof. an. ℥. j. fœnug. ℥. ß. fiat decoctio & contundantur simul, addendo amyli ʒ iij. croci ʒ. j. fiat ad formam cataplas. Quòd si fortius velis medicamentum, & magis sedans dolorem sine periculo, adde vitellos ouorum N. ij. Quòd si aliqua albuminis pars remaneat, non erit peius remedium. Si autem ab humorum acrimonia fiat dolor, fortioribus remediis vti oportet, vt tro. albo Ras. cum opio, & omnibus aliis collyriis, & remediis, quæ recipiunt opium, vt,

Quibus sedatur ab acrimonia

℞. Pompholig. tuthiæ præparatæ, sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris an. ʒ. ß. cerusæ lotæ ʒ j. acaciæ, lycij, hypocist. gum. trag. semin. pap. albi an. ℥. j. vel succi pap. cornuti ʒ. iij. croci ℈. ß. (Vel loco sem. pap. albi, & succi pap. cornuti adde opij ℈. ß.) formẽtur tro. cũ illo succo, vel cum aqua rof. in qua maceratum sit traga. Cùm voles vti, reducantur in tenuissimum pul. & misceatur huius pul. ʒ. j. cum aquæ rof. ℥. iij. & aquæ albuminis oui ℥. ij. fiat collyrium. Alij trocisci.

℞. sar-

℞. sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris ʒ.v. camphoræ ℈.j. opij ℈.ß. amyli gum. tragac. an. ʒ ij. croci gr. xij. fiant tro. cum aqua rof. & muscі. seminis psilij, aut lini. Et hoc erit fortissimum remedium, in dolore fortissimo facto ab humorum acrimonia, si recipiatur in aqua verbenæ, vel rof. reducitur ad mediocritatem: & si recipiantur in decocto fœnug. vel cham. Si autem dolor fiat à flatibus, fiat tale collyrium. *Quibus sedatur à flatibus.*

℞. fœnug. ℥ j florum cham. ℥. ß. sem. fœn. ʒ. ij. cumini ʒ. j. pip. nigri ℈. j fiat decoct. cum tali decoctione irrigetur pars affecta & residentia dictæ decoct. contundatur, addendo farinæ hord. & fabarum an. ℥. j. fiat ad formam cataplas. ponatur super partes vicinas. Vel fiat tale colly.

℞. aquæ fœnic. rutæ an. ℥. ij. cumini subtiliss. pul. florum cham. an. ʒ. ß. thur. croci, sarcocollę an. ℈ j. fiat pul. vt alcohol, & inde collyrium, quod vt parti adhæreat, adde muscil. fœnu. ℥. ß. Istis mitigantibus dolorem addimus interdum magis astringentia, vt cùm fluxionem sistere volumus, vel oculis debilibus robur addere. Aliquando abstęrgentia, vt sanies, vel humor alius abstergatur. Adduntur etiam concoctoria, vt thus, myrrha ad concoctionem materiæ. Adduntur in summa, quæcunque sunt necessaria dispositioni coniunctæ, vt si dolor sit cum vlcere, sedatur dolor, & admiscentur astringentia sine morsu. Si abstersum fuerit vlcus, consolidantia & exiccantia, vt in aliis vlceribus fit. Facta vniuersali purgatione fiat quod sequitur.

℞. spongiæ bedegaris ʒ. ij. boli armeni ℥. ß. corticis mali granati, acatiæ, semi. berberis, coriandri an. ʒ. ij. opij ʒ. j. corticis thuris, mastiches, hypoc. an. ʒ. ß cum cera rubra incorporentur. Fiat emplastrum. Apponatur temporibus, & retro aures, vel

℞. micæ panis ℥. j. temperetur per noctem in ℥. vj. aquæ rosarum, & ℥. ij peculi earundem. Distilla in oculum. Cùm facta fuerit defluxio, & si aliquod vestigium rubrum appareat, vtatur aqua sequenti.

℞. vitrioli albi ℥ ß. diss. in ℥. iij. aquæ suprà dictæ. Instilletur in oculum.

℞. sanguinis draconis, tuthiæ præparatæ an. ʒ. j. opij ℈ j cum mucagine gummi tragacāthi fiant trocisci, de

quibus capiat, & iniiciat in aquam cuspidum rosſ. & ex aqua abluat oculum, vel ſic

℞. trociſ. prædictorum ʒ j. pomi fortiter decocti & agitati in mortario ℥ j. miſceantur ſimul, fiat in formam linimenti. Apponatur, cùm ibit dormitum, ſupra palpebras. Si his remediis non ceſſet dolor, ad extremum remedium confugiendum, nempe ad vſum cauterij, vel ruptorij in parte poſtica capitis.

De Pterygio. CAP. XLIX.

PTerygium videtur eſſe quod Arabes, Zebet, vocant, alij vngulam. Nihil aliud eſt, quàm membrana genita ſupra adnatam ex maiori cantho. Oritur etiam ex minori, ſed magis carnoſa eſt. Fit autem poſt ophthalmiam aut carbunculum palpebrarum, aut poſt aliquam ſolutionem continui, vt ob ſcabiem. Gignitur ex multitudine ſanguinis, qui ex venis effluit, & panniculum generat. Ita poſsimus hanc affectionem dicere hypoſarcoſim in hac parte Curatur ſanguinis detractione, tenui victu, reſiccantibus & exedentibus medicamentis ſupra partem appoſitis, ſi ſit minor affectus. Quòd ſi membrana illa admodum magna, multúmq; carnoſa & ſpiſſa fuerit, non niſi inciſione curatur. Ego fientes inhibeo, ſanguinis miſsione, & tenui victu, atque inciſione venarum, quæ in adnata apparent. Scindendæ autem ſunt per tranſuerſum, ne rurſus cohæreant, & ſanguinem parti ſuppeditent. Si filo comprehēdi poſſunt, acu recuruata, breuiſsimo tempore contabeſcit panniculus ille. Facit ad curationem pilulis frequenter corpus euacuare, idque ante cibum, vt non ſolùm humoré, ſed & aliquam partem alimenti ſubtrahant. Pilulæ de hiera, de aromatibus, addito pauco ag. vel pilulæ aſſaieret conuenient duabus horis ante paſtum. Poſt primum ſomnum ſemel atque iterum pilulas cochias, vel alias, quæ colocynthidem, aut alia fortiter trahentia recipiunt, dare conueniet. Quòd ſi quis ante harum pil. vſum, corpus fluxile facere voluerit, id præſtabit ſyr. concoquentibus pituitam craſſam, vel melle anth. roſarum, vel ſcyl. ſyr. de ſtechade, ſyr. acetoſo. Purgato bene corpore vtatur theriaca antiqua, quæ ſuccos abſumit. Idem præſtat mythridatum, & aurea Alexandrina. Supra partem ponen-

Syr. concoquent. pituitam.

ponenda sunt medicamenta in forma pul. Conficiuntur autem pul. ex erodentibus, vt ære, calchanto, atramento sutorio, scamma æris, calchitide. Sed hæc vrunt & dolorem maximum inferunt. Quare non sunt adhibenda, nisi cum mitioribus, alioqui prodesse non possumus. Ob id primò sacch. candum tritum diligentissimè erit apponendum, quia satis cō minuit sine morsu. Item omphacium cum mucilagine fœnug. positum in pauca quantitate potentissimè absumit. Pul. argenti viui præcipitati idem efficit, sine magno dolore. Potentissimum & sine dolore est illud quod ex testis ouorum paratur. Macerantur in aceto diu, & postea in puluerem tenuissimum rediguntur, pul. inspergitur oculo. Lapis pumicis tenuissimè tritus absumit, & ærugo æris vsta mitiùs erodit, quàm non vsta. Quòd si his remediis non absumatur, nouacula aut forcipibus abscindenda erit. Ego in muliere, quæ carbunculum passa erat ℥. ij. carnis ab oculo detraxi, abscisione per multas vices.

De Phlyctenis. Cap. L.

PHlyctenæ sunt propriè vesicæ paruæ aqua plenæ, quæ fiunt in omnibus partibus à seroso humore, sintque similes bulis aquæ feruentis. Fiunt in oculo supra corneam, quæ ex multis membranis composita est, & humor tenuis aquosúsque abscedere facit, & tumorem præter naturam fieri. In principio cum fiunt, si cum rubore oculorum sint, mittendus est sanguis, cucurbitulis vt retrahatur materia.

Dandi syr. & medicamenta, quæ ichores, & tenues humores, à quibus fiunt, euacuent. Vt syr. rosf. lax. cum decocto mercur. ciclæ, vel brassicæ marinæ, aut aliis enumeratis cap. de alopecia, vel decocto carth. & folliculis senæ, prunorū, sebesten, tamarindorum. Clysteres acres deorsum humores trahentes vtiles sunt. Et quia phlyctenæ fiunt cum quodam affluxu, à principio vtile erit mucilaginem psilij, vel cydoniorum extractum cum aqua rosf. vel myrthi, intra palpebras adhibere. Possunt & dolorem sedare, ardorem minuere, & repellere. Albumen oui idem præstat fortiter agitatum cum pauca aqua plantag. vel solatri, vel peculi rosf. aut myrthi, quod

Syr.

Clyster.

Repellentia.

frequentiſsimè adhibeatur. Neque verentur practici opij portiunculam in lacte, vel in ſapa dilutam, ad doloris ſedationem cum pauco croco adhibere. Aut poma cocta diligentiſsimè contrita, aut mala cotonea, aut granata bene cocta, & contuſa, quibus optimum eſt, ne nimiam aſperitatem inducant, parum vnguenti roſ. admiſcere, & palpebris admouere. Si repellentibus nō cedat materia, ſed puſtulæ perſeuerent, ad digeſtionem, & reſolutionem mucilago fœnug. ſupradictis eſt admiſcenda, vel collyria ſunt adhibenda, quæ vim habeant aſtringendi ſimul, & digerendi, qualia erunt, quæ ex lycio parabũtur vel quæ nunc parari poſſunt ex amurco, omphacio, & acacia: hæc enim omnia digerunt, cum quadam aſtrictione. Diluenda ſunt aqua roſar. vel peculi roſar. vel myrthi, cùm defluxionem pertimeſcimus, vel in aqua fœnic. vel rutæ, vel chelidonij, quando nulla eſt defluxionis ſuſpicio. His vtendum, donec humor diſcutiatur, vel cuticula diſrumpatur, & in vlcus vertatur.

De Vlceribus oculorum. CAP. LI.

VLcera fiunt circa oculos, vel in ipſis oculis, vt in cantho. Fit ægilops in cornea, quæ ſpiſſa eſt, & dilacerari poteſt. Vlcera accidũt, vt poſt phlyctenas à cauſſa aliqua procatartica, vt à ſpina, fruſto vitri, gladio, lapide & aliis incidentibus aut rumpentibus. Fiunt in adnata vel in cornea, vel in ſuperficie, vel altè deſcendũt, vt aliquando humores profluant. Si à cauſſa procatartica, ſtatim, quæ conſtringunt, adduntur, & ad præcautionem ſanguinis mittitur, ne oboriatur inflãmatio. Clyſteres iniiciendi, collyr. paranda ex reſiccantibus. Nam cum recens ſit vulnus, & pars multùm ſicca, oportet moliri conſolidationem. Quare albumen oui fortiter agitatum, cum ſucco hyperici vulnus coaleſcere facit. Trociſci albi Raſ. cum ſarcocolla, & de thure ſunt efficaciſsimi. His vtendum donec cicatrice obducatur pars. In fine additur tuthia, vel antimonium, ceruſa, & alia quæ cicatricem inducere poſſunt. Si verò vlcus fiat poſt phlictenem, detergendum eſt prius, deinde agglutinandum ſupradictis remediis.

Curatio à cauſſa procatartica.

Curatio à phlictene.

Curatio

Curatio ab humoribus acribus.

Quòd si ab acribus humoribus factum fuerit, corpus ab acribus humoribus est repurgandum frequenter. Euacuabitur autem remediis præscriptis cap. de ophthalmia, vel tali opiata.

℞. mucil. seminis psil. integri ext. cum aqua viol. ℥. ij. pulpæ tamarindorum, sebest. & prunorũ ana ℥. j. cass. nouiter extr. & cath. ana ℥. ij. senæ oriental. & medullæ carth. ana ℥. j. anisi & fœnic. ana ʒ. ij. gly rasʒ. j. cum syr. rof. lax. fiat opiata, cap. ℥. j. semel in hebdomada. Si non velit in forma boli, dissoluat in decoctione mercur. vel sero lactis. Deterguntur autem hæc vlcera detergentibus sine morsu, vt decocto fœnug. addito sacch. aut melle, aut syr. rof. lax. vel syr. de rof. siccis, quæ sine magno morsu detergunt. His addimus & myrrham. Seruari debent hæc remedia in vase æneo, vt aliquid æruginis contrahant. Quòd si fortè dolor oriatur ob nimium sensum, aut medicamentorum acrimoniam, temperanda erunt mucilagine psilij, aut opij pauca quantitate, aut lac mulsum recens est iniiciendum. Sunt autem conficienda collyria in consistentia mellis vel palpebris apposita partem contingant. Amurca, omphacatia, lycium, hypocistis, & succus ex balaustijs, vel cytoniis paratur, quæ omnia detergunt & siccant, cum quadam astrictione, & digerunt. Alia collyria suprà descripta, vtilissima erunt, vt tro. de thur. &c. & potissimùm, quæ myrrham, sarcocollam, & aloen lotam recipiunt, vt si hoc modo fieret. *Detergẽt.*

COLLYRIA.

℞. sarcocollæ nutritæ in aqua peculi rof. ʒ. j. myrrh. sacch. candi ana ʒ. ß. thur. aloes ana ℈. ij. tenuissimè triturentur, & cum vitello oui indurato, & diligentissimè contuso, reducantur in formam vnguenti, addendo parum mellis, apponatur palpebris tantùm. In processu additur tuthia diligẽtissimè trita & lota, antimonium, vel cornua cerui, vel capræ vsta & lota ad siccandum sine morsu. Ad cicatricem inducendam ex iis tantum paratur.

℞. plumbi vsti & loti diligentiss. & pul. tenuiss. antimon. ceruf. lotæ, cornu cerui vsti & loti, coralli rub.

ana ℥.j.excipiantur melle, & fiat collyr. vel excipiantur mucilag gummi trag. vel vitello oui assato, & diligentiss. trito, addendo aliquid, quod lentorem habeat, ad retinendum, vt mucilago psilij, aut gummi trag. Non est inutile oculos frequenter vino lauare, diluto aqua fœnic. cùm est detergendum, vel cum aqua peculi ros. vel myrthi, quando inducenda est cicatrix, donec ad perfectam curationem ventum sit. Hunc morbum sequuntur symptomata, scilicet cicatrices, & albugines oculorum, de quibus iam agemus.

De cicatricibus & albuginibus oculorum.

CAPVT LII.

Cicatrix à suffusione facilè distinguitur, quòd cicatrix semper alba & in parte externa appareat: suffusio verò in parte interna. Cicatricem præcessit vlcus, vel ophthalmia. Cicatrices non auferuntur in totum, sed si pupillam occupét, exteruntur, ne visionem impediant. Albugo autem cicatrix est densior, quæ etiam in parte externa apparet. Quare oportet optimam victus rationem imperare, & aliquas euacuationes facere, non ad morbi curationem, sed ne ad oculum fiat attractio medicamentis detergentibus, & minuentibus cicatrices. Habent enim omnia talia medicamenta morsum quendam, quibus si quis vtatur in corpore pleth. vel cacoch. frequentes inflammationes excitabit. Purgabitur autem pil. capitalibus, & masticatoriis. Aut si æger valde obnoxius sit defluxionibus oculorum, cucurbitulas in lateribus, & in occipitio apponemus, vel ruptorum in occipitio, vt reuocentur excrementa ad partem posteriorem. Tunc nos tuto vti possumus prædictis medicamentis citra inflammationis periculum. Neq; statim ista sunt apponēda cicatrice nondū perfecta, ne ea disrumpatur. In principio sufficere possunt ea, quæ sunt præscripta ad detersionem vlceris, demum ad fella est veniendum, tertio ad fortiora. Fel Ouranoscopi, scorpionis, & pastinacæ vtriusque. Valet mirum in modum fel hirci, vel bouis: & auium rapacium, vt milui, aquilæ, & aliarum, ob tenuitatem valent. Sed quæ magnam admodum partium tenuitatem habent in suffusione potiùs sunt vsurpanda, quia affectus initio est. In albugine verò

Curatio.

In principio.

In albugine.

verò & cicatrice, cum affectus sit externus, satis possunt sella crassa, & potissimùm si liquida sint, & melle excipiantur. Succi multarum herbarum ad hoc commendantur, & potissimùm amararum, vel earum, quæ nitrosę sunt, vt chelidonij succus, centaurij minoris, absynth. marrubij, item amurca ompha. paratum in vase æneo. Succus anagallidos cæruleo flore cyclaminis, aristolochiæ, rutæ. Omnes hi succi, melle excepti palpebris adduntur, vel adduntur aliqua acida, & simul inspissantur. Arida, quæ multùm abstergunt, sunt sacch. candum, os sepiæ, myrrha, spuma nitri, sal ammoniacum, stercus lacertæ, cornu cerui vstũ, vel capræ. Ex his omnibus cõficiũtur collyria, ad consistentiam mellis, vt hoc modo. *Succi.*

℞. ompha. præparati, vt à Diosc. monstratur, amurcæ ana ℥. j. ossis sepiæ, stercoris lacerti, cornu cerui ana ℨ. j. ß. mellis parùm, incorporentur simul, & cum penicillo adhibeantur ei tantùm parti palpebræ, quæ è regione est. Paratur etiam aqua ex melle, & herbis ad detersionem oculorum, & visus obtenebrationem, vt, *Collyr.*

℞. mell. ℔ j. rad. fœnic. & aristoloch. rotundæ, vel longæ ana ℔. ß chelidoniæ, rutæ, summitatum fœnic. ana M. iij. flor. ros. recentium & centaurij minoris ana p. iij. macerentur simul in melle, addendo vrinæ pueri impubis ℔. ij. ídque in vase æneo per decem dies, agitãdo tantùm quarto quoque die, & æruginem radendo & simul miscendo. Distillentur omnia simul, & aqua seruetur vsui. Radices incidantur in taleolas. Vas æneum reponatur ad solem, vel in fimo. Hæc aqua, quia liquidissima est, & in canthos efflueret, vt alia liquida, ei dolorem faceret si adnatam contingeret, inspissanda est mucilagine, cum prædicta, aqua extracta, vel vitello oui, & mucilagine gum. trag. Adhibeatur è directo pupillæ tantùm in palpebris, vt supra monstratum est.

De sugillatis. CAP. LIII.

SVgillata dicuntur quando sanguis intra tunicas colligitur, vulgò maculam appellant, Græci verò ὑπόσφαγμα. Est veluti effusio sanguinis extra vasa per tunicas oculi. Fit potissimùm à caussa externa, vt ictu, & apparet totus oculus sanguine perfusus, qui si refrigeretur, & diu maneat, liuescit, & denigratur, quemadmodũ

Curatio princip. à in aliis sugillatis. Si multus sit, in pus conuertitur, cùm non possit discuti, ὑπόπυον facit, ob id & à nonnullis hæc affectio, ὑπόπυος dicta est. Curatur, vt alij ictus. In principio sanguinis missione, & deriuatione per cucurbitulas in colli lateribus positas, & quibusdam leuiter repellentibus, vt plus sanguinis à vena rupta, aut contusa non effluat. Apponuntur illa, quæ vim habent leuiter repellendi, vt albumen oui, aqua peculi rosᵗ. & myrtil. Quòd si post ictum Medicus vocetur, sanguísq; iam defluxerit priusquam omnino denigretur, probant sanguinem columbarum turturũ, & aliarum auium calidarum apponere, vt discutiatur, lac muliebre cum pauco thure, aut croco. Deinde ad fortiora digerẽtia veniendum est, vt ad mucilaginem fœnug. vel decoctum melil. vel chamo. & oculum fouere, ad humorũ illum discutiendum, id oportet frequenter apponere. In inueteratis autem valet aqua illa nostra distillata descripta in fine superioris cap. diluta cum vitello oui, vel pomo putrefacto permixta. Raphanus supra corneam appositus discutit, sed melius accõmodatur succus eius melle exceptus. Myrrha, omphacium, amurca, & fella auium in declinatione valent ad discutiẽdum. Non est inutile in hac caussa decoctum parare ex foliis fœnic. liliorum, & chelidonij, vel euphras. & seminis seseleos, & fumum illum, aut vaporem recipere, vel eadem decoctione partem fouere. Quęcunque dicta sunt ad resolutionem phlyctenarum, hic valere possunt, vel quæ ad suffusionem dicentur.

Quid post fluxũ sãg. faciend.

Fortiora digerẽtia.

In inueteratis quid

De pure sub cornea. CAP. LIIII.

SI autem sanguis suppuretur, dolorem facit in oculo, qui priùs non erat, & oculus quodammodo inflammatur. Mutatur color ille sanguinis in albedinem quandam. Ex his colligimus ὑπόπυον factum esse. Raró fit sine præcedente contusione. Pulsatio etiam in oculo sentitur cuius est pus sub cornea collectũ. Rubor est in toto oculo, & dolor in partibus circumuicinis sentitur. Quia iam missus fuit sanguis, non videtur rursus hîc trahendus, sed quia dolor ad partem attrahit, optimum erit sanguinem mittere, & cucurbitulas, vt priùs, apponere, habita ratione ætatis, virium, &c. Sed non tanta quantitas in hoc affectu trahitur, cùm in effusione sanguinis per

Curatio à missio. sang.

per corneam iam est extractus, quàm si non fuisset extractus. Quia dolor vehementissimus est, sedandus primùm erit lacte recens mulso, decocto fœnug. & lini. Si inflammatio sentiatur magna, non erit absurdum aliquid viol. vel solani illis admiscere. Sedato vtcũque dolore, & purè iam facto, ad leuiter discutientia veniendum est, vt mel, mucilaginem fœnug. cum pauco sacch. vel melle. Adde succum etiam fœnic. & alia digerentia suprà enumerata. Si nulla ratione ob crassitiem expurgari possit, dolórque magnus & vehemens perseueret, punctura curandus est affectus. Fieri enim non potest vt crassus ille humor totus discutiatur. Accidit interdum, vt resoluta maiori parte in loco inferiori colligatur, pupillam nihil aut parùm obtenebrans. Tunc vtile est exsiccãtibus exsiccare, quod reliquum est, & in ea parte relinquere. Pũctura fieri debet in latere, quemadmodum in transpositione panniculi facti ex suffusione, vt frequenter acum immittendo, & extrahendo aliquid puris tandem euacuetur. Nec oportet nos esse tam sollicitos, vt totum pus extrahatur. Id enim fieri non posset citra euacuationem aquei humoris, qui non nisi in iuuenibus regeneratur. Id quod remanet, modò pupillam non impediat, exsiccetur. Vulnus factum curatur, vt diximus suprà in cap. de vlceribus oculorum. Vtilissimum esset acum vacuam confingere, & suctu pus illud haurire. Acus cõfectio docetur sequenti cap.

Sedantia dolorem.

Digerentia.

Punctura

De suffusione seu cataracta. CAP. LV.

SVffusio tres habet constitutiones. Nam in principio videtur tantùm esse spiritus, vel effumatio quædam quæ spiritus disgregat & obtenebrat, facítque vt muscas, & lucentia quædam corpora præ oculis obuersantia videat, literas cùm legit, virides, aut alterius coloris esse iudicat. Tunc dicitur suffusionis principium esse, fitque ob ventriculi affectum, vel ob cerebri plenitudinem. Si à ventriculo fiat, id accidit per circuitus, & paroxysmos, secundùm quod melius vel peius concoquunt, augentur, vel minuuntur illa. Si ab affectibus ventriculi id fiat, procuranda est in ventriculo proba concoctio, quod fiet recrementa in eo collecta vacuando. Nam sola intemperies nunquam id efficit, nisi caliditas ac-

Si à ventric. vitio quid.

cedat, quæ in fumum alimenta vertit. Euacuetur autem vel pituita, vel bilis, idque mitioribus medicamentis, vt si bilis fuerit, opiata iam præscripta capite de vlceribus oculorum, cui addendum erit rhabar. cum pauco cinnamomo. Valet etiam compositio illa tripheræ persicæ, cath. syrup. laxatiuus, cum decoctione follic. senæ, & frequenter euacuari debent, vt bis in hebdomada, vt frequenti illa euacuatione purgetur materia illa, quæ identidem generatur, & fumi ad inferiora reuocentur. Quòd si quis mallet vti pilulis, conficiendæ erunt ex rhab. hiera, & myrobal. citrinis. Sed pilulæ magis conueniunt in pituitoso affectu, aliæ medicamentorum formæ in bilioso. Nam pilulæ calfaciunt, & magis effumant. Si appareant signa plenitudinis sanguinis, mitti debet ex cephalica. Ad pituitam euacuandam valet decoctum agarici, aut infusio in aliqua parte folliculorum senæ, pilulæ assaieret, & aliæ, quæ ex myrobal. parantur. Galenus hiera picra multos se curasse etiam per epistolam testatur. Sed pilulæ tales parandæ sunt sine croco & myrrha, vel, vt ipse docet, minuta eorum quantitate. Nam ista ad cerebrum effumant. Pilulæ de aromat. sunt præstantissimæ, quibus vellem parum agar. adiungere vel sarcocollæ. Vtantur frequenter pilulis. Nam qui huic affectui obnoxij sunt, ferè semper astricta sunt aluo. Ob id solicitanda est balanis, pilulis, vel alimentis aluum solicitantibus, vt prunis, pomis, in biliosis ficus conueniunt. Item iusculis ex mercur. ciela. & aliis herbis aluum soluentibus. Bibant aquam, si fieri potest, abstineántque ab omnibus oleaginosis fructibus, auellanis, amygdalis, pinearum nucleis. Hæc enim caput tentant, fumísque replent. Legumina omnia fugienda sunt, & potissimùm fabæ, & magis recentes, quàm siccæ. Piperata omnia & odorata nocent, frictiones in partibus inferioribus faciendæ, nunquam in capite. Et quia hæc affectio recipit fumos, vel propter intemperaturam calidam fiunt in capite, erit optimum in principio roborare partem oxyrrhodino, & fumos illos propellere, & faciem frequenter abluere aqua frigida cum pauco aceto, vel aqua ros. vel myrthi. Frequenter pedes abluere iuuat. Supra oculos nollem in principio aliqua digerentia

Euacuãs.

Mißio sanguinis.

Euacuantia pituitam.

Pilula.

rentia apponi, sed potius propellentia quędam cum leui detersione, vel succum cichorei, plantag. vel acaciam, vel parum amurcæ dilutæ in aqua ros. vel omphacij tantillum. Si autem morbus hic processerit, vapor ille in aquam vertitur, & incipit apparere veluti nubes in parte interna. Ad aquam affectionem curandam vtimur remediis suprascriptis, & collyria conficimus ex fellibus, & maiori quantitate amurcæ, vel omphacij, quibus addimus parum piperis vel myrrhæ, & in totum vtimur fortioribus digerentibus & discutientibus. Et quia fortioribus collyriis est vtendum ad discussionem, vtile erit ruptorium, aut cauterium in occipitio apponere ad reuellendum, ne fortiora hæc collyria inflammationem excitent. Temporibus etiam emplastra astringentia adhibenda, ad prohibendam fluxionem per venas illas externas. Proficit venam illam temporum incidere aliquibus, quanquam defluxio per interiores venas adhuc fiat. Si non curatur istis collyriis, vel aqua illa nostra mellis, descripta cap. de cicatricibus vel collyrio sequenti, in panniculum vertitur, & acu transponenda. Collyr. tale est.

Collyria. *Ruptoriũ.* *Emplastra.*

℞. mucilag. sem. fœnug. diligenter priùs loti in aqua fœnic. & extractæ cum aqua mellis ℥. iij. fellis Ouranoscopi, vel scorpionis marini, aut pastinacæ, aut drac. marini ʒ. ß. omphacij secundum artem parati ʒ. j sacch. candi, stercoris lacerti ana ℈ j piperis g̃. vj. incorporentur simul, & reducantur ad consistentiam mellis, seruentur in vase æneo, applicetur palpebris in parua quantitate. Interdiu, si oboriatur inflammatio à prædicto remedio demulceatur lacte recenti, cõtinuet, donec in totum curatus fuerit. Solebãt antiqui punctura hunc affectum curare (vt patet ex introductorio Gale. lib. ita inscripto) qui docent hanc curationem fortuitò inuentam fuisse, cùm capra pateretur hunc affectum, & in aculeum incidisset. Perforata enim cornea effluxit aqua, & curata est. Si quis moliri voluerit hanc curandi rationem, eo modo, quo pus extrahitur, non erit omnino absurdum. Solent medici in istis affectionibus, pilulas fortiores imperare, vt cochias, lucis, maiores, & minores. Item compositiones illas exiccantes,

Vt theriacam antiquam, mythrid. Masticatoria & errhina conueniunt, sed magis masticatoria quàm errhina. Nam hæc magis ad oculos trahunt humores. Argumento est, quòd si acriora fuerint, lachrymas mouent. Adde quòd plus humoris euacuatur per masticatoria, & cum minori impetu, agitationéque, quam per errhina.

Masticatoria. Masticatoria parantur ex cubebis, pyretro, semine fœnic. mastiche, & aliis trahentibus pituitam, & non amaris. Præscribimus pulueres à pastu, vel condita. Pulue. fiunt ex coriandro, fœniculo, aniso, & aliis, quorum formulas complures lib. nostro de compositione medicā. subiecimus. Condita faciunt ex cortice citri, & myrobalanis, sed ablui debent ista, & contundi, eísque addendum facch. rosf. tabulatum, si per consensum ventriculi fiat: sin minùs, facch aliud. Debent parari sine odoratis, ne caput tentent: aut eorum quantitas pauca admodum præscribi debet, vt

Pulueres. Condita.

℞. cortic. citri & carnium cydoniorum ana ℥. j. myrobal. emblicorum locorum in vino, & postea in aqua fœnic. N. j. (si pauper sit, hoc carere poterit) pul. coralli vsti & loti in aqua fœniculi vel beton. vel absynth. vel menthæ ʒ. ij. diarrhod. alb. ℈. ß. vel cinamomi crassi ℈. j. facch. ad duplum omnium, fiat conditum, de quo cap. post cœnam. Conuenit admodum, quando per consensum ventriculi fit affectus iste. Quòd si fiat à cerebri humiditate nimia, vtilissimum erit parare puluerem ex cineribus viperarum, & cranij, semine fœnic. feseleos, vel cineris hyrundinum, vt hoc modo.

A nimia humiditate cerebri affectio.

℞. cineris hyrundinum, cranij hominis ana ℥. ij. cineris viperarum ℥. ß anisi, fœnic. ana ʒ. ij. feseleos ʒ. ß. cinamomi crassi ʒ. j. ß misce, fiat pul. cui adde facch. candi ad medium pul. Vtantur post pastum, vel manè, diluto cum aqua fœniculi, vel chelid. vel rutæ, &c. vel superbibendo prædictas aquas. Valet etiam in epilepsia, potissimùm si apposueris parum cineris inuolucrorum testiculorum castorei. Potest etiam assumi tab. 1. diagalangæ singulis matutinis, si fiat per consensum ventriculi, vt melior concoctio fiat vel diarrh. abb. vel triasand. Si tamen humor sit concretus, & in panniculum conuersus, non curatur, nisi sola chirurgia.

De suffusione ex prima dictatione.

Suffusio alia vera est, & à proprietate, alia non vera, sed per consensum ventriculi facta, & vocatur à Galeno symptoma simile suffusioni. Hæc suffusio facilè curatur à principio, cùm adhuc nulla est firma dispositio in oculo, sed tantùm veluti apparent muscæ ob oculos, quam se plerunque curasse per literas, exhibitione hieræ picræ, testatur Galen. 6. de locis affect. Vera autem suffusio non ita facilè per hieram picram curatur. Non vera curatur vomitu in facilè vomentibus, & frequenti purgatione cum hiera, vel pilulis de arom. mastichinis, aliis ventriculo appropriatis Pilulæ de myrob. commendantur, quia cum quadam astrictione purgant, & prohibent fumos afferri ad caput à ventriculo. Corroboratur ventriculi concoctio elect. rosf. nouellæ, vel diag vel aro. rosf. cum aqua absynthij vel vino. A pastu datur pul. claudens os ventriculi, & vetans fumos ad caput attolli, qualis est ille, qui præscriptus est, in dolore capitis per consensum ventriculi, vel hic sequens, qui erit magis proprius huic affectioni. *Duplex suffusio.* *Quibus curatur nõ vera.* *Pulu. à pastu.*

℞. corian. præpar. vnicæ coopertura, anisi conditi ana ℥. ß. fœnic ʒ iij. (ratione partis affectæ) euphras. betõ. ana ʒ. ij. pul. diacydonit. sine speciebus, corall. rub. ana ℥. j. ß. sacch. q. s. fiat pul. de quo capiat cochlearia duo post suos pastus, nihil superbibendo. Puluis hic componitur ex mediocriter astringentibus, & non multùm refrigerantibus, ne coctio ventriculi lædatur. Scopus est, vt claudatur os ventriculi, ne vapores ascendant ad cerebrum, quem vsum præstat coriandrum. Nam quanuis dicitur nocere oculis, id de herba, non semine intelligendum est. Affigantur cucurbitulæ, sine scarificatione, in parte posteriore colli ad diuersionem. Abluat oculos manè aqua fœnic. vel euphras. vel rutæ, vel chelidonij. Quòd si addatur mell. communis portiuncula, vel mel. rosf. fellis vaccæ, efficacius erit. Potest confici tale medicamentum, quod præparandum est æstate, vt sit vsui toto anno, cùm opus erit. Et facit ad conseruationem oculorum, ad suffusiones leuiores, & pro his, qui sunt obtuso visu. *Coriandrum.* *Aqua ad oculos.*

℞. chelidoniæ, fœnic. verbenæ, rutæ ana m. j. mellis

rof.col. ℔. ß.feminis rapæ contusi ℥. ij. herbæ contundantur, & ponantur in sole, & quotidie agitentur. Post quadraginta dies exprimantur omnia, & succus expressus vsui reseruetur in vase æneo. Qui obtusè vident, addita aliqua portione aquæ rof. vel albuminis ouorum, vtantur. Nam in his, cùm non sunt malè affecti oculi, debet obtundi acrimonia illorum medicamentorum.

Si per proprietatem morbus.

Si morbus fiat per proprietatem, vel per consensum, sed iam antiquus sit, & factus proprius oculorum, facienda est diuersis sanguinis missione, si sanguis abundet. Concoquendus & vacuandus humor peccans, & euacuatio sit frequens, sed leui medicamento, vt si pituita abundet in toto corpore, est concoquenda & euacuanda: vt monstratum est in dolore cap. à pituita, additis tamen syr. & aquis, quæ oculos respiciunt, & sumendo pilulas oculis determinatas. Si bilis vel melancholia vel alius humor permisceatur, concoquendus & euacuandus, vt diximus in dolore cap. à permixtis humoribus. Vtatur frequenter pilulis ante cibum sine custodia, vt sunt assaieret, de hiera, de arom. addito agarico. Vtatur theriaca, vel mythridatio, cum aquis fœnic. euphras. vel rutæ.

Pilulæ.

Post syr digestiuos pilulæ conuenient fortiores, vt sunt cochiæ, sine quibus, de sarcocolla, lucis, maiores & minor. de myrobal. Quòd si semel g̃ aliquot castorei addantur, vt in epilepsia monstratum est, multùm proderit. Formandæ sunt hæ pilulæ cum aquis aut succis herbarum oculis appropriatarum, vt fœnic. rutæ, chelid. verbenæ. Si per istas euacuationes diuerti humor ab oculis, admoueantur cucurbitulæ, circa colli partem posteriorem frequenter, aut in eadem parte applicetur cauterium actuale, vel potentiale, & maneat diu vlcus apertum. Vel retrò aures applicetur vesicatorium, quia propter venas maior est consensus cum oculis, quàm cum occipite. Fiant masticatoria & gargar. ad euacuationem humoris.

Topica.

Postea veniendum est ad topica remedia, sed non nisi omnibus his peractis. Si morbus sit in principio adhuc, & tantùm sit aqua, vel aqueus quidam vapor appareat, potest resiccantibus & digerentibus medicamentis curari, qualia sunt illa omnia. & armata, & eiusmodi. Posset etiam curari manu, si componatur

Digerentia in primo.

tale instrumentum. Fiat acus caua instar syringæ, & vt facilius dissecet corneam, & subingrediatur, paretur vt calamus scriptorius, mittatur intra vulnus, exactissimè iungatur vulneri, nec aer attrahatur, & sugendo acum attrahat per eam ex oculo aquam. Præparandus est oculus, ac si cataracta coniuncta & firmata detrahenda esset. Præparare solent cursores ocularij, posito in ore cymino aut pipere, quod diu mastichet, & tandem sæpè insufflent in oculum, vt aer incalescat, & præparetur oculus. Qui sugit acum, debet cessare, vbi æger incipit videre, ne nimia suctione humores proprij oculorum turbentur, vel aliquid aquei humoris attrahatur. Apertio non in lateribus fieri debet, sed potiùs in parte interiori, quò faciliùs humor fluat, & trahatur. Medicamentis curari potest hoc modo. Primùm foueatur pars sequenti decoctione, vt abstergatur cornea, & aliqua ex parte reddatur obsequentior, & mollior, vt *Præparatio oculi.* *Fotus.*

℞. seminis fœnug. ℥. ij. paleæ auenę (confert enim à tota substantia) M. j. herbæ fœnic. vel seminis eiusdem, beton euphras. an. M. ß. rutæ tertiam partem M. j. fi. deco. in fine cuius adde florum chamo. meliss. & follic. senæ ana ℥. j. (Sena tam extra, quàm intra iuuat oculos) foueatur pars, vel fumum recipiat, aut vaporem. Postea fiat talis aqua. *Sena confert oculis.*

℞. mell. optimi ℔ j. piper. ʒ. ij. distillentur in alambico vitreo, & aqua seruetur vsui, quæ iniiciatur in oculum pro necessitate. Hęc aqua pro pueris est, & delicatis, & laborare incipientibus hoc morbo, scilicet, suffusione. Fiat talis pul. *Aqua.*

℞. sacch. candi ℥. j. piper. nigri ʒ. j. cumini ʒ. ß. stercoris lacerti ℈. j misce, fiat pul. subtilissimus, mittatur in oculum. Fiat fortior hoc modo. *Puluis.*

℞. fellis perdicis, vulturis, vel aquilę, vel miluij, vel pagri piscis ʒ. ij. exsiccentur in furno, & redigantur in puluerem sacch. candi ℥. j. piper. marchasitæ vstæ, & diligentissimè lotę, æris vsti & loti in aqua ros. ana ʒ. ß. fiat pul. subtilissimus, formentur tro. cum aqua ros. capiat ℈. j. cum decoct. fœnic. & albuminis ouorum ℥. j. vel cape tro. ℈. j. & cum ℥. ij. deco. sequentis, fiat collyrium.

℞. fœnug. abluti, vt decet ℥. j. seminis fœnic. ʒ. ij. florum chamo. meli. an. ℥. j. fiat decoct. in col. ℥. ij. diss. tro. descriptorum ℈. j. albuminis ouorum ℥. j. fiat collyr. Marchasita hoc modo comburitur. Primùm confricatur melle, & ponitur intra vas figulinum, & vritur in furno. Vritur autem facilè. Nam multas partes habet igneas, & sulphureas, tandem extinguitur aut butyro, aut aqua aliqua, secundum intentionem nostram, vt in affectibus oculorum, aqua fœniculi, & similibus, aut aqua ros. si timeas acrimoniam. Quòd si à tro. fiat acrimonia, oculus fomentetur cum eadem decoctione, vt dolor mitigetur, & in oculum iniiciatur lac muliebre, vel aqua albuminis oui. Alij tro. pro collyrio fiunt hoc modo.

Collyr.

℞. marchas. vstæ & præparatæ, antimonij, etiam præpar. ana ʒ ß. sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris ʒ. j. thur. myrrhæ, croci ana ℈ ij galbani ℈. j. fiat puluis subtilissimus, formentur tro. cum aqua ros. vel verbenæ, addendo sacch. candi ℥. ß. vitrioli albi ℈. ij. seruetur vsui. Vsus erit, vel cum aqua ros. vel decocto fœnugr. & albumine ouorum, dosis est ℈. j. pro ℥. ij. aquæ eorum. Crocus ponitur, quia digerit & lenit dolorem. Pro pueris imbecillibúsque vtemur melle, conseruis fellis vaccæ, vel bouis præparati, vt Dioscor. docet, cap. de felle. Hoc enim mel plurimùm valet, tum in abstergendo maculas oculorum & suffusiones, tum etiam in digerendo, est tamen ipso felle imbecillius. Nam mel acquirit acrimoniam, & vim abstergendi longè maiorem, & fellis acrimonia retunditur ratione mellis. Vtendum est itaque felle ipso pro medicamento medio, & eiusmodi melle pro imbecilliore inter media. Conseruatur fel in melle, hoc modo, Accipitur fel cum sua vesica, & optimè ligatur in collo suo, & immergitur in aqua feruenti, & illic tenetur immersum per quartam partem vnius horæ, postea ponatur in vase vitreo semipleno melle communi optimo, & seruetur vsui. Manet enim cum humiditate sua, & non lapidescit, nec tam acre est, ac si siccaretur in sole, aut in camino iuxta ignem. Ad eosdem vsus fit etiam aqua fortissima hoc modo.

Collyr. *Crocus.* *Mel.* *Fel.* *Seruatur fel sic.*

℞. mell.

℞. mell. optimi ℔. j. mellis conseruæ fellis prædicti, sacch. candi an. ℥. ij. fœnic. euphras. chelid. rutæ an. ß. ponantur simul in alambico vitreo, addendo piperis, myrrhæ, croci an. ℨ. j. fiat sublimatio in balneo mariæ, vt decet. Aqua seruetur vsui. Hæc aqua per se mittitur in oculum. Quòd si fortior sit, & lachrymas moueat, vel dolorem excitet, fiet mitior admistione mucilaginum seminis fœnug. simúlque consistentiam acquiret, vel misceatur cum decocto eiusdem, vel albumine oui, cùm timetur inflammatio. Vel extrahatur mucilago seminis phil. fœnug. & lini, vt aliquam consistentiam habeat, & ad formam vnguenti reducatur, ne medicamentum sit nimis liquidum, & defluat, vt, scilicet, tantùm aquæ ponatur, quantum necesse est ad mucilaginum extractionem, vt si fiat hoc modo. *Aqua fortis.*

℞. aquæ sublimationis præscriptę ℥. ij. fœnugr. ℥. j. vel ℥. ß. extrahatur mucilago, vt artis est, quæ ponatur cum penicillo in palpebris, vel in tarso palpebrarum. Nam pars ea, quæ est cartilaginosa, minùs est sensilis, & medicamentum diutius remanet super partem affectã, conniuendo & nictando. Si consistentiam sufficientem non habeat, adde pinguedinis porci, vel gallinæ parum, vel cum pomata excipiatur, vel cum vnguento ros. si periculum imminet inflammationis, & ad formam vnguenti reducatur, & applicetur palpebris, quod est faciendum in omnibus remediis, & collyriis acribus præscriptis à Gal. Rasi, & aliis antiquis. Non sunt enim talia acria oculis imponenda, sed palpebris tantùm. Nam illa omnia habent morsum & acrimoniam, quæ oculus nõ potest ferre ob ἀπάθειαν & plurimum sensum. Quare grauiter peccant, qui in oculos talia iniiciunt, vt quotidie vulgus Medicorum factitat. Poterit etiam fieri sequens remedium præstantissimum. *Error medicor.*

℞. lardi saliti & rancidi in frustula dissecti ℔. j. pone in vase æneo macerandum per 40. dies aut plures, si sit opus, in vrina pueri, donec vas rubigine exedatur interius. Sit in loco aliquo calido, vt vrgente canicula in simo sepeliatur, & sit clausum vas illud diligentissimè. Post illud tempus abiicientur omnia, & ærugo radatur, vsui seruetur. Ponitur lardum in vase æneo, vt accipiat *Lardum salsum.*

vim acrem ab ære, & digerentem. Nam à vitreo aut terreo non reciperet. Sunt, qui ærugine sola vsi sunt, sed acrior est, quàm vt oculus ferre posit, quam ob caussam addere oportet sacch. cādi partes quatuor, æruginis partem vnam, & cum mucilagine seminis fœnug. vel cum albumine qui applicetur supra partem. Quòd si oboriatur dolor, fiat, vt suprà dictum est. Hæc remedia valent non solùm ad suffusionem, sed ad maculas corneæ, pterygia, & superfluam carnem. Sed à mitioribus ad fortiora veniendum est per media. Pueris & aliis delicatis, mitisima oportet facere, & maximè in principio, postea faciliùs ferunt fortiora. Quam ob caussam simplicia per classes sunt ponenda. Simplicia, ex quibus collyr. conficiuntur, sunt hæc, ex mineralibus pompholix, cadmia, spodium, quod vulgò tuthiam appellant, calchitis, id est, vitriolum Romanum vstum, vitriolum album, flos æris, æs vstum, aliqui addunt cornu cerui vstum, quia exsiccat, fella animalium. Ex gummi myrrha, sarcocolla, aloe, thus. Ex succis herbarum, chelidoniæ, euphras. rutę, fœnic. verbenæ sacch. candum, mel, albumen oui, fœnugr. & eius mucilago, piper, cyminum, fœniculus, &c. Mitiora sunt mel, sacch. cand. myrrha abluta, thus, sarcocolla nutrita. Ex fellibus sunt mitiora fella piscium, vt pagri, anthias (vulgò cauthenam vocāt) soleæ. Media sunt fella quadrupedum, inter quæ mitissimum est fel porci, vaccæ, capræ, tauri, hirci. Fella etiam piscium, mustellorum, quos vulgò catos vocant, canes, & vulpeculam. Ex auium fellibus, fel gallinæ mitisimum est Media sunt, thus, myrrha, aloē, mel, confer. fellis tauri vel vaccæ. Fortisima ex fellibus sunt in summa omnia fella auium, & præsertim viuentium rapina, & animalium venenosorum, vt serpentium, viperæ, canis rabidi. Inter fella auium alia sunt aliis fortiora, vt fel perdicis fortius est, milui, & fel milui fortius, aquilę aut vulturis. Fortisima sunt, flos æris, cadmia, & marchasita vsta, ex qua confici potest cadmia. Nam cadmiam naturalem nō habemus. Artificialis verò fit ex marchasita in furno vsta, vitriolum album, & romanum, æs vstum Ex succis herbarum fortisimi sunt succus chelidonij, rutæ. Aquæ etiam sunt per classes digerendæ

Ex quibus collyr. metallica. *Gummi.* *Succi.* *Fella.* *De aquis.*

gerendæ, quarum alia miſcetur collyriis ad ſedationem doloris tantùm, vt aqua roſ. alia ad præcautionem, ne oboriatur inflammatio, vt aqua cuſpidum roſ. Aliæ, vt adhærentiam præſtent, vt aqua albuminis ouorum. lac. Aliæ digerunt ſimul, & dolorem leuant, vt decoctum fœnug. Et hæc commiſceantur fortiſſimis remediis, vt reducantur ad mediocritatem. Sunt & compoſitiones quædam imbecilliores, quædam fortiores, & quædam fortiſſimæ. Mitiores ſunt pulueres, vt pul. ex pipere, ſaccharo cando deſcriptus ſuperiùs. Vel poteſt reduci ad formam vnguenti, ſi cum mucilag. fœnug. vel pſilij incorporetur. Si timeatur abroſio cum penicillo applicetur palpebris oculorum; idque circa cartilagines. Media ſunt, pulu. ille citrinus à Raſe compoſ. & aqua mell. cum pipere ſuperiùs deſcripta. Fortiſſima ſunt, pul. ſuperior ex felle & marchaſita, ære combuſto, & aquæ conſeruationis mellis, in quo ſit ſeruatum fel. Imbecillum ex fortiſſimis erit decoctum Gaiaci vel elenij. Decoquatur Gaiacum in aqua oculis commoda, aut cum aqua roſarum ſi timeatur acrimonia. Mitiſſima remedia componuntur ex primis, addita magna quantitate albuminis ouorum vel decocto fœnug. & illa in oculum tutò imponi poſſũt & citra inflammationis periculum. Media remedia, ſi intra oculum iniici debent, habent ad doloris ſedationem decoctum fœnug. chamo. meli. Fortiſſima autem nunquam intra oculum ſunt immittenda ob facultatem ſenſus, ſed faciendum, vt ſuprà poſitum eſt. *De compoſitionibus.*

De pupillæ dilatatione & diminutione. CAP. LVI.

MYdriaſis dilatatio eſt pupillæ, quæ ſenſim, vel repentè fit. Si repentè à cauſſa quadam violenta, vt vulnere, fiat, tũc diſrumpitur extremitas rhagoidis, quà parte rugata eſt circa iridem. Hæc non curatur, ſed ſufficit, ſi vulnus ſanetur. Tantùm tentabimus in principio ne dilatetur magis fluxu copioſi ſanguinis, fitque venæ ſectione, deriuatione, & medicamentis aſtringentibus, repellendó & corroborando. Si ſenſim fiat, accidit à multis flatibus, vel humoribus intra oculum fluentibus. Quam ob cauſſam frequenter ſunt euacuandi, & diſcutiendi flatus, tum qui in toto corpore geniti ſunt, tum *Si repente curatio.* *Si ſenſim fiat curatio.*

in oculo. Medicamentis topicis discutientibus addenda sunt aliqua astringentia, quæ parti robur addant, vt si fieret decoctum ad fœtum ex semine fœniculi, rutæ, anethi, his adderemus flores rof. rubi, myrthi, & hyperici, ad mediam partem aliorum: decoctio fieri potest in aqua peculi rof. vel myrthi, & addere vini albi quartam partem. Ista si fiant in dilatationis principio, illam prohibere possunt. Post hæc collyriũ spissum fieri debet ex acacia, hypocisthide, cortice thuris, tuthia, sanguine draconis, inspissando cum pauco vino. Hoc poterit præcauere & curare. Sed si iam facta sit, nunquam vel difficillimè in suum redibit statum, propterea quòd pars illa rugatam suam contractionem amisit, ob distentionem internam. Et magna ex parte ægroti conqueruntur tantum, quando est facta, quia sine dolore fit. Diminutio pupillæ priori morbo contraria est, in qua pupilla plus iusto corrùgatur, & angustior redditur ob phthisim, vt si humores minuantur, vel plus iusto exiccentur, propter aliquam caussam exiccantem, & astringentem. Hic etiam morbus fit sensim, nisi quando vulnere aliqua pars albuginei humoris euacuata est. Tunc enim affatim contrahitur. Sed si à siccitate vel consumptione humoris fiat, nõ potest longiori tempore fieri, & restitui, quod fiet bene alendo corpus & fouendo oculum aqua tepida, cui parum vini adiiciatur. Sunt, qui velint addere emollientes herbas, vt bismaluam, sed quæ emolliunt, sunt valde oculis periculosa. Ego mallem ex axungiis & mucilaginibus collyrium spissum facere, & palpebris adhibere, post aquæ tepidæ fotum, vel post receptionem vaporis decocti violarum & chamo. Collyrium parabitur, vel ex pomata, vel butyro recenti, vel axungia anatis, vel gallinæ, porci & similibus, vt

Diminutio.

Collyrium.

℞. pomatæ ℥. j. mucilag. seminis lini extr. cum aqua viol. ℥. iij. axungiæ anseris, vel anatis ʒ. ij. incorporentur simul, fiat ad formam linimenti, applicetur palpebris.

De visus debilitate CAP. LVII.

DEbilitas visus à multis causis fit, & pro varietate caussarum varia sunt remedia. Si fit debilitas visus post aliquam insignem euacuationem vel sanguinis, vel aliam quamlibet, tunc curare oportet, per restaurantia humi-

humiditatem natiuam. Cùm enim prouenit ab inanitione, id accidit ob penuriam spirituum. Quare instaurandi sunt, quod vt fiat, plurima sanguinis generatio procuranda est. Ob id oportet eos optimis alimentis reficere, vt optimo vino, & aliis præsentaneis alimentis, quæ multùm nutriant, & parum excrementi generent. Comm ēdatur vsus raparum, vel naporum, si decoquantur cum saluia, vel fœnic. vel betonica, vel hyssopo. Nam rapæ & napi creduntur tota substantia visum iuuare, quibus adduntur flatus discutientia, ne obesse possint. Vti possunt puluere sequenti post pastum & in introitu lecti. vt cùm cibi vaporibus, & fumis ad caput ferantur facilè. Quæ enim dantur ob cerebrum, hac ratione sunt danda post pastum. *Rapa iuuant visum.*

℞. sileris montani, euphras. ana ʒ.ij. nucis moscatæ, garyoph. macis ana ʒ. j. seminis anis. seminis rapæ ana ʒ.ij. seminis fœnic. ℥. ß. cinamomi ʒ.j. sacch. ros. tab. ad duplum, fiat pulu. de quo cap. cochlear vnum in introitu lecti. Quòd si timeatur nimia apertio, & attenuatio, adde corall. amborum ana ʒ. j. vel dyacitonitē sine speciebus ʒ. ß. cum corallis. Vel si ponatur per se, vel sine illis ʒ.j. coriand. vnicæ coopertura ℥.ij. fiat pul. augeatur dosis sacchari. Si in oculo sit caussa debilitationis illius, vt nimia siccitas, vnde cornea corrugatur, humectetur totum corpus optimis alimentis, & fiant irrigationes supra totum caput, vt monstratum est cap. de dolore ca à melancholia. Et oculus humectatur cum lacte mulieris, vel foueatur cũ decocto hordei mundati, addita sexta parte seminis lini. Vtantur similiter puluere præcedente, sed optimũ erit addere pinearũ & amygdal. mundatarum ana ℥. ß. & cum syr. cõseruationis myrob. reducere potes in formam opiatæ cui adde pulueris restaurantis humiditates ʒ. j. vel ij. vel pul. diatrag. ʒ. j & hac opiata vtatur serò, loco pulueris. Vtatur manè hordeo mundato parato cum amygd. pineis & fisticis. Si autem ab humiditate fiat visus debilitas, vtantur iocdia, & fugiant omnia humida. Vtantur fumigio communi post purgationem totius corporis factam cum pilulis fœtidis, lucis, elephanginis, de agarico. Si materia visci da sit & crassa, & sit in capite, vel in toto corpore, con-

Puluis post pastum.

Debilitas à siccitate.

Ab humiditate mat.

coquatur cum ſyr. de hyſſ. de ſtœchade, cum aquis fœnic. saluiæ, rutæ, & aliis propriis. Vtantur ſemel in hebdomada ad exiccationem totius corporis, & capitis confortationẽ theriaca antiqua, vel mithrydatio, vel elect. diagalangæ cum aqua fœniculi. Maſticatoriis, gargariſmatis, caputpurgiis, caputpurgetur. Vtantur myrobal. condit. & zinziber. condito. A cœna edant fruſtum panis aſſi. Sed theriacalis eſt medicamentum præſtantiſſimum, ſed quia non paratur, neque bene parari poteſt, propter exemplaris deprauationem, vti poteſt ſerpens, abſciſſo capite & cauda, abiectis inteſtinis, omnibúſque internis, & pelle. Vratur in vaſe fictili, & cineres miſceantur ſequentibus aromatis, quæ non debent vri, quia per vſtionem amitterent vim illam aromaticam, ob quam confortant & corroborant.

℞. nucis moſcatæ, garyoph. macis, cubeb. cinamomi, pip. longi & nigri ana ʒ. ij. zinzib. ʒ. j. cal. aro. galangæ, ſpicæ, ſchenanth. ſeminis fœnic. carui, cumini ana ℈. j. miſce. fiat pul. ſubtiliſſimus, cui miſceãtur cinerum ſupradictorum ʒ. vj. hoc pul. vtantur cum vino, vel aqua fœnic. & aliquando in iuſculis à ℈. j. ad ʒ. j. ſemel, vel bis in hebdomada. Si velis addere mediam partem ſalis, vtantur pro ſale. Pro topico remedio vtãtur melle conſeruæ illius fellis, & aqua mellis, vel ſuccis præparatis ſub diebus canicularibus cum aliqua aqua appropriata, vtatur pro collyrio. Ad conſeruationem viſus fit medicamentum præſtantiſſimum hoc modo.

Topica.

Collyr. ad viſus conſeruationem.

℞. tuthiæ ablutæ cum vrina pueri, & rurſus ter cum aqua fœnic ʒ. iij. coralli albi diligentiſſimè contriti, marg. non perforatarum ana ʒ. j. cornu cerui vſti, vel capræ, vel alterius animalis ʒ. ß. foliorum auri N. ij. fiat pul. ſubtiliſſimus, quo vtatur cum aqua fœnic. vel euphraſ. pro collyrio. Et hæc magis ad conſeruationem, quàm ad ablationem alicuius humoris, vel eiuſdem exiccationem. Aliud collyrium.

Collyr. præſtantiſſ.

℞. humoris cryſtallini, vel pupillarum piſcium, vel lupi, vel lucij ana ʒ. j. vel lapidum repertorum in capite lupi, pagri, aſelli, vel alterius piſcis diligentiſſimè contritorum ʒ. j. ſileris montani, ſeminis fœnic. ana ʒ. ij. euphraſiæ, rutæ, chelidon. ana ℥. ß. capitum hyrundinum

vſtorum

storum ℥.iij: loco lapidis capitis hyrundinum, fellis perdicis, & gallinæ, vel agni, vel hœdi ℥. j pulu. simul. Adde mellis rosati collati ℔. ß. vini albi parum. Ponãtur simul in vase vitreo, agitentur quotidie, & remaneãt in sole, postea seruentur in vase æneo. Vsus erit cum mucilagine fœnugræci vel cum aqua aliqua oculis appropriata, idque in ægrotantibus suffusione laborantibus: in sanis autem, ponendo parum in palpebris, manè, & nocte cum aqua fœniculi, & rutæ abstergendo. Possunt etiam fieri trocisci, cum aqua rosarum non addito melle. Potest fieri dragea ad omnem debilitatem visus sic.

℞. pinearum in parua frusta incisarum ℥. ij. seminis anis. integri ℥. j ß. seminis rapæ, vel napi ℥. j. cooperiantur sacch. & fiat dragea, vel fiat pul. addendo sacch. ad pondus omnium. Vtantur à pastu. *Dragea ad visum debil.*

De visus obscuritate. CAP. LVIII.

VIsus obscuritas à multis caussis fit Nam affectus vel est in oculis, vel in spiritibus. In oculis, vel in humoribus, vel in tunicis. In humoribus, vt in glaucedine, quia densior est, non bene recipit species aut spiritus visorios. Aut in cornea affectus est, aut propter morbos superiùs enumeratos, vt ob albuginem, vel cicatricem, aut ob rhagoidis dilatationem. His affectibus quomodo sit occurrẽdum superius diximus. Quòd si ipsa cornea ob tenebretur ob aliqué humoré receptum, vtile erit corpus euacuare, & vti collyriis detergentibus, descriptis cap. de suffusione, & de oculi macula Propter spiritus visorios fit etiam μυδρίασις, ratione quorum vel omnino nihil, aut parùm vident. Si nihil prorsus videant, nulla apparente affectione in aliquibus oculi partibus, tunc dicimus fieri ab obstructione meatuum, per quos spiritus visorius ad oculos descendit, & illa curatur difficillimè, si antiquata fuerit. Vidimus aliquando puellam repentè factam cæcam, cui iniectione clysteris visum statim restituimus, præter expectationem. Quamobrem colligimus eam obstructionem fieri, & à crassis vaporibus, non solùm ab humoribus. Quæ à crassis fit vaporibus, curatur laxãtibus medicamentis, vt pilulis, opiatis, Nam hic affectus accidit magna ex parte iis, qui in al- *Curatio ab humore.* *Obstructio duobus modis.*

uo diutius excrementa retinent, vel qui malè concoquunt. Pilulæ de aromatibus, de hiera cum agarico, sine croco, & myrrha conuenientissimæ erunt, & aliæ quę sine magna agitatione trahunt pituitam, quæ est materia vaporum. Si autem à crassis humoribus, vel ob vulnus illatum, & descendens in partes profundas oculi, & neruum opticum, nullo pacto curantur. Si diutius perdurauit visus obscuritas ob aliquam obstructionem, non curatur, propterea quòd partes concidunt, cùm spiritus ampliùs non recipiunt, quæ cauitates postea difficillimè dilatantur. Adde quòd spiritus illorum, qui obstructionem patiuntur à crassis humoribus, crassi, turbulentiores, & pauci sunt: ob id obscuriùs, & minùs vident. Si sine obstructione id fiat ob spirituum paucitatem aut crassitiem, obscurè vident, vt post morbos qui fuerunt cum magno fluore sanguinis, aut alui, aut sudoris, & in senibus ob spirituum paucitatem, & instrumentorum siccitatem quæ ea corrugat. In tali caussa oportet sanguinem restituere optima victus ratione, assumendo ea alimenta, quæ bene nutriunt, neque corpus multitudine recrementorum replent. Inter illa vinum aqua dilutum plurimùm iuuat, si album & tenue fuerit, & caput non tentet. Optimum erit cinamomum vel semen fœnic. alimentis admiscere, vt ptisanæ, vel iusculis Si autem à spirituum crassitie, tunc victu attenuante vtendum erit, & alimentis attenuantibus, & incidentibus: nec moliemur euacuationes magnas, quia substantiam spirituum dissipant. Vtile erit vti decocto tenuantium & incidentium, & leuiter detergentium, quale hoc.

A crassis vaporibus curatio.

A paucitate spirituum curatio.

A crassitie spirit. curat.

Apozema

℞. radic. fœnic. ℥. ij. rusci, aspar. ana ℥. j. gly. ras. ℥. ß. radic. cyperi & galangæ maioris ana ʒ. iij. puleg. orig. summitatum fœnic. beto. ana M. j. seminis anis. fœnic. seseli, rutæ ana ʒ. j. flor. anth. & stechad. ana p. j. fiat decoctio in ℔. j. ß. diss. syr. acetos. simpl. ℥. vj. mell. ros. col. ℥. iij. misce, fiat syr. Aro. cum ℥. ij. aro. ro. capiat in sex matutinis post assumptionem ʒ. j. pilul. de hiera. Finitis syr. rursum capiat pilulas sequentes.

PILVLÆ.

℞. pilul. de aromatibus ℈. j. agar. tro. ℈. ij. cum aqua

aqua fœnic. fiant pilulæ, capiat post mediam noctem. In crastinum masticet semen fœniculi, & cubebarum. Sequentibus diebus capiat ʒ.j. confectionis arom. rosᷓ. vel diagalangæ. Deinde vtatur sæpe pulu. à nobis descripto capite de suffusione, qui ex viperis constat, vel paretur sic:

℞. cineris hyrundinum & viperarum ana ℥.j. tro. de viperis ℥.ß. fœnic. ʒ.vj. sesel. ʒ.ij. seminis carui macerati in aceto ʒ.j. cinam. ʒ.iij. galangæ ʒ.ij. piper. ʒ.j. sacch. candi ad medium, fiat pul. Vtatur, vt de alio dictum est. Frequẽter abluere pedes, est saluberrimum, & maximè lixiuio. Aqua nostra ex melle descripta cap. 52. oculis imposita deterget, si quid esset vitij in cornea. Illam aquam in corpus assumere, si non paretur in vase æneo, vtilissimum est, vt fiat hoc modo. *Puluis.*

℞. rad. fœnic. & cyperi ana ℥.iiij. summitatum fœnic. verbenæ, chelid. euphras. ana M. ij. ligni gaiaci ℥.iiij. florum anthos, & stœchad. ana p. ij. centaurij minor. p. j. mell. ℔. ij. vini albi ℔. incidantur herbæ & radices, & macerentur per diem naturalem, distillentur, & aqua seruetur vsui, capiat ℥.ij. manè, ieiuno ventriculo. Collyria facta ad suffusionem, vsui esse possunt, quæcunque detergunt. Si ob obtenebrationem humorum fiat visus obscuritas, collyria detergentia, & quæ sunt præscripta ad dilatationem pupillæ à flatibus, hic erunt ex vsu. Hęc de visus obscuritate dicta sufficiant, quòd ad præsens institutum attinet. *Aqua pro oculis.*

De Nyctalope. Cap. LIX.

NYctalope est nocturna cæcitas, qua detenti vident interdiu, noctu nihil, aut parum. Huius caussa est eadem cum his, qui parùm acutè vident ob crassos spiritus, vel crassitiem instrumentorum & tunicarum. Fit autem, quia pauca illa spirituum quantitas, non sufficit ad illuminandum oculum, alioqui crassum, aut nimia humiditate obtenebratum, quæ maior esse solet noctu, quàm interdiu, ob lunæ influxum, quæ sub calore moderato humores liquefacit. Oculus etiam ex Aristotelis sententia aqueus est.

Id etiam experimur in hominibus eiusmodi, quòd in nouilunio meliùs vident, & minùs acutè in plenilunio

Spirituũ crassities. Idem euenire videmus in equis quibusdã. Cùm autem caussa istius affectionis sit spirituum crassities, sanguis extenuandus, & incidendus syr. descripto superiore capite. *Plenitudo humorum* Quòd si plenitudo humorum adsit, purgandi sunt pilulis cochiis, & aliis post materiæ præparationem Sanguis trahendus, si is videatur in capite redundare, ex venarum inflatione, cucurbitulæ etiam adhibendæ. *Masticatoria.* Masticatoria imperanda sunt ex pyretro, cubebis, semine fœnic. aut aliis à capite attrahentibus Errhina minùs conueniunt. Pilulis optimum est castoreum addere, & scammoneũ, vt Aetio placet, qui sequutus vestigia Galeni, pilulas ex ℥. ß. scãmonij, & ℈. j. castorei, & ℨ. ß. salis gemmæ confecit, quamuis trahenda esset pituita. Scammoneum enim per se trahit bilem, sed quoties pituitosis adduntur attenuantia, incidentia, vel liquefacientia biliosa, etiã pituitam purgant. Sed hæ pilulæ vehementiores sunt, quare optimum erit admiscere agaricum, vel pilulas de aromatibus ad molem augendam, & ventriculi robur. Et quia crassities tunicarum, & obtenebratio potest hunc affectum augere, aquam mellis imponimus, & alia medicamenta, quæ detergere possunt. *Hircinum iecur ad oculos.* Antiqui ferè omnes commendarunt iecur hircinum multis modis præparatum, primò assum, & cum sale comestum, vel saniẽ, quæ excidit, dum assatur in veru, appositam oculis, vel nidorem oculis apertis exceptum. Hoc remedium imbecillius inuenio, nisi cum felle torreatur. Tunc enim illius sanies est efficacissima. Vel si fœniculi folia, vel rutæ, vel chelidonij affigantur. Loco eorum fiat fotus ex decoctione sequenti.

Fotus. ℞. chelid. rutæ an. M. ß. summitatum fœnic. M. j. seminis seseli & fœnug. an. ℥. j. fiat decoctio in aqua & vino & fumum recipiat. Si rubedo in oculis appareat, vel eos lachrymantes habeat, quantitas vini minuatur, & ponatur plus aquæ, ne decoctum sua acrimonia proritet fluxionem. Vsus aquæ mellis descriptæ cap. de obscuritate visus, & omnia alia tum assumenda, tum admouenda huic affectui conueniunt.

De oculi exitu. CAP. LX.

OCuli exitus duplex est, vel quando totus procidit, vel quando ob vulnus illatum adnatæ, quæ oculum

lum intra retinet, excidit, & ob vulnus septimi musculi, qui vtcunque transuersus est, in inferiore parte situs, ossi alligatus in minore cantho, illa curatur, sanato vulnere. Si verò extrà promineat magis, quàm secundum naturam, tunc dicitur oculi exitus, fitque propter vehementissimum conatum, & aeris suppressionem ad aliquid expellendum, vt mulieribus, cùm difficulter pariunt, contingit, vt cùm reddimus vrinam cum magna difficultate, excrementa alui admodum dura, vel cum vomitione difficile. Tunc enim expressione illa facta in cerebro, ob retentionem spiritus attracti ad extrà expellunt, potissimùm ij, qui molles & laxas partes habent circa oculum. Quare ad eorum maturationem nihil aliud necessarium esse video, quàm leuiter comprimendo ad intra eos reponere, astringentibus, resiccantibúsque medicamentis vti, vt partes relaxatas intendere possint. Id fiet fotu aquæ frigidæ, vel aquæ myrthi, vel peculi rosarum. Iis addi potest parua quantitas aceti, & clausis oculis supra palpebras, & supra supercilia pannos intinctos apponere, vel linimenta conficere ex astringentibus, quibus retinetur sanguis. Poſſet etiam apponi supra illas partes alumen dissolutum in aqua & sale, quæ citra morsum adnatam exsiccare possunt & constringere, quia à pericranio fit, vnde & fronte, & aliis partibus continuis contractis, adnata contrahitur. Linimentum sequens id efficacissimè præstare poterit. *Curatio.* *Linimentum.*

℞. acaciæ, balaustiorum, myrtil. cortic. mali granati, rad. bistortæ, gall. immaturarum ana ʒ. ij. boli ar. ℥. ß. cortic. thur. croci ana ʒ. ß ol. ros. & myrth. ana ℥. ij. succi cotoneorum, & aceti ros. ana ℥. j. incorpora simul, & reduc ad formam nutriti, applicetur supra frontem, & in genis. Fit etiam aliquando ob nimiam humiditatem, aut propter flatus. Quare si à nimia humiditate fiat, purgatio totius corporis, & cerebri primùm erit necessaria, & cucurbitularum appositio in occipitio. Supra oculum topica remedia adhiberi poterunt. Quòd si à flatibus fiat, erunt aliqua calida astringentia his admiscẽda, qualia sunt piper longum, caryoph. cyper. & similia, quæ calfaciunt, & astringunt. Frigida omnia adhibeantur supra oculũ, nisi in hac vltima causa. Nam illa oportet esse *A nimia humid. curat.* *A flatibus curatio.*

Calor tepidus laxat.

multùm calida, quãtùm pars ferre poterit, quia tepidus calor partes relaxat, & affectum augere potest. Vti debent pilulis post pastum, resiccantibus & discutientibus flatus, vt quæ parantur ex aniso, cineribus & aliis.

De lacrhymis inuoluntariis. CAP. LXI.

LAchrymarum materia est humiditas aquea, quæ in cerebro continetur, tenuis & splendida, quæ citra admistionem aeris, vel refrigerationem per oculos guttatim redditur, ob id à saliua differt, quæ spumea est ob aeris admistionem. A muco verò spissitudine, ob refrigerationem incrassato. Non differt ab aqua, quæ in coriza redditur, nisi quòd aliquantulum acris est aqua corizæ ob intemperaturam calidam. Lachrymę tamen aliquando acres sunt, & exulcerant, aliquãdo sine acrimonia fluunt, vel ob canthorum oculi apertionem, vt in his, qui carnem canthi maioris absumptam habent, quę claudit & replet, magnúmque influxũ prohibet, non aliter, quàm pannus, spongia, aut bombax obstruens foramen aliquod. Fluunt autem ob facultatis expultricis irritationem, vt à fumo, cæpe, aliísq. acribus. Lachrymæ ipsæ mouentur, fundendo, & irritando facultatẽ expultricem ob compressionem cerebri. Fitque compressio à multis caussis, vel ab aere ambiente repente & affatim refrigerante, vt & in mœrore fit, quoniã ob melancholiæ motionem, vel malum aliquod animo cõceptum comprimitur cerebrum. Fit & lachrymarũ profusio in profundo risu. Mulieres, senes & pueri sunt ad lachrymas procliuiores, ob copiam humoris aquei contenti in cerebro. Qui multos serosos humores in cerebro habent, ij lachrymantur inuoluntariè, vt vulgus Medicorum loquitur. Nullæ enim sunt voluntariæ. Nos tamen inuoluntarias dicimus, quòd nulla tristitię occasione fluãt. Hippoc. malum esse signum ait, lachrymas ægrorum inuoluntarias. Id enim arguit summam facultatis contentricis cerebri imbecillitatem, & humoris aquei copiam. Sed quæ ob timorem, vel cogitationem mortis fluunt, aliquid boni portendunt, nec illos morituros dicimus, quod & notũ est mulieribus. Qui enim ob mortis timorem lachrymantur, indicant se sana mente & animo bene constare, quod certè in acutis optimum est.

Lachrymæ inuoluntariæ.

Lachry-

lachrymæ igitur è diuersis caussis fiunt, scilicet ex internis & externis. Ab externis, vt fumo acri, odore acri cæparũ aut alliorum, vel vlcere palpebrarũ, & corneæ, ob dolorem immodicum, splendorẽ solis, vel arena, aut alio incidente in oculũ, quæ omnia facilè curantur caussæ remotione. Quæ verò à caussis internis, difficilè curantur, maximè cùm per interiores venas aqua in oculum descendit. Nam si per venas, quæ sunt extra caluariam, aqua in oculum descendat, faciliùs multò prohibetur, remediis astringentibus, & appositione emplastrorum astringẽtium supra tempora, qualia prǫscripta sunt cap. de suffusione. Illis addi potest lanæ sordidæ ℔. j. si combusta in furno extinguatur cum aqua cuspidum ros. & cineris albumini ouorum misceantur, & supra tempora apponantur. Potest applicari cauterium actuale in temporibus, vel post aures, vel supra verticem capitis, & vlcus diu remaneat apertum. Supra oculum ponatur aliquod collyrium ex sequentibus. Purgetur frequenter pilulis capitalibus, coquatur materia, & rursum euacuetur pilulis fortioribus. Pilulæ, quibus frequenter purgetur, sunt ex myrobal. & mastiche, ob astrictionem, quam habent, impediunt fluxum. Confortetur cerebrum, & exiccetur, tum per interiora, tum per exteriora. Per interiora, vt theriaca, mythridato, elect. pliris cum mosco, diambræ, & aliis exiccantibus. Exteriùs verò, cum pul. capitali, vel fumigo præscripto cap. de epilepsia. Si fluxus fiat per venas internas, oportet tum inedia, tum frequenti purgatione humores exiccare & concoquere, coctósque fortioribus pilulis euacuare, & eradicare, vt superiùs monstratum est. Roborandum itidem cerebrum, & exiccandum interiùs, & exteriùs.

Caussa lachry. duplices. *Cauteriũ.* *Pilulæ.* *Exiccantia.* *Fluxus per internas.*

TOPICA.

In hac specie fiant cauteria retro aures, & si fieri posset, dissectio arteriæ esset summum remedium. In hac specie faciunt cauteria retro aures, & secant arterias externas. Sed hoc inutile est, quia per internas fumi acres lachrymas mouẽtes fluunt. Applicetur cauterium supra commissuram coronalem, & supra oculos ponãtur, quæ vim habent constringendi, & exiccandi, vt aquæ ros. cuspidum ros. caprif. myrtil. aquæ decoctionis, vel distilla-

Roborantia oculos. tionis malorum granatorum. Sunt tamen admiscenda aliqua, quæ oculos à proprietate corroborent, vt aqua verbenæ, rutæ, fœnic. ne ob refrigerationem obtundatur acumẽ visus, incrassata cornea, & spiritibus repulsis. *Acacia materia.* Acacia, succus prunellorum, lycium, amurca olei cocta, & redacta ad mellis crassitiem super omnia laudantur. Margaritæ, & coralli ambo vsti, cornu cerui etiam vstum, tuthia præparata, sarcó. aloe, rosæ, spica nardi & quæ aliquam habent astrictionem, commendantur. Componuntur autem hoc modo collyria.

Collyria.

℞. tro. albo. Ras. sine opio (vel cum opio, si dolor adsit) ʒ. j. aquæ cuspidum rosa qr. j aquæ fœnic. ℥. misce, fiat collyr. Vel sic.

℞. tuthiæ præparatæ ʒ. j sarcocollæ nutritæ ʒ. ß. thuris, masticheс ana ℈. ß. spicæ ℈. ß fiant tro. cum oui albumine, vel succo cydoniorum. Vel

℞. acaciæ, amurcæ præparatæ, vt Diosc. docet, ana ʒ. j. tuthiæ ʒ j. ß. margarit. non perforat. lapidis hæmatites ana ʒ. ß. gummi trag. assi, coralli vtriusque vsti ana ℈. j. puluerisentur subtilissimè & cum succo rosat. vel cydoniorum fiant trocisci, & erunt præstantissimi. Fient efficaciores, si addas stomomatis ferri exiccati, & puluerizati diligenter ʒ. ß. Possunt dissolui cum aquis præscriptis. Sed si dissoluantur in aqua cuspidum rosarum, & myrtill. ℥ iij. aquæ verbenæ ℥. j. erit collyrium efficacissimum. Valde efficax erit sic.

℞. malorum granatorum acetos ℔. ß coquantur & cõtundãtur fortiter, postea fiat expressio, & in ea expressione dissolue vnum ex tro. præscriptis. Diutius remanebit medicamentum supra partẽ affectã, si fiat hoc modo.

℞. amurcæ Diosc. ʒ. iij. succi prunell ʒ. j. myrobal. diligentissimè tritorum, corallorum, vnionum ana ʒ. ß. tuthiæ, mastich. thuris ana ℈. j. incorporentur simul cum albumine oui fortiter agitato, vel cum syr. de rosis siccis, vel myrtil. & fiat ad formam linimenti, quod manè & serò ponatur in canthis oculorum, & in palpebris. Manè lauet oculos in aqua cuspidum rosarum. Possunt addi aliqua, quæ fortiter exiccent, sed illa oportet diligentissimè vsta esse, & sæpius lota, & rursum

exiccata. Lota quidem in aqua cuspidum rosarum, vel myrtil. donec acrimonia careant. Vt vitriolum romanum & album, cadmia, plumbum, marchasita, & similia. Hæc omnia oportet aliis commiscere, & optimum est tunc addere aliqua, quæ acrimoniam obtundant, vel ob frigiditatem, vel lentorem hoc modo.

℞. vitrioli albi vsti, extincti in aqua cuspid. ros. exiccati, & rursus abluti, & hoc decies aut pluries, donec aqua pura remaneat (sic de marchasita & aliis faciendum) ℥.j. margaritarum non perforatarum, vel earum loco, pro pauperibus, pusillarum piscium, vel alterius animalis, vt bouis ℥ ß gummi trag. & arab. vstorum & ablutorum, coral. vstorum & ablutorum, acaciæ, amurcæ olei præparatæ, vt ante dictum est, an. ℈.ij. opij ℈. ß. cerusæ lotæ ℥. ij. plumbi vsti & loti, fuliginis thuris, vel mastich. vel alterius gummi an ℥. ß. puluerisanda puluerisentur, & cum albumine oui fiant trocisci. Opium hic ponitur ad extinctionem acrimoniæ fuliginis, & aliorum acrium. Si autem hic morbus fiat per abscisionem carnis lachrymalis, siue canthi, difficilis est restauratio. Vtatur tamen istis remediis astringentibus, vt aliæ partes circumiacentes constringantur, & foramen claudant, & obstruant. Sunt tamen augenda & addenda, quæ sarcotica magis sint, vt thus, sarcocolla, panax, mastix, farina orobi & similia. Si fistula lachrymalis adsit, relegetur ad chirurgos.

Per abscißionem carnis lachrymas.

Sarcotica

De Aegylope. CAP. LXII.

AEgylops primum est tuberculum in cantho maiore factum, quod in fistulam lachrymalem vertitur. Fit autem tumor ille à lachrymis retentis, aut ab humoribus corruptis acribus à capite in eam partem descendentibus, & facillimè à principio curatur. Sed quia paruus est tumor, & sensim fit, negligitur, nisi cùm per defluxionem repentè fit, & dolorem excitat. Si fiat sine dolore, sine aliqua inflammatione est. Purgatio sufficit, & aliqua digerentia supra tumorem apposita, vt emplastrum diuinum, ceroneum, & similia discutientia, vt diapalma. Si per defluxionem repentè fiat tumor maior est, & cum dolore. Tunc mittendus est sanguis, & à parte propellendum medicamentis

Astrin.

repellentibus. Optima erunt, quæ præscripsimus ad exitum oculi. Debent illa astringentia in cantho, & supra buccas, & maxillam inferiorem vsque ad aures extendi. Nam sanguinis attractio non solùm fit per venas internas, sed & per illas exteriores. Quare & cucurbitulæ supra iugulares venas positæ, non parùm conferunt ad illam inflammationem cohibendam. Si dolor vrgeat, eum sedare oportet, vt pomo cocto in lacte, vel lac mulsum iniectum, vel mucilago psilij, & fœnug. simul per mixta, & extracta cum aqua violarum & supra partem tumoris apposita. Diligenter inspicere oportet, num tumor suppuratus sit: nam cùm suppuratur: ob id citò partem aperire oportet, ne materia diutius retenta, sinum faciat, & os lædat. Quare si pauca sit materia, per canthum expurgari poterit, citra dissectionem. Quòd si maior fuerit, vel diutius retenta, vel per decubitum tumor factus fuerit, ferro aperire oportet. Quòd si morbus rediuiuus fuerit, vel perseuerarit, post apertionem factam nouacula eligere oportet, qua in parte os cariosum fuerit, & in ea cauterium tantùm est adhibendum. Quòd si factus fuerit per defluxionem, & multum materiæ congregetur, non solùm os vrere oportet, sed venam & arteriam, quæ sunt in ipso angulo canthi interni, ne noua fiat defluxio. Procurandum erit, vt escara decidat, & siccioribus medicamentis & astringentibus, & inducenda cicatrix, vt partes illæ laxiores constringantur. Solet enim hæc affectio mulieribus, & quibus sunt hæ partes humidiores, accidere. Curaui ego aliquando fistulam incipientem medicamentis laxantibus, & topicis medicamentis supra partem appositis, citra dissectionem, nempe digerentibus, & postea fortiter exiccantibus, qualia sunt illa, quæ parantur ex calcitide, alumine, flore æris, tuthia, plumbo, antimonio, aliisque mineralibus grauibus. Prosunt enim & sua siccitate, & digerendi facultate, & suo pondere, quo partem compressam retinent, & subsidere faciunt, atque ita materiæ receptionem impediunt. In eadem parte fiunt aliquando vlcera phagedenica ab acribus humoribus, quæ non nisi vsta parte, & maximè venis & arteriis curantur, quale vidimus in quodam

Cucurb.

Sedantia dolorem.

Suppuratio.

Rediuiuus morbus.

Quibus curatur fistula.

dam Franciscano, qui post multorum medicamentorũ remedia, & vstionem factam, alia vstione curatus à nobis est, venis & arteriis ad viuum & penitus adustis. Citissimè enim postea curatum fuit vlcus, neque ab eo tempore recruduit. In quibusdam materia suppuratur, liquidáque & tenuis, per foramen, quod est in parte interna oculi, per quod venæ aliquæ, & neruorum portio tertiæ coniugationis ad partes narium internas descendunt, pus reddunt, digito compressa illa parte magni canthi. Hanc affectionem medicamentis fortiter astringentibus inhibere oportet, vel vstione facta satis profundè sub oculo. Pars erit constringenda. Sed si facilè expurgetur, nihílque remaneat, suaderem, vt morbus negligeretur, cùm non mereatur tormentum. Sed danda est opera, vt illæ partes exiccentur, constringantúrque, & oculi nimia illa humiditas frequentibus pilulis euacuetur, roboretúrque pars, ne tam facilè lachrymas, aut humiditatem recipiat. Ad exiccationẽ illam internam optimus erit pul. præscriptus cap. de suffusione, qui fit ex cineribus hyrundinum, &c. Potest etiam confici cinis ex testudinibus, ostreis, conchis marinis, ex quibus fiat lixiuium, quo pars foueatur, priusquam os sit factum cariosum, ídque addito pauco aceto, vel succo rutæ. Id curare poterit, si initio mitius fiat lixiuium, & sensim fortius. Residentia lixiuij, siue calx illa extincta, antimonio permixta cum pauco aceto, & oleo ros. ad formam linimenti reducatur, & supra partem apponatur.

Quibus curatur phagedenica.

De hæmorrhagia à naribus. Cap. LXIII.

Sanguis in hepate, venis & corde naturaliter continetur, nec in forma sanguinis, nisi præter naturã egreditur. Ob id statim putrescit extra vasa. Vnde Hipp. scripsit, si in ventrem sanguis descendat, necesse est putrescere. Sanguis autem affluit vel per crisim, scilicet acuti morbi, vel post dolores capitis. sed quia hoc fit natura impellente, & cum vtilitate, nõ est supprimendus. Nam, vt scripsit Hipp. Capite dolente, si pus vel sanguis, vel aqua effluat per nares, aures, & os, vtile est. In crisi laudetur sanguinis fluxus, modò præcesserint signa coctionis, & immoderatus non sit. Quicũque enim admodum

Effluuij sanguinis multæ caussæ.

excedit, etiam menstrualis, præter naturam est. Huius profluuij causæ sunt multæ. Profluit enim ex vena, aut arteria resecata, orificio diuisa, aut relaxata. Diuiditur autem ipsa tunica, vulneratione, contusione, ruptione, aut erosione Si sanguis fuerit acris, fluit ab omnibus venis disruptis, sed maximè ab interioribus per anastomosim, aut diapedesim aut diaurosim, quia venæ parte interna molliores & rariores sunt. Quare à venis exterioribus non nisi erosis, vel disruptis sanguis fluit, quia cutis externa est densior interna. Ab vtero verò, non nisi per apertionem osculorum. E naribus magis per arrosionem, ex pulmonibus per arrosionem, & ob sanguinis acrimoniam, & rupturam, ob magnam flatuum quantitatem fluit. In eo autem supprimendo causa fluxionis diligenter est attendenda. Si enim per resudationem à quacunque parte fluxerit, nunquam sistitur, donec corpus à serosis humoribus, quibus refertum est, euacuatum sit, & sanguis crassior euadat, victus ratione incrassante, & venæ fiant densiores Si per arrosionem venæ fluat, sola caustica, quæ crustam inducunt, erunt vsui, quemadmodum emplastica & astringentia, si per anastomosim. Medicamenta igitur causæ vnicuique accommodata, & propria magis eligantur. Sunt enim quædam medicamenta, quæ sua frigiditate sanguinis feruorem extingunt, atque ita sanguinem retinent, vt succus vmbilici veneris, semperuiui, lactucæ, aquæ tribuli aquatici, &c. Omnia, quæ frigida sunt & humida, vel parùm sicca. vt solanum. Hæc autem magis prosunt, si apponantur circa partes calfactas, & vicinas, & priùs excipiantur farina lentium, vel hordei, quibus adde aceti parum Si fluat è naribus, talia medicamenta in lateribus colli & temporibus sunt apponenda, frigida nimirùm, & astringentia. Et non solùm partibus his vicinis, sed & supra venas ipsas sanguinem reiicientes. Sua enim astrictione & repellunt. & partem constringunt, meatus etiam dilatatos & apertos quodammodo occludunt. Huius generis sunt succus sanguinariæ, herniariæ, bursæ pastoris, caudæ equinæ, plantaginis, foliorum vitis, sorborum, prunorum agrestium, cydoniorum & similium. Sunt & alia medicamenta emplastica, quæ suo lentore,

Quæ sanguinis feruorem extinguunt

Quæ sistũt fluxũ narium.

Herbæ astringentes.

lentore, frigiditate & siccitate, sanguinis impetum sistunt & retinent, meatus obstruendo, vt oui albumen, farina volatilis, amylum, mucilago cydoniorum, vel psilij, & potissimùm, si aliqua exiccantia his adiungantur, vt sang. drac. bolus arm. gypsum, lycium, sanguis etiam animalium terrestrium exiccatus. Hæc autem in apertione, ruptura & vulneribus maximè sunt adhibenda. Aloë & thus his annumerari possunt, quibus & pilos leporis adiungit Gal. qui non à facultate astringendi, aut occulta proprietate sanguinem retinent, sed quia vulneris labra adducta beneficio emplasticorum retinent. Quòd si per se ponantur, sanguinis partem crassiorem retinent, serosam autem trãsmittunt. Deinde sanguis concretus obstruendo vasis osculum, sanguinem retinet. Eadem ratione flos salicis & omnes alij, qui abeunt in pappos. Lanugo etiam fructuum, vt cydoniorum, & lana, quæ ex fructibus carpitur, vt platani, bombacis, & castanearum, sanguinem sistunt. Tela aranearum idem etiam præstat. Sunt & alia medicamenta, quæ citò sanguinem retinent, apposita, qualia sunt multum resiccantia, vt cinis testæ, ouorum, cancrorum, gallarum. His proximè accedunt, quæ vrendo exiccant, quibus potissimùm vtimur in fluxu sanguinis arteriosi, & magnarum venarum, vt vitriolum vstum, auripig. sandaraca, atramentum sutorium, & similia caustica. Sunt autem hæc apponenda in forma sicca, vel excepta aliquo lento humore, si per se cõsistentiam non habeant. Quæ autem liquida sunt & spissa parùm, tentis excipiuntur. Vt autem ista medicamenta sanguinis impetum retinere valeant, sanguis aliò reuocandus. Quòd si multus fuerit, nec æger adhuc debilitatus, sanguinis missio erit facienda, modò ætas & reliqua consentiant: sin minùs, diuertendus est sanguis, sine euacuatione. Id fiat ligaturis, cucurbitulis appositis regioni hepatis, quod confert, siue è naribus, siue ex vtero, aut ab alia parte fluat sanguis. Iecur enim sanguinis officina, omnium venarum origo est, & ad id, velut ad centrum, omnes referuntur. Ligatura circa testes est vtilissima, vt & oxycrati perfusio, quando sanguinis feruor est minuendus.

Emplastra sang. sisten.

Pili lepor.

Flos salicis.

Sanguinẽ retinẽtia.

Sanguinis mis. in robustis.

In debilibus non mittitur sanguis.

Fluor è naribus.

Si è naribus fluat sanguis, vtilissimum erit totam faciem aquis frigidis perfundere, & spongias antiquas, id est, frequenter latas, vt salsedo ablata sit, immersas succis prædictarum herbarum, vel in aceto, & aqua temporibus apponere, siue continere in ore aquam cisternæ frigidissimam, subinde renouando, quod imperat Gal. lib. de paratu facilibus. Sic enim constringuntur venæ internæ oris, & per consequentiam aliæ. Lapis, qui in cyprini palato visitur, si frigidus ore contineatur, sanguinis fluxum, vel narium, vel oris promptissimè compescit. Laudat Galen. diligentem aurium obturationem, quod prodesse nulla alia ratione existimo posse, nisi fortè quòd sinus primus ramorum venarum, & secundus duræ menyngis, per quos potissimùm cerebrum sanguinem recipit, comprimantur, ex quo obstruantur, & sanguis consequentia quadam retineatur, ni fortè legendum sit, nares esse comprimendas, quibus compressis sanguis sistitur. Potest fieri pulu. constrictiuus hoc modo.

Pul. constrictiuus.

℞. boli armeni ℥. j. cortic. mali granati. balaustiorum, gall. ana ʒ. iij. capitum papaueris albi ʒ. ij. sang. drac. ʒ. j. pul. & incorporentur albumine oui, vel aceto, ponantur super tempora & frontem, & venas iugulares. Possunt fieri pul. ex magis astringentibus, & refriger. suprà numeratis. Vtiles etiam erunt, qui præscripti sunt, pro aqua descendente in oculum in suffusione: verùm hoc loco magis refrigerare oportet. Fieri etiam possunt inunctiones ex oleo constringente, vt myrtill. cydoniorum, ros. omphacino, additis quibusdam succis multùm constringentibus, & refrigerantibus, vt cydoniorum, poligoni, & similium. Coquantur olea ad succorum consumptionem, alioqui coire non possunt in formam vnguenti propter succorum humiditatem, quæ oleis commisceri nequit. His cera postea adiungitur alba, acetum verò tempore inunctionis. Nihil prohibet etiam puluerem constrictiuum in parua quantitate ponere. Iis pars colli inungatur, per quam venæ & arteriæ ad caput ascendunt. Additur & corall. vt medicamentum fiat efficacius. Potest etiam sine cera & oleo ex

Olea constrin.

succis

ſuccis & aceto fieri nutritum, additis lithargyro, bolo armeno, ceruſa, aut aliis emplaſticis mineralibus, quæ tamen diutius hærebunt parti, ſi aliqua quantitas olei roſ. omphacini addatur. Vel fiat embrocatio ex ſuccis herbarum frigidarum ſic. *Embrocatio.*

℞. ſucci plantag. polygoni ana ℥. iiij. ſucci burſ. paſt. ℥. ij. aceti parũ, facta reſidentia ponatur ſupra frontẽ, vel farina hordei, & inſpergantur, & partibus ſupradictis applicentur. In locum ſuccorum etiam ſubſtitui herbarũ aquæ poſſunt, quo tempore non reperiuntur, vt hyeme.

℞. aquarum roſ. vel peculi roſ. vel prunellorum, vel myrtill. vel plantag. ℥. iiij. aceti ℥. j. intincti panni applicentur fronti, vel temporibus, & circa collum. Ex eiſdem poteſt hepar epithimari, modò actu frigida non applicentur, vt in fronte, niſi ſit fluxus ſanguinis à feruore. Naribus autem hæc admoueantur, vt cinis teſtæ ouorum inſufflatus in nares, vel exceptus linimento. Citiſſimè ſanguinẽ ſiſtit pul. conſtrictiuus præſcriptus, albumine oui exceptus. Idem præſtat ſtercus ſuillum recens, aut exiccatum naribus admotum, cui pul. roſ. adiungere oportet, ob fœtorem, & quæcunque ſupra enumerata ſunt, eodem modo adhibita ſanguinis feruorem ſiſtunt, modò ſint emplaſtica, vel reſiccantia, quę aliquam conſiſtentiam habent. Hæc verò ſtatim adhiberi non debent, ſed iam facta diuerſione, aut poſt embrocationes, aut remedia alia ſanguinem repellentia. Nam hæc remedia nares, non repulſo, aut alio attracto ſanguine, claudent, qui defluit in os, pulmones, ventriculum. Si fluxus ob nimiam ſanguinis tenuitatem fiat, conuenient ſyrupi incraſſantes, & infrigidantes exhibiti cum aquis frigidis, vt ſyr. viol. de nenuph. de papauere de berberis, & myrtill. vel ex conſerua radic. ſymphiti. Idem faciendum, ſi à nimia ſanguinis acrimonia fluxus oriatur. Purgandus tandem erit, ſi non retineatur, decoctione myrobal. ſebeſten, tamarindorum, rhab. infuſo non expreſſo, ſyr. roſ. laxatiuo. Hæc enim cum aſtrictione vel extinctione bilem euacuant. Si verò ſanguis fluat ob tenuitatem, vel ſeri copiam, medicamentis laxantibus purgandi ſunt. Sed adiungenda ſunt, quæ aquas euacuent citra magnam cale-

Epithima. *Fluxus ſanguinis ob eius tenuitatẽ.*

factionem, vt serum lactis potissimum asinæ, quod sub dio per totam noctem fuit expositum, vt magis refrigeret, in quo infundantur folia senæ, & brassica marina, vel baccæ hederæ, & alia, quæ cap. de hydrope dicuntur. Sensim & frequenter euacuandi sunt. Vulgus appendit collo corallum, iaspidem, ambram, quæ magis contactu suo frigido feruorem sanguinis extinguendo retinent, quàm alia occulta proprietate. Verùm hoc meliùs præstant, si collo circumligentur, & eam maximè contingant partem per quam venæ iugulares caput petunt. Idem præstabit cathena aurea, vel argentea, vel ferrea, vel plumbea, vel in partem posteriorem pendeant, supra quam incumbit magna vena & arteria. Has partes refrigerare succis herbarum frigidis supradictis, non est inutile. Est etiam vtile timorem incutere ægrotanti subitum, vt à circunferentia ad centrum sanguis reuocetur. Æger omnibus modis est refrigerandus, aëre frigido, potionibus, herbis & potentia & actu frigidis. Imperanda est quies totius corporis, & animi potissimùm, linguæ & maxillarum. Nam si frequenter loquantur, aut maxillas moueant, fluxum sanguinis continuant Ob id alimenta actu frigida danda sunt, & quæ citra masticationem deuorari possunt, vt amylum paratum in decoctione pedum veruecis, hordeum mundatum, vel cremor ptisanæ ex sacch. & aqua ros. sine amygdalis: quibus adiungimus quædam emplastica ad sanguinis inspissationem, vt albumen oui crudum fortiter agitatum, gummi trag. aut arabici, vel emplastica refrigerantia, qualia sunt bolus armenus, terra sigill. rubrica fabril. creta, argilla & similia, quæ nullum odorem, vel saporem ingratum habet, vt etiam puluis corali, vel cinis ossis sepiæ lotus. Hæc sanguinem inspissant, siccando serosa recrementa. Sunt, qui sanguinem proprium in sartagine frixum edendum præbeant, sed mihi parum placet hominis sanguine vesci. Interdicantur vino, nisi valde debiles, quibus austerum valde conceditur, dilutum multa aqua cisternæ, vel fluuiorum. Oculos clausos habeant, ne sanguinem profluentem, & res rubras videant. Mouet enim facultatem expultricem phantasia ab obiecto mota. Si fluxus

Appendentia collo

Victus ratio.

fluxus sanguinis narium accidat mulieri, vel puellæ, cui per aliquod tempus suppressi sint menses, aut postquã menses ratione ætatis cessarunt, vel nondum fluere inceperunt, cùm tamen fluere debuissent, non est statim compescendus. Solet enim natura, quod per vterum ex purgare consueuerat aut debuerat, nunc impedita per superiora reiicere. Ex quibus prohibetur, ad venas pulmonis retrudi solet, & eas rumpere, vnde fit hæmoptoica passio, à qua tabes, dolores capitis, ophthalmia, faciei rubor. Quare aliquot diebus post paroxysmum, vel in ipso paroxismo, si immodica fuerit euacuatio, fiat missio sanguinis ex vena poplitis, & affigantur cucurbitulæ, circa regionem vteri & inguinum. Sedato fluxu menses prouocentur medicamentis. In mulieribus minùs est periculosus sanguinis fluxus, quàm in viris, ob id non tam citò compescendus. Ego curaui quendam solis syrup. aquas & serosos humores euacuantibus, qui per os singulis diebus reiiciebat duas aut tres ℔. sanguinis. Remedia fuere hæc.

Fluxus mens. suppressione.

Reiectionis sang. per os curatio.

℞. rad. plantag. ℥. ij. rad. consolid. maior. ℥. j. herniariæ, herbarum capil. centinodiæ, sum. ana M j. anis. ʒ. ij. quatuor sem. frig. maior ana ʒ. j. semi. nasturtij torrefacti ʒ. j. fiat decoctio In ℔. j. diss. sacch. q. s. fiat syrup. de quo capiat manè ad quantitatem ℥ iiij. *Syr.*

℞. succi brass. marinæ, arthemis. ana ℥. iij. succi fœni marini, & cucumer. agrest. & cyclam. ana ʒ. j. excipiantur farina lupinorum, cui adde parum terebint. fiat ad formam cataplas. applicetur, vt diximus. *Cataplas.*

℞. cancrorum stagni N. xxx. abluantur in aqua hordei, & macerentur, deinde vrantur in furno, fiat pul. de quo cap. ℥. ij. cum aqua plantaginis, & absynthij, adde coralli ʒ. ß. *Pul. cancrorum.*

De fluxu sanguinis è naribus.

FLuxus sanguinis è naribus, modò non sit criticus, constringendus statim est. Constringitur autem sanguinis missione, sed oportet foramen esse paruum, vt minor quantitas fluat, & reuellat magis. Facienda autem ex basilica, aut mediana, vel cephalica eiusdem partis. Diuersio etiam fit per ventosas affixas supra

hypochondria, seruata etiam rectitudine, vt si à dextra fluat nare, in dextra parte: ligaturis dolorosis etiam auertitur sanguis. Teneat caput erectum, & non inspiciat res rubras, nec vinum bibat. Perfundatur caput aqua frigida, vel supra spatulas & collum ponatur pannus madefactus in aqua frigida, nisi debilis esset, vel nimis frigidus. Fiat pul.

Pul. restrictinus. ℞. boli armeni ℥. j. cort. mali granati, balaustiorum, gall. ana ʒ. iij. seminis papaueris albi ʒ. ij. pul. & incorporentur cum albumine oui, vel aceto, & ponãtur supra tempora, & frontem.

De Polypo. Cap. LXIII.

POlypus tumor est narium proprius, qui videtur esse carnosus ex carne illa laxa & fungosa, quæ intra nares latitat. Fit autem quotiescunque hæc caro laxior & rarior est, & cerebrum valde humidum mittit viscidam & flatulentam quandam materiam, quæ hanc partem inflando facit, vt maior appareat, & potissimùm in coniunctione lunæ; in declinatione contabescit & minuitur. Est tumor hic aliquãdo inter nares, neque multùm apparet. Aliquando ad extremum vsque narium propendit. Aliquando in ea cauitate, quæ est à naribus ad os, visitur. Est autem ventri polypi similis. Nam id, quod pendet, figuram habet rotundam, & facilè in varios colores mutatur, polypi modo, nunc albus, nunc cineritius, nunc liuidus, aliquando rubeus apparet, narium impedit respirationem. Quod si fieret in vtraque nare, imminet periculum suffocationis, nisi aperto ore dormiant. *Curatio difficilis.* Huius tumoris curatio est difficilis, & satius esset, cùm incipit fieri, eius incrementum prohibere, quã eius curationem postea tentare. Nam factus sui ablationem indicat, cum sit toto genere præter naturam, vel medicamentis arrodentibus carnosum illum tumorem minuere. Inhibebitur, si in principio, purgato corpore & capite, & sanguinis missione è cephalica, & cucurbitulis sæpe appositis in lateribus colli, supra partem apponantur fortiter astringentia, vel si vtrunque accreuerit, caustica cum quibusdam astringentibus. Igitur in principio aqua sequens vtilissima erit.

Aqua vtilissima. ℞. vuarum immaturarum ℔. iij. cort. mali g̃. balaustio-

laustiorum, sumach ana ℔.ij. distillentur omnibus maceratis in aceto, deinde adde aluminis ℔.j. vitrioli ℥.iij. distillentur iterum omnia simul, & aqua illa tangantur partes internæ narium. Aqua separationis auri idem præstabit. Si peruenerit ad aliquam magnitudinem, sandaracam, & auripigmentum in prædictis aquis excipere oportet, vt pars vratur, & constringatur. Trocisci Andronis, Musæ, Polydæ, idem efficere possunt, sed quia spissa sunt, minùs commodè adhibentur, & magis conueniunt in ozena, quàm in polypo. Debent autem ista apponi, quum luna decrescit, quo tempore minor tumor est, & meliùs adhibētur remedia ipsa radici, cùm tumor non impediat, quò minùs partes illæ internæ à medicamentis tangantur. Multis profuit vsus gaiaci cum tenui victu. Curantur chirurgia. Nam si paruus est, conficitur canula argentea, per quam dimittimus cauterium internæ parti narium circa septum. In rusticis, & iis, qui parùm curant de forma narium, forcipibus scindemus. Demum supra partem cauterium adhibendum, alioqui vritur in vna parte, altera intacta. Et si quid reliquum fuerit exustionis expers, inde renascitur nouus polypus. Dum istis vtimur, optimum erit, caput exiccare pulueribus, & aliis remediis, necnon & totum corpus, sed præcipuè caput.

De Ozenis. CAP. LXV.

OZenæ dictæ sunt ab aliqua polypi specie, quæ graueolens est, sed hoc valdè miror, quòd cùm piscis ille musci odorem referat, ozenæ ingratum & fœtidum, hæ ab illo nomen acceperint. Ozenæ nihil aliud sunt, quàm polypus exulceratus, aut vlcus illius partis fungosæ, quæ intra partes reperitur. Et sic differt vlcus hoc ab aliis vlceribus, quæ fiunt in aliis nasi internis, quòd talia sine magno pure & fœtore fiant: Ozenæ non item, sed & olfactum impediunt. Nam cùm hæc pars fungosa sit, & in tumorem eleuetur, spirationem ossium ethmoidis impedit, ob idque recrementa diutius retenta putrent, vnde fœtor & graueolentia. Difficillimè curatur ob venarum frequentiam, & pituitæ expurgationem. Differt à polypo, quòd huius materia non tam acris sit, alioqui exulceraret: ozenæ autem materia acris,

Difficilis curatio.

Differt à polypo ozena.

Curatio. mordax, arrodens & putrida est. Curatur purgatione totius corporis exacta. Masticatoriis ex mastiche, pituita capitis purgatur, quibus si adiungatur scammonium, potentius trahet, & deriuabit materiam in proximiorem partem. *In principio.* In principio ante omnia alia medicamenta vtilissimum erit vti aqua illa pro polypo descripta capite superiore, vel lixiuio parato ex cineribus caulium, fabarum. Item aqua forti diluta oxymelite. Detergunt hæc omnia, & carnem putrem exedunt vt omphacium antiquum paratum ad oculorum affectus, dissolutum in aqua calamenti, & œnomelite. Posset etiam in principio vnguentum Ægyptiacum dissolutum in aqua hordei prodesse, ad vlceris detersionem. Deinde sunt conficienda vnguenta, quæ astringant, & detergant, & summè exiccent, vt vnguentum pompholigos, addito alumine, chalcitide, & cortice mali granati. vel conficiantur sic.

℞. omphacij ℥. ß. cort. mali granati, balaustiorum an. ʒ. iij. myrrhæ, aluminis, ladani ℥. ij. chalcit. aloes, cortic. thur. an. ℥. j. ol. rosſ. & myrth an. ℥. ij. ceræ rub. q. s. fiat vnguentum, quod applicetur parti narium internæ, vel dis. in vino aut aqua myrtil. aut peculi rosſ. Id frequenter naribus attrahatur, ore aqua pleno. In istis vnguentis abstinendum à fœtidis, & miscenda sunt aliqua odorata, propter fœtidum illum odorem, qui alias offendit. Ex supradictis confici potest pul. & insufflari ad vlceris exiccationem. Fiet ex eisdem, ex quibus compositum est vltimum vnguentum. In vlceribus narium post aliquam detersionem, nihil aliud efficacius inueni, quàm fumigium, quod partes illas profundas attingit & siccat. Parandum autem ex potentissimè resiccantibus, vt auripigmento rubr. vel luteo, cinabari, quibus addenda sunt aliqua odorata, ex quibus fuligo excitatur, & vlcera siccantur, vt myrrha, thus, mastic. beniouin, &c. vt sic.

Remedium efficacissimum.

℞. ladani puri, hypocist. mastich. myrrhæ ana ʒ. iij. styrac. rub. & calaminthæ, cortic. thur. sandaracæ, auripigmenti rub ana ʒ. iij. excipiantur omnia terebinth. & fiant tro. quibus fumigentur serò & manè in cubiculo.

Opti-

Optimum est etiam illis parare candelas ex cera rubra: Nam fuligo talis candelæ, plurimùm iuuat exiccationes, maximè si contineatur in cubiculo bene clauso, & angusto. Quòd autem fuligo recipiatur, idem experimur, cùm diutius in studioso moram trahimus noctu. Nam postea sputum & excrementa narium fuligine illa denigrata redduntur. Hac ratione nos vlcus curauimus, quod neque ab Italis, neque à Gallis medicis curari potuerat. Vlcera alia narium, vt quæ fiunt in alis narium ipsarum, fortiter resiccantibus circa morsum, & sarcoticis sufficienter curantur, quibusdam astringentibus additis. Mineralia diligentissimè lota cum cortice mali granati, & aloe lota talia vlcera curant. Vnguentum paratum ex pompholige cum balaustiis talia vlcera curat. Item frequenter partem lauare decoctione tali vel aqua distillata. *Alia Vlcera nar. quibus curantur.*

℞. balaustiorum & cortic. malorum granatorum ana, ℔. iij. plantag. caudæ equinæ, pilosellæ, linguæ passerinæ & herniariæ ana M. ij. rad. bistorræ ℔. ß. foliorum myrthi vel summitatum pyri syluestris ana M. j. contundantur & simul distillentur, & fiat aqua, de qua frequenter abluat nares. His adde aluminis qr. j. vel fiat decoctio ex supradictis, & frequenter abluat nares exiccando eas, postea fumigio præscripto ad curationem ozenarum. *Lotio narium.*

De Parotidibus. CAP. LXVI.

PArotides nomen acceperunt à loco. Fiunt enim tumores post aures propter partis laxitatem, & magna vasa venarum & arteriarum, ad cerebrum conscendentium, per quæ defluxiones potissimùm frigidæ principio, aliquando post longas febres & acutas, quæ ad tertium aut quartum diem peruenerũt, & post febres quotidianas, vel tertianas extensas. Fiunt enim per κρίσεια, cùm materia, quæ cerebrum obsederat, ad has partes adenosas irrumpit. Ob id in istis tumoribus nunquam repellentibus medicamentis vtimur, quanuis in inflammationibus aurium aliquibus vtamur. Materia enim quæ facit inflammationem in aure, pauca est, & per vasa valde angusta refluit, quæ magis qualitate peccabat, quã quantitate. Castigata medicamẽto refrigerãte, si re- *In parotidibus non Vtimur repellentibus.*

pellatur ad intra, nil adfert mali: At materia parotidum multa est, & per latiores venas & arterias retunderetur in cerebrum, magno totius corporis incommodo. Ob id si incipiant, corpus diligenter purgamus pituita, & aliquando sanguinem mittimus, si magna sit totius corporis plenitudo, & si sit circa partem calor, rubedo, & magna pulsatio sentiatur. Supra partem relaxantia, & per partem digerentia apponimus, vel ol. chamo. lilio. irinum, amygd. amar. aneth. Lana succida olea ista excipiuntur, & supra partem adhibentur. Succida poni debet, cùm volumus ad eam partem à cerebro materiam trahere. Quòd si fluat sufficienter & multùm, lota lana melior erit. Cataplasmata parantur ex herbis & farinis digerentibus, vt

Curatio.

Relaxantia & digerentia.

CATAPLASMA.

℞. bismal. cum radic. vel liliorum. qr. j. pariet. absynth. ana M. furf. p. j. florum chamo. melil. an. p. j. coq. pistentur & per colum transmittantur, quibus adde axung. porci & butyr. an. ℥. ij. ol. cham irini ana ℥. iij. misce, fiat cataplasma, vel sic.

℞. farinæ fœn. & fari. hord. an. qr. j decoquantur in aqua & ol. chame. vel irino, vel anethino, & fiat pul. applicetur cataplasmatis modo. Hæc remedia digerunt moderatè, & dolorem soluũt, quibus si adiungatur mel, vim maiorem habebunt digerendi, vt

℞. farinæ fabarum, farinæ hordei ana qr. j. mel. communis qr. ß. leuiter coquantur simul, & fiat cataplasma. Si materia resoluatur aliqua ex parte, remaneátque aliquid indigestum, dolorem tamen non faciat, tunc medicamenta in cerati formam redacta, commodiùs parti adhibebuntur, vt diachil. mag. iteratum, cheroneum, & in fine vtemur emplastro diapalma, duplicata quantitate calciteos, addendo iridis ℥. j. in ℥. iiij. emplastri. Vel reducantur ad consistentiam cerati, cum oleo irino, liliorum, vel anethino. Quòd si digeri non possit ob materiæ multitudinem, aut crassitiem, in pus vertetur. Tũc iuuanda erit maturantibus & suppurantibus, & vnguento basilicone, vel cataplasmate suprà descripto in hoc capite, addita magna quantitate farinæ frumenti & axungiæ porci, quo vti poterimus in principio, in quo opor-

Digerẽtia reliquias morbi.

Suppurantia.

oportet & maturationem & materiæ digestionem procurare, deinde sequenti.

℞. maluarum M. j. rad. bismal. qr. j. fic. pa. xx. coquantur & pistentur diligenter, per colum transmittantur, quibus adde axung. porci ℥. iiij. olei communis ℥. iij. farinæ frumenti leuiter decoctæ in colatura decoctionis herbarum ℔. ß. misceantur simul, & reducantur ad formam cataplasmatis. Hoc fortius reddetur, si farinam aut mucilaginem seminis fœnugræci addideris ad qr. ß. Vbi incipiet materia suppurari, vt magis trahatur ad circunferentiam, fermentum acre ponitur in cataplasmate prædicto, vel vnguentum basiliconis, quod picem habet. Medicamentum suppuratiuum & epispasticum est. Si cutis sit extenuata valde, solo felle porci suprapofito abscessus rumpitur. Quòd si ob cutim duriorem non rumpitur, tunc ferro id tentandum. Vlcus detergendũ, & implendum, cicatrizandúmque, vt in aliis partibus. *Quæ abscessum rũpunt.*

De aurium dolore. CAP. LXVII.

DOlor aurium à materia calida, frigida, vermibus, contusione, & flatibus fit. Si fiat à materia calida, vt in inflammatione, curandus erit missione sanguinis & anodynis. Secanda autem est cephalica eiusdem lateris. Clysteres ad reuulsionem, vt in cap. de oculorum doloribus, conueniunt, & cucurbitulæ sunt scapulis applicandæ. Sedabitur dolor topicis remediis, quæ erunt fomentationes, cataplasmata, inunctiones. Fomentatio quidem talis.

℞. viol. lact. plant. solani an. M. j. fol. pap. vel hyosc. vel mandr. tertiam partem M. j. fiat dec. ex qua fomentum, vel fumum recipiat Melior erit, si non ponantur narcotica, vt papauer, hyosquiamus. Vel si fiat sic. *Fomentationes.*

℞. mal. bismal. cum toto, viol. lact. salicis an. M. j flor. chamo. melil. ros. ana p. j. fiat decoct. qua foueatur pars vt dictum est. Hæc erit optima in inflammatione, cùm est digerenda materia. Quòd si magis digerentem velis, adde fœnug. semen lini, & semina digerentia, dicta in cap. de dolore oculorum. Inunctiones fiunt ex ol. refrigerantibus, vt ros. viol. nenu. de semine lact. de pap. de pomis mandragoræ. Additur etiam acetum, quia *Olea refrigerantia.*

pars non timet acrimoniam. Adduntur & ſucci aliqui, vt ſolani, papaueris, coriandri. lact. vmbilici veneris, & in dolore fortiſſimo opium. Decoquantur aliqua in oleo, & maximè cùm dolorem lenire volumus, & digerere, vt aſelli, lūbrici, cantharides nigrę, cochleæ marinę, aut terreſtres, & maximè humor, quem eructant. Habent enim magnam vim mitigandi dolores. quæ cochleæ, quia à tota ſubſtantia dolorem ſedāt, ob id tam in cauſſa frigida, quàm in calida poſſunt adhiberi, modò coquantur in ol. appropriato ipſi cauſſæ, vt frigido, in cauſſa calida, & calido, in frigida, vel in ol. medio & temperato, præſertim vbi non eſt perfectum à qua cauſſa fiat, vt medulla cruris porci ſaliti. Eſt enim præſtantiſſimum remedium, in omni cauſſa, ſed magis à materia frigida, vt paretur tale medicamentum.

Lenientia dolorem.

Medulla cruris porci.

℞. olei viol. vel roſati ℥. iiij. ol. amygdal. ℥. j. ß. aſellorum, vel lumbricorum, vel ſcarabeorum ℥. j. contundantur & decoquantur in ol. quod poſtea iniiciatur in aurem tepidè Incoqui etiam poſſunt fructus, ſemina, flores, pro neceſſitate affectionum. Albumen oui fortiter agitatum ad doloris ſedationem eſt accommodum, vt & lac recens mulſum Fiunt etiam hoc modo.

Albumen oui.

Cataplaſmata.

℞. radic. liliorum & mal. ana ℥. j. ſolani . hyoſquiami ana M. ß roſ. rub. florum nenuphar, ana p. j. flor. chamo. melil. ana p. ß. fiat decoctio addendo farinæ hordei, & lentium ana ℥. iij Herbæ & radices contundantur, & omnibus mixtis ſimul fiat cataplaſma. Addendo ol. roſ. vel viol. vel nenuph. vel ſimilium ℥. ij. vel pinguedinis anſeris, vel porci tantundem. Poteſt etiam corpus alterari ſyrup. refrigerantibus, & incraſſantibus, vt dictum eſt in dolore oculorum. Si purgatione indigeat, cum decoctione myrobalanorum & tamarindorum purgetur, vel ſyrupo roſato lax. addita aliqua parte rharb. infuſi in aqua end. Si dolor ſit in toto capite, ſedandus erit, vt monſtratum, cum irrigatione, vel vnctione aliqua. Si delirium accidat, fiat, vt dictum eſt cap. de paraphrenitide.

Alteratio corporis.

Purgatio.

Curatio à materia frigida.

Si dolor fiat à materia frigida, detur primùm clyſter acutus, & ſi redundet ſanguis, mittatur in parua quan-

titate: vel affigantur cucurbitulæ scapulis cum scalpellatione loco phlebotomiæ. Coquatur humor syr pituitam alterantibus. Purgetur pilulis capitalibus. Iniiciatur in aurem ol. laurinum, costinum, chamomillæ, amaracinum, liliorum, nardinum, nucum, amygdal. dulc. vel amar. sesaminum, anethinum, lumbricorum, scorpionum, & alia id genus. Fiant fotus ex herbis calfacientibus, & digerentibus, cuiusmodi sunt, ruta, melissa, betonica, absynth. folia lauri, rosm. & alia dicta cap de dolore capitis à materia frigida. Adipes, quibus vtimur, sunt anatis, gallinæ, anseris, & aliorum. Succi herbarum, vt pariet. sambuci, matric. absynth. Quando fit à materia frigida, rarò aut nunquam vtendum opio, nisi admodum vehemens fuerit dolor. Tunc enim opium addere possumus, adiungendo castorei, croci tantundem. In materia calida non id obseruandum. *Fotus ex herbis digerentibus. Adipes. Succi.*

Si à flatibus, vel obstructione fiat auris dolor, extenuanda & purganda pituita à toto corpore: simili modo faciendum est in auribus. Iniicienda enim sunt, quæ attenuant & discutiunt flatus. Laudantur allia, cepæ, radix ari, serpentariæ, brioniæ, cucumeris agrest. & omnia alia, quæ commendantur suprà in dolore auris à materia frigida. Possunt ista præscribi sic. *Curatio à flatibus & obstructione.*

℞. succi squillę, aut lauri, aut brioniæ, aut cepæ ℥. ij. aceti ℥ ß misce. & in aure tepidè iniiciatur, vel sic.

℞. cepæ, rad. serpentariæ, veratri (maximè si est cum surditate) an ℥ j foliorum lauri, rutæ, orig. puleg. calamenti vel aliarum herbarum calidarum ana M. ß. fiat decoctio in vino albo, vel aqua, vel vino antiquo communi, vel amygd. dulc. quod est medium, exprimantur fortiter, & expressum decoctum in aurem mittatur. Si contundantur residentia, & addatur porci pinguedo, fiat cataplasma apponendum supra aurem. Si proueniat ab inflammatione, curetur, vt suprà dictum est, à materia calida, nisi quòd maior sanguinis quantitas detrahenda est. Addenda sunt leuiter astringentia. Nam in hac inflammatione non est tutum multum repellentibus vti, etiam in principio, sicut nec in augmento & declinatione, nimiùm calidis & humidis, quia conseruanda est partis temperies, quæ est frigida & sicca. Ita- *Curatio ab inflammatione.*

que addenda sunt aliqua sicca: vel vtendum minùs humectantibus.

Curatio suppurationis.

Si veniat ad suppurationem, abstergatur detergentibus medicamentis, & ducatur ad cicatricem. Eam ob caussam prudenter fit, si vt in statu, & incremento, iniectionibus & cataplasm. addatur parum mellis, vt in declinatione fel aliquod, atque etiam in statu, vt abscessus rumpatur. Sin abscessus sit frigidus, vtendum est remediis suprà scriptis, vt ol. calidis. Sed à principio vti oportet mitigantibus dolorem, vt hoc modo.

Pro principio.

℞. ol. viol. ℥. ij. ol. chamo. & amygd. dulc. an. ʒ. j. misce pro principio. Postea vtatur sequenti.

℞. ol. amygd. dulc. & cham. an. ʒ. iij. ol. liliorũ ℥. ij. misce, iniiciatur in aurem. Tandem ad digerẽtia magis erit veniendum. Potest vti hac decoctione seu cataplasmate.

℞. seminis lini, & fœnug. an. ʒ. ß flor. chamo. melil. ros. an. p. j. radi. bistortæ ℥. j. fiat decoctio, contundãtur & fiat cataplasma, addendo olei ros. & viol. an. ʒ. iij. Et hoc pro principio. Nam & si materia est frigida, sunt addenda aliqua, quæ quodammodo repellant, vt ol. ros. ol. violaceum. Ad mitigationem doloris potest fieri fomentatio, vel iniectio cum decoctione, vel euaporatio in aurem. Accedente statu auferenda sunt illa olea frigida, & sunt commiscenda, quæ digerunt: vt ol. amygd. dulc. liliorum, laurinum, amaracum, sycionium, vel succus tantum foliorum cucum. agrestis.

Pro statu.

Si rumpatur abscessus, abstergatur, & reducatur ad cicatricem. Fiant medicamenta absterſoria cum succo ciclæ, apij, porri, & cum succo foliorum cucum. agrest. vel cum decoctione lupinorum, & hordei, & cum melle conseruationis fellis vaccæ, vel communi. Postea curetur cum sarcoticis, & fortiter exiccantibus. Potest enim auris ferre talia medicamenta ob suam temperiem siccam. Ad vlceris exiccationem optimum erit vti hac suffumigatione.

Absterſoria.

Suffumigatio

℞. thur. mastich. sarco. gũm. iuniperi, myrrhæ ana ʒ. iij. ladani puri, hypochist. an. ʒ. ij. auripig. rub. an. ʒ. j. excipiantur terebinthina, & fiant trocisci, quos ponant supra carbones, & fumũ recipiãt per embotum, quod auri appli-

applicetur, & non arctè iungatur. Nam fumus non ascẽdet sursum, nisi pareat aliquis exitus. Scoria ferri in aceto scillitico decocta vlcera aurium citissimè curat. Si à vermibus fiat auris dolor, iniiciatur in aurem decoctum lupinorum, vel succus absynthij, vel decoctum agarici, vel succus persicariæ maioris, vel alia, quæ vim habeant enecandi vermes. Postea iniiciantur specillo. Idem faciendum est, cum dolor prouenit ob rem aliquam incidentem in aures. *Curatio à Vermibus.*

Si dolor fiat à contusione, mittatur sanguis ad prohibendam inflammationem. Si fortis sit dolor, applicentur supra partem, quæ aliquo modo astringunt, nisi fortissimus dolor adsit. Tunc enim mitigandus esset mollibus, vt si à principio, ponatur olei rosati cum aceto, vel albumine oui fortiter agitato. Potest etiam addi puluis myrtill. vel rhab. supra partem. Si autem dolor fortissimus esset, fiat catapl ex oui albumine, & vitello fortiter agitatis, & addatur ol. chamomillæ & viol. an. ℥. ij. farinæ hordei, florum chamomillæ ana ℥. j. fiat cataplasma, ponatur supra partem affectam. Si dolor non sedetur hoc remedio, fiat aliquod ex præcedentibus, vt ex foliis papaueris, hyosquiami, vel addatur succus alicuius herbæ ex prædictis cataplasmatis. *Curatio à cõtusione.*

De Aurium tinnitu. CAP. LXVIII.

EOdem modo, iisdem remediis curatur tinnitus aurium, cui maximè conducit medulla cruris porci supradicta. Fiet autem pręstantissimum remedium hoc modo.

℞. colocy. ʒ. ß. succi rutæ & amaraci ana ℥. j. cumini, carui ana ʒ. ij. fiat decoctio in vino & ol. amygd. amar. decoquantur vsq; ad consumptionem vini & exprimantur omnia, & colentur. Vtantur hoc ol. frequenter iniiciendo in aurem. Et semper habeant aures obturatas bombace moscato. Aliud pręstantissimum remedium, maximè si cum surditate sit aurium tinnitus. *Oleũ præstantiss.*

℞. radic. ellebor. albi ʒ. iij. foliorum lauri & rutæ ana M. ß. foliorũ fraxini M. j. fiat deco. in ol. amygd. amar. vel de kerua, vel nucum, sed hoc erit efficacius, & cũ vino albo, vel maluatico decoq. ad consumptionem vini, exprimantur fortiter, & colentur. Iniice de col. in aurem

Sternutamēta max. conferunt. vt suprà. Maximè conferunt sternutamenta ad tinnitus aurium curandos, si frequenter excitentur. Nam flatus cerebri non minùs per aures, quàm per nares discutiuntur. Aures semper habeant occlusas, donec perfectè curati fuerint, maximè quando ventus australis vel borealis flat, sed magis cùm borealis, quod maximè obseruādum est in scotomaticis. Nā si aures flatibus oppleantur, paroxysmum excitant. Idem fit in epilepticis. Vtantur pul. post pastum carminante ventositates, qualis est præscriptus cap. de scotomia, vel fiat hoc modo.

Pulu. ℞. cymini, carui, maceratorum in aceto, & leuiter coctorum ana ʒ. iij. sileris montani, fœnic. an. ʒ. j. cinamomi, macis, ana ʒ. ij. anis. ʒ. iij coriandri ℥. j. ß. sacch. ad duplum omnium, fiat pul. qui si ingratus sit ori, dosis cinamomi augeatur. Capiat à pastu cochlear vnum.

De surditate. Cap. LXIX.

Svrditas omnis curari non potest, vt quæ post morbū acutum accidit, & antiqua. Talis verò dicitur, si duos excessit annos. Quæ curationē admittit, his remediis curari potest. *Curatio.* Primùm leuiter purgetur corpus, & frequenter, vt bis in hebdomada capiendo pilulas sine custodia, quales sunt de hiera simpl. & compos. de assaieret & similes. Concoquatur humor peccans appropriatus, & euacuetur fortioribus pilulis. Post pilulas vtatur theriaca, vel mythridatio. Intra vel circa aurem ponantur, quæ vim habent deobstruendi, calf. & attrah. vt sunt, quæ suprà in tinnitu aurium dicta sunt. *Olea.* Olea, quæ maximè commendantur, sunt ol. raphaninum. de scorpionibus, nucum, oleum vetus, in quo decoq. colocynthis, ol. cucumer. agrest. laurinum, balsami, pilos. petroleum, & omnia, quæ sunt tenuium partium. Sed duo vltima sunt ponenda cum maxima animaduersione. Nam facillimè penetrant, & facilè dolorem & inflammationem excitāt. Miscenda est itaque pauca eorum quātitas cum ol. imbecilliore, vt cum ol. amyg. amar. Maximè commēdatur medicamentum illud, quod cōpositum est ex foliis rutæ, fraxini, & rad. elleb. albi, cap. superiore, & quæcunque illic sunt præscripta. *Quæ conueniūt ante topica.* Sternutamenta, mastica. caputpurg. maximè laudantur ante vsum topicorum. Si surditas à sanie vel vlcere proueniat, abstergenda erit sanies,

sanies, & vlcus exiccandum, & corpus euacuandum. Iniicienda in aurem sunt, quæ vim habent abstergendi, succus cepæ, porci, cuc. agrest. cum melle, vel ex fellibus mitioribus, quale est porcinum, vel agninum. Postea tutò adhibentur, quæ vim habent exiccandi, vt vlcus ducatur ad cicatricem. Dissoluantur trocisci in succo, vel decoctione aliqua medicamentorum abstergentiũ, vel exiccantium, vt trocisci albi Ras. sine opio, & alia, quæ ex cerusa, pompholige, seu tuthia parantur. *Surditatis à sanie curat.*

Præstantissimum remedium fiet hoc modo.

℞. scoriæ ferri ℥. j. decoq. in vino, quod postea iniiciatur in aurem. Fit etiam decoctio in aceto, sed cauendum est, ne acetum nimiùm acre sit. Nam sua acrimonia irritat vlcus. Alia quoque, quæ fortiter exiccant, plurimùm valent, siue in forma vnguenti, siue iniectionis. Sed non sunt probandæ iniectiones ex oleis in hac specie. Nam oleum est vlceribus inimicum, & maximè aurium vlceribus. Quòd si ponatur ol. id fit, vt obtundatur acrimonia aliquorum exiccantium cum vehementi morsu, alioqui nunquam ponendum est. Surditas, quæ post ictum prouenit, si per aliquot menses perseueret, incurabilis est, quoniam cum fractura, vel distentione nerui, & tympani est. Quæ autem à catarrho fit, curatur auertendo in aliam partem fluxionem, & consumendo, quod parti impactum est. *Surditas ab ictu incura.* *A catarrho surditas.*

De sternutatione. CAP. LXX.

STernutatio est motus facultatis animalis à causa præter naturam commotæ, in quo flatuosæ cuiusdam substantiæ confertim per nares cum spiritu fit expulsio. Non solùm enim, qui è cerebro sonum edit, excernitur spiritus, verùm etiam è pulmone euidenter efferri conspicitur, sese vniuersim & repentè contrahente, pellere, ob eámque causam sternutationẽ fieri, cuius omnes expulsiones per cohibitionem, & retentionẽ spiritus fieri consueuerunt. Nec verò cuiquam mirum videri debet, spiritum vnico impetu, tum à thorace, tum à capite excuti. Thorax enim cerebri motum sequitur, quod commune è natura factum esse videtur, vt respirationis necessitas eodem tempore per vtranq; partẽ expelleretur, ne alioqui altera alterius munus interturbaret. Strepit

Duæ sunt caussæ ster nutationis. autem spiritus ille, vel quia conféstim erumpit, vel quia ei per angustum, vt scribit Hipp. est exitus. Duæ enim sunt sternutationis caussæ: vna, quæ à cerebro prodit, de qua Hipp. scripsit, sternutamentum è capite concitari calfacto cerebro, aut humectato eius inani spacio, aëre intus contento foras erumpente, illúdque generationis principium habet appetitionem naturæ, flatuosum illum spiritum excernere gestientis. Ideo verò calfacto cerebro, & præhumectatis eius ventriculis fieri dixerit, quia calor siue internus, siue externus à quauis caussa, vel etiam frigiditate ambiente, intentior factus humiditates in cerebro attenuat, & rarefacit, atque in flatuosum spiritum vertit. Atque ob eam caussam inter bona iudicia in morbis exitialibus, exceptis his, qui pulmones exercent, recensuit Hipp. Securitatem enim (vt Gal. explicat) polliceri videntur, si præcedente morbo superuenerint, etiamsi lethalem esse alia signa declarét. Sunt enim coctionis argumenta, & cerebri facultatem robustam ostendunt, quæ deiectis ex nare flatuosis spiritibus cum quadam humiditate, interdum sensu perceptibili, & manifesto, interdum obscuro, & insensibili sternutamenta commouent. Ad hæc indicant naturam antea torpentem & languentem, nunc expergefieri, & excitari, & per eam motionem reminisci. Addit verò alio in loco capitis grauitatem, cephalalgeásque varias, quas vaporosi spiritus copia excitauit, euidenter subleuare, quia fit rarefactis humoribus in capite contentis, & naturæ impetu excretis, qui rarefiunt è naturæ calore sese exuscitante, excalfacti, propter cuius imbecillitatem priùs coaceruata fuerat superuacanea humiditas.

Altera caussa ster nutat. Atque hęc commodè præstat sternutatio, quæ à cerebro initium motionis habet. Altera verò caussa est, quę ab altera caussa cietur, cum quid mordax & vellicans, veluti penna naribus inditur, aut si naribus sursum elatis, aër frigidus inspiretur, sua qualitate cerebri menynges ferit, & sursum mouet. Ex eodem facultas ad excutiendam molestiã è narium meatibus, vt in tussi à pulmonibus, & aspera arteria concitatur, & spiritus per eos valentiùs, vel confertim delatus, sibi vias non aliter, quàm tibias aut fistulas artifices expurgant. Magis tamen

men eos humores, qui in aspera arteria hærentes difficulter reiciuntur & soluũtur, sternutationes expellũt, vtpote quæ validiorem, quàm tusses, habeant impetum. Quibus vires sunt adeo imbecillæ, vt excreméta in thorace contenta excutere nequeant, nares sibi lacessendo sternutamentum superueniens, bonum esse scribit Hippocrates. Sic etiam singultum sanari experientia patet. Sunt autem, quos vbi præhendit hæc affectio, semel exercet, alij, quos sępe, sed quia sine periculo his accidere, raróque corpori affectionem noxámque maiorem attulisse visi sunt, pauci sũt, qui de illius curatione scripserint. Sæpe tamen multi sternutando moriebantur, animámque efflabant, aut epileptico insultu conuellebantur, & concutiebantur, vnde inualuit consuetudo apud Christianos, vt sternutanti bene precentur, quod ex gentium persuasione sumptum est, quæ aliquid ominis, vt eorum monumenta testantur, nimium superstitiosè adiiciebant. Verùm de his satis. Si cui frequentior sternutationis concusso molestiam adferat, apprehensis naribus & spiritu retento per aliquod tempus cõpescit. Dicimus enim cõtracto cerebro eam fieri. Cùm ergo sternutamentum retinemus, dilatatum cerebrum seruamus, ex quo concitationem eius frequenter sistimus. Si verò aër, aut spiritus mordax, aut rei cuiuspiam odor, vt rosarum bene multúmque redolentium, vel gratus, & acutus, vt cinamomi, aut vini, aut tenuis quædam substantia naribus recepta, qualis est pul. euphorbij. veratri, costi, & similium, ex quibus medicamenta sternutamentum mouentia efficiuntur, hanc excitat (quod sæpe euenire solet) qui pul. hos præparant, nares sibi diligenter obturent, vel pro remedio erit contraria substantia naribus admota, vt est, opium, mandragoræ radicem, vel panem olfacere, quæ omnia morsum contrarium caussarum frangere, & obtundere celerrimè possunt. *Christianorum consuet.*

De catarrho. CAP. LXXI.

DEfluxio siue catarrhus interdum à materia frigida, interdũ à calida est, atque modò ad fauces, modò pectus, modò ad aures, ad oculos partim fluit, quorum omnium curationes postea mõstrabimus. Si materia sit calida, & venæ distentæ appareant, vel si ad oculos, pa-

latum, vel ad pulmones fluat, vel si cum febre gignatur, sanguinem mittere oportet, nunquam autem alia ratione. Diuertendus erit clystere, & purgatione, vel cum decoctione tamarindorum, & aliorum soluentium, & incrassantium. Eos leuiter purgare oportet, ne materia, quæ fluit, magis exagitetur, sed potius sistendus est defluxus. Postea extra paroxysmum eradicabitur materia. Ad retentionem catarrhi, fiunt gargarismata, fumigia, & sacellationes, supra caput, & caputpurgia, sed fumigia magis laudantur, postea caputpurgia, & cùm materia ad fauces fluit, gargarismata, cùm ad oculos fit defluxio fumigia fiunt diuersis modis, & rationibus, & magis sunt necessaria in materia frigida, quàm calida. Quæ tamen calidis catarrhis conueniunt, hæc sunt.

Quando mittēdus sanguis.

Quibus retinetur catarrhus.

℞. fumigij aceti demissi supra lapidem ignitum, vel ferrum, vel fiat sic.

Calidis hæc conueniunt.

℞. ros. rub. coriandri præparati ana ℥. j. gummi hederæ, sandaracæ, mastich. olibani, ana ʒ. ij tro. de camphora ʒ. ß. seminis papa. albi ℈. ij. concass. & fiat fumig. quo suffumigantur cooperimenta capitis, & recipiat aliquem fumum. Optimum erit pro catarrho valde subtili, & calido gargarisma, quod faciendum erit ex incrassantibus & astringentibus, vt si quis ex syrup. de papau. cum aqua ros. vel plantaginis gargarisma conficiat, vel ex decoctione cotoneorum, malorum granatorum, & ros. ana ℥. j. seminis pap. albi ʒ. j. fiat decoctum, in quo addatur syr. iuiubarum, viol. vel de papa. qs. In garga. enim ponitur syr. ad dulcorandum. Pro ℔. j. decoctionis solent poni ℥. iij. syruporum. Bonum est tenere in ore formulas de bolo, vel pilulas de arnoglosso. tabula vna diapapaueris albi. Vel si velis, conficientur formulæ ex astringentibus & incrassantibus sic.

℞. mastich. thur. ana ʒ ß. opij ℈. ij. penidiarum ʒ. iij. cum syrup. iuiubarum, fiant formulæ, teneat in ore. Vel sic.

℞. pul. diapap. albi ʒ. j. seminis papaueris albi leuiter conquassati ʒ. ß. boli armeni, terræ sigillatæ ana ℥. ij. sacch. candi, penidiarum ana ʒ. ij. succi gly. ℈. j. fiant formulæ cum syr. iuiubarum, vel cum aqua infusionis gummi trag. teneat in ore. Fluxu aliqua ex parte retēto

In fluxu retento quid faciendum.

conce-

concoquenda erit materia syrup. incrassantibus, quia semper aliquid ad fauces defluit, vel ad pulmones, & morbus est cum fluore, ob id reiiciendi sunt syrup. alterantes materiam calidam cum quadam apertione, vel magna detersione, vt syr. cichorei. & alij id genus. Eligendi autem sunt, qui refrigerant, & incrassant, & partes exasperatas leniendi vim habent, quales sunt syr. viol. de iuiub. de nenuph de papa. & similes, si cum decoctione pectorali misceantur, vel alio remedio magis appropriato. Et miscetur his syr. interdum syrupus de rosis succis, sed id faciendum tantùm, cùm materia est mixta, vel violarum, vel ros. cum aliis syrupis. In materia calida præscribi possunt in minori dosi. Aquæ laudantur, vt viol. ros. capil. ven. scabios. & similes. Fiunt decoctione ex astringentibus, vel leniẽtibus pro necessitate, vt, *Syr. incrass. refriger.* *Aquæ.*

℞. olibani, mastichis ana ʒ ij. concoquantur leuiter in aqua. In ℔ j col. diss. syr. de papauere & iuiub. ana ℥. ij & hoc erit in principio cùm materia adhuc fluit.

℞. syr. de pap. ℥ j. syr. iuiub. & viol. ana ℥ ij. dẽtur cum aqua hord. & fiat hoc modo decoctum. *Astringẽtia in princip.*

℞. glyc. ras. ʒ. iij. ros. rub. viol. ana p. j. quat. semin. frigid. maior. ana ʒ. ij. seminis papaueris albi ʒ. j. pass. contritarum cum granis (quia intentio est astringendi) sebesten ana N. x. hord. integri (cum magis incrassare volumus & lenire, quàm abstergere) p. j. fiat decoctio. In col. diss. syrup. viol. & iuiubarum ana ℥. iij. misce, pro iij. dosibus

℞. elect. diatrag. frigid. tabellam j. pro dosi. Cùm autem materia fluit ad fauces, abstergentibus abstinebimus, & vtemur tantùm lenientibus & incrassantibus & concoquentibus, vt postea monstrabitur. Euacuatur autem pilulis, sine quibus, cochiis & aliis euacuantibus è capite sed multùm, sine quibus, cũ tertia parte cochiarum, vel electario aliquo laxatiuo, vt de citro sol. indo, diaph. Addetur aliqua pars diacart. syr. ros. laxatiui cum aliqua parte syr. viol. & cum decoctione pectorali, aut syr. viol. cum decoctione myrobal. cui addimus interdum grana aliquot diagridij, maximè cùm vtimur syr. & decoctione. *Quando abstinendũ ab abstergentibus.*

Catarrhus frigidus.

Catarrhus frigidus constringendus est magis, sed cum astringentibus calidis, vel mediocriter incrassantibus. Ergo si fiat, garg. astringens fiet hoc modo.

Gargarisma. ℞. ciperi, cal. arom. glyci. ana ℥. ij. fol. lentisci vel myrtill. ana M. ß. cortic. thur. ℥. ß. fiat decoctio. In colatura diss. diamori ℥. ij. mellis ros. ℥. ß. fiat gargarisma. Liquiritia ponitur magis ad leniendum partes exulceratas, & ad dulcorandum. Semper enim ab indicatione partis miscenda sunt, quæ leniant asperitatem. Potest sic fieri fumigium.

Fumigiũ. ℞. ros. rub. nigellæ torrefactæ, gummi hederæ, boracis facti ana ℥. j. coriandri ℥. ij. auripigmenti cuiuslibet ʒ. j contundantur, fiat fumigium, quo fumigentur panni, & cooperimenta capit. Et si tussis non adsit, potest aliquid fumi per os recipere. Possunt adhiberi ligni aloes ʒ. iij. galliæ & aliptæ moscatæ, styracis, calami. ana ℈. iiij. pro ditioribus. Minuatur materia clystere acri, concoquatur syr. calid. Et si fluat adhuc materia, misceantur aliqua leuiter astringentia, vel frigida aliqua, quæ vim habent incrassandi, vt,

℞. mellis ros. col. ℥. j. syr. de glic. vel de hyss. iuiub. aut viol. ℥. j. Si autem materia tota iam defluxerit, sunt tantùm vsurpandi syrupi materiam concoquentes, & detergentes. Euacuabitur autem pilulis cochiis in maiore dosi, quàm superiùs factum est, de sarcocolla, de agar. assaieret, de hiera composita, de mastiche, non autem aureis nec aliis fortioribus. In frigida materia datur theriaca media, vel mythrid. vt in calida theriaca recens danda. Teneant in ore thus, aut bolum armenum ad sistendam defluxionem, vel fiant formulæ sic.

℞. thuris, mastiches, cyperi ana ʒ. j. succi gly. boli arm. præparati ʒ. ij. sacch. candi. penidiarum ana ℥. iij. gummi trag. arabici ana ℈. ij. carnis pass. cum aliis contusarum ʒ. ß. formentur cum syr. viol. vel de iuiub. formulæ instar lupinorum. In catarrho perseuerante optimum est dare pilulas de styrace ad sistẽdum fluxum, quæ tametsi opium recipiunt, non sunt vituperandæ. Recipiunt enim styracem, & alia, quæ frigiditatem eius reprimunt. Pilulæ Mes. vel de arnoglossa, vulgò cynogloss.

In catarrho perseuerante quid agend.

no gloss. ad omnes catarrhos magis conueniunt in materia calida, quam frigida. Nam opium & hyosquiamus superant. In catarrho frigido ad cerebri robur, bonum est vti hoc puluere capitali.

Pulu. in frigido catarrho.

℞. cyperi, corti. citri sicci an. ʒ. j. caryoph. cardamomi an. ʒ. j. ß. nig. torrefactæ, granorum tinctorum, coriandri præparati an ℈. iiij. macis ʒ. j. melis. siccæ sampsuci an. ℈. ij. ß. stecha. ros. rub. an. ℈. ij. fiat pul. quo sinapizetur pars anterior capitis serò, in lecti ingressu, & manè. Fiat byretrum sequens.

Byretrum

℞. meliss. beto. ocymi, sampsuci an. M. ß. salis torrefacti, thuris, mastich. an. ʒ. iij. rad. acc ʒ. ij. nucis moscatæ, caryoph. styrac. cal. ladani an. ʒ. j. ß. ros. p ß. cum syndone rub. fiat byretrum. Vel pomum odoriferum.

Pomum.

℞. nigellæ torrefactæ ʒ. ij. nucis cupressi, caryophillorum, sampsuci sicci an. ʒ. j. ligni aloes, gallæ mosc. an. ℈. ij. ladani ʒ. iij. cum cera fiat pomū odoriferum, ad sistendum catarrhum post euacuationem. Si defluxio fiat ad aliquam partem, vel ad pectus, vel ad collum, curanda erit hoc modo, parti adhibendo sequentia vnguenta ad resolutionem, quæ dicentur cap. de angina.

De grauedine. CAP. LXXII.

HVmorem tenuem, crudum, & aquosæ pituitæ persimilem, qui per nares affatim à cerebro prolabitur, & in quibusdam tempore frigido stillatim decidit, Græci corizam, Latini grauedinem, nostri (Roupie) appellant. Illa autem est defluxio, quæ ex cerebro in illam partem per ossa ethmoidea decumbit, cuius materia est cerebri excrementum, quam gignunt intemperans, humidiórque victus, & capitis imbecillitas intemperiésque frigida, aut calidior, aut copiosius & non satis congruens cerebro suppeditatum alimentum. Id enim facilè procreat excrementa pituitosa, quum refrigeratum non est subigendo alimento, aut perdomando. Nam quale per diarrhœam in ventre per cruditatem malum est, tale grauedo in capite, quę in senibus frequētior est, iuuenibus verò minus. Intemperies calidior generationis caussa est, quòd maiorem vaporum humorúmque

copiam cerebrum ad se euocat, quàm præ copia possit digerere: constitutiones ad hæc calidæ & humidæ caput replentes idem præstant. Eam vero materiam expellit, & è capite deturbat frigus exprimens. Vbi enim ab aliqua caussa repletum fuerit caput, frigus superueniens veluti manu quapiam extrinsecus apprehenso, & compresso tanquam spongia cerebro, contentam humiditatem exprimit, & in partes capite inferiores detrudit. Æstus præterea, vt solis & caussarum similium, vim calfaciendi habentium, quam ex accidenti interdum frigus obtinet, dum calorem naturalem intro agit, & reuocat, eóque modo interiorem reddit, humores in capite cumulatos liquando, & dissoluendo efficiunt, vt pondere suo in subiectas partes profluant, grauedinísque caussæ existant, qui si acrem quendam & mordacem qualitatem priùs in ventriculis cerebri contraxerint, ea per se potens est facultatis expultricis munus minus ad excretionem aptum sollicitare. Quam ob caussam sternutamenta præcedere consueuerunt, vel ob flatuosi spiritus cum eiusmodi excrementis commixtionem, vel ob fluxionem confertim prolabentem, qubus efficitur, vt nec diu adhærens, nec diu retenta in ossibus ethmoidis, crassitudinem nullam acquirat, nec ab aere immutationem vllam recipiat, vnde & calida (nisi per frigora ingentia, cùm ad extremitatem narium delata est, perfrigeretur) & tenuis seróque persimilis, dum distillat, apparet. Excitatur interdum alia grauedinis species crassior, à crassiore & simul flatuosa pituita, quæ ob id diutius naribus adhæret, eásque obstruit, & molestiam magnam in illis parit, in qua, vt & in superiore, qualitatis & quantitatis, eorúmque excrementorum atque vnà caussarum, quæ præcesserunt, contemplatio, capitis affectum demonstrat, siue calida fuerit, vt ex solis æstu, & similium calfactione, siue frigida, vt in refrigeratione. Hoc etiam pituitæ generatione accidit, vt quæ à vehementissima frigiditate, ne euadat, accidat. Et quæ à calore caput repente salsa aut acris, sicut & quæ propter exiguam fit frigiditatem, nullam ad gustum manifestam qualitatem, aut certè paucam dulcedinem præ se ferat. Quibus præterea grauedines ex solis offensione accidunt,

caput ipsis non modò calidum, sed etiam sanguine plenum conspicitur, adeo vt omnes venæ, quæ in oculis, temporibus, fronte, & tota facie conspicuæ sunt, turgescant, & inflentur. Perfrigeratis vero cutis minùs calida est, oculi non admodum tumentes, nec vllus in facie scalor, sed minorem præ se fert molem.

Curatio.

Vtriusque autem affectionis curatio, cerebri resiccatione, vel leui refrigeratione, vt materia inspissetur, perficitur: denique cum probo successu tale fumigium sum in me expertus. Laminam ferream, donec omnino candescat, igni subiicito, calfactam aceto ros. illic sensim instillato irriga, vaporémque ex eo elatum per nares recipito. Quòd si efficaciorem velis, rosas siccas simul cũ aceto super laminam ipsam ferream coniicito, & in fine fabas integras, & aceto inspersas, aut dum vruntur, laminam ipsam rursus aceto irriga, quæ ad horum symptomatum leuium curationem sufficiunt. Cætera, quæ à nobis de catarrho dicta sunt, huic instituto (affectionis tamen & partis indicatione obserua) accommodari possunt.

De dentium dolore. CAP. LXXV.

Dolor dentium fit ob defluxum alicuius humoris frigidi, quem cohibere oportet. Si tempus patiatur, & dolor perseueret, sed non admodum vrgeat, purgetur pilulis euacuantibus pituitam. Postea apponentur emplastra, quæ fuere præscripta de ophthalmia non vera vel fiat emplastrum ex pice sola, vel si reperiatur emplastrum contra rupturam, vel comitissæ, vel de mastiche, sumatur vel fiat tale magistraliter. *Purgatio.* *Emplastrum.*

℞. thur. hypoch. ladani ana ʒ. iij. picis, mastich. ana ʒ. ij. ol. lentisci parum, fiat emplastrum, & hoc confert, quando dolor fit ab influxu materiæ crassæ & frigidæ. Quòd si perseueret, & materia calida, acrísque sentiatur; adde seminis papauc. albi ʒ. j. vel meconij ℈. j. Prodest in principio aliquid opij, aut spinæ albæ adiicere. Ad doloris sedationem fiat talis decoctio.

℞. fol. salic. M. ß. radic. pentaphili ℥. ß galla. ʒ. ij. fiat decoctio in vino styptico, quo colluatur os. Hæc decoctio sedat dolorem, & sistit fluxionem. Vel fiat sic. *Ad sedationem doloris decoctio.*

℞. hederæ M j. cortic. mori, vel lentisci ℥. j. gall. 3. ℥j. fiat decoctio in vino styptico, quo colluatur os. Si purgatum sit corpus, aut alioqui caput non sit plenum multa pituita, masticet pyretrum, alioqui magis attraheret, & maiorem dolorem excitaret. Præstantissimum remedium est theriaca dentes fricare, vel mythrid. aut syncrito, modò hæc remedia non sint nimis antiqua. Nam exiccant & stupefaciunt. Succus allij missus in aurem è directo partis affectæ, leuat dolorem, quod facient & omnia quæ calfaciunt vt ruta, matric. vel oleum aliquod calfaciens immissum in aurem, vt laurinum, costinum. Si dens corrosus fuerit, extrahatur. Fumigatio cum re aliqua calida recepta per emporum sedat dolorem, vt ex decoctione satureiæ. Si vermes adsint, admisceantur amara, vt occidantur, & fricentur dentes theriaca. Supra dentes fœliciter ponitur hoc.

Masticatorium.
Topica.
Fumigatio.

Medicamentum.

℞. aloes 3. j. caphuræ 3. ß. aquæ vitæ 3. ß. dissol. & cum bombace admoue denti. Aduerte, nunquam aut rarò dentes dolere, nisi arrosi fuerint, & corrosio vsque ad cauitatem internam penetret, ac neruum tangat. Preterea omnium maximè dolere maxillares seu molares, incisorios autem rarò, aut nunquam. Quare vt affectus is tollatur, cauterio aut aqua separationis auri dentes adurunt: Sic enim neruus sensum illum exactum amittit. Id si frequentiùs fiat, & fortiùs imprimatur, ac dens corrosus fuerit valde, in partes sensim rumpitur, & extrahitur. Dentes etiam corrosi ferro euelluntur. Quòd si ob cruciatum quis ferre id noluerit, aqua forti replenda est cauitas dentis. Nam alimentorum & præsertim dulcium portio, in cauo dentis retenta, putrescit, atque ita dolorem infert, vel fœtorem, & erosionem auget. Quare & ratione & experientia optimum reperies, dentis cauum implere, ne quidpiam ingrediatur, quod partem illam sensilem contingat. Repletur verò mastiche mansa, & mollita. Nam si apponuntur, quæ dura sunt, dolorem excitabunt. Sunt qui cera opplent, sed meo iudicio, ea parum conuenit, quia vim emolliendi habet, præsertim si recens fuerit. Si tamen ea velimus vti, admiscebimus salem vel alumen, vel aliud, quod siccet, & astringat, præsertim si dens madeat. Vel ceram albam potius,

vt

vt quæ ficcior eſt, ac vim quandam aſtringentem obtinet propter eius præparationem: vel rubram, quæ ob cinabrium dentes præparat, vt faciliùs euellantur, vel in partes confringantur. Viridis tamen magis laudanda eſt, quæ vehementer ſiccat ob æruginem Poſt hęc ſiccantibus aliis erit vtendum, ne ea, quæ dentes extergunt, tandem eos acrimonia ſua erodāt. Si fœtor adſit, adde moſcum: ſi putredo, myrrham, & opple cauitatem. Poteſt autem repleri bombace, qui odorem moſci habeat. Solet enim moſcus in eo aſſeruari. Id tamen faciendum non eſt in his, qui obnoxij ſunt dolori capitis, aut vertigini, quia odoribus læduntur.

De dentibus tremulis. CAP. LXXIIII.

TRemunt dentes, & maximè inciſorij qui vna tantùm radice nituntur, relaxatis gingiuis. Relaxantur autem ob nimiam humiditatem, vt videre licet poſt ſudationem in morbo gallico, cùm non ſolùm tremunt, ſed plerunque etiam decidunt. Ob id oportet medicamenta non ſolùm eſſe ſiccantia, verùm etiam aſtringentia, vt alumen, nux cupreſſi, radix pentaph. & biſtortæ, roſæ & earum ſemen, & capitulum, & ſimilia his adduntur, quæ ſiccant cum quadam caliditate, modò nulla ſit inflammatio, vt flores anthos, qui ſiccant ſimul & corroborant. Abſtinendum à chalcite, cortice mali granati, gallis, balauſtiis, quia dentes denigrant. *Relaxatio dentiũ.*

℞. radic. pentaph. & biſtortæ ana ℥ ij. roſ. cupulorum gland. ſpongiæ bedegar. ana ℥. ß. fiat decoctio in aqua ciſternæ, vel ferrata.

℞. aquæ cuſpid. roſ. ℥. ß. aluminis ℥. ß. miſce, fiat decoctio, foueantur dentes.

℞. aluminis, corall. rub. ana ʒ. ij. ſumach. ſpong. bedegaris. rad. biſtortæ ana ʒ. j pulueriſentur & cum ſucco cydoniorum fiat confectio. Prodeſt aqua aluminoſa. Præſertim ſi inflammatio adſit, vel aphthæ in aliqua parte oris: Vel gutta aquæ ſeparationis auri diluta aqua plantaginis vel peculi roſ. vel caudæ equinæ, vel etiam aqua communi, ſi alia deſit. Hæc enim dentes ſtabiliunt & ſimul dealbant. Relaxantur etiam dentes carne gingiuarum abſumpta, quæ replebat, & firmabat interualla *Relaxationis alia cauſſa.*

dentium. Absumitur autem caro propter carnem dentium. Huic affectui occurrimus ablatione cariei, quæ est supergenita. Deinde aceto scill. dẽtes fricamus. Postea vtimur puluere præscripto, qui carnem siccando regignit. Magis conueniens remedium fiet, additis sarcoticis, vt thure, & eius cortice, radice panac. aut ireos, aristoloch. vel farina orobi, nisi amaror prohibeat. Pistolochiæ & ireos radix id præstat, & odorem gratum & iucundum spirat Nam in affectibus oris ea medicamenta deligenda sunt, quæ odorem, vel saporem nullum, vel iucundum habent. sed odor quidam castigari potest admixtis odoratis: ingratus autem sapor, non item facilè. Solet enim emendari dulcibus. Ea tamen dentes putrefaciunt, & dolorem excitant dentium. Citra tamen noxam hæc addimus, mel rosa. col. & meliùs oxymel scill. Sacch ficus & similia dentes corrumpunt. Quare non possum probare, quod multi faciunt, qui in dentium dolore ficubus vtuntur. Nam si hæ, cum non adesset, dolorem inducunt, multò magis præsentem adaugent. Omnis itaque dentium affectus siccantibus & astringentibus curatur, ac dolor lenitur, quem in aliis partibus astringentium vsus solet augere. Ob id olea omnia, & axungiæ denique, quæcunque vim habent relaxandi, & emolliẽdi, fugienda sunt. Fit aliquando, vt caro illa, quæ est in interuallis dentium, supercrescat, & sangnis inter mandendum reiiciatur. Tunc frigidis & astringentibus caro illa laxior duranda est: vt aqua aluminosa, quæ repellit sua frigiditate, & astrictione. Prodest etiam colluere os succo cydoniorum, aut alicuius herbæ, quæ sit prædita simili facultate: Vel mandere pyrum, vel malum cydonium. Postea vtile fuerit pulu. coralli rub. & spongiæ bedeg. & radic. bistortæ inspergere.

Quæ nocent dentibus.

Astringentia prosunt dentibus.

Dentium dealbatio. CAP. LXXV.

DEntes nigri dealbantur hoc modo: Aspera & siccantia, quę sua vi detersoria dentes dealbant, vtuntur, & tamen demùm in medicamenta sicca, aut opiatas redduntur, aut puluerisata, & gummi arab. excepta formantur in dentifricia.

Dentifric. ℞. aluminis. coralli albi, rad. bistortæ ana ℥. j. fiat pul. quo fricentur dentes. Efficacius est, si os sepiæ, aut cornu

cerui, aut cinis panis hordei, pariet. rad. betæ, asphodellorum, ouorum, ostreorum addantur hoc modo.

℞. parietar. capil. ven. ceterach. an. M j panis hord. ℥. iij. cortic ouorum N. xxx coralli rub. cortic. thur. cornu cerui an. ℥. ß. ponãtur in vase, coquantur in furno. Adde cineribus ad odoris gratiam, caryoph. coriandri, cinamomi an. ʒ ß. ossis sepiæ ℥. iiij. fiat pul. *Pulu.*

℞. pul. præscripti ℥. ij. aluminis ʒ. j cum mosco, gummi trag. & arab. extracta cum aqua ros. aut cuspid. ros. aut aqua cisternæ, aut ferrata, aut vino astringente, fiant dentifricia oblonga, fricentur in sole, vno ex istis dentes. *Dentifri.*

℞. cineris præscripti ℥. iiij. salis communis, dentium equorum vstorum an. ℥. j. cum oxymel. scill. fiat opiata, qua fricentur sæpe dentes, & abluat post, cum aceto scill. Hoc ad dentium corrosionem multùm confert. Vtilius adhuc erit, si myrrham addas, vel hoc modo componas.

℞. aluminis vsti, myrrhæ, mastices an. ʒ. ß. salis ʒ. j. excipiantur cera alba, & ablutum prius dentis cauum mixtione impleatur. Ad dealbandos dentes & conseruandos.

℞. panis frumenti, amborum corall. cornu cerui an. ℥. ß. aluminis ʒ ij. parietar. capil. ven. ana M. j cortic. ouorum N. iiij. aliàs N. x. ponantur omnia in vase fictili in furno, & perfectè conterantur, & cinis seruetur vsui, & fiat sic.

℞. cineris præparati ℥. iij. cinamomi ʒ. ij. caryophil. macis an. ʒ. spicæ, cal. arom. an ʒ. ß. mell. ros. col. q. s. ad incorporandum aceti scill. ℥. j. fiat ad formam opiatæ, qua manè fricentur dentes, & postea vino abluantur. Hæc conseruat à putredine, & dealbat dentes, & est medicamentum non ingratum: & quibus malè olet anhelitus ob dentes corrosos, competit. Possunt addi mosci vel ambræ grana aliquot, vt fœtorem dentium emendes. Si dentes tremulos velis confirmare, & conseruare, adde mastich. ros. rub. nucis cupresfi ana ʒ. j. Ad dealbandos dentes parantur dentifricia ex radic. bismal. sic paratæ. Corrigitur radix bismal. & mundatur diligentissimè, & diuiditur in partes longas quinque vel sex di- *Opiata pro dentibus.*

gitos, decoquatur in aqua, sale, & alumine. Si addatur radix ireos, decoctio magis odorifera erit. Vbi decoctæ sunt radices, ponuntur in furno, vel sole, exiccantur, & illis radicibus dentes fricantur, purgantur. Antiqui magis probabant lentiscum, quia abstersionem habet, qua gingiuas roborat. Laudatur autem bismal. quia mollis est, nec lædit carnem gingiuarum, & astrictionem acquirit ex alumine, eius quoque lentor ab eodem alumine & sale castigatur.

De oris fœtore. CAP. LXXVI.

Fœtor oris vel propter corrosum dentem fit (relinquitur enim in cauitate dentium aliquid ex alimentis assumptis, quod dum putrescit, os fœtens reddit) vel propter vlcus in interna parte oris factum, vel propter pulmonis vlcus, vel propter alimenti corruptionem, vel propter nimium vsum carnis. Nam, vt experientia compertum est, omnia animalia, quæ carne vescuntur cruda, vel multa, animam malè olentem habent. Item propter nimiam humiditatem partium oris. Pro diuersitate harum caussarum, oportet rationem curandi inuenire. Si à corroso dente proueniat, sufficit dentifricio ex lentisco, aut alia re, post pastum, cibi reliquias auferre, sale dentes confricare, & vino, vel aqua os abluere, aut aqua & aceto. Si ita corrosus dens sit, vt sæpe dolorem inducat, extrahatur. Si autem vlcus sordidum sit in caussa, diligenter detergatur aquis supradictis in cap. de Ozena, addita aqua ros. vel myrt. Idem facit si ab humiditate nimia vt nimio sputo accidat, facta prius purgatione pilulis de assaieret, aut aliis fortioribus, si opus fuerit: Deinde aqua cisternæ sale, & aceto ros. os frequenter abluere. Si ab vlcere pulmonis, curandum est vlcus. sed qui patiuntur talia vlcera, frequenter vtuntur rebus dulcibus, quæ fœtorem oris faciunt. Ob id odorata aliqua in ore continere debent. quæ sunt illis opportuna, vt conserua ros. Si autem à cibi corruptione odor aciditatem referat, purgandus est pituita ventriculus, & postea aromatici rosati confectione, vel de cinamomo, vel de elect. diatr. ventriculi concoctionem emendare. Si verò alium odorem referat, medicamenta alia danda sunt, quæ bilem, & alimenta corrupta euacuent, & ventriculum vtcun-

Caussæ fœtoris.

Fœtor. à corroso dente curatio.

Ab vlcere aut nimia humiditate curatio.

A cibi corruptione.

quę exiccent vt rhab. succus rosarum, syr.ros. vel decoctum mirobal. Deinde vtantur elect. odoratis, vt diamarg. frig. triasand. & aliis resiccantibus. Hoc enim commune est in omnibus fœtoribus, vt exiccentur. Nimia enim humiditas semper putrilaginem facit. Vtantur alimentis siccioribus, vt pane asso. Abstineant ab odoratis, vt cæpis, alliis, porris. Vtantur cinamomo, garyoph. aceto rosato, & aliis resiccantibus. Ob id pulueres præscripti à nobis ex cineribus, additis & auctis odoratis, vtiles erunt. Addendum autem erit saccharum ros. tabulatum.

De Aphthis. Cap. LXXVII.

APhthę dicuntur vlcuscula in partibus internis oris facta in pueris ex lactis acrimonia, vel putredine, vel ab alia caussa externa, vt pane corroso à muribus, vel ab humoribus acribus partes illas molliores, & delicatas exulcerantibus. Sunt vndiquaque rubicundę, & circa medium albæ. Mutant odorem pro natura sanguinis eius, qui laborat. Nam aliquando color ille exsaturatus est, & niger, aliquando flauescit. Si à caussa procatarctica ortum habuerint, sufficiunt topica remedia, quæ vim astringendi habent, & insigniter resiccandi, vt aqua, quę à nobis fuit præscripta ad polypum, qua penicillo tangantur partes exulceratæ. *Curatio caussæ procatarctica*

Reliquæ oris partes colluantur aqua peculi rosarum vel solani vel acetosæ, vel aqua rosata, cum guttula vna aceti: Vel abluant cum aqua vltimò descripta ad vlcera narium. Omphacium dissolutum in aliqua ex istis aquis astringentibus mirum in modum prodest Vnguenta commodè non præscribuntur in istis affectibus. In robustioribus tangantur aqua forti, diluta cum aqua plantaginis, vel aqua, in qua sublimatum est decoctum. Penicillo tangantur, & posteà abluantur reliquæ partes oris succo mali granati, vel aqua rosata, vel myrtill. vel aliarum. Si talia vlcera facta fuerint à caussa interna, appareántque partes oris internæ, vtcunq; inflammatæ, prodest sanguinis missio ex cephalica, deinde è venis sub lingua. Gargarismata seu collutiones oris ex frigidis, vel astringentibus parare oportet. Si vlcera sordida fuerint, mel rosatum, vel syrupum ro- *Curatio caussæ internæ.*


ſatum laxatiuum, vel ex roſ. ſiccis addere oportet, & frequenter os abluere, & vlceribus diuerſis ad collutiones oris repellentes, aucta facultate reſiccandi, medicamentis reſiccantibus proderit vti, vt alumine diſſoluto in aqua ex corticibus granatorum diſtillata: vel herbæ, quæ reſiccant & aſtringunt, in vino ſunt decoquendæ, & aqua ferrata, & ſic curabuntur.

De memoria imminuta ob vulnus aut febrem. Appendix capitis 21.

MEmoria minuitur ob vulnera capitis non ſolùm partis poſterioris, ſed etiam anterioris partis cerebri, vt obſeruauimus in quodam, ex comitatu Vicecomitis Vticenſis, valde erudito, & Græcis Latiníſque litteris ſatis inſtructo, cui cùm enſis in oculum altè immiſſus fuiſſet, ob illud vulnus memoriam omnino amiſit, vt omnium litterarum oblitus fuerit, coactúſque poſt aliquot annos Lutetiam repetere, vt ab elementis litteras diſceret. Ego tamen exiſtimo partem poſteriorem cerebri læſam fuiſſe. Nam cauitas oculorum altè deſcendit, & ad mediam vſque regionem, vel vltra, penetrat, à qua regione initium ſpinalis medullæ oritur, quæ baſis eſt ventriculi poſterioris, in quo ſitam memoriam omnes antiqui crediderunt.

LIBRI PRIMI FINIS.

GVLIEL-



GVLIELMI RONDELETII D. MEDICI, DE MORBORVM CVRANDORVM METHODO,

LIBER SECVNDVS.

In quo affectus thoracis, & partium vitalium explicantur.

De Strumis. CAPVT I.



TRVMÆ fiunt à materia valde viscida & crassa, ob id parum differunt à curatione scirrhi. Ante omnia vtantur pilulis sine custodia. Postea coquatur humor attenuätibus, incidentibus, abstergentibus, vt est mel rosatum, syr. de bizantiis, de hys. de stechade, quinq; rad. mel. scil. syr. de pomis cõpositus, cũ aquis elenij, hyss cap. ven. marrubij, beto. vel melissæ, fœni. apij, petro. gram. asparagi. Purgatur pilulis fœtidis, cochiis, assaieret, diaturbith, aga. infuso in oxymelite. Syr. concoquens talis erit.

℞. mel. ros. syr de bizantiis an. ℥. j. syr. de stechade ℥. ij. aquarum fœnic. apij, capi. ven. elenij, hyss. an. qr. j. misce, fiat syr. aro. cum ʒ. j zinzib. Vel potest fieri decoctio & misceri syr. Sed meliùs erit in principio vti syr. & aquis tanquã leuioribus remediis. Post syrupos, paulò fortiùs vacuare oportet, quàm factum sit per pil. sine custodia.

℞. massæ pil. assaieret, turbith. an. ℈. ij. salis gemmæ & zinzib. an. gr. iij. cum succo ireos, vel gladioli, fiant pilulæ. Vel sic.

℞. mass. pil. cochiarum, turbit. an ℈. j. salis gemmæ, zinzib. pilu. fœtidarũ an. ℈ ß. fiant pilulæ cum aqua hyss. vel fiat decoctum ex concoquentibus pituitam, in cuius col. infundatur ag. tro. ʒ. j. vel ponatur in decoct. Quòd

si vomitum timeas, infundatur in oxymelite diaturbith ʒ.j.elect. de citro sol.vel diacarth.ʒ.j. syr. capil. ven.℥.j. vel mell. ros.℥. ß. fiat potio. Nunquam in curatione huius morbi debent omitti ag. & turbith addendo semper zinzib. & salis gemmæ tertiam, aut quartam partem, alioqui purgaretur tantùm, quod est subtilius, & crassius remaneret. Post purgationes detur theriaca vetus, pul. ros. no. mythri. diatrium pipereum, diagalanga, pliris cum mosco, & alia, quæ cerebrum siccant & roborant, & materiam præparant ad digestionem & resolutionem. Interpellatis igitur aliquot diebus fiat tale apozema.

℞.radic. ireos,galangæ crassæ,radi. petro. graminis, aspar. apij, olusatri ana ℥.ij.radic. balaustij,& chelidon. minoris & cucum. agrestis ana ʒ. ß. (Caue, ne accipias apium risus pro vatrachio) melissæ, beton. capil. ven. adianth. marrubij, ceterac. pollitrici ana M.j. scabiosæ M. ß. seminis petro.apij,anis. seseli, fœnic. carui,vel cymini ana ʒ. j. pass. mundatarum ʒ. iij. seminis iuniper. polypod. elenij ana ℥.j.senæ ℥ ß. cretæ marinæ (vulgò fœnic. marinum vocant) summitatum thymi ana M.j. turbith. & esulæ maceratorum in melle ana ʒ.iij. fiat decoctio in ℔.j.ß.diss. oxymel. scill. syr. de stechade ana ℥.iij.syr. de pomis compos ℥.ij. fiat syr. perfectè coctus, arom.cum ℥.ß vel ʒ.iij zinzib. vel ʒ iij. cubeb Capiat quarto quoque die ℥. v cum aqua decoctionis cicerum rub. vel cum decocto gaiac. Si sufficienter non moueat ventrem, æger quiescat aliquot diebus & pilulas accipiat, postea redeat ad syr.

℞.syr. præscripti ℥. iiij. diairis simplic ʒ.ij. misce, fiat lohot, capiat lambendo, maximè si strumas habeat prope asperam arteriam aut gulam. Nam concoquit & digerit materias, & ad euacuationem præparat. Corroborentur interea internæ partes, & exiccentur, vt dictum est, theriaca, mythrid. vel opiata sequenti.

℞.conseru.elenij, vel ireos, vel gladioli, vel radic apij ℥.iij conseru.capil.ven.℥.j.conseru. anthos, stechados ana ℥.ß.pul. diagal. & aromat.ros. ana ʒ. j. ß. pul. ros.no & pliris cum mosco ana ʒ.j. syru. conseruati. citri.q.s.fiat opiata, cap. bis in hebdomada ad quantitatem

tem auellanæ, superbibendo parum vini. Extrinsecus fiunt vnctiones, catap. emplastra emollientia, digerentia. Emollire prius oportet, postea digerere, vt in scirrho faciendum docet Gal. 14. meth. Hoc est intelligendum de scrophulis iam factis, & induratis. Nam vt monstrabimus cap. de inflammatione tonsillarum, modicè resiccantia & astringentia in principio strumas curant, absumendo paucam illam materiam. Cùm iam factæ strumæ incipiunt apparere, nec multùm intumescunt, mitiora remedia excipere oportet, quæ sine attractione digerunt, & emolliunt, vt ol. amygd. amar. de lilio, ex decocto mal. farinæ seminis lini, & fœnugr. ficuum, & axung. porci, fiat cataplasma cum diachil. communi. Ista sæpe sufficiunt in principio. Sed postquam glandulæ imbutæ sunt humore frigido, & coagulato, digerentibus magis, & emollientibus opus est, vt ol. liliorum antiquo, de kerua antiquo, irrino, sycionio, & aliis eiusmodi. Pinguedines, quæ sunt partium subtilium, & magis digerunt, vt anatis, anseris, gallinæ, tunc sunt accommodæ. Sic etiam vulpis, taxi, leonis. Magis emollientia erunt, radix bismal. liliorum, cuc. agrest. Nam hæc emolliunt & valenter digerunt. Radix iarri, dracunculi, ireos, gladioli, medulla cruris vituli, cerui, adde bdellium. Ex his fiat cataplasma sic.

℞. bismal. cum toto, liliorum ana ℥. ij florum cham. melil. ana p. j. fiat decoctio. In col. adde farinæ fabarum, lini & fœnug ana ℥. iij. axung. porci sine sale ℔. j. fiat cataplas. contusis prius herbis. Addi potest oleum antiquum, vel ol. amygd. amar. vel liliorum, vel irinum. Interdum apponetur mel in catap. quod vim habet digerendi, concoquendi. Hæc pro principio fiant. Postea fiat talis vnctio.

℞. ol. liliorum, chamo. irini ana ℥. ij. mucilag. seminis lini, fœnug. ana ℥. j. florum chamom. meliloti ana p. ß. propoleos ℥. j. ceræ citrinæ q. s. fiat vnguētum, addendo pinguedinis gallinæ, & anseris ana ℥. ij. vel apponatur diachilum magnum, ireatum. Postea reiteretur cataplasma. Sed vt fortiora recipiat, sic parandum erit.

℞. radic. cucum. agrest. ireos ana ℥. j. radic. bismal. acanthi, liliorum ana ℥. ij. scill. ℥. florum chamomillæ,

melil. sambuci ana p. j. seminis lini, fœnug. bismal. ana ℥. j. fiat decoctio in aqua & pauco aceto. Omnia contundantur, & contusis adde pingued gal. anseris, medullæ cruris vituli ana ℥. iij. misce cataplasma. Si velis addere oleum, adde ex fortioribus, & fiat hoc.

℞. opopanac. bdellij, galbani, ammoniaci, diss. in aceto scill. ana ℥. ß. Quòd si non reperiatur acetum scill. adde scillæ assatæ sub cineribus ℥. j. ol. cimini agrest. vel succi narciss. vel radic. eiusdem ℥. ij. musc. seminis lini, & fœnugr. medullæ cruris vituli, propoleos ana ℥. iij. contundantur omnia, & contusa reducantur in formam vnguenti. Continuet donec resoluantur. Quòd si essent in aliquo loco, vnde possent facilè extrahi sine periculo neruorum descendentium, aut venarum, aut arteriarum, extirpandæ sunt: postea vlcus diligentissimè siccatum ducatur ad cicatricem. Sed extirpare parùm est tutum, ob accidentia, quæ sequuntur, maximè si in profundiore parte delitescant. Præterea ad suppurationem ducere est periculosum. Nam periculum est, ne interiùs rumpantur, & sanies defluat in pulmones, & eum suffocet. Strumas pungere radio pastinacæ, easdem curat, vt ingruentes prohibet. Præterea idem facere os ranæ piscatricis scribit Plin. sed cùm nullum habeat os in cauda, id dictum puto de Raia. Sunt & multa alia, quæ à substantia, magis videntur facere, quàm à manifesta caussa, vt & hoc vnguentum.

℞. cineris agni casti flore cæruleo, senectutis serpentis ana ℥ j ceræ parum. Incorporentur simul, fiat ad formam vnguenti, addendo parum ol. amygdal. amar. Multi credunt tale vnguentum valere à proprietate occulta, sed mihi videtur præstare facultate exiccatoria, qua pollent agnus castus, & spolium serpentis. Additur verò ol. amygd. ne affatim exiccando, tenuis substantia tantùm absumatur. Spolium viperæ efficacius est, vel cinis viperarum, vel trocisci viperarum, quia digerunt, siccant, materiámque consumunt, & ad intrà & extrà. Efficacissimum ad illas absumendas est medicamentum paratum ex rad. gladioli, quæ vel contunditur cum melle & comeditur, vel siccata in puluerem reducitur, vel fiat talis opiata.

℞. gla-

℞.gladioli conditi,vel exiccati ℥.j.cineris viperarum ℥.j.ß.cineris spongiarum marinarum non lotarum ante vstionem ℥. ß puluèris de gemmis ʒ.j. cum syrupo de bizantiis, fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem castaneæ horis quatuor ante prandium. Vtatur puluere præscripto capite de suffusione, addẽdo salis torrefacti ℥.ij.vel pul. nostro præscripto in consilio scrophularũ, qui talis est.

℞.cinerum viperarum ℥.ij. cornu cerui vsti ℥ ß. rad. galang.irid.cinamomi ana ʒ.j.salis vsti ℥.iiij. piperis nigri ʒ.ij.fiat pul.tenuissimus, de quo capiat alternis diebus manè, horis quatuor ante prandium vnũ cochlear, & pro sale in condimentis,aucta salis quantitate.Si suppurentur, fiat vt dictum est in consilio. Si his remediis non curentur,remittantur ad regem Galliæ.

De columella inflammatione. CAP. II.

COlumellæ inflammatio, aut aliarum partium, curatur, vt angina: id est,mittendo sanguinem è brachio,& venis sub lingua, & appositione cucurbitularum cum scarificatione in lateribus colli, gargarismatis in principio astringentibus, deinde discutientibus vtendum. Sed eligenda sunt illa, quæ sapore suo, aut odore palato ingrata non sunt, & potiùs alimenta sunt medicamentosa,quâm purè alimenta.Ob id decoctum, vel succus fructuum acidorum, vel acerborum mirum in modum valet, vt succus vuæ acerbæ, pomorum, nucum,mororum,pyrorum,prunorum acidorum, cerasorum,sorborum,mespilorum,malorum granatorum acidorum & cotoneorum, vel decoctũ eorundem. Ex herbis laudantur plantago,portulaca, solanum, lingua passerina,pylosella, &c. Vel aquæ distillatæ, ex quibus citiùs parantur gargarismata,vt aqua caprif. rosar. peculi rosar plantag.solatri,myrthi, cortic.mal. granatorum. Aqua cisternæ cum pauco aceto non est inutilis.Repellentia medicamenta fiunt magna ex parte cum aceto, vel si fiant ex succis fructuum. In principio acetum ros. additur, vt citissimè repellat. Si autem morbus præcesserit,sitque à parte digerendum aliquid,fructus digerentes, vel mel, vel sacch. vel syrup. vel diamoron, vel dianucum permiscemus, aut quia medicamentum mi-

nus gratum videtur. At diamoron & dianucum, quia videtur parum habere astrictionis, meliores erunt in incremento, quam in principio. Fructus detergentes, & digerentes sunt, ficus, pass. amygd. contritæ. Ex herbis digerunt hyss. origanum, puleg. & aliæ calidæ, & siccæ, nec admodum amaræ. Gly. inter detergentia ponitur, vt & decoctum hordei, fabarum, rosar. recentium, vel syrup. rosᷤ. vel de rosis siccis, piper, zinzib. cinamomum, galanga potentissimè digerunt. Myrrha idem præstat, sed propter amarorem ingrata est. Sapa & mel detergunt. Parantur igitur remedia sic. Primum ex paratu facilibus, vt aqua cisternæ, & aceto, vel vino malorum granatorum acidorum, vel cum succo cydoniorum, sicut aliorum succorum astringentia qui in officinis seruantur. Vel ex aquis distillatis herbarum, aut fructuum astringentium cum succis prædictis, vel cum syr. astringente, vt,

℞. aquarum peculi rosᷤ. & plantag. ana ℥. iiij. syr. de rosᷤ. siccis, vel de granatis, vel myrthi, vel cydoniorum, ℥. iiij. aceti parum, fiat gargarisma. Iidem syrupi misceri possunt decocto herbarum vel fructuum præcedentium, vel quando materiæ coniunctæ aliquid est. Paretur hoc modo.

℞. hord. integ. p. j. gly. rasᷤ. ℥ j. passᷤ. cum arillis contusarum pa. xx. rosᷤ. rub. p. j. fiat decoctio in aqua cisternæ. In ℔. j. dissolue sapæ, vel mell. rosᷤ. vel diamoronis ℥. iiij. fiat garg. pro incremento & statu. Quòd si fieret adhuc magna defluxio, liberum erit addere aliquid ex succis, vel aquis astringentibus. Syrupi astringẽtes hoc tempore conueniunt, quia etiam detergent ob sacch. In declinatione autem, vel vbi multa pituita retenta est in partibus circumuicinis, fiat hoc modo.

℞. gly. rasᷤ. ℥. ij. foliorum hyss. vel origani, vel puleg. M. j passᷤ. à gigartis mundatarum. ficuum pinguium ana pa. xx anisi ʒ. iij. florum anth. & stechad. ana p. j. fiat decoctio ad ℔. ij. In qua dissolue oxymel. simp. vel mel. rosᷤ. ℥. iij. sæpe ℥. ij. misce, fiat garg. Vel dissolue cum prædicta decoctione syr. de gly. addendo parum cinamomi, vel zinzib. vel piperis in fine decoctionis. Sed eo tempore, quo est vtendum detergentibus & digerentibus

eclegma-

eclegmata magis conueniunt. Parantur autem ex dulcibus & pulueribus digerentibus, vt ex pul. diairis simp. diairis Salomonis; sacch. cãdo cum syr. perfectè coctis. Verùm si istis eclegmatis addatur aliquantula quantitas piperis, vel cinamomi, vel zinzib. citissimè morbum digerunt, & pituitam retentam ob inflammationem expurgant. Probaui ego aliquando eclegma Scribonij Largi ex pipere, myrrha, & melle, in muliere, quæ suffocabatur, & desperata erat. Infra vnum diem reiecit incredibilem pituitæ quantitatem, & materię, quę circa columellam, glandes, & fauces propter inflammationem retenta erat. Sine myrrha poterit sic parari.

℞. piperis ʒ. ß. pul. iridis venetiæ ʒ. ij. succi ʒ. j. ß. sacc. candi ℥. ij. mell. ℥. j. misce, fiat lohot, capiat lambendo. Fiunt etiam in minùs delicatis ex decocto rad. gladioli cum multo melle, in declinatione & defluxionibus pituitosis factis. Sua enim partium tenuitate materiam incidunt & extenuant. Mel autem deterget. Ob ídque multam pituitam reddunt. In partibus externis adhibentur illa cataplasmata resiccantia, quæ in angina præscribentur, & est abstinendum ab oleis & vnguentis nimium laxantibus, quod in angina proprium est. Nam in ea non timemus de relaxatione vuluæ, vt hîc. Et in hoc differt curatio columellę inflammatę ab angina, & in repellendo. Nam in angina adduntur aliqua dulcia ad detersionem: in inflammatione columellæ vti possumus aceto, & aliis astringentibus circa detersionem in principio, quia affectio hæc nequit tam subitò suffocationem adferre. In angina potest & ob tumorem, & pituitã ibi retentam ab inflammatione. Ob id statim à principio vtimur diamoron, vel melle ad illius detersionem.

De columella laxatione, vlceribus ac tabe.

Cap. III.

VVa dicitur, quando ob inflammationem rotunda, & subnigra, aut liuida apparet vuæ modo. Quare primùm est scarificanda, & si ex eo meliùs non habeat, abscindenda, tum quia maior est, tum quia corrupta. Columella autem dicitur, quando longior facta est, ad instar columnę. Fit autem longior ob eius extensionem

aut (vt loquuntur practici) ob relaxationem. Relaxatur autē, quia multa frigiditate humida defluente à cerebro humectata est. Curatur si pauca sit materia, & caput non admodum plenum recrementis, solo contactu piperis longi, quod quidem calfacit, exiccat, & leuiter astringit. Reductum in tenuissimum puluerem apponitur supra gladium aut spatulam, aut intra paruum cochlear, & tangitur eius extremitas, qua bis aut ter contacta, pituitam expuunt, & citò contrahitur, & breuior redditur. Quòd si plenitudo fuerit in capite, & multa pituita adhuc defluit, optimum est pilulis pituitam educentibus corpus euacuare. Quòd si multus & viscidus & crassus humor sit, detergendus, incidendus, & iterum euacuandus est, & pars tangenda prædicto pipere, & garg. astringente pars siccanda & astringenda est. Sufficit aliquādo aqua cisternæ dilutum acetum, vel vinum malorū gran. vel aquæ astringentes. Si autem perseuerauerit in ea magnitudine, etiamsi sine inflammatione sit, summitas eius abscindenda est, vt breuior fiat. Nam si longior fuerit quàm pro sua natura, partem superiorem œsophagi tangit, & nauseam parit. Illis, qui hac laborant affectione, semper videtur adesse bolus in illa parte superiore œsophagi. Illis notis etiam sine inspectione agnosci potest, an plus iusto elongata fuerit. Fiunt frequentissimè vlcera circa illam partem, & potissimùm à morbo Italico, quæ, vt aphthæ, curanda sunt, hoc est, aquis illis astringentibus, & leuiter arrodentibus, ne serpant, vt aqua illa forti bene diluta, vel aqua, in qua decoctum sublimatum est. Deinde vniuersalem morbi Italici curationem adhibere oportet, si post hæc non coalescant. Contabescit hæc pars, & veluti lorum efficitur aliquando, quæ affectio à nimia siccitate, vel atrophia illius partis fit, & non curatur.

De tonsillarum inflammatione. CAP. IIII.

PAristmia siue tonsillę, & anthiades eodem modo curantur, quo inflammatio columellæ (nam & ipsæ inflammationes sunt.) & rarò accidit inflammatio in vna parte, quin & aliæ partes ob vicinitatem etiam lædantur. Distinguūtur autem, quòd paristmia sint inflammatio partium internarum oris, inter trachiam arteriam & œso-

œsophagum Anthiades verò sunt, inflammationes glandularum, quæ sunt post linguam in eius radice, quæ citra inflammationem aliquando inflantur, & defluxione pituitæ intumescunt, ita vt cibi transglutionem impediant. Nostri rustici (furoulx) vocant, quas curant longa frictione facta in carpo, existimantes tumores quosdam factos, & apertos frictione illa dura in carpo prædictum affectum tollere. Prodest autem re vera ob diuersionẽ. Nos curamus vacuando pituitam, & humiditates capitis. Sunt enim positæ non longè à foraminibus, quibus pituita mota palatum expurgatur. Post euacuationem illam vniuersalem factam pilulis pituitam educentibus, deriuatio per errhina multùm confert. Quòd si pauca sit materia in capite, aut euacuata probè per errhina, vtilissimum est masticatoria parare ex attrahentibus, & detergentibus, vt id, quod continetur circa illas partes laxas, & multis foraminibus perforatas, educatur. Nam quemadmodum in inflammationibus parua illa euacuatio sanguinis, facta per venas linguæ, magnam vtilitatem præstat, sic & masticatoriis leuantur partes vicinæ. Et quia masticatorium hoc fit etiam ex detergentibus, id quod in parte collectum est, euacuatur & discutitur. Hoc autem modo parabuntur.

℞. cubeb. zinzib. ana ℥.j. excipiantur ficubus, masticéntque frequenter & expuant. Compositio illa ex amygd. & melle perfectè cocto (vulgo turones) masticatur vtiliter in hoc affectu. Quòd si piperis aliquantulum recipiat, pituitam liquabit, & euacuabit. Idem etiam præstant bis cocta ex sacch. amygd. & pauco cinamomo, vel zinzib. parata. Idem masticationes Italicæ, & panis papalis. Detergendo enim & fundendo pituitam, eam reddunt paratiorem spuitioni, & non minùs efficacia sunt, quàm eclegmata, & palato non minùs grata. Pignolatum etiam ad id confert. Sunt & vtilissima condimenta, quæ ex sapa & pauco aceto fiunt, & quæ cæpas recipiunt. Incidunt enim & attenuant, potissimùm quando pituita multùm viscida est. Gargarismata leuiter astringentia, & aliquantulum detergentia prosunt, de quibus capite de angina dicetur. Inunctiones in parte externa ex reficcantibus, in principio prosunt.

In declinatione, & cum consistit defluxio, digerentia cum aliquibus emollientibus. Hoc autem faciendum est, ne relaxantibus medicamentis partes laxiores redditæ maiorem defluxionem recipiant. Digerentia in declinatione cum aliquibus emollientibus miscenda sunt, quia glandulæ istæ indurantur facilè, & morbus in scirrhum degenerat, qui nunquam aut raro curatur in his. Sunt autem illa medicamenta apponenda in lateribus arteriæ sub maxilla inferiore. Et quia hoc videtur pugnare cum consuetudine, rationem subiunxi. Hanc ex Diosc. loco vno colligo, qui ait nucibus cupressi strumas curari posse. Hæc videntur pugnare cum practicis, qui omnes vtuntur astringentibus in parte interna, & relaxantibus in externa. Sed quia partes laxæ sunt, cùm defluit materia, non sunt laxandæ, sed cùm consistit defluxio, vt materia ad extrà trahatur. Quare in omnibus illis affectibus esset vtilissimum in principio, si medicus vocaretur, aut illas futuras defluxiones præcognosceret medicamenta vtcunque reficcantia cum leui quadam astrictione intus & extrà ponere. Quod in me ipso frequenter expertus sum, & anginam & defluxiones ad fauces prohibui, & multos à scrophulis incipientibus vindicaui, nucibus illis cupressi supra partem appositis. Potest fieri tale cataplasma.

℞. nidi hyrund. ℥. ij. pul. nucum cupress. ℥. j. ros. ℥. ß. excipiantur oxymel. fiat ad formam cataplasmatis, applicetur in lateribus colli. Hoc medicamentum leuiter astringit partes laxas, pituitámque illam tenuem iam defluxam exsiccat. Si induratæ fuerint glandulæ illæ internæ, curandæ sunt, vt scrophulæ. Nam scrophulæ adenæ sunt induratæ.

De tonsillarum vlceribus serpentibus.

Tonsillarum & columellæ vlcera eodem modo curantur, quo & aphthæ, vt suprà dictum est, in quibus vnum est obseruandum, quòd cùm omnia vlcera interna oris serpentia sint, idque ob partis mollitiē & laxitatem (quod non accidit partibus externis) vehementioribus exsiccantibus, & astringentibus gaudent, quàm externa vlcera, tum ne amplius serpāt, tum quia semper à saliua fiunt humidiora, vnde & medicamentorum vis

refrin-

refringitur. Particularis curatio sumitur à similibus.

De angina. CAP. V.

Angina facilè cognoscitur ex impedita respiratione, & dolore circa laryngem & œsophagum. Si itaque inflammatio musculorum gutturis, vel colli, vel vuæ fiat, ita vt sinanche sit, primùm detur clyster, mittatur sanguis de basilica dextra, affigantur cucurbitulæ cum scarificatione in spatulis. Debet autem sanguis mitti de cephalica dextra, quacunque hora veneris vt materiam minuas & diuertas, ne augeatur morbus. In principio anginæ competunt repellentia ad intrà, nunquam autem ad extrà. Nam materia semper ad exteriora trahenda est, ob periculum suffocationis. Fiat igitur tale garg. ad materiæ repulsionem.

℞. aquarum solani, plantag. & caprifol. an. ℔. ß. aceti ℥. ß. diamoron ℥. iiij. fiat garg. vel sic.

℞. summitatum rubi vel myrthi, vel lentisci. vel terebinthi, vel pyri syluestris aut sorbi M. j. rof. rub. cort. mali gran. an. ℥. j. fiat decoctio. In ℔ j col. dissolue diamoro is ℥. iiij. vel vini malorum granatorum acidorum ℥. iij fiat gargarisma. Post aliquam repercussionem post hęc garg. factam, & intermediis horis aliquot vel diebus, si morbus det inducias, fiat sectio venarum sub lingua, quæ non solùm confert in angina, & in inflammatione vuæ, sed etiam omnium internarum partium oris. Possunt tamen & tutiùs secari venæ sub lingua eodem die ad materiæ deriuationem, quæ facilè fluit, & locum replet, vnde dyspnœa. & sæpissimè suffocatio. Post horam fiat aliud garg. pro augmento, vel superiori addantur aliqua, quæ vim digerendi habeant, & concoquendi humoris, vt si addas gly. pass. & aliqua astringentia, vt mel. rof. & fiat sic.

℞. rof. rub. fol. myrthi, vel lentisci ana M. j. gly. ℥. j. pass. mundatarum, ficuum ana N. xx. hord. integri pa. j. fiat deco. In ℔. j. col. diss. mell. rof. col. diamoron ana ℥. j. fiat garg. Si possint transglutire, sunt qui dant potionem pro ratione humoris peccantis, post diem sectionis venæ. Clysteres etiam fortes ab initio prosunt ad reuulsionem. Accedente magis declinatione minuenda sunt, quæ repellunt: & augenda quæ digerunt.

℞. gly. rasæ ℥. j. rof. rub. cyperi ana ʒ. ij. cortic. mali gran. ʒ. j. pass. mundat. ficuum iuiubar. an. N. xx. hord. integ. p. j. hyss. vel orig. vel calamenti p. j. fiat decoctio. In ℔. j colaturæ misce sapæ, mellis rof. ana ℥. ij. dianucum ℥. j. oxymellis simplicis ℥. iij. fiat gargarisma, quod continuare licet ad perfectam vsque curationem, præterquam in principio. Fiat talis inunctio.

℞. ol. liliorum, & cham. an. ℥. iiij. vngatur collum calidè, & à principio ponatur bombax. Postea fiat alia inunctio fortior sic.

℞. vnguenti resumptiui, & vnguenti dialth. ana ℥. ij. fæcis ol. liliorum ℥. iij. fiat vnguentum, ponatur supra locum affectum cum lana succida. Omnia relaxantia à principio ad extra sunt adhibenda, vt materia ad partes externas deriuetur, propter periculum suffocationis. Ad intra autem repellentia in principio. In incremento repellentia cum digerentibus. In fine autem digerentia cum astringentibus tantùm. Principium huius morbi esse solet primus dies: augmentum, secundus: vigor, tertius & quartus: post hoc solet declinare. Pro statu & declinatione fiat vnguentum fortius, quod magis digerat hoc modo.

℞. vnguenti dialth. œsipi vel resumptiui ana ℥. iij. ol. liliorum ℥. iiij. pulueris nidi hyrundinum ℥. iij. incorporentur simul, & fiat cataplas. ponatur supra partem affectam. Et hoc est præsens remedium. Iuuat etiam, vt stercus canis rodentis ossa, siue assumatur, siue admoueatur, sicut & spolium serpentis. Post sanguinis missionem clysteres tertio quoque die sunt dandi, & debent esse satis fortes ad diuersionem, etiamsi aluus sua sponte satis fluat. Dandi sunt etiam syrup. concoctorij. Si autem deprehendatur humor esse calidus, vtendum est incrassantibus syrup. vt violato, iuiubino, vt su[illegible] monstratum est capite de catarrho. Si autem materia pituitosa appareat, concoquatur syrupis calidis, vt syrupo de hyss. de glyc. mell. rosat. & aliis huiusmodi, vt syrup. de prass. qui multùm probatur, & aliis detergentibus. Cùm verò pilulas nequeant deuorare, dissoluantur pilulæ, vel fiant potiones. Sed pauca sit quantitas potionis, (quia non facilè possunt deglutire)

Syrup. concoq.

tire) & fiat efficacior. Vt autem meliùs possint deglutire, ponatur ventosa in collo, circa secundam vertebram. Dilatat enim vias illas. Vtatur lohot ad absterfionem, & maturationem.

In principio fieri potest lohot ex diatragacantho & diapapauere, vt *Pro principio anginæ.*

℞. elect. diatraga. frigid ʒ. ij. elect. diapapaueris albi ʒ. j. syr. iuiubarum & diamoro. ana ℥. j. fiat lohot, quo vtatur. Addi potest syr. de papauere, vel myrtil. & hoc pro principio. Accedente statu minuenda sunt hæc fortia incrassatiua, & ad mitiora veniendum, vt ad syrup. viol. & tandem ad syrupos de gly. de hyss. de prass. ad elect. diairis simpl. Salomonis, & alia, quæ magis sunt digerentia, vt

℞. pulueris diatrag. frig. ʒ j. diairis simpl. ʒ. iij. syrupi de papau. vel de liquir. vel de hyss. vel de prass. ℥. j. fiat lohot, cui adde stercoris canis ossa rodentis ʒ. ij. vel cineris hyrundinum, vel nidi hyrundinum tantundem. Præstantissimum remedium pro declinatione est, & maximè cùm à pituita fit morbus, (quod quidem non minùs valet in peripneumonia à pituita) sed respuitur à delicatis ob amarorem & odorem. Tale est.

℞. piperis ʒ. ß. croci, myrrhæ an. ℈. j. mell. despumati ℔. ß. misce, fiat ad modum lohot. Oxymel simplex & squilliticum, & alia quæ incidunt & attenuant, conueniunt, maximè cùm multa pituita retinetur in illis partibus ob tumorem. Pro delicatis sic fieri poterit.

℞. piperis ʒ ß. succi glæ. ℈. j. diairis simpl. ʒ. j. croci g̃. ij. saccha. vel syr. de hyss. qr. j. fiat ad formam lohot, capiat lambendo.

De raucedine. CAP. VI.

RAucedo fit ob defluxum alicuius materiæ in trachiam arteriam, ob id concoquendus est humor, & euacuandus. Concoquatur syrup. calidis & lenientibus trachiam arteriam. Si materia sit salsa, vel aliquam habeat subtilitatem, & caliditatem, concoquatur syrup viol. & de iuiubis. Si viscida sit & crassa, melle rof. & anthos. vel squill. Commiscentur syrup. cum decoctione hordei, vel cum decoctione pectorali. Datur interdum syr. de papauere, cum syrup. de stechad. &

sit medicamentum medium ex duobus illis contrariis. Sed dandi sunt cum decoctione gly. vel in aquis hyss. meliss. capill. vener. Si igitur materia sit calida, vel nimis subtilis, fiat sic.

℞. syr. viol. & de pap. an. ℥. ß. cum aqua hordei fiat syr. qui detur à principio, cùm materia adhuc fluit. Sequentibus diebus fiat alius syr. sic.

℞. syr. de iuiubis & viol. an. ℥. ij. syr. de gly. ℥. j cum decoctione hordei fiat syr. vel cum decoctione pectorali. Si autem à materia frigida, & multùm viscida, concoquatur hoc modo.

℞. mell. ros. col. ℥ j. syr. de gly. ℥ ij. aquarum hyss. meliss. capill. ven. enulæ camp. an. qr. j. fortior erit, si addas syrup. de prassio, de stech. cum decoctione pectorali. Si clarif. & arom. velis, id fiat cum ʒ. j. cubeb. quæ à tota substantia vim habent clarificandi vocem. Purgetur pilulis præscriptis in capite de catarrho, vel cum electario indo, vel de citro solut. diss. in decoctione pectorali vel in aquis capil. vener. vel hyss. vel cum aqua decoctionis hordei.

Ad vocis clarificationem vtantur tali lohot.

℞. conf. ireos ʒ. iij conf. anthos & stechad. an. ʒ. j. farinæ orobi & pul. gly. an. ʒ ij. facch candi & penidi. an. ℥. j ß. cum mel. ros. vel cum syrup. de hyss. vel de prass. fiat lohot. Optimum est vti frequenter pilulis nostris de beniouino, vt si bis, vel ter in hebdomada capiat pilulam vnam. Mirabilem enim vim habent clarificandi vocem. Potest & alio modo confici lohot, vt

℞. pul. diairis simpl. ʒ. iij. vitellum oui N. j. terebinth. abiectis ʒ. iij. si adsit laricea ʒ. ij. farinæ orobi ℥. ß. cubeb. ʒ. ij. mel. despumati q. s. fiat lohot, vel cum syr. de glyr. capiat lambendo. Vtantur hoc gargarismate.

℞. glycirr. ras. ℥ j. ireos ℥. ß. pass. mundat. iuiub. & fic. an. N. x hordei integ. p. j. orobi p. ß. fiat decoctio, in cuius ℔ j. adde mell. ros. col & syrup. de prass. an. ℥. ij. fiat garga. Fiat etiam garg. ex theriaca in decoctione præcedente, vel caulium, vel aqua hyss. vel in decoctione orobi. Teneant in ore elect. diatragac. frig. si materia acris sit, elect. diairis, pilulas bechicas, pilulas sub lingua, & alia, quæ vim habent abstergendi, vt facch. candum.

Vtantur fumigio præscripto cap. de catarrho. Si verò raucedo fieret ob asperitatem, vel siccitatem, fiet talis decoctio.

℞. rad. bismal. ℥. j. gly. ras. & radic. branchæ vrs. ana ℥. ß pass. mundat. iuiubarũ, sebesten an. N. x. florum viol. mal. an. p. j. quat. semin. frig. ma. & seminis bombacis an. ʒ iij. hordei mundati p. j. fiat decoctio. In ℔. j. diss. syrup. viol. ℥. iij. syrup. iuiubarum ℥. j. misce, fiat syrup. pro tribus dosibus, vel cũ simili decoctione fiant gargarismata, vel fiat lohot hoc modo.

℞. conser. viol. ℥. j. butyr. recentis & lactis amygda. an. ℥. ij. farinæ orobi ℥. ß. elect. diatrag. frig. & diapenid. sine speciebus an. ʒ. j. ß. omnia simul incorpo. fiat ad formam lohot, addendo ad dulcorandum syr. viol. parum. Potest etiam fieri talis syr. qui vtilis esset in omni raucedine, à quauis caussa facta fuerit.

℞. rad. gly. & bismal. an. ʒ. j. ireos ℥. ß. vel galangæ ʒ. ij. caul. capil. ven. ceterac, pollytrici, adianth. hiss. marrub. an. M. j seminis cubeb. vel mal. ʒ. ij. hord. integri, orobi an. p. j. fi. decoct. In cuius ℔. j, diss. mell. vel sacchar. q. s. fiat syr. pro tribus dosibus matutinis. Pars aliqua inspissetur melle, & penidiis. Vtatur loco lohot.

De Ptyalismo. Cap. VII.

Saliuæ frequentem & immoderatam reiectionem, cuius hoc loco modum compescendi tradere instituimus, Græci πτυελισμὸν, vt apud Aetium, aut πτυαλισμὸν, vt Hipp. & Gal. in prorheticis ostenderunt, & vocauerunt. Saliuæ autem nomine humorem omnem, qui per os sine tussi, aut excreatione, vel vomitione reiicitur, saliuæ speciem referentem appellamus, cuius frequens & molesta expuitio symptoma est, quod ob expellentis facultatis irritationem, aut retentricis imbecillitatem cõsequitur. Qui enim per tusses aut vomitiones excernitur, iam à pulmonibus, vel stomacho prodire necesse est. Saliuam verò naturalem, quæ nec qualitate, nec quantitate materiæ modum excedit, glandulæ vtrinque linguæ assistentes, quas peculiari nomine nostri, Tonsillas, dixêre, perpetuò eructant, tum vt madescat lingua, larinx, &, vt quibusdam placet, pulmones, tam vt eius perfusione ciborum perfractio, & prima coctio

in ore exactiùs conficiatur. Quòd si Gal. credendum sit, nihil aliud erit, quàm residuum, & veluti optimæ reliquiæ alimenti illarum partium, aut linguæ, totius materiæ partis, à qua producitur simile Hoc enim omnium animalis partium commune est, (quæ quidem vel aliis partibus vtiles humores, vel ad generis propagationem, vel conceptus nutritioni accommodatos gignendi vim habent) vt talis humor sit alimenti partis ipsum generantis, qualis in ossium cauernulis, & inanitatibus reliquiæ. In iecore verò sanguis, & spumosa in pulmonis carne humiditas. Sic etiam lingua & tonsillæ & oris partes fungosam albámque constitutionem habentes, cùm id, quod affluit, sibi assimilandi vim sortitæ sunt, familiarem, & proprium humorem talem efficiunt, qualis saliua ex naturæ præscripto omnino est, cui tamen aliquid superuacanei humoris, qui è cerebro in palatum (cui illa à natura ad se expurgandum constituta via est) stillare solet, admisceri oportet. Crassiores enim cerebri sordes priores ventriculi suscipiunt, & congerunt, à quibus partibus per ossa nasi perductis sensim in peluim & infundibulum dilabuntur, deinde per cunei foramina in os sphenoides, & in palatum pedetentim instillant forásque deturbant, nec vnquam vsque adeo cerebrum est sanum, quin semper aliquid congerat superuacanei. Quandiu tamen secundum naturam se, & omnes partes oris habuerunt, nec immoderata, nec copiosior, sed pro naturæ mediocritate & vsu cumulabitur saliua. Vbi verò aut cerebrum humidius fuerit, aut excrementis immoderatis congerendis idoneum, vel oris partes intemperie aut imbecillitate aliqua, aut morbo partibus organicis proprio laborauerunt, illísque vel copiosius, vel non satis congruum suppeditabitur alimentum, aut vicinarum partium onera receperint, tum copiosiorem colligi saliuam consentaneum. Capitis enim humiditas defluxionum in partes inferiores continua caussa existit. Oris verò partium imbecillitas, aut glandularum, quæ in eo sunt, natura efficit, vt in has magis partes decumbant, aut aliæ partes sua excrementa transmittant facultatis expultricis munere. Multitudine enim, vel qualitate interdum sua, expultricis
faculta-

facultatis munus continuò sollicitant. Id quod etiam præstant omnia, quæ mordendi ac pungendi, aut detergendi, qualia sunt alimenta, & medicamenta, vim habent, quæ tantò potentius id efficiunt, quantò minore caliditate prædita sunt. Caloris enim est humores fundere, meatus aperire, atque etiam attrahere. Hac ratione, quibus pituitam è cerebro per palatum volumus elicere, masticatoria eiusmodi facultates habentia præscribimus. Ob id non mirum si partibus oris inflammationem patientibus, aut ex aliquo affectu præter naturam calentibus, huiusmodi symptomata sæpe succedant, & si id non solius caloris ratione, verùm etiam doloris aut partis affectæ natura efficiatur. Dolentium enim & imbecillarum partium natura est, aut ad se fluxiones attrahere, aut decumbentes in se recipere, largas quidem, vbi corpora plena sunt, & excrementis scatentia. Parciores verò, vbi excrementis vacant. Sic etiam fit, cùm vlcus in ore est, & cùm columella humore multò superius defluente madens, atque perfusa, laxior, longior euadat, propendénsque in fauces, & in œsophagi caput illabatur. Suo namque pondere, & mole cutim distendit, rarioremque facit, & foramina partis interioris palati dilatat, vt nullo remorante continuò, affatímque pituitam à cerebro in os irruere sinat. Non paucis visa est argenti viui siue inunctio, siue intro assumptio, dum sua tenuitate fluxiones in os concitat, frequentis oris exputitionis caussam attulisse. Aliis verò luis venereæ labes, quæ istius mali seminarium esse deprehenditur, cùm absque alia manifesta occasione contabescere simul corpus atrophia, capútque dolere circa aures, & maximè noctu magis, quàm interdiu torqueri conspicitur. Quicquid huic malo originem dederit, cùm multarum affectionum, grauissimorúmque symptomatum seriem post se trahant, formidandum semper erit. Cùm enim tanta sit in os pituitæ defluxio, vt nequeat tota propelli, aut vlcera, fœtorémque oris, & timores excitabit, aut si pars in asperam arteriam pulmonésque decurrit, tusses molestas, spirandi difficultates & tabes tandem accerset. Si verò ad stomachum deferatur, & concoctionis munus

intertürbabit, & sic cruditates, lienterias, diarrhæásque sæpe excitabit, & si ab ipso ventriculo saliuæ copiosioris origo sæpiùs reducatur. Læsa enim ventriculi concoctione, humore multo & aquoso innatante, eiúsque tunicis impacto saliua multa in os exurgat, quæ frequentem expuitionem, siue tussim excitat. His melancholicorum humidíque ventriculi notis, humidi copiosiorísque sputi reiectionem ascribimus. Sic etiam tenuem plurimámque saliuam pronuntiare & præcedere vomitionem Hippo. & Gal. tradiderunt, quod nos ob linguæ cum ventriculo, per membranam, consortium accidere non dubitamus. Vnde fit vt cùm superior ventriculi pars humore multo, aquoso, qui sua leuitate aliis supernatare solet, imbuit fauces & linguam, & per consensum simul eadem perfundit. Hæc autem diligenter distinguere oportet, vt veram ptyalismi caussam & scaturiginem deprehendamus, sine qua supprimendæ copiosioris saliuæ rationem veram inuenire posse sperandum non est. Cùm enim in caussarum morborúmq; eam excitantium remotione consistat, illud aggredi non sanato vlcere, quod illam promouebit, inanis laboris est. Proinde cùm illud contigerit curato vlcere, saliuæ exuperantiam in ore faciliùs exhauriemus, & intercipiemus, si gargarismatis astringentibus potentérque resiccantibus citra vllam detersionem, partem imbecillam corroborauimus. Sufficit enim medicamenta ingrata ori non esse. Quòd si ex ingratis parentur, addita pauca quantitate syr. de rof. siccis, & cydoniorum, gratiora palato reddet. Illa autem gargarismata, quæ ad anginæ & columellæ inflammationis principium præscripta sunt, huc non incommodè transferri possunt. Sed ad vlcerum oris curationem, istud interea vsurpare licebit, post contactum aquæ, quam fortem vocant, aut sublimati. Eiusmodi enim vlcera omnia, cùm aphtharum conditionem retineant, ne latiùs serpant, medicinis astringentibus, & leuiter arrodentibus cohiberi volunt. Istud verò gargarisma tale erit.

℞. fol. myrth. plantag. pilosellæ ana M. j. cort. mali granati ℥ j. rof. rub. vineæ ana M. ß fiat decoctio, in aqua calibeata ex vino albo. In cuius ℔. iij. diss. alumi-

nis

nis ℥.j. Vtatur tali gargarismate. Aceti ob vlcus non est admiscendum. Vinum tamen addimus ad maiorem exiccationem. Quin etiam lentisci folia, licet astringendi vi prædita, quæ vim habent epispasticam, seu attractoriam, ab iis reiicienda in hoc affectu semper censemus. Vt verò palato gratiora efficiantur, syrupus de rosis siccis, vel cydoniorum ℥ iiij addere conueniet, & illis os colluere. Quòd si aliquam abstersionem vlcus requirat, sufficiet melle rosat. col. vel syru. rosf. laxat. id efficere pro vlceris curatione.

Curatio à columellæ relaxatione.

Si verò columellæ relaxatio, & dilatatio, ptyalismi caussa sit, eius in priorem, & naturæ conuenientem statum reductio, ptyalismi etiam curatio erit. Hoc proinde existente, ex curatione relaxationis columellæ repetenda remedia nobis erunt. Quando autem argenti viui vsus affectionem hanc induxerit, abstersis primùm dentibus cum aqua peculi rosf. in qua gutta vna ipsius aquæ fortis iniecta fuerit, superiore gargarismate, donec malum sedatum fuerit, vtêdum est. Quòd si luis venereæ soboles existat curatione vniuersali, quæ morbo Italico debetur, à nobis suo loco tradita, necessariò tollenda est, quæ vel inunctione, vel suffumigia, vel diæta perficitur. Symptomata enim, quæ luem veneream consequuntur, licet curationem propriam, & peculiarem habeant, eam tamen sine vniuersali vnquam admittêt. Ventriculi porrò coctionis læsionem, cruditatesque huic mordo interdum originem dare diximus. Quare quum istud eueniet, pilulis de hiera purgandum corpus est, deinde tum sumptis, tum admotis concoctio promouenda, viresque ventriculi corroborandæ sunt, & confirmandæ eo modo, quem, cùm de cruditate & ventriculi imbecillitate ageremus, docuimus. Nec verò cum ex capitis vitio & humiditate, saliua multa colligitur, omittenda sunt accommodata capiti topica remedia. Quæ tum ad illius reficcationem, tum ad sistendas defluxiones faciunt, quæ in catarrhi curarionem à nobis descripta sint, satius est illuc recurrere. Aph. 12. lib. 1. prorrhetici. In phrenitidis principio simpliciter & clementer habere, sed crebrò permutari, malum. Malus

quoque & frequens excreatus Galeno. Frequens enim excreatus, & propter os ventriculi ex humiditate imbecillum, & propter cerebrum humiditatibus refertum oritur. Exscreatus frequens, aph. 6. eiusdem, & si aliud quodpiam signum affuerit, sunt phrenetica. Si quid expuatur tunc, quomodo in distillationibus interdum vsu venit, ob ea, quæ in os ipsum per narium foramina confluunt, fieri id consueuit. Contingit autem & aliquando frequens talis exscreatus, vbi respirationis robur externum quidpiam attraxit, meatibus ipsis tum adhæserit, tum impactum fuerit. Ob eam autem caussam exscreatus, qui ex arbitrariis functionibus, vna existit frequens oblæsa, læditur cognatione; quomodo & arbitraria quæuis functio. Cùm igitur frequens exscreatio contigerit, atque ob id glutinosum sputum, quod in canalibus à naribus ad os pertingentibus infarctum sit, vt ea delicatis quibusdam ob calidam & siccam cerebri intemperiem obtingat, impossibile non est. Gal. in aph. 3. Sectionis 3. prorrhetici in febribus non iudicatoriis præterfluentia sputa ob copiam immoderatam, vel virtutis imbecillitatem fiunt, atque ob id sunt ægro leuia, id est, non contumacia, & versu facilia. Aph 63. eiusdem. Tussiculi, cum frequenti sputo abscessum tollunt. Fieri potest, vt facta intro inclinatione per canalem naturalem effluat, quod tenuius est, ac conficientibus parotidibus succis ad oris capacitatem, & ita sæpe fieri sputum.

De tussi. CAP. VIII.

TVssis symptoma est partium respirationi inseruientium, & est motus facultatis expultricis, thoracis, vel pulmonum, volentis eiicere, quod est molestum. Talis est, qualis est ventriculi nausea & vomitus, & cerebri sternutatio. Tussis sequitur multos morbos, & à diuersis caussis excitatur. Fit autem vel à sola intemperie, vel cum materia, ab intemperie frigida, & à nimia siccitate, vt in febribus hecticis, & in his, quibus exesa est columella, vel diuisa. Fit à compressione septi transuersi, vt in tumoribus hepatis arida tussis, vel tussicula. A materia fit, cùm aliquid in arteriam delapsum est, siue sit humor, siue corpus aliquod, vt mica panis, potus,

aut aliud quoddam humidum, vt sanguis, pituita à capite, vt in catarrho, à materia, quæ in thoracem vel in pulmones, vel trachiam arteriam, vt à serosa humiditate, quæ in spatium refudauit, sicut in hydrope: vel à tenui materia, quæ ab inflammata membrana resudat, vt in pulmonis inflammatione, quando materia in arteriam resudat. Fit & à tuberculo innato in aliqua parte trachiæ arteriæ vel pulmonum. Cùm constet symptoma esse, & morbos sequi, illius nulla est curatio, cùm curatio ad morbum referatur. Sed illius ablatio erit, auferendo caussam, scilicet, morbum curando, qui illius tussis caussa est. Nam vt morbus non tollitur, nisi caussa priùs auferatur: sic neque symptoma. Nam, vt Philosophi dicunt, non tollitur affectus, qui fit, nisi auferatur caussa, & ablata caussa tollitur effectus, si morbus adhuc sit in generatione & in fieri, & à caussa dependeat fiente vel conseruante. Verùm tussis, vt dolor & alia symptomata, modò tantùm sua vehementia molestent ægrum, tunc eius neglecta caussa ad mitigationem veniemus, tanquam ad id quod magis vrget. Mitigatur autem, vt dolor, id est, dispositionem minuendo, vel sensum partis auferendo, vel stupefaciendo, ne tussiant.

CVRATIO.

Pro diuersitate caussarum remedia instituimus, vt si ab aëris frigidi occursu, ab intemperie frigidā fiat, sola spiritus cohibitione curatur. Si ob id, quod à parte inflammata resudat, tussis fiat, sputum prouocando, & inflammationem curando mitigatur. In aliis vtilissima est tussis ad expellendum. Quare non adhibemus bethica, nisi ad expectorationé, vt sine molestia, aut magna contentione expellatur, quod debet expelli. Idem faciédum in inflammatione pulmonum, & in catarrhis. Quòd si non tussiant, aliquando acetosis, vt oxymelite, syr. acetos. prouocamus, vt expellant, quod ob retentionem ægrum iugulare posset. Igitur ad molestiam tussis auferendam, & mitigandam, cognoscere oportet, ob quam caussam prima, vel secunda tussis motione non expellatur. In principiis inflammationum, quia nihil aut parum à parte inflammata resudat, ob id tussiunt, vel ob tumorem magis, quàm ob resudatam materiam. Quare

oportet prouocare diuersionem inflammationis, deinde resolutionem & expectationem, vt in capite de pleuritide dictum est. Habent commune principium inflammationes cum aliis tumoribus & defluxionibus, quòd inspissantia in primis insultibus danda sunt, tum quia materiam tenuem inspissando expulsioni parant, & defluxionem compescunt. Ergo antequam instituantur topica, bechica, inspicere oportet, num materia tenuis sit, vel crassa, vel viscida. Nam ob tenuitatem, & viscididatem & crassitiem, nõ facilè tussim reiiciunt, quòd molestat. Cognoscitur ex natura morbi & inspectione. Si ergo sit inflammatio, est tenuis, quia non nisi tenue exudat initiò, si nihil omnino expellatur, & non faciat magnam difficultatem in respirando, & si post multam tussim aliquid tenue & spumosum reiicitur. Quòd si magna sit difficultas anhelandi, & post tussim, quod reiicitur, spumosum, vel viscidum est, & crassum, attenuanda, detergenda: si verò tenuis, inspissanda & leuiter detergenda. Ad inspissationem tenuium defluxionum, & quod inspissationem recipere potest præscribimus, qualia sunt, amylum, albumen oui fortiter agitatum, & saccharo mixtum. Syr. viol. debiliter, syr. de iuiubis mediocriter, & syr. de pap. diacod. Galeni pilulæ albæ, pul. diatrag. gummi trag. & arabicum. Vsurpantur per se syrup. lambendo magis, quàm alio modo, quia crassities syr. ad pulmones non permeat integris viribus. Si in ventriculum labantur, meatus venarum mesaraicarum, & ramos venæ portæ constipant, quod nostri solent facere. Ego sic facere consueui, & ex his componere volui, admixtis quibusdam seminibus frigidis maioribus, vt sua tenuitate aquosa alia deducant ad partem affectam, vt,

Inspissantia.

℞. rad. consol. maioris, vel bugloss. (habent humorem lentum) vel bismal. ℥. j. iuiubarum N. xx. quatuor sem. frigid. maior. seminis mal. ana ʒ. ij. seminis papaueris albi ℥. ß. florum viol. bugloss. ana p. j. fiat decoctio in aqua hord. mundati, & in ℔. ß. diss. saccha. q. s. fiat syr. cap. in quatuor matutinis. Potest fieri ex aquis sic admiscendo syrupos in officinis paratos.

℞. syr. de iuiub. ℥. v. syr. de pap. ℥. j. aquarum viol. bugloss.

gloss.ana qr.j. misce, detur cum decoctione hordei loco aquarum distillatarum. Hæc inspissando materiã faciũt, vt facilè reiiciatur. Postquam materia est inspissata, ad detergentia veniendum, sine incisione aut attenuatione. Quare addi potest gly.in syru.vel syr.de gly.vel de hyss. auferendus de pap. Vel adde mel.ros.vel vio parum, vel saccharum candum. Sic fiet & detergentia & expectorãtia tenuium fluxionum. Si tussis sit ob materium salsam, detergentia leuiter cum refrigerantibus, & humectantibus salsuginem eam minuunt, vt syr.violatus cum decoctione hordei mũdati, vel cum decoctione quatuor sem. frig.maiorum & semine maluę, vel cum decoctione maluæ, radic. borrag. & similibus. Detur elect. diatragacanthi.

Detergentia.

Tussis à materia salsa.

A materia viscosa curatio.

Si tussis à materia viscosa, & crassa, tunc incidenda & detergenda, vt oxymelite, syr.acetoso, de gly.lambendo vtatur, vel cum decoctione sequenti.

℞.rad.elenij, & bechij, an.℥.ij.gly.ras.℥.j.beton hyss. scab.herbarum capil.an.M.j.marrub.M.ß pass.fic.an.N. xx.quatuor semin.frig.mai.an.ʒ.iij.anis.ʒ.ij. florum stechad.anth. ana p.j.fiat decoctio in aqua hordei, & in ℔. ij diss.mell.communis & sacch.q.s.fiat syrupus. capiat in quatuor matutinis, vel detur syrup.de gly.capill.ven.de marrub.de oxymel.simpl.vel scill. cum decoctione erysimi, cum pass. & quatuor seminibus frigidis maioribus, ne nimium materia exsiccetur & retineatur. Purgetur agar. infuso in vino, vel aqua hyss. vel dentur purgantia elect. vt diacarth. de citro, diaph. Pilulæ, quæ pituitam purgant, vt cochiæ, de sarcocolla, & similes. In tali tussi detur post purgationem ʒ.j. theriacæ antiquæ, vt in tenui defluxione, vel quæ fit ex irritatione sine multa materia, theriaca recens. In thorace contenta materia est attenuanda Quę fiunt in officinis eclegmata, sunt ingrata, & rancida, vt eclegma de pino sanum. Quare parentur ex pulueribus & syrupis, addendo aliqua, quæ sunt consistentia viscosa, vel spissa, vel pulpa iuiubarum præparatarum, pass. mucago ficuum. Alioqui terebinth. abietis addunt, vt hoc modo.

℞.mucag.fic, pulpæ pass.iuiubarum, vel sebesten ana

℥.j.amygd.dulc. contusarum, & pinearum infusarum in aqua hyss.an.℥.j.pul.diairis simpl. ʒ.iij. diatrag. ʒ.j.cum syr.capil.ven.vel gly. fiat eclegma. Si esset incrassãdum, adderemus iuiubarum, vel de pap. vel viol. Efficacissimum ex melle scill.& syr. de gly. simul mixtis & inspissatis pul.gly. & iridis. Fit & eclegma ex butyro recenti, terebinthina, & saccharo cando æquis partibus. Fiunt tabellæ & trocisci, quæ pilulæ bechicæ aliis dicuntur, ad expectorationem & detersionem. Ad inspissationem verò & detersionem leuem, additur farina hordei. Ad eadem valet saccharum candum, & penidiæ.

Tussis siue materia multa.

Tussis aliquando fit sine multa materia, à nimio sensu, vel facta irritatione. Nam, vt tenasmus post dysenteriam, & nausea post vomitum nimium, remanet, vel ob reliquias materiæ tenuis, quæ pungit partem & stimulat expultricem facultatem: ob id dare oportet cremorem hordei liquidum cum multo saccharo. Cùm non proficiunt detergentia illa, danda sunt narcotica, ad sensum partis minuendum, & tussis sedationem, ad quam intentionem factæ sunt pilulæ ad omnes catarrhos. Conficiuntur ex opio, & aliquibus pleuriticis, vt succo gly. myrrha, iride, styrace, vt,

℞. styrac. ℥. ß. myrrhæ, opij, croci, amyli, succi gly. ana ʒ. j. cum syrup. iuiubarum, fiat massa pilul. de qua capiat pilulas tres longè à cœna. Artheriacæ compositiones antiquorum vtiles, vt diacodium officinarum, & alia, quæ similia medicamenta recipiunt. Tussis inanis sine inflammatione, & influxione tenui, acri, & salsa, ob serosa excrementa in thoracis spatio collecta, vt in hydrope. Fit etiam ob tumores hepatis, aut aliarum partium, quæ septum transuersum comprimunt, vt in inflammatione hepatis, & aliis tumoribus, sed magis in inflammationibus quàm in scirrhis, fortè quia materia, quę resudat, irritat facultatem expultricem. Quod vt intelligamus, an à tali caussà fiat, tangenda sunt hypochondria, si dura tensáque sint, & aliquod signum in vrina, vel egestionibus apparet.

De Asthmate. CAP. IX.

ASthma magna ex parte fit à materia pituitosa, multùm viscida, quæ opplet vacuitatem trachiæ arteriæ,& impedit aspirationem. Curatur autem concoquendo materiam, & euacuando. Concoquitur autem calidis & incidentibus, quæ admixtam habet quandam humiditatem, ne materia exsiccetur, quin potiùs educatur, vel cõcoquatur. Syr. concoctorij, qui multùm laudãtur, sunt syr, de hys. de gly. de praß. oxymel simpl. & compos.& scil. mel. scill syr. de stech. Aquæ miscẽdæ sunt aqua fœn hyß. scab. capil. ven. enulæ camp. vel serpentar. (si reperiatur, alioqui eius decoctum) & aqua viol. cum syr. de stechade, vel aliis fortiter exiccantibus. Sed meliùs complentur intentiones omnes, vbi fit decoctio in aqua, in qua syrupi miscentur. Sine decoctione fiat talis syrupus.

℞. syr. de hyß. de gly. an. ℥. iij. aquæ cap. ven. & viol. fœn. an. qr. j. misce pro tribus dosibus. Hic syr. erit ex imbecillioribus. Fortior verò sic.

℞. syr. de gly. oxymel. simpl. syr. capil. ven. ana ℥. ij. aquarum hyß. scabiosæ, vng. cabal. vel enulæ campanæ ana qr. j. misce pro tribus dosibus, cum electuario. Syrupus fortissimus talis erit.

℞. syr. de stechad. mell. sc ana ℥. ij. syr. viol. ℥. j. aquarum enulæ campanæ, hyß. fœnic. scab. an. qr. j. misce, fiat iulep. Aqua viol. in primo syrupo ponitur ad quandam humectationem materiæ, ne syrupi incidentes nimium siccent materiam, & propter siccitatem non educatur. Loco tamen aquæ, vel syrupi violati, possumus ponere decoctum hordei in syrupo, vel decoctum passularum quæ etiam humectabunt abundè, & eosdem vsus præstabunt, quos syrupus viol. In secundo ponitur syrupus capil. ven. quia mediocriter discutit. In tertio syrup. viol. ad eandem intentionem dictam, quia omnia alia tum syrupi, tum aquæ, potentissimè exsiccant. Id enim magis obseruandum est in eclegmatis, quàm in syr. componendis, in quibus tamen id non est negligendum. Nam hi syr. non solùm habent vim præparandi materiam, sed etiã educẽdi per sputa, ob id oportet quãdam humiditatem esse admixtam. Et in hoc differunt

aperientia, & attenuantia istius materiæ, ab vrinam prouocantibus, quæ etiam aperientia sunt, eò quòd vretica omnia acria sunt, attenuandi, & siccandi vim habentia: in pectoralibus autem attenuantibus, oportet humiditatem quandam inesse, vt sputum facilè educi possit. Quod nos docuit Gal. amplissimè cap. 4 lib. 3. simplic. Purgetur frequenter sine magna perturbatione, & violentia. Ob id pilulas præscribere oportet sine custodia, quibus vtimur ante vsum syrup. & sæpe accipiant per interualla, vt tertio, vel quarto quoque die. Pilulæ esse possunt de hiera compos. vel simpl. de agarico, de assaieret, & aliæ, quæ diagrediatæ non sunt, neque myrobal. recipiunt, quibus vti in hoc affectu propter astrictionem non est tutum, nisi fortè cùm asthma sit ob defluxus alicuius materiæ tenuis. Tunc possunt vti pilulis sine quibus, addito succo gly. Non tamen his, aut aliis astringentibus vtemur, quia astrictio respirationis instrumentis contraria est. Post syr. concoctorios possumus dare pilulas fortiores, vel acutas cum turbith, addito zinzibere, vel succo gly. vel decocto turbith vel agarici, vel cum decoctione summitatum thymi. Thymus enim multùm valet in extenuanda & exsiccanda pituita, maximè cùm in decoctionibus ponitur, in quibus passi recipiuntur, & alia lenientia, & humectantia. Potest dari diaphenicum vel elect. de citro cum decoctione pectorali. Vtatur theriaca antiqua, vel mythridatio post euacuationem, vel conserua enulæ campanæ, & capil. ven. vel ireos, & similibus. Vtatur pulueribus & elect. diairis simpl. & Salomonis, lohot sano, de pino, de caulibus, similibúsque incidentibus. Potest fieri talis compositio, aut eclegma fortius.

℞. conf. enulæ camp. & ireos ana ʒ. iij. conf. capil. ven. ℥. j. pul. diatrag. frig. ʒ. ß. diaireos Salomonis, & pulmonis vulpis exsiccati, & præparati ana ʒ. j. sacch. candi ℥. ij. cum syr. de hyss. fiat lohot. Vel fortius sic.

℞. conseru. capil. ven. & anthos ana ℥. ß. conser. enulæ campanæ, & florum stechad. ana ʒ. ij. pul. diairis simpl. & diatrag. frig. ana ʒ. ß. pul. diairis Salomonis, & galangæ puluerisatæ an. ʒ. j. pulmonis vulpis præparati ʒ. ß. mel. scill. ℥. j. syr. capill. ven. q. s. fiat lohot. Valet etiam illud

ecleg-

eclegma præscriptum capite de angina, quod recipit mel, crocum, myrrham, & piper. Vtantur etiam vnctionibus factis ex vnguento resumptiuo, addito oleo de croco, vel fiat vnguentum ex oleis fortioribus, & pinguedinibus supra scriptis, vt ex ol. irino keruo. & similibus. Secundum lohot fiet fortius, si loco galangæ ponatur radix draguntij decocta in aqua hordei, donec mollescat, & diligentissimè pistata. Vtantur suffitu præscripto cap. de catarrho quo fumigentur operimenta capitis. Sed non fiat ista fumigatio intra cubiculum ægrotantis. Nam facile potest suffocari, nisi aerem liberrimè trahat. Bonum est vti decocto præscripto cap. de tussi, ad materiæ concoctionem, loco syruporum, vel fiat tale apozema.

℞. rad. fœnic. & gly. ana ℥. ij. radic. ireos, & galang. ana ℥. ß. marrubij, origani, pulegij, capil. ven. adianth. hyssopi, scab. ana M. ß. pass. mundatarum, fic. ana pa x. quatuor sem. frig. maiorum ana ʒ. ij. seminis anisi, fœni. an. ʒ. j. ß. seminis apij, petro. & sesel an. ʒ. ß. florum anth. stechad. & viol. ana p. j. sum. thymi ℥. ß. fiat decoctio & cum syrupis ante scriptis fiat apozema, vel cum melle despumato, quo vtatur tum ad materiæ præparationem, tum etiam post purgationem, ad leniendum, & ad pectoris dilatationem. Optimum est semper in omnibus remediis vti syr. & apozematibus, medicamentis purgantibus. quæ flatus discutiunt. Solent enim asthmatici multis flatibus grauari, à quibus aliquando fit asthma, septum transuersum distendentibus, vnde non liberè fit respiratio.

De Peripneumonia. Cap. X.

PEripneumonia eodem modo curatur, quo pleuritis, hoc tantùm addendum, quòd sæpe peripneumonia fit ex catarrho. Ob id in decoctione in prima dosi, syrupis addenda sunt aliqua, quæ magis mouent aluum, vt parum agarici, senæ, carthami. Si fiat à materia calida, fiat venæ sectio, inunctiones, eclegmata, & omnia alia remedia, vt in pleuritide, exceptis duobus posterioribus. In peripneumonia sputum magis prouocare oportet, ad cuius prouocationem optimum remedium est illud, quod in angina conficiebatur, ex pipere, myrrha,

&c. nisi biliosa & sanguinea sit peripneumonia. Præcipuum in hac affectione, & in pleuritide, est ratio victus. Nam omnino abstinendum à vino & alimentis multum nutrientibus. Vtantur hordeato, passulis Et si ob imbecillitatem virium vti cogamur iusculis, fiant ex pullis, vel gallina leuiter cocta. In declinatione bonum est addere in iusculis parum croci, & hyssopi. Animaduertendum est, vt hordei coctura bene fiat. Nam nisi perfectissimè coquatur, flatus generat, & morbum auget. Coctũ autem perfectè est hordeum, vbi rubet. Aliud maximè obseruandum est, quòd si quarto, vel sexto die incipiant sudare, optimum est super partem affectam vesicas aqua calida plenas apponere, vt iuuetur illa excretio. Solet enim magna ex parte hic morbus solui sudoribus, vt in iuuenibus, fluxu sanguinis narium, larga & frequenti expuitione. Laxantia omnia medicamenta sunt inimica his affectibus, neque his vtendum, nisi cum magna præmeditatione. Quòd si rhabarbarum detur, vt aliquibus placet, infundatur in decoctione pectorali, vt eius astrictione corrigatur, & nunquam dandum est, nisi certissimè hunc morbum fieri à bila deprehendatur.

De sputo sanguinis. CAP. XI.

SPutum sanguinis aliquando fit per arrosionem venæ, aliquando à ruptura venę, aliquando per apertionem osculorum venarum. Fit aliquando à pulmonibus, aliquando à faucibus, aliquando à cerebro. Sanguis ab ore & gingiuis reiicitur, cum spuitione: à gutture, cum screatu: à canna pulmonis, cum tussi: à pulmone, cum tussi satis forti: ab vlcere eius, cum tussi magna & in pauca quantitate, quod deterius est signum, quàm si in magna quantitate reiiciatur, quia tunc est ab erosione visceris, & illud est ab apertione, seu ruptione venæ. Aliquando reiicitur à partibus pectoris, vt in pleuritide, & tunc cum fortiore tussi, quia oportet, vt perueniat ad pulmones, deinde reiiciatur. Ob id distinguendum est, à qua caussa fiat. Nam si fiat ob rupturam venæ, maiorem quantitatem sanguinis vel vnica vice, vel iteratis vicibus trahere oportet. Postea danda sunt ea, quæ vim astringendi habent Si ob erosionem fiat, necessaria magis est purgatio, nisi ad diuersionem cogamur etiam aliquid

Signa.

tan-

sanguinis detrahere. Curantur hoc modo. Si fiat à plenitudine, mittatur sanguis è basilica pro ægrotantis viribus. Quòd si in multis vicibus fiat, magis diuertit, & minùs debilitat. Postea detur potus aquæ cum pauco aceto. Si sanguis iam fluxerit, & periculum sit, ne aliquid sanguinis remanserit in pulmonibus, postea detur potio sequens ad reprimendum sanguinem. *Curatio à ruptura Venæ.*

℞. tro. de terra sigillata, vel de carabe, vel de spodio cum semine acetosæ ʒ. ß aquæ planta. vel cuspidum ros. vel bursæ pastor. ℥. ij. syr. myrtill. vel cydoniorum, vel berberis ℥. j. fiat potus.

Apponantur ventosæ super hypochondria ad regionem hepatis, & amotis ventosis epithimetur hepar, vt ostensum est cap. de fluxu sanguinis è naribus, vel cerato sandalino vngatur, addito oleo papaueris vel nenupharis. Potest fieri tale conditum, quo vtatur cum aqua ferrata.

℞. conser. ros. antiquæ ℥ ij. cons. symph. ℥. j. pul. diamarg. frig. & diapapaueris albi ana ℈. j. tro. de terra sigillata ℈. ß sacch. ros. tab. q. s. fiat conditum. Optimum est etiam pectus ol. ros. vngere, vel myrthino. Nam ob id non impeditur respiratio. Vtantur pro cibo hordeo mundato, in quo ponant semen papa. albi. Abstineant à vino, & omnibus sanguinem generantibus. Vtantur extremitatibus animalium, vt pedibus mutonum, & piscibus saxatilibus. Quòd si multùm comedere appetant, dentur his olera in brodiis, quæ in magna quãtitate exhibita, parum nutriunt. Eligantur ea quæ vim habent refrigerandi, citra absterſionem insignem, vt lactuca, acetosa, spinachia, portulaca, plantago, cichoreum domesticum, vulgò, scariola, vocatum. Abstineant à maluis, betis, caulibus, & in summa omnibus acribus, & calidis. Dari possunt poma acerba, pyra, mala cotonea. Si ob erosionem venæ fiat, sanguis extrahatur ad diuersionem, ob id venæ apertio debet esse parua, vt longiori tempore fiat diuersio, & minor quãtitas euacuetur, quia in hac caussa magis est necessaria purgatio, quàm euacuatio. Ligaturis & cucurbitulis retineatur. Dentur syr. qui incrassent, & obtundant biliosi sanguinis acrimoniam, vt de pap. de nenuph. ros. de ros. siccis de granatis, *Victus ratio.* *Ab erosione Venæ.* *Syrup. incrassantes & aqua.*

de berberis. Aquæ etiam, quæ obtundunt acrimoniam, & incrassant, vt portulaca, peculi rosſ. caudæ equinæ, planta acetosæ, solani, & similes. Inter illa, quæ valde incrassant, misceri potest aqua endiuiæ, & cich vt in syr. concoctoriis, pariter aqua lupuli potest misceri. Et statim post venæ sectionem, vel ligaturas, vel cucurbitulas detur hæc potio.

℞. camphoræ gr. iiij. aquæ rosſ. ℥. ij. syr. de papau. ℥. j. misce, fiat potio. Hæc mirum in modum astringit, & sanguinis feruorem compescit. Possunt postea fieri aliæ potiones ex tro. suprascriptis & refrigerantibns. Concoquatur materia sic.

℞. syrupi de rosſ. siccis & de berberis ana ℥. ij. syr. de papauere, aquæ rosſ. solani, plantag. an. qr. j. misce pro tribus dosibus. Purgetur postea sic.

℞. prunorum, sebesten ana N. xx. tamarindorum ℥. ß. myrobal. citrinorum, cheb. & indorum ana ʒ. iij. florum violarum p. j. quatuor semin. frigid. mai. ana ʒ ß. fiat decoctio in qr. j. dissolue colaturæ mannæ gran. ℥. j. rhab. electi ʒ. j. syrup. rosſ. lax. ℥. j. fiat potio. Pauperibus loco mannæ potest poni diaprunis simpl. ℥. j. Et loco rhab. cath. ℥. ß vel syr. rosſ. laxatiui in dosi maiore. Potest fieri in forma boli sic.

℞. cass. extr. pulpæ tamarindorum, & sebesten ana ʒ. iij. semin. berb. gr. iiij. cum sacch. fiat bolus, capiat duabus horis ante prandium, vel sic.

℞. cath. & diaprunis simpl. ana ℥. ß. cum sacch fiat bolus. Possunt etiam fieri pilulæ pro iis, qui recusant potiones & bolos sic.

℞. rhab. ʒ. ß. cortic. myrobal. citri & chebul. ana ℈. j. seminis nasturtij torrefacti gr. ij. pulpæ tamarindorũ, vel sebesten ʒ. ß. cum syr. rosſ. laxat formentur pilulæ, capiat ante cœnam duabus horis pilulas vj. sequentibus diebus reliquas. His autem conditum tale vel opiata fiat.

℞. conseruæ nenuphar. & rosſ. antiquæ ana ℥. j. conseruæ consolidæ & acetosſ. an. ℥. ß. gummi tragac. & arab. an ʒ. ß. marg. non perforat. diligentissimè contritarum ʒ. ß. terræ sigillatæ, boli arm. corallorum an. ℈. j. sacch. rosſ. q. s. fiat conditum. Pro pauperibus loco margarita-

rum

rum pone troc. de spodio, vel de carabe, vel de terra sigillata ad ℈.j. diapap. albi ʒ.ß. vel diatrag. addito seminε papaueris albi ʒ.j. Fit etiam opiata ad consolidationem ferè eodem modo, nisi quòd adduntur, quæ glutinandi vim habent, vt

℞. conseruæ symphiti ℥.ij. ichthyocollæ gũmi trag. & arab. an. ʒ j. corallorum, carabæ an. ʒ. ß. boli armeni, mastiches, corticis thuris an. ℈. j. sang. draconis ℈. ß. cum syrupis conserua. symph. vel syr. de papauere vel iuiub. (si nimia constrictio timeatur) q. s. fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem castaneæ, superbibat parum aquæ consolidæ, vel plantaginis vel caudæ equinæ. Si sanguis fluat per diapedesim, simili modo purgandus est, & retinendus magis glutinantibus, & obstruentibus, quàm obtundentibus acrimoniam. Solet enim hoc fieri, vel ob venæ raritatem, vel sanguinis tenuitatem. Ob id laudantur alimenta, quæ emplasticam vim habent, & obstruentem, vt polenta cum lacte, & omnia, quæ ex lacte & farina parantur. Si sanguis fluat ex gutture, sufficit masticatio portulacæ, vel gummi, tragac. vel arab. vel fiat gargarisma ex aqua cuspid. ros. solani, vel plantag. vel ex succo portulacæ. Nam aqua illam vim non habet, vel cum syr. de portulaca si paratus inueniatur, vel cum simili syr. astringente, vt sunt syr. myrthinus, de nenuphare berberis, cydoniorum. Sanguinem aliquando reiiciunt, sed defluxum è cerebro in pulmones, quod deprehenditur ex nigredine. Nam solet esse concretus, & per aliquot dies antè stillauit sanguis è naribus. His dari non debent astringentia, nec sanguinem retinentia, sed potiùs, quæ coagulatum sanguinem dissoluunt, vt pix, mummia, vel asphaltum, aqua nucum, coagulum hœdi vel leporis, admixtis cientibus sputum, vt saccharo, melle & ex syrupis, de glycirrhiza, de hyssopo & similibus. Oportet enim sanguinẽ illum extra corpus reiicere, ne putreat, & internas partes corrumpat.

De Vlcere pulmonis & phthisi. CAP. XII.

PHthisis fit à sanguinis sputo, cùm sanguis remanet intra pulmones, & illic putrefactus acquirit acrimoniam, qua erodit substantiam pulmonis. Fit magna ex parte ob Medicorum imperitiam sanguinis sputum

curantium, qui nulla facta diuersione, vel per sanguinis missionem, vel per ligaturas aut cucurbitulas, aut alio modo, statim dant potiones astringentes, quæ sanguineum defluxum in pulmones ibi retinent, cùm debeant potiùs aquam mulsam, aut poscam dare, & postea quæ constringant, vt monstratum est capite superiore. Et quoties timemus Phthisim à sputo sanguinis, debemus ea vsurpare, quæ venam consolidant, vel sanguinem supprimunt, cum facultate dissoluendi sanguinem coagulatum, vel quæ per sputum pulmones expurgant, vel contraria commiscentes, tale medicamentum conficere, quod vtrunque possit tum abstergere, tum venam consolidare. Radix consolidæ maioris id præstare poterit decocta cum carnibus, vel condita cum saccharo. Nam quouis modo sumatur, consolidat, & recrementa pulmonum purgat. Eiusdem vis est syderitis. Coagulum leporis fluentem sanguinem, & coagulatum dissoluit. Crocus pectus dilatat, coquit, leuiter astringit, si cum aliis misceatur astringentibus. Fieri potest medicamentum, quod astringat, concoquat, expurget, & sine magno impedimento respirationis, quod in primis curandum est.

Consolida maior syderitis nota.

℞. conseruæ symphiti ℥. j. sacchari rosati, conseruæ rosarum mediæ ætatis ana ℥. ß. gummi tragacanthi, & arabici ana ʒ ß. Si sanguis fluat in magna quantitate, adde seminis nasturtij tosti scrupulum j hypocistidis scrupulum ß syrupi de papauere q s. Fiat lohot, quod erit fortius & magis expurgans, sed minùs astringens, si gummi non assentur, & conserua rosarum sit recens, addásque croci parum, aut succi glycirrhizæ. Fiet verò magis astringens, si conserua sit vetus, gummi assentur. Addas corallum aut syrupum myrthinum, & myuam cydoniorum. Nam syrupus myrthinus indifferenter vsurpatur. In fluxu sanguinis post poscam & mulsam, vtendum verè astringentibus, vt dictum est superiùs de sputo sanguinis. Retento fluxu sanguinis ad expurgationem eorum, quæ continentur in thorace, vtendum remediis, vt suprà dictum est. Firmata autem & solidata vena, vtatur etiam magis expurgantibus, addito tamen bolo, aut terra sigillata, vel alio astringente. Aqua cha-

chalybeata vtatur, & aliis appropriatis ad restaurationem humiditatis, quæ dicentur postea. Porrò fit phthisis ex defluxu pituitæ salsæ, quæ erodit substantiam pulmonum. Ob id ipsos oportet curare sic, vt abscindantur caussæ, maximè antequam vlcus factum sit, vel maximè consumptum corpus. Ad hęc materia coquenda erit. Coquitur autem leuiter astringentibus, vt melle rosato, syrupo capillorum veneris, syrupo iuiubino, de hyssopo. Eligendi sunt syrupi pro varietate temperamenti.

Nam si materia sit subtilis, quod magna ex parte esse solet, erit incrassanda, & eius acrimonia obtundenda, si autem crassa sit, vel ob plenitudinem, vel ob assationem in pulmone factam, oportet dare syr. attenuantes, cum aliquibus lenientibus, vt

℞. syr. iuiub & capil. ven. ana ℥. iij. aquę hord ℔. j. misce, pro tribus dosibus, vel ponatur aquæ capil. ven. viol. scabiosę ana q. j. Si autem materia sit crassa, accipiatur mel. ros. cum syr. capil. ven. vel de hyssopo.

℞. mell. ros. ℥. i. syr. capil. ven. de gly. ana ℥ ij. ß. aquarum capill. vngulæ caballinæ, scab. enulæ camp. ana q. j. misce, pro tribus dosibus. Euacuetur cum pilulis de assaieret, vel de hiera simpl. de ag. vel decoctione pectorali cum diaph. elect. de citro, indo maiore. Sed hoc est faciendum cùm materia adhuc fluit, & corpus adhuc consumptum non est. Nam tunc sunt omittenda medicamenta purgantia, quia exiccāt corpus, & ad tabem perducunt. His, qui sunt aliquo pacto affecti, & iam vlcus fieri incipit, possumus dare decoctum agarici cum manna, aut cassia in decoctione pectorali, pituitosis & vbi materia est crassa. Biliosis autem & habentibus materiam calidam & salsam, syr. ros. laxatiuum cum decoctione, passul. sebesten, & ex his fiunt pilulæ sic.

℞. myrobal. citri. chebulorum, indorum confricatorum cum ol. amygd. dulc. rhab. ana ʒ. ß. cinamomi, succi glyr. seminis bombac. & anis ana ℈. j. cum syrup. viol. fiant pilulæ, vel cum terebinth. lota in aqua viol. vel aqua hordei. Capiat semel in mense. Hæ pilulæ laudantur, quia euacuant materiam quodammodo constringendo, & pęctus abstergent. Quòd si sit pituita crassa, poteris addere agar. tro. ℈. ij & ob anhelitus dif-

ficultatem croci gr. vj vel ℈ ß. Et erit proprium magis in toto absceſſu, vt etiam aliquo pacto conſumptos pilulis poſſemus expurgare. Poteſt etiam dari manna cum iure pulli, vel caſsia cum ſemine aniſi. vel detur decoctio galli antiqui parata, vt ſuprà monſtratum eſt, ſcilicet, vt euiſceretur, & in ventre ponuntur ſequentia.

℞. paſſ. mundat. par xx pruno. iuiub. an. N. ex ſebeſten N. v. medullæ ſeminis carth. ℥. vj. ponantur in ventre galli, coquatur in aquæ ℔. vj. ad conſumptionem tertiæ partis, vtatur mane iuſculo. Et ſi ſatis non leniat, adde ℥. j. vel ij. mannæ granatæ, ſingulis menſibus capiat ter aut quater, niſi venter ſit ſupra modum laxus, & ſolutus. Poteſt addi radix gly. & ſimph. & agar. in decoctione. Hæc purgandi ratio eſt optima, quia ventrem lenit, & vires non deiicit, & medicamentum diſtribuitur per totum corpus. Vngatur pectus butyro, vel vnguento reſumptiuo, vel ol. amyg. dulcium. Vtatur ſuffumigio dicto cap. de catarrho, quod mirum in modum exiccat cerebrum, & pulmonem. His, qui ſunt parati ad hunc morbum, & qui incipiunt laborare, ſummum eſt remedium hordeatum mundatum dare cum ſacch. roſ. per tres horas poſt cœnam in introitu lecti. Nam qui ſunt obnoxij huic morbo, calido ſunt hepate, vel ventriculo, vel corde, à quibus eleuantur fumi acres ad cerebrum, qui commixti pituitę penetrationem addunt, & ad pulmones demittunt. Hordeatum mundatum obtundit acrimoniam vaporum, & eos incraſſat, & prohibet ne aliquid ſurſum aſcẽdat, nec minus pulmones abſterget, & corpus vniuerſum humectat. Vel vtatur conſerua roſ. antiqua è cibo, maximè poſt cœnam, aut aliqua alia conſerua, quæ conſimilem effectum præſtet. Tota enim cura Medici eſſe debet in præcauendo, ne morbus fiat, vel ſi factus ſit, ne creſcat, nec citiſsimè augeatur. Nam illos curare optimè, difficillimum eſt. Pro curatione vlcerum vtimur lacte aſinino, quod quidem abſterget vlcus, & corpus tabidum reficit, ſed ſi fieri poteſt, citiſsimè mulſum accipiatur. Alteratur enim facil-*Lac Aſini.*limè lac, & corrumpitur. Lac etiam præparare oportet. Nam interdum maior eſt intentio abſtergendi, interdum conſolidandi, aliàs refrigerandi. Cùm refrigerare volu-

volumus, capram vel asinam nutrimus herbis refrigerantibus, vt salice. foliis vitis, lactucæ. Si autem abstergere, damus eis hordeum integrum. Si magis nutrire volumus, damus hordei farinam, vel tritici. Lac dandum est vacuo ventriculo, & mundato ventre. Quamobrem non sunt imitandi illi, qui lac præscribunt non purgato ventre, cùm sua natura facilè lac acescat, maximè in ventriculo. Nam putridi humores sunt vice fermenti, qui corrumpunt totam massam alimenti etiam optimi. Ergo ventriculus purgetur decocto galli antiqui addita aliqua parte hordei mundati, vel integri iam semicocti, vel detur manna cum decocto galli. Quòd si etiam purgato ventriculo, æger patiatur nidorosos ructus vel acidos, omittatur vsus lactis. Nam illis plus nocet, quàm conferet, sed vtatur hordeo mundato cum sacch. ros. Semper habeat in ore diatrag. vel diapendiatum, vel sacch. candum. Noctu autem saccharum rос. tabul. quo non est aliud præstantius in hoc morbo. Euacuato ægro, cessante aliqua ex parte defluxione, optimum est vti hoc remedio. *Similitudo.*

℞. syr. capil. conf. anthos ana ℥. j. nucleorum pini infusorum in aqua hord. ℥. ß. auellanarum, amygd. dulc. ana ʒ. ij. seminis bombac. pap. albi melon. cucurb. citruli ana ʒ. j. cineris cancrorum fluuiatilium, vel stagnorum ablutorum priùs in aqua hordei, coralli albi & rub. ana ʒ. ß. croci g̃. vj. mell. ros. ℥. j. sacch. ros. tab. ℥. j. cum syr. iuiubino, fiat ad formam lohot. Adde pulueris vulpis ʒ. ß. Capiat per horam ante prandium & cœnam. Si necessaria sit purgatio materiæ in thorace contentæ, addantur illa, quæ sputum prouocant, vt succus gly. & gly. ipsa, sacch. candum, diairis simpl. Minuantur astringentia. Optimum est vti pul. præscripto à Philonio cap. de phthisi in Monacho. & ait hoc puluere multos fuisse curatos. Hic puluis complet omnes intentiones. Prohibet enim descensum pituitæ ad pulmones, incrassando ob semen papaueris albi admixtum in magna quantitate, & quatenus iuuatur à gummi arab. & tragac. & melle. Lenit pectus, & materiam humectat, vt facilius per tussim extrahatur. Exiccatur autem pulmo à spodio. Fieret autem puluis hic præstantior sic,

℞. seminis pap. albi ʒ. ß. gummi trag. & arab. farinæ orobi ana ʒ. j. ß. seminis altheæ, portulacæ: cucum. mellonum, citruli, bomb. ana ʒ. iij. ß. ciner cancrorum fluuiat. coralli albi vsti, succi gly ana ʒ. j. ß. sacc. ros. tab ad pondus omnium, fiat pul. Dentur ʒ. ij. cum syr. de papauere, vel iuiubarum. Hic puluis est efficacior altero, quia semen bombacis recipit, & alia quæ magis humectant vt semen citruli, cucum. In minori quantitate recipit pro spodio, quod conficitur ex ossibus equi vel alterius animalis, cineris cancrorum, qui multum laudantur in cancro, & in morsu canis rabidi, & in hoc affectu, ob exiccationem & similitudinem, quam habet eorum caro cum pulmonibus. Ob id eius decoctum multùm laudatur. Coralli & cineres cancrorum abluantur leuiter cum aqua hordei, post adustionem. Nec oportet accipere astaces fluuiorum (vulgò escreuices) qui habent similitudinem cum cancris. Cancri tamen non sunt, vt ex Aristot. constat, qui inquit solos cancros carere cauda, interea, quæ tenui testa integuntur. Sed adhuc astaces præstaret capere, quàm leporem marinum, vt facit Syluius in suis succedaneis. Est enim prorsus venenum, & sua natura pulmones lædit. Ob id, qui obnoxij sunt huic morbo, loliginem non edant, quia lepus marinus istis commiscetur, ita vt vix ab ea discerni possit, nisi tetro suo odore. Sed pro cancris fluuiatilibus, qui passim reperiuntur in Italia, capiemus cãcros marinos, vel stagni, qui eandem habent facultatem, quanuis imbecilliorem, vt docuit Diosc. cap. 10. lib. 2. neque reiiciantur ob salsedinem. Nam ea adustione deponitur. Cùm autem in cibo, vel iusculis assumuntur debent priùs ablui aqua hordei, & caro & iusculum assumenda sunt. Valent etiam contra venenum potum leporis marini. Non me latet in exemplaribus Græcis pro cancero marino, legi leporem marinum, sed corruptus est codex, vt patet ex Diosc. cap. de cãcris lib. 2. & ex Plinio. Et pro lepore legendum cancrum. Vtantur carne & decocto testudinũ nemoralium, vel coclearũ terrestrium. Vtantur alimentis procreantibus bonum succum, & qui non facilè dissipentur, vt auenato, hordeo mundato, vel pulte cũ lacte amygd. vel capræ, vel extremitatibus animaliũ. Vtantur

Cancer fluuia.

vino

vino dulci,& oligophoro. Conficiantur morselli aliqui in formam pignolati,ad humectationem,vt,

℞.carnis testudin. & cancrorum ana ℥. j. nucleorum pini maceratorum in aqua rof.℥.j. ß. pul. diatrag. frig. & restaurantis humiditatem ana ʒ.j.diairis simpl. ʒ. ß. sacch albiss.diss in aqua capill.& rof.perfectè cocti q. s. fiat ad formam pignolati, remanentibus pineis integris. vel adde amygd. contus. q. s. fiat tarta. Sed magis laudatur confectio illa pignolati, quia cùm pulueres in furno decoquuntur,humiditas amittitur. Si superueniat fluxus ventris, statim succurrere oportet. Nam phthisi superueniens fructus ventris, lethalis est. Succurritur astringentibus ventrem, sed magis ad extrà, vel remediis infusis per sedem: quia si per os sumantur, faciunt anhelitus difficultatem. Indantur autem, quæ indifferentia sunt, vt conser.rof.syrup.myrthinus,syrup.capil. ven. quia extenuat, sed per accidens. Si adsint vigiliæ, syr.de papauere,qui est semper optimus in hoc morbo, nisi materia retineretur intra pulmones ob crassitiem. Nam tunc ab eo abstinere oportet. In frontali vtēdum est vel oxyrrhodino, vel syr. viol. cum aqua hordei. Si autem retineatur sputum, relaxantibus vnguentis pectus, & eclegmatis subueniendum est. Eclegmata sunt attenuantia, & sputum prouocantia, vt fiunt ex syr. de hyss de glycir. capill. diairis simpl. & Salomonis, & similibus. Nunquam adeo attentum esse oportet ad id, quod magis vrget,vt omnino negligatur morbus aut aliud symptoma minus.

De empyeumate. CAP. XIII.

EMpyeuma fit aliquando à catarrho, & tunc curatur, vt tussis è materia viscida. Purgatur vniuersum corpus. Extenuatur humor, & præparatur, vt per sputum educi possit. Addimus ergo eis in medicamentis, ea quæ magis abstergunt, & quæ magis extenuant, nisi cùm febris adest. Tunc enim minus calidis est vtendum,attenuātibúsque. Si autem fiat ab abscessu aceruato, rupto, & in vacuum thoracis locum effuso, inter membranam costas succingentem, & pulmones, statim danda erit opera,vt id,quod potest digeri, digeratur, & reliquum coquatur. Hoc fit vnguentis catapl. & potio-

nibus assumptis. Fiunt etiam cataplas. ex rebus maturantibus, & digerentibus sic.

℞. dactyl. fic. ana N. xx. rad. bismal. lilio. ana ℥. ij flor. cham. meliloti ana p. j. fiat decoctio, & omnia fortiter contundantur, quibus misce farinæ orobi, & fœnug. ana ℥. iij. ol. liliorum, amygd. dulc. ana ℥. iij. misce, fiat catap. Adde ceræ vel resinæ parùm, & fiat vnguentum, vel emplastrum. Ex paratis vti possumus diachilo magno & paruo, & ireato, emplastro de meliloto. Potiones fiūt hoc modo.

℞. rad. ireos. mal. glyc. ireos siccæ ana ℥. j. fic. pass. an. N. xx. seminis bismal. seminis lini ana ʒ. iij. seminis melon & bombac. ana ʒ. ij. fiat decoctio. In col. diss. mell. q. s. fiat syr. vel apponantur syr. appropriati, vel sacch. vel sapa. Et in fine purgetur leuiter cum manna, vel cassia. Nam à principio vel sanguis missus est, vel purgatus. Aliqua ex parte iam maturato abscessu (non enim oportet expectare perfectam coctionem) conandum est, vt rumpatur abscessus. Non rumpitur autem ob conatum, nisi tussis prouocetur. Aliqui laudant potionem ex fermento, vel extra cauteria apponātur, si locus tangi possit. Quòd si vtantur cauteriis, & sanies fluat, læuis, æqualis, & non fœtida, euadent. Si autem vt oleum, vel si cruenta sit, vel fœtida, malum est. Tunc fiat eclegma ad abstersionem pulmonū, & cùm perfectè pectus erit mundatum, ducatur vlcus ad exiccationem. Eclegmata erunt, quæ dicta sunt in pleuritide & tussi. Et propter hæc possunt dari syr. sequentes, quos capiat lambendo.

℞. oxymel. scill. ℥. j. syr. capill. de hyss. ana ℥. j. ß. aut ℥. ij. misce, capiat lambendo. Vtatur & lohot præscripto cap. de raucedine, ablatis cubebis. Si iam ad tabem deuenerit, curabitur vt phthisicus. Deinde potest vti lohot ex pipere, myrrha, melle, vt dictum cap. de angina. Si febris sit magna, omittatur piper. Victus ratio sit talis, qualis erat phthisicorum, & pleuriticorum, nempe hordei mundati. Quòd si opus sit purgatione, purgetur cum decocto galli antiqui, vt dictum est suprà.

De pleuritide vera. CAP. XIIII.

Pleuritis alia vera, alia non vera. Pleuritis vera fit, vt plurimum à sanguine, vel à bile, aliquando à pituita,

rarò à melancholia. Curatur syru. detur primùm clyster molliens, si tempus patiatur: postea fiat missio sanguinis è basilica, vel mediana eiusdem lateris ad magnam quãtitatem. Quòd si dolor non remittatur, fiat reiteratio. Vel post sanguinis missionem detur clyster. Si conficiatur talis decoctio pro clystere, poterit & ex ea fotus. *Clyster.*

℞. rad. mal. bismal. liliorum an. ℥ j. mal. viol. pariet. an. M. j. seminis lini, fœnug. an. ℥ j. seminis bismal. ℥. ß. (si flatus morbum faciant, aut augeãt, adduntur, quæ illos discutiunt, vt semen anethi, anisi & fœ. an. ʒ. ij.) florũ cham. melil. sambuci viol. an. p. j. fiat decoctio. In ℔. j. col. diss. cass. mel ros. col. vel sacch. rub. an. ℥ ij. olei viol. (si febris sit ardens) vel chamomillæ (si à flatibus) ℥. iij. misce. fiat clyster. detur tertio quoque die, nisi venter solutus esset. Residuum decoctionis ponatur in vase æneo, vel in vesica porci (quæ magis laudatur, quia magis aptatur lateri, quam vas æneum, quod pondere etiam grauat) vel in spongia magna. Ponatur panni intra vesicam & latus, ne nimium humectetur. Post vesicæ ablationem, vngatur sic.

℞. ol. amyg. dul. ℥. 3. ol. liliorum & chamo. an. ℥. j. cum pauca cera, fiat vnguentum. Si morbus sit adhuc in principio, vel febris sit admodum ardens, addi potest. ol. vio. tantundem, vel vngatur vnguento resumptiuo. Quòd si timeatur propter antiquitatem eius nimia calfactio, abluatur cum aqua hordei, & addantur olea, quæ apta ad faciendum medicamentum idoneum tempori, vel morbo, vel symptomati, vt si æstate, vel in temperatura valde calida, & in hoc morbo cum feb. ardentissima, post ablutionem adde ol. vio. ℥. iij. Si medius sit morbus, ol. cham. vel liliorum. Si autem morbus esset à materia frigida pituitosa, & tempus esset frigidum, accipe ol. irinum, vt in declinatione etiam omnium pleuritidũ facimus, à quacunque materia fiant, quocunque anni tempore. Si non reperiatur vnguentum resumptiuum, fiat sic. *Vnguentum.*

℞. butyri recentis sine sale, vel (si non adsit recens) abluti decies in aqua hordei ℥. ij. ol. cham. & amygdal. dulc. ana ℥. iij. olei liliorum & irini, vel kerini. an. ℥. j (Si materia sit calida, loco irini pone viol.) mucilag. seminis lini & fœnug. extractæ cum aqua hordei ana ℥. j. In ma-

teria calida addunt nonnulli mucilag. seminis psilij, & cydoniorum, sed illa parum placent, quia præter facultatem refrigerandi, habent vim emplasticā, & astrictoriam. Quapropter satius erit addere maiorem quātitatem ol. vio. & minus calidis vti. Nam ol. vio. simul & acrimoniam caloris obtundit, & relaxat. Semper autem in pleuritide, & anguina addenda sunt, quæ digerunt, & relaxāt in parte externa, & id citra admixtionem astringentium, quia nulla est opus astrictione, ad robur partis affectæ, vt est in hepate & ventriculo, ceræ q.s. fiat vnguentum. Additur trocus vnguento resumpto, vel huic vnguento enula camp. puluerisata cùm materia est frigida, & multùm viscida. Potest fieri sacculus, sed hoc magis fit in pleuritide non vera, vt & emplastrum, quod suo loco mōstrabitur. Quotidie detur talis decoctio pro syr.

℞. gly. ras. ℥. j. pass. fic. iuiub. ana n. xx. (si à sanguine, & bile fiat, adde sebesten & prunor. dulc. tantundem) quat. sem. frig. maior. & semin. mal. vel bismal. ana ℥. ij. florum cham. & viol. an. p. j. hordei integri p. j. anisi ʒ. j. fiat decoctio. In qua diss. syr. viol. & iuiub. ana ℥. iij. misce, pro tribus dosibus. Optimum erit in prima dosi ponere tātùm syrup viol. ℥. ij. mannæ gran. ℥. j. vel ij. Quòd si maiore opus esset lenitione ventris, adde cassiæ ℥. ß. & hoc in primis dosibus faciendum est, ne impediatur significatio crisis, vel crisis ipsa. Non igitur detur quarto die, neque sexto, neque septimo. Decoctio cum syrupo dari potest quolibet die. Si autem materia sit viscida & frigida, vti possumus syr. viol. sed admixto alio syr. incidente vt sunt de hysso. de gly. vel mel. Siue materia sit calida, siue frigida, teneant in ore sacchar. candum. Si calida sit, elect. diatrag. frigid. diapenid. sine speciebus: si frigida, elect. diairis simpl. vel Salomonis. Fiant lohot ex iisdem, vt si materia incrassanda sit, fiant hoc modo.

℞. elect. diatrag. frig. ℥. j. penid. & sacch. candi an. ℥. j. syru. viol. & iuiub. an. ℥. j. ß. misce, fiat lohot. Si maiorem incrassationem desideres, adde syr. pap. ℥. ß. Cùm autem ponimus syr. de pap. optimum est addere syr. capil. ven. Reparat enim eius violentiam. Si materia sit frigida, fiat hoc modo.

℞. elect. diairis simpl. ℥. j. pul. diairis Salomonis ʒ. ß.

sacch.

sacch.candi, diapenidiarum ana ℥. j. syr. de gly. & capill. ven. an. ℥. ij. misce, fiat lohot. Saccharum candum, & penidiæ in quauis materia ponuntur indifferenter. Melius est componere talia eclegmata, quàm paratis vti. Nam ob antiquitatem rancescunt, & illa magis parata sunt pro tussi a materia frigida, & pro expurgatione materiæ frigidæ pituitosæ, quam pro pleuritide, in qua adest febris, & materia est incrassanda, vel attenuanda. Quare si quis paratis vtatur, propria reddet huic affectui, addendo syr. proprium morbo, vel tempori, vel temperamento, vt si timeatur nimia caliditas, accipe lohot sani, vel lohot de pino ℥. j. syru. viol & elect. diatrag. frig. an. ℥. ij. fiat lohot. Accedente statu ad corroborationem virium, & confortationem solent Medici præscribere condita, vel in hoc addunt corroborantia, vt

℞. conf. viol. ℥. conf. buglos. & capill. ven. an. ℥. ß. pul. diatrag. frig. & diapenid. sine speciebus ana ʒ. j. syr. iuiub. & viol an. ℥ j misce, fiat lohot & hoc est pro materia calida. In frigida vero potest fieri sic.

℞. conf. capill. ven. ℥. j. conf. viol. & buglossi ana ℥. ß. conf. ireos, vel enulæ camp. ʒ. j. pul. diairis simpl. & diapenid. sine speciebus ana ʒ. j syr. de gly. & capil. ven. ana ʒ. j. fiat lohot. Conserua viol additur quamuis sit materia frigida, quia timetur caliditas ireos, & enulæ campanæ Sunt, qui citra delectum alios pul. addunt, vt in materia calida, diamar. frig. qui magis videtur retinere materiam, quàm corroborare Ego autem non nisi in materia calida, & in nimia quantitate, & in maxima necessitate vti vellē, vt in materia frigida elect. de gēmis. Circa statum solet subsequi instantia vigiliarum, & tunc præscribuntur potiones somniferæ, vt syr. viol. cum decocto hord. vel syr. de pap. si materia sit calida. Si autē materia sit viscida (quanquam rarò accidit, vt ab hac vigiliæ superfluæ sequantur. Materia enim viscida cùm frigida sit, potiùs veternum conciliaret) meliù. erit frontali, aut inunctione frigida vti, vt ol. viol. quo concilietur somnus. Potiones enim frigidæ magis incrassant, & sputum retinent. Neq. his vti debemus, si expectandus sit fluxus criticus, vt fluxus narium. Quòd si in materia frigida interdum cogamur vti potione somnifera, fiat vt sequitur.

℞. syr. viol. & capil. ven. an. ℥. j. syr. de pap. ℥. ß. detur cum ptisana. Si velis addere pul. potest addi pul. diatrag. frig. diapenid. sine spec. & post somnum corrigere oportet, si quid retentum fuerit, vngendo pectus, dando lohot, quod fortiùs incidat. Dantur aliqua ad curationem istius morbi quæ magis à tota substantia prodesse constat, quàm ratione aliqua, vt decoctum pap. rub. in aqua scab. vel pimpinellæ, cineres priapi tauri cum vino vel cum aqua hord. Fit autē papaueris decoctio hoc modo.

℞. florum pap. rub. M. ß. aquæ scab. ℔. ß. aquæ pimpinellæ qr. j. concoquantur leuiter, adde sacch. parùm, fiat ad formam iulep. dentur à principio bis vel ter in die ℥. iij. Sequens dari potest omni tempore morbi.

℞. cineris priapi tauri ʒ. j. detur si febris sit remissa cum vino. Vel cum aqua hordei, vel cum aqua capil. ven. vel cum brodio. Aqua vel decoctum cardui benedicti vel argentati mirè confert in vtraque pleuritide, verùm an in peripneumonia etiam cōferat, nondum compertum est. Et ista sunt experientia comperta & confirmata, nec dari potest ratio quare tantopere is cinis priapi tauri conferat, nisi quòd fortasse id proueniat à similitudine substantiæ priapi tauri cum membrana costas succingente. Est etiam emplastrum quod in materia frigida & viscida, & in pleuritide non vera laudandum est. Quanquam in omni pleuritide vulgus id præscribat.

℞. picis naualis qr. j. ol. cham. ℥. iij. sulphur. ʒ. j. malaxentur, fiat emplastrum, ponatur supra partem affectā. Si dolor fiat à flatibus, etiam multùm prodest. Sed est mutandum emplastrum, prout mutatur dolor. Tempore sitis vtantur syr. viol. vel iuiubarum cum ptisana, si fiat à materia calida: Sin à viscida, syr. capil. ven. Potest fieri conditum pro siti in delicatis & imbecillis, vt

℞. conf. viol. ℥. ij. conf. bugloss. ℥. j. pul. diatrag. frig. ʒ. j. sacch. candi ℥. ij sacch. tabarret q. s. fiat conditum. Vtatur in statu tempore sitis, miscendo cum aqua hordei, vel excipiendo cochlear. ij. postea bibendo parum aquę. In materia frigida minuatur dosis conf. viol. vsque ad ℥. ß. & ponatur conf. capil. j. ℥. & diairis ℈. j. cum ℥. j. diatrag. frig. Verùm syr. diutius adhærent, & magis sputum promouent, quàm condita.

De pleuritide non vera CAP. XV.

PLeuritis non vera curatur ferè iisdem remediis, nisi quòd in parte externa fortiora remedia sunt adhibenda, vt emplastrum præscriptum, & sacculus sequens.

℞ flor. chamo. samb. & melil. an. p. j. seminis anethi ℥. ß. fœnic. ʒ. ij. seminis mal. ʒ. j. ß. (Si addas in materia frigida vel ventosa, seminis rutæ vel cymi. ʒ. j. erit efficacius) fiat sacc. interbastatus, qui calfactus super patellam ardentem irroratam vino supra partem affectam applicetur. Vnguentum illud præscriptum fortificatum cum aliquo ol. magis digerente, erit optimum, vt si fiat sic.

℞. ol. liliorum cham. & irini ana ℥. ij. ping. gallinæ, anatis, & butyr. ana ℥. j. musc. seminis lini & fœnug. extr. cum aqua hord. an. ℥. ß. pul. ireos, vel enulæ camp. ʒ. j. croci ʒ. ß. ceræ q. s. fiat linimentum, quo vngatur locus dolens. Potest addi vnguentum dialtheæ. Potest etiam fieri decoctio pro clystere & calefact. hoc modo.

℞. rad. bismal. & liliorum an. ℥. ij. merc. ciclæ, parietar. branchæ vrsinæ ana M. seminis lini & fœnug. ana ℥. j. seminis anethi, bismal. fœnic. & anethi an. ℥. ß florum chamo. melil. samb. an p. j. fiat decoctio (si materia sit valde frigida vel fiat à flatibus, potest addi seminis carui vel cymini vel rutæ ʒ. j.) in ℔ j. col. dissol. mel. & cass. an. ℥. ij. Si fortè materia adhuc flueret, additur aliquid hieræ picræ, ad retractionem materiæ fluentis. Tunc etiam fumigio vtendum, vt diximus capite de catarrho. Igitur ponemus hieræ picræ ℥. ß. vel elect. indi maior. ʒ. iij. Si dolor vehemens sit & omnia consentiant, fiat missio sanguinis, vt in vera pleuritide. Quòd si ætas vel cruditas materiæ, vel aliud impediat, apponendæ sunt ventosæ super nates sine scarificatione, si materia omnino frigida est, vel cum scarificatione, quando est permixtio sanguinis. Detur decoctio præcedens singulis matutinis, vt in vera pleurit. Augeatur anis. & fœnic. ad flatus discutiẽdos. Possunt etiam addi flores samb. in decocto. Accipiat clysterem tertio quoque die. In hac pleuritide appositio cucurbitarum supra partem affectam, lenito sæpè ventre, & misso sanguine, vel priùs appositis cucurbitulis supra nates, vel supra spatulas in fortissimo dolore, vel materia iam accedente ad concoctionem mul

tùm valet. Quòd si materia ad partem externam trahitur,& vertatur in saniem (quod patet ex inundatione,& partis inflammatæ pulsatione) aperiatur locus, vt in aliis abscessibus, vel vtẽdum emplastro de meliloto, vel alio digerẽte, vt materia potiùs per insensilem transpirationem, quàm per manifestam euacuationem educatur.

Alterum caput de pleuritide.

Pleuritis nomen accepit à costa, quãquam sit inflammatio mẽbranæ succingentis costas. Illa duplex. Altera, quæ extenditur per partẽ interiorẽ omnium costarum. Altera verò, quæ costam vndiquaque inuestit, tanquam periostium costarum, & in vtraque mẽbrana fit inflammatio. Distinguitur autem species ex decubitu. Nam si æger in partem affectam decumbere potest, & non in oppositam, argumento est affectum esse in membrana extensa, quæ hypoficota dicetur,& hoc fit, quia cùm in oppositam partẽ decumbit æger, pondere materiæ collectæ illa membrana distenditur magis, & diuellitur à costis. Illa autem quæ fit in periostio, contrario modo se habet Nam in oppositam partem dormire possunt, in affectã verò minimè Sed quia hæc nota communis est pleuritidi veræ & non veræ, ob id aliam notã adiungere oportet ad distinctionem harum Nam si affectus sit in musculis externis, si digito premãtur, dolorem sentiunt. Quod non accidit his, qui inflammationem in periostio habent, nisi supra modum comprimatur costa. Fit etiam pleuritis in musculis intercostalibus, quæ species pulsatione deprehenditur. In multa enim inflammatione costarũ materia cõprimitur, præterquam in inflãmatione musculorũ intercostalium. Hac nota certissima deprehenditur,& in vtrunque latus dormire possunt. Conueniunt omnes in dolore pũctorio, in pulsu duro, in difficultate anhelãdi, febre verò & sputo distinguũtur. Nam omnes inflammationes internæ febrem habent, sed dolor lateris sine febre, à materia frigida vel flatulentã excitari solet. Nulla tussis, nulla expuitio sequitur. quia materia in parte externa continetur, Omnibus aliis difficultas respirandi est maior, & dolor magis pungens, spuitio magis sanguinolẽta, vel flaua, vel spumosa. In inflammatione mẽbranæ internæ semper adest pauca, aut

multa in morbi processu. Nam in salubribus tantū, mox apparet sputū. Verùm in inflāmatione musculorum intercostalium minor fit resudatio, ob id expuitio minor. In ea parte quæ est in periostio ferè nulla apparet, & resoluitur per insensilem trāspirationem & sudorem, modò missio sanguinis prohibuerit incrementum. Nā talis inflāmatio à pauca materia fit, & hoc maximè notandum est ad prædictionem. Nam communis prædictio pleuritidis est, quòd si à principio, vel mox expuant facilè, bene est sperandum. Si verò nō expuant, mortem prædicimus. Quod de illa interna inflammatione est intelligendum, non de aliis. Hæc enim multum sanguinis, vel bilis, vel pituitæ recipit. Quare plus sanguinis extrahere oportet & maiorē curam expirationis habere. Cùm omnis pleuritis sit inflammatio, & per defluxum alicuius humoris fiat, distinguendum est, à qua substantia fit. Nam fit à sanguine, vel à bile, vel à pituita, vel à bile atra. A sanguine frequenter fit, in iunioribus & iis, qui multo sanguine abundant. Cognoscitur autem ex totius corporis plethora, & sputo sanguinis. A bile frequēter, quia multus sanguis tenuis in corde & pulmonibus à quibus partibus materia defluit per venam azigos continetur. Sequitur iras, & excandescentias, & magnas exercitationes cum clamore magno. Color ex rubro flauescens ab aliis distinguit. A pituita sæpe fit in pituitosis post neglectas defluxiones, cuius sputum tardè apparet. A melancholia rarissimè fit. Nam vt ob lentorem pituita, ita ob crassitiem melancholia non facilè fluit. Curantur autem facilè à sanguine, quia humor facilè concoquitur, si sanguinis missio opportunè adhibita fuerit, id est, fluente materia, & multus sanguis extractus. Secundò biliosa citò terminatur, difficilius tamen, quàm quæ à sanguine. Longissimè soluitur septima die, & sæpius sudoribus, & nonnunquam fluxu sanguinis narium. Pituitosa rarò ante decimumquartum curatur. Extenditur quandoque ad multos dies, vt de illa Anaxiomenis videre est apud Gal. & Hipp. Vertitur hęc affectio facilè in peripneumoniam ob partium vicinitatem & consensum. Deprehenditur, quòd dolor minuitur, sed febris & difficultas anhelandi magis apparet, sputum magis spumosum est, & genæ ru-

bent, & hi omnes ferè moriuntur. Quæ à melancholia fit, raro aut nunquam curatur. Pleuritis, quæ post morbum alium diuturnum accidit, lethalis est, vt etiam ea, quæ fit in his, qui cachexia laborant. In caussa est, quod illa inflammatio non ab humoribus, sed nō naturalibus sanguini permixtis fit, quæ quo magis à sanguinis natura distant, eò difficilius concoquuntur, & reguntur à natura. Solet solui fluxu ventris. Quare prudenter scripsit Hipp. A pleuritide, & Peripneumonia habitis, diarrhæa superueniens, lethalis est. Quòd si in principio harum inflammationum aliqua fiat per partem euacuatio, quia materiam fluentem auertit à parte inflammata, modò vires constent, & inflammatio à tali humore fiat, vtilis est, neque de illa intelligit Hipp. Nā dixit, habitis. Nam materia coniuncta per fluxum ventris purgari non potest, vt materia antecedens, quę fortè ab hepate fluebat. Hæc enim per venas purgari potest. Soluitur nonnunquam pleuritis fluxu vrinæ, vt Gal. etiam testatus est. Sed tantùm illæ inflammationes, quæ in superiori parte thoracis, & quæ ad radicem costarum fiunt. Illa enim pars maiorem consensum habet cum vena caua, per quam ad renes defluit. Neque est reformidandus transitus materiæ propter cor, cùm materia illa cocta per crisim expellitur. Tunc vrina, quæ tenuis erat, hypostasim crassam & quasi furfuream habet, aut spissam. In omnibus istis febris est quasi symptoma, & ob febrem crises istę fiunt. Argumento est, quod post istas excretiones febris desinit, sed expectoratio per aliquot dies perseuerat. Soluitur aliquando suppuratione, quæ si in parte interna fit, periculosa est, ob repentinam ruptionem tumoris. Suffocatur enim æger, aut fit empyema. Si verò in aliis partibus ad extra materia prorumpit, aperta curatur, & maximè ad suppurationem veniunt, quæ ob casum, vel ictum excitatæ fuerunt. Curatur autem hoc modo.

CVRATIO.

Iniiciendus est clyster, si occasio mittendi sanguinis non vrgeat. Quòd si præterierit primus & secundus dies, statim sanguinem mittere oportet, quacunque hora diei vel noctis, vel anni tempore, modò magnitudo morbi & virium robur illa indicent. Facienda verò à parte, quæ

quæ è directo est partis affectæ, & à maiore vena vt basilica, vna vice, si vires id facere possint, ad sanguinis mutationem, & doloris aliquam mitigationem extrahere oportet. Quod si ob virium imbecillitatem, vel ægrotātis difficultatem, illam euacuationem ferre non possit, in duas diuidere oportet, sed quæ eadem die, vel paruo interuallo fiat, vel si videamus, per epicrasim facienda est & nisi magna fiat missio sanguinis ab ea parte, plus damni euenit, quàm vtilitatis. Nam illa pars sanguinis missione commouetur magis, sanguis, & venæ parum inaniuntur, per quas agitatus sanguis facilius ad partem affectam fluit. Facienda verò est à vena magna, quia facilior fit ex ea euacuatio & è directo partis, vt fiat κατὰ ἶξιν. Quæ rectitudo nō ob villos rectos, sed quia imitanda est natura, quæ solet facere suas excretiones secundū rectitudinem. Solent enim partes dextræ in dextras sua excrementa mittere, sinistræ in sinistras. Hæc autem sanguinis missio diuersio est, quæ ob materiā fluentem, non ob coniunctam fit, nisi cùm post aliquot dies fit. In qua inflammatione aliqua materia impacta est, ratione cuius deriuatio facienda est, quæ si ad mutationem coloris sanguinis fiat, erit deriuatio & diuersio. Sanguinis missio, quæ à parte opposita fit, non potest esse vtilis, nisi in principio, in quo nulla aut pauca materia collecta est, & continetur in magna vena, quæ rectitudinem habet cum parte dextra & sinistra. Neque audiendi sunt, qui docent semper esse faciendam in parte dextra, quòd vena azigos magis ad partem illam vergat quàm in aliam. Hoc tamen faciendum ad deriuationem existimamus. Qui primum ex parte opposita trahebant, deinde secunda missione sanguinis materiam impactam euacuare tentabant. Verùm frustra fit per plura, quod per pauciora fieri potest. Quare ab eadem parte trahēdus est sanguis, cum per illam partem & diuersio, & deriuatio fieri possint. In pueris & mulieribus vtero gerentibus, & in senibus aut his, qui ob aliquam occasionem, missionem sanguinis ferre nequeunt, cucurbitulæ appositæ in inguinibus in principio, quando materia fluit, materiam auertunt sine aliqua euacuatione corporis, & citra virīū dissolutionem, sed diutius retinendæ sunt, donec dolor vt-

cunque mitigatus fuerit. Clyster iniiciendus paulò post sanguinis missionem. Nihil refert si ante aut paulò post iniiciatur. Si venter non plus iustò fluat, paretur sic.

℞. maluæ, bism. cum rad. viol. an. M. ij. ficuum N. xx. semi. lini & fœnug. an. ʒ. j. anis ℥. ß. flor. melil. chamo. & viol. an. P. ij. fiat decoctio. In ℔. j. decoctionis diss. mellis viol. ℥. ij olei cham. ʒ. iij fiat clyster. Hic vtilis est, quia emollit & leuiter deterget, & partes tensas laxat, facitque ad sedationem doloris. Ex vna parte decoctionis post sanguinis missionem impleantur vesicæ vel vasa ænea, vel macerentur spongiæ, vel filtra, & lateri apponantur ad sedationem doloris. Residentia contundatur, & per cribrum mittatur, cui addantur axungiæ porci ℥. iiij. butyri ℥. ij fiat cataplasma, applicetur supra partem affectam, vel ponatur in sacculo, & apponatur lateri. Melius est & cōmodius, si applicetur lateri, quàm vas illud æneum, vel cucurbitula. Quare satius erit vti sacculis, vel filtro, vel spongia in decoctione maceratis. Deinde prouidendum de syrupo dando pro siti, de bechicis remediis & aliis dandis, quæ à materia & caussa efficiente, vel à modo, quo affectio incipit, colliguntur. In principio respicere oportet, si expuat, aut non. Si expuat, color sputi & facilitas consideranda. Quale enim est sputum, talis est materia, quæ morbum committit. Si ergo sanguineus, à sanguine: si flauescens, à bile. In istis duabus caussis incrassantia in principio danda sunt, quæ materiam inspissent, magis in biliosa, minùs in sanguinea. Ergo pro siti in materia multùm tenui, dare oportet pro potu syrupum violaceū, qui refrigerat, & leuiter inspissat. Vel si defluxio adhuc sit, syrupus iuiubinus, quia inspissat. Ideo magis conuenit tempore defluxionis. Quo etiam tempore dari poterit syrupus de papauere cum aqua pimpinellæ, vel cum aqua hordei. Inspissando intercipit defluxiones, & dolorem sedat. Quod ab occulta aliqua caussa fieri multi putant. Detur cum aqua hordei mundati in principio, vel cum decoctione iuiubarum, quia inspissat. Si verò tenuis sputio, & pituitosa sit, quod deprehenditur, quia morbus affatim incipit, & cum frigore quodam, si tussiant, & nihil expuant, vel parùm, tenue, & spumosum, dare oportet syrupum inspissantem,

sed cum decoctione hordei integri, vel passularum, vt syrupum violaceum, vel iuiubinum. Sed citiùs ad alios syrupos veniendum, vt ad syrup. capil. ven. & illum dare oportet in decoctione liquiritiæ, vel hordei, & pass. & omnibus simul coctis. Hac eadem ratione parabitur decoctum, quod damus singulis matutinis. Debet autem fieri ex fructibus detergentibus, & iisdem syrupis.

Pro sanguinea.

℞. pass. pruno. dulc. & non acido iuiub. an. N. xx. quatuor semi. frig. maio. bombacis & maluæ an. ℥. ij. anisi ℥. j. liquirit. ras. ℥ j. florum viol. borrag. bugloss. an p. j fiat decoctio. In ℔ j. diss. syr. viol. ℔. ß. misce pro tribus dosibus. Capiat pro prima vice ℥. vj. Reliquis duobus diebus ℥. iij. tantùm. Vtatur donec morbus planè curatus fuerit, nisi superueniat magnus ventris fluxus. Tunc enim abstinere oportet ab istis decoctis detergentibus & lenientibus aluum. Sed tunc talis potio parari poterit, quæ neque ventrem irritabit, neque expectationem impediet.

℞. hordei mundati p. j. quat. sem. frig. maio. & anisi ana ℥. iij. flor. bugloss. & borrag. ana p. j fiat decoctio. In ℔. j. dissol. syr. capill. ven. ℥. j. misce Capiat pro tribus dosibus matutinis. Vel si vires debiles fuerint à principio, neque sanguis missus, & fluat materia, quæ morbum non leuat, tunc abstinendum ab his, & topicis remediis ventrē roborare oportet. Nam vt Hipp. scriptum reliquit, A Pleuritide, & Peripneu. &c. Fiat ergo inunctio supra ventrem in inferiorem & renes, vt capite de diarrhæa dictum est, vel sic.

℞. olei cydoniorum, vel myrtill. ℥ iij. vel. rosomph. succi cydoniorum & olei ros. an. ℥. j. ß. misce, vngantur partes prædictæ. Quòd si fortiùs constringendum, adde pul. myrtill. ros. rub. mastiches, macis. coralli rub. ana partes æquales. Sinapisentur partes post inunctionem. Dentur iuscula magis spissa, & alia, quæ ventrem, non neglecta expectoratione, iuuant. Si verò morbus pituitosus, & materia crassa detergentibus tantùm, in principio. In declinatione, incidētibus & detergentibus vtendum. Nam quę incidunt, materiam deducunt ad partem affectam, sed vbi constitit defluxio, ad expectorationem

faciunt, si crassa sit, incidentia & detergentia, vt oxymel, syr de liqui. & aliis similibus vtendum. Si igitur pituitosa sit, parent tale,

℞. liqui. rasæ ℥. j passul. ficuum ana pa. 10. anisi ʒ. iij. semin melonum & cucurb. ana ʒ. j. florum chamom. & buglos. ana p. j. hordei integri p. j. fiat decoctio in ℔. j. dissol syr. capill. ven. & de liquir. ana ℥. ij. misce, cap. manè ℥ vj. Addimus sappam dulcem, vel parum mellis violati in valde pituitosis, non oxymel, neque syrup. de stechade. Hęc enim nimiùm attenuando & calefaciendo fluxionem nimiam facerent, & febrem incenderẽt. Si quando detergendum, oxymel detur permixtum syr. præs. ad expectorationem pituitæ crassæ, relictæ, ne fiat peripneumonia, ex hoc transglutiendo parua quantitate manè, ne irritetur defluxio. Hoc damus iis, quibus sanguis missus est, vel cucurb. fuerunt affixæ. Quòd si puer sit, vel senex, in prima dosi dissol. mannam vel parum casiæ, sed admodũ raró, neq; rhab. vel alia medicata. Neque ista, nisi cum magna pręmeditatione, sed contentus clysteribus & decoctis istis curare soleo. Vidi multos perire ob medicamenta laxantia, & in hoc sequor Hipp. qui dicit, inflammationes internas medicamentis laxantibus non curandas, quia nihil à parte inflammata euacuant, & sanas colliquefaciunt. Non me latet, Hipp. imperasse medicamenta laxantia, si dolor ad hypocondrion extendatur, sed à Galeno non probatur Hipp. opinio, puto Hipp. loquendo, inflammationẽ hypocondriorũ pro pleuritide intellexisse, in qua & Gal. in meth. med. concedit ad materiam coniunctæ eductionem, siue sit in splene, siue in caua hepatis parte, medicamenta laxantia. Tales enim partes consensum habent cum intestinis, quare conueniens est regio, sed quæ in thorace, vel in lateribus, continetur, nullum proprium cõsensum habet cum intestinis. Quare nullo pacto medicamentis laxantibus vtendũ, sed solis clysteribus, vel decoctis. vt si aliquid in intestinis, vel ventriculo collectum sit, euacuent. In solo morbo pituitoso, qui fit per catarrhum siue defluxionem, conuenit medicamentum laxans, idque initio siue cùm materia incipit moueri, & turgere, siue interna, siue externa, talem statim medicamentis

mentis laxantibus permixtis decocto, vt est frequenter agaricus decoctus cum decoctione pectorali & syr. rof. lax. euacuamus. Si sine febre, pilulas illas medias damus, vel decoctum tale paratur ad materiam illam fluentem turgentémque, vt,

℞. liquir. rasæ ℥. j. pass. ficuum ana N. xx. fœnic. sennæ or ana ʒ. iij. agar. tro. ʒ. j. florum chamæ. viol. ana p. j. anisi ʒ. hordei mundati p. j. fiat decoctio. In q. j. dissol. syr. rof. laxa. ℥. ij. mellis viol. ʒ. iij. misce, cap. prima vel secunda die defluxionis.

In pleuritide à bile, si post cachexiam fiat, in principio si non mittatur sanguis ob ætatem vel imbecillitatem, purgare oportet, quia materia ab hepate fluit, tunc decocto præscripto, tantùm addimus syrup. rof. lax. ℥. ij. & damus. Syr. enim minorem astrictionem habet à rhab. & minus calefacit. Sed si dandum est rhab. oportet infundere in decoctione illa & leuissimè exprimere, & dandum in ipso principio, vt materiam antecedentem euacuet, & fluxionem intercipiat. Syr. viol. est adiungendus, & omnia dulcia, & hoc ad materiæ antecedentis euacuationem. Cùm materia impacta est, tum per sputum educere, & per topica remedia digerere oportet, quibus nõ est statim vtendũ, vt neq; fotu, neq; vnguẽto, neq; alio calefaciente medicamento, ne ad partẽ affectã aliquid fluat, sed cùm dolor vehemẽs erit, tũc materiam collectam oportet discutere per partẽ, vt fotu ex decoctione clysteris, vel sacculis vel spõgiis, vel vnguento resumptiuo, vel pectorali, vel ex adipibus paretur sic.

℞. ol. amygdal. dulc. & viol. ana ℥. iij. butyri recentis, vel abluti aqua hordei ℥. ij. ceræ citrinæ q. s. fiat linimẽtum pro biliosa vel sanguinea. Si verò à materia crassiore & pituitosa, fiat sic.

℞. ol. amygd. dulc. & chamæ. ana ℥. ij. ol. anethini & liliorum ana ℥. j. axung. gall. & anatis ana ℥. j & terebin. abietinæ ʒ. j. ceræ parum. fiat linimentum, vngatur locus dolens, vbi minùs febricitat & faciliùs. Ceratum fieri potest ex emplastro diachilon dissoluto in ol. amygd. vel liliorum. Quòd si esset non vera & in musculis externis, vel intercostalibus, non erit absurdum vti emplastro ex pice malaxato cum oleo chamæ. vel anethino. Si fri-

gidior; addũtur huic emplastro ad discussionẽ 3.iij sul. phuris, & fiat emplastrum. Linimenta magis iuuant & potissimùm si post fotum applicentur. Ad expectorationem inuenienda remedia, alia in principio, alia in declinatione. In omni principio, quæ minùs detergũt vel minùs attenuant, & conueniunt: quæ verò multùm, nõ sunt danda, quia defluxionem concitant. Quare penidias, & elect. diatrag. dare oportet in principio. In declinatione verò elect. diairis simpl. Sacch. candũ. Item syr. viol. & iuiubinus in initio. In declinatione, tam calida, quàm detergentia, ad materię discussionem, absumtionémve: sed minùs calida, in calida. In pituitosa verò, quæ id potenter præstant. Vt syr. de liquiritia, de prassio, oxymel, in materia viscida. Itẽ fiunt eclegmata ad expectorationem, sed maximè eo tempore, quo materia vtcunq; cocta, expellenda est, vel vbi retenta fuit, qualia parantur in Officinis, vt lohot sanum, sed illa sunt iniucunda, & æquoris parùm grata. Ob id nos raró vtimur illis, sed vel ex pulueribus, vel electuariis suprà dictis, & syrup. fiunt eclegmata. Syrupi cocti, lẽti sunt. Quòd si inspissẽtur magis, vera fient eclegmata, vt hoc modo in calida.

℞. elect. diatra. frig. 3. iij. penidiarũ ℥. j. syr. iuiub. q. s. fiat eclegma. Inspissat materiã tenuem, & inspissando facit, vt facilè expectoretur: vel in materia calida expectoranda fiat pasta regalis conseruis, & aliis remediis, vt,

℞. conf. viol. ℥ ij. pul. diatrag. frig. 3 ij. penidiarum ℥. j. cum syr. iuiubarum, fiat pasta regalis. Vel syrupi tantum dantur sensim degluttiendo pro materia calida & in declinatione calidæ inflammationis, fiat hoc modo.

℞. conseru. capil ven. ℥. j. pul. diatrag. frig. & diairis simpl. ana 3. ij. sacch. candi ℥. ij. syrup. de hyssop. q. s. fiat lohot, vel sic.

℞. conf. capill. ven. ℥. j. diairis simpl. 3. ij sacch. candi, carnium passularum mundatarum, mucilaginis ficuum ana ℥. j cum syrup. de liquiritia fiat lohot. Hæc possunt dari in frigida, torroncs vulgò vocati, ex amygdalis, vel nucleis pinearum, vel fiat hoc modo pasta.

℞. amyg. dulc. ℥. j. pinearum mund. infusarum in aqua hordei ℥. j medullæ seminis melonum, & cucurbitæ ana 3. j. sacch. candi 3. iij. syr. capillor. ven. & de liquir. q. s. ad

excipien-

excipiendum, fiat ad formam lohot, vel pandaleonis.

℞. pul. diairis, & diatrag frigidi ana ʒ. j. facch. dissoluti in aqua scabiosæ vel capil. vel bugloss. q. s. vbi coctum est saccharum, ponatur puluis, & calidum fūdatur in arcula (vulgò dicta marcepein) & refrigeretur, & induretur ad formā electarij & lambendo capiat. Si retineatur sputum ob crassitiem, oxymel cum syr. de liquiritia dandū sensim transglutiēdo, sin verò ob tenuitatē, inspissandum, vt diximus. Circa statum in calidis inflammationibus vigiliæ superfluæ infestant, in quibus conciliandus est somnus, sed citra materiæ retētionem. Quare si materia tenuis sit, & inspissatione egeat, citra aliquod periculū dari potest syr. ex pap. cū syr. violato, & aqua viol. vel hordei nō vbi materia spissa est, vel detenta. Hoc enim magis delinit & inspissat. Paretur hoc modo.

℞. syr. de pap. syr. viol. ℥. j. ß. aquæ viol. ℥. iij. pul. diar. simpl. ʒ. j. misce, fiat potus, capiat hora decima longè à cœna. Oxyrrhodino perfundenda est pars capitis anterior. Quòd si materia crassior sit retenta, supradicto abstinere oportet, & hoc modo faciendum.

℞. lactis amygdal. dulcium crudi ℥. iiij. croci gra. iij. puluer. diairis ʒ. j. capiat hora 10. Si ob hoc non dormiat, adde sem. pap. contusi, & ponatur in lacte amygd. Hoc medicamentum etiam in morbo pituitoso conuenit, sed oxyrrhodino non est vtendum ne defluxionem augeat. Hoc agendo spectare oportet sudorē die 7. maximè si à sanguine vel à bile fiat, & si quarta die mador apparuerit, sexta die fiet perturbatio. Nōnunquam fluxus sanguinis narium accidit, sed minùs liberè habent vt neque in peripneumonia Morbus pituitosus extenditur in 14. diem magna ex parte, in aliquibus ad 20. sed raro, vel quia victu pleniore sunt vsi, & neglexerunt remedia. Victus ratio tenuis in principio, si morbus sit multùm acutus, à sanguine, & à bile, & in statu, & parùm expuat, talium potus erit decoctum hordei, pass. Cibus verò, pruna si dulcia sint: sin minùs, passulæ leuiter decoctæ cum saccharo, cremore ptisanæ vsque ad 7. diē. Si verò imbecilliores, modò expuant aliquid, oportet totam ptisanam siue hordeum ipsum mūdatum paratum cum amygdalis. Quòd si vires ad statum vsq; per-

durare possent cum hoc victu, optimus erit syr. violatus tempore sit, & cum aqua hordei permisceri potest. Si verò morbus diuturnior sit, vel vires ferre non possint, danda est tota ptisana, vel iusculum pulli, vel caponis semicocti, additis amygdalis, & in principio tenui, & quò magis expuit, eò magis augere cibum debemus. Abstineat vino & aqua cinamomi, & alia potione medicata. Vtatur aqua decoctionis liquiritiæ cum syr. capill. ven. Non sunt alia negligenda remedia, quæ ab aliquibus vsurpantur, qualia sunt, quæ ex pap. rubro parantur. In principio datum, quandiu defluxio fit, tale confert. Paratur decoctum in aqua pimpinellæ, & dantur ℥. iiij. frequenter in primis diebus per vnum atque alterum diem. Hoc medicamentum inspissando retinet defluxionem, & quod in parte est, digerit. Ego frequenter vsus sum cũ fœlici successu. Aliqui vsurpant bliti aquas, quas spinacias vocant: aliqui cardui benedicti aut aliarum aquarum, quæ sudores mouent, quæ si dentur facta defluxione, discutiunt, vt post 3. diem. Sed si antea dentur, augent morbum magis, quàm minuant, vt decoctum papaueris post materiæ defluxum sputum retinet. Alia duo noui, quæ efficacissima sunt, si suo tempore exhibeantur, vt rasura dentis apri, & cinis priapi tauri, exiccando, quod defluxum est, curant. Quare statim in principio dari non debent, neque postquam est expectorandum. Illa enim nimium siccando sputum retinerent. Post primum diem dari possunt cum vino, vt ad partem ducantur. Hæc in frigidis magis, quàm calidis conueniunt. Post sudores criticos, febris (quæ symptoma est) cessat, sed sputum perseuerat Quare non debent relinquere expectorantia, sed calidiora (si mitior reddita fuerit febris) aut cessauerit. Tunc emplastica ex diachilone lateri imponenda sunt & in pituitosa. Potes vti emplastris ex spice & sulphure, vel in diachilonis ℥. iij. addere sulphuris ʒ. iij. ol. chamo. malaxatæ & lateri apponere. Quo maximè vtendum in doloribus, qui fiunt ad extrà, vel mesopleuris, vt trahatur extrà, vel discutiatur, quidquid in parte relictum fuerit.

Doloris flatulenti curatio.

Quòd si flatulentus dolor sit, malaxentur cum oleo rutaceo,

rutaceo, anethino, & aliis hisce remediis. Citissimè curantur hac via, pueri, senes & grauidæ, sine aliqua sanguinis missione, vel purgatione sanitati restituti sunt. Hic morbus, si cū sputo sanguinis accidat, valde periculosus est, in quo morbo sanguis mittendus non est, quia, vt experientia cognitum est, retinet sanguinem, vnde maior sequitur inflammatio. Quam ob causam Hippo. 7. Epid. dolorem lateris enumerat inter ea, quæ sanguinis missionem impediunt. Cuius verba sunt hæc. Sunt nonnulli inter eos, qui sanguinea expuunt, quibus opportunè sanguinem auferre cōuenit. Aliis verò perinde ac illis non decet. Impedimēto autem sunt, tempus, laterum dolor, & bilis. Quare prudenter in hoc casu agendum est, de quo suo loco dicetur.

De Peripneumonia, Caput alterum.

Peripneumonia est inflāmatio pulmonum, quæ cum febre est, ob cordis vicinitatem, vel ob morbi materiam. Pleuritis facilè in hanc affectionem mutatur, & maximè lethalis est. Notę pleuritidis adsunt, nisi quòd dolor punctorius non adest, sed grauis potiùs, quòd pulmones non sentiant. Maior difficultas anhelandi, & maximè, quando in dorso siti sunt, ob id recti sedere volūt. Nota propria, quæ affectum sequitur, est rubedo maxillarum, & totius faciei, ob sanguinem tenuem regurgitantem in superiores partes, per venas & arterias. Hæc nota, si Gal. credimus, est huius affectionis propria. Rubet facies in futuro sanguinis fluxu. In empyemate, maxillæ. Cùm empyema pulmones inflammat, propriam dicimus omni inflammationi pulmonum tussim siccam in principio. Deinde spumosum sputum, cruentum, sæpius flauum. Fit autem hæc inflammatio, à sanguine bilioso, quo nutritur pulmo, & à pituita, quæ diu remansit in pulmone putrefacta, quæ pulmones infestat & post catarrhos, in senibus frequentius, & in iuuenibus à bile.

Prognosticum.

Est morbus acutissimus & periculosus, occidit biliosa frequenter quinto, pituitosa vix attingit 8. diem. Sæuissima accidentia, vt vigiliæ, somni breues, perturbationes mentis, deliria, morituris partes externæ frigidæ. Ob maximā inflammationem internam nasus fit simus

& appentententia deiicitur. Soluitur hęc inflammatio fluxu narium, si Aetio credimus, quanquam Galen. de crisib. 3. contrariũ docet his verbis. Contingit aliquãdo propter sanguinẽ è naribus fluentem phrenitim finiri, non tamẽ lethargus, aut peripneumonia fluxum sanguinis amant. Sed si quis attentè dicta Gal. inspiciat, intelliget Gal. loqui de peripneumonia, quę à pituita fit, in qua sanguinis fluxio è narib. non conuenit. Sed in biliosa vel sanguinea conuenit, vt in phrenitide, & argumento est Gale. de pituitosa intellexisse, ex eo, quòd lethargo coniunxit. Lethargus enim pituitosa inflammatio est, in qua sanguis non est euacuandus, & nos vidimus aliquas peripneumonias fluxu sanguinis finitas. In deterius vergunt post fluxum sanguinis pituitosæ.

Curatio.

Curantur autem, vt pleuritis, missione sanguinis & alui deiectione & expectoratione, sed hoc interest, quod in pleuritide rectitudo seruanda. In peripneumonia ex vtraque parte fluit sanguis. Differt etiam, quòd in peripneumonia prima sanguinis detractio, minorem copiam, secunda maiorem requirit, & si in aliquo morbo, est facienda copiosa in hoc, quia affectus magnus est, & circa cor positus. Fit tanta defluxio vel attractio sanguinis tum ob cordis calorem, qui trahit, tum ob venarum frequentiam, tum ob sanguinis tenuis copiam, quæ in cordis finibus esse solet. Ob partis affectæ dignitatem & interni affectus magnitudinem, trahendus est sanguis, si fiat à sanguine, vel bile naturali. Si verò à pituita, morbus mitior est, & ferè in senibus, & post alios morbos. Ob id sanguinis missio necessaria non est, sed oportet cucurbitulas in emunctoriis interioribus apponere, ad inhibendum, ne sanguis ad partem affectam descendat. Nam si pituitosus affectus sit, frigidior redditur, neque concoquere, neque expellere, ob virium imbecillitatem possunt. Quare iniiciendus erit clyster, & illæ decoctiones lenitiuæ dandæ in principio, quæ descriptæ sunt. In pituitosa, lenientes, & refrigerantes in biliosa. In biliosa plus debent refrigerare, quàm in pleuritide ob magnam caliditatem & siccitatem. In hac pituitosa non oportet circa statum vti nimium purgantibus clysteribus

tibus, neque decoctis. Solet enim fluxus ventris superuenire, qui valde periculosus est. Nihil enim à parte affecta euacuat, & vires deiicit. Ob id Hipp. dicit, A pleuritide & peripneumonia habito, diarrhea superueniens, lethalis est. Fiunt sic decoctiones.

℞. radicis liquiritiæ, radicis mal. an. ℥. j viol. M. j. sebesten, iuiub. ana N. xx quatuor seminum frigidorum maiorum an. ʒ. iij. Anisi ʒ. ij. fiat decoctio in aqua cucurbitæ, & in ℔. j. col. dissol. syrupi violati, de cucurb. ana ℥. ij. misce, cap. manè. In pituitosa, quæ præscripta sunt ad pleuritidem pituitosam, linimenta, quæ inflammationem extinguere possunt, sunt admouēda, qualia sunt, quæ parantur ex oleo violato, de semine cucurbitæ, vel melonum, vel cucumeris, amygdal. dulc. recenter parato, vel fiant epithemata ex decoctione hordei, & seminum frigidorum maiorum, florum violarum. In collatura dissolue syrupi violati & syrupi cucurbitæ ana ℥ iij. Intingantur panni, & frequenter applicentur. In ore teneat elect. diatrag. frig. recenter paratum, vel fiat conditum sequens.

℞. conseruæ violarum, buglossæ, borraginis ana ℥. ʃ. pulueris diatraganti frigidi recenter dispensati ʒ. ij saccahri albi q. s. fiat conditum, vtatur cum aqua decoctionis hordei mundati, & seminis cucumeris, vel sic.

℞. mucaginis seminum cydoniorum, extractæ cum aquæ viol. ℥. j. emulsionis q. s. frigidorum maiorum ℥. j. sacchari candi & penidiarum ana ℥. j. syrupi violati parum, fiat ad formam lohot, capiat lambendo. Pro pituitosa non sunt quærenda alia remedia, quàm ea, quæ descripta sunt cap. de pleurit. Caput oxyrrhodino frequēter perfundendum. Frictiones & ligaturæ conueniūt in partibus inferioribus. Tenuissimo victu vtēdum, & quò acutior est morbus, eò magis ad tenuitatem debet accedere. Quare sint contenti cremore hordei, aqua bullita, cum syr. viol. vel de cucur. in biliosa. In pituitosa decoctum hordei integri dandum cum syr. capil. ven. Aluus si constricta sit, solicitanda clementibus. Si superueniat fluxus ventris, mortem significat, & leniter refrigerantibus & constringētibus sistendus. Si suppuretur, soluitur in empyema. Quòd si euadat suffocationem, curanda est

vt sequēti capite docebimus. sed quomodo suffocet, explicandum, quia nonnulli se torquent ad inueniendum. Inflammatio est in substantia pulmonum. Si suppuretur, & materia non resudet sensim, vel in arteriam, vel in spatium, sed affatim rumpatur & multa materia effluat in alterum cauitatem. Si in ramos tracheæ arteriæ, suffocationem facit, quia aer ingredi non potest, calefactus verò redditur, ob id suffocantur. Sed si in spatium (cùm non sit tanta copia, vt totum spatium thoracis occupet) non suffocat, sed empyema facit.

De empyemate, siue purulentis, siue suffocatis caput alterum.

Purulentos vocant Latini, quos Greci empyous, communiter eos in quorum corpore vniuerso pus est conditum. Propriè verò Medici solent vocare eos, qui in thorace & pulmonibus pus habent, ex quo tabidi fiunt, nisi citò excernatur. Deprehēdutur purulēti notis descriptis ab Hipp. lib. 2. prog. Inter omnes agnosci purulentos iis indiciis conuenit. Principio si febris non dimittit, sed interdiu tenuior, noctu vehementior, si copia sudoris elicitur, ac tussiendi cupiditas est, neq; quidquam dignum extimatione expuunt. Si oculi caui reddantur, maxillæ verò rubescant & vngues manus curuentur, digiti potissimùm summi calescant, atque in pedibus tumores cōsistant, neque cibum appetant, ac pustulæ circa corpus erumpant. Quæcunque ergo suppuratio diutius immoratur, alia habet signa, quibus admodum credere oportet. Quęcunque verò breuior, aliqua ex signis indicatur, qualia inter initia existunt, & item si æger difficulter spirat. Fit autem puris collectio post inflammationem, vel in vtroque latere, vel altero tantùm, & quia fit per inflāmationes suppuratas, vel pulmonum, vel lateris. Hinc deprehenditur, in altero tantùm latere, si pleuritis, quæ alterum tantùm latus occupare solet, pręcesserit. Si verò post peripneumoniam in vtroque. Si in altero sit, notis ab Hipp. 2. prognost. con cap. 31. traditis dignoscitur. Si, inquit, suppuratio in altero tantùm fuerit latere, vertere ægrum conuenit, & scire, nunquid dolorem in altero latere percipiat, & alterum altero calidius sit, atq; si, vbi in partē sanam decubuit, quēadmodum cùm aliquod onus

gra-

graue super eos pendere videtur. Si id fuerit, suppuratio in altero latere fatigat, in quo onus existit. Quòd si rigor fiat vt præ dolore partis, onus seu pondus habuerit, per pleuritidem purulentus factus est. Quicunque morbo laterali laborantes in 14 diebus non expurgantur, ij ad suppurationem vertũtur, quod intelligi debet de calida pleuritide. Nam si à frigido humore, non suppuratur tã breuiter, vt videre est de Anaxione, cuius meminit Gal. in commenta. Aphor. Quicũque ex morbo laterali suppuratus, si in 14. diebus non purgatur à die, qua fiet eruptio, liberantur. Si verò nõ, ad tabem vertuntur. Quod vt plurimum fit, non semper, Curatur rarò hic morbus. Danda est tamen opera vt cognoscamus, vt prædictione possimus vti. Circa principium, cùm vires valent, & priusquam pulmones exulcerentur, si materia euacuetur per sputum, vel per aliam regionem, aliqua ex parte, vt per vrinas, euadere potest vel per vstionem vel sectionem. Quare Medicus diligenter inspicere debet, si inflammationes in suppurationes vertantur, vt iuuet suppurationem, ruptionem & expurgationẽ, qua citissimè fieri poterit. Si ergo calida pleuritis 14 die non expurgatur, suppurationem expectare oportet, & maximè si à contusione ortum habuerit, & si missus non sit sanguis. Cataplasmata supra latus apponere oportet, quæ vim concoctoriam habeant quale est sequens.

℞. rad. bismal. qr. j ficuum, passul. enucleatarum ana N. 10. florum cham. mel. l. ana p. j decoquantur, & contundantur omnia, & per cribrum discutiantur, cui adde farinæ seminis lini, fœnug. tritici, an. ℥. iij ol. lil. amygd. & butyri recentis, & tereb. an. ℥. ij Incorporentur simul, & fiat cataplasma. Si placeret ad extrà trahere, adde fermenti acerrimi ℥ ij. applicetur. Hoc maturat, & discutit. Fit emplastrum ex diachil. magno malaxato cum ol. aneth. vel amygd. dulc. Intus dentur, quæ aliquam materiam educere possunt, vt intro sumenda.

℞. liq. rasæ, rad bismal. & symphiti an ℥. j. herb capil. scab. agrimo. bechi ana M. j. quat. semin. frig. maio. ana ℥. j. Anisi ʒ. j. trium flo. cordialium communium, cham. ana p. j. fiat decoctio. In ℔. ij. diss. sappæ & mellis ana ℥. iiij. sacchari candi ℥. iiij. misce., fiat syrup. ar. ʒ. ij.

rad.iridis,capiat singulis matutinis ℥. vj. in cremore ptisanæ ponantur semina frig.maio vel mel,vel saccharum candum.Eclegmata sunt constituenda,quæ vim habent maturandi & detergendi,vt sequens eclegma.

℞.mucaginis ficuum pinguium ℥. j. butyri recentis ℥. ij.ol.amyg.dulc.recentis ℥.j.sacc.candi ℥. ij amyli ʒ. ij. incorporentur simul, & fiat lohot, capiat lambendo. Terebenthina veneta deuorata cum puluere liquiritiæ ad ʒ.iij.lota in aqua hordei multum confert,& ad detergendum,& ad maturandum, & ad discutiendum.Si materia multa sit in pulmonibus,eclegmata, quæ purgare possunt,valet,qualia sunt dicta cap.de pleurit.pituitosa. Si non rumpatur,practici imperant, vt dentur, quæ disrumpere possunt.Sed illa non perueniunt ad partem affectã.Melius esset,medicamenta syncritica lateri apponere,quæ ad extra traherent,& postea ferro,vel cauterio aperire,vt materia extrà expurgetur, non intro rũpatur. Nam ruptio interna periculosa est suffocationis periculum, & post ruptionem materia commodè vacuari non potest.Pulmone exulcerato fiunt phthisici,& moriũtur. Quare siue pus collectum sit in spatio,siue mẽbrana adhæsit & suppurata sit,latus aperiendum,priusquã corpus contabescat & pulmones erosi sint. Nam postquam exulcerati sunt,difficillimè aut raro coalescunt. Sed quod secari aut vri debeant,ne id à me excogitatum videatur, Hip.aph. subiungam,quo loco ostendit,qui euasuri sint, qui secus.Ex eo aphoris.apparet & secari & vri ad curationem, &aph. 44.lib.7. Quicunque suppurati vruntur & secantur,si purum pus fluxerit & album, euadunt. Si verò subcruentum,fæculentum fœtidum,pereunt.Item Paulus, Aetius & omnes alij antiqui Medici id faciendum imperant. Sed hodie à paucis fit, quia à paucis cognoscitur pus collectum, vel si cognoscatur, Medici timidi, neque secare audentes,in causa sunt, aut assistentium timiditas, aut ægri. Non licet vrere, postquam omnia interna corrupta sunt. Quare consulo,vt cùm pus collectum expurgari non posse cognoscimus, tentetur. Galen.in commen.aphor.27 lib. hanc rationem curãdi fortuna inuentam esse,attestatur.Miles enim quidã,cùm de sua salute desperaret, ad bellum accessit, & ab hoste

punctim

punctim læsus est in thorace. Pus fluxit, & liberatus fuit, vt apud nos iuuenis quidam à me fuit liberatus, qui per annum pus in thorace collectum post pleurisim gestauit, & quasi absumptus erat, vstus fuit, & per vulnus purgatum pus. Adhuc superest, & dicitur Salomon, sicuti & multi alij quorum nomina supprimo, & hoc de suppuratis vnum theorema addens. Omne pus factum in quacunque parte collectum, expurgandum esse. Quod per emissarium à natura institutum, expurgandum, siue trahendum, & faciendum, vt in abscessibus partium, apertione facta, vel ruptura, vel phlebotomia. Si sub craneo, trepano: in ventre punctura: Si in thorace, punctura, vel vstione. Punctura melior est. Quòd si hæc pati nolint, tanquam deplorati prognosticis relinquendi sunt.

De cordis tremore. CAP. XVI.

Cordis tremor vel palpitatio est motus cordis deprauatus. Deprauatur autem vel quia dilatatur præter naturam ob causam aliquam internam vt fumum, aut vaporem in finibus cordis cõtentum, sed multò frequentiùs fit à flatibus in pericardio collectis. Argumento est, quòd omnes ferè melancholici, symptomate hoc afficiuntur, & qui cachexia laborant, vt puellæ, & qui in aquam intercutem incidunt. Hęc enim collecta in pericardio, quando agitantur, accessionem faciunt, quia partem superiorem cordis lædunt, & cùm hæc quiescunt, minùs infestat hic morbus, nisi quòd semper est manifestior pulsatio cordis in his, quàm in aliis. Fit etiam propter longam meditationem, aut quando obliuiscuntur aerem illum calidum, aut fumos calidos reddere, neque possunt expirationem magnã facere, hoc morbo magis diuexantur. Fit etiam à multitudine sanguinis, quod facilè ab aliis caussis distinguitur. Nam qui ob supradictas laborant, sani non sunt, qui à multitudine sanguinis, integra valetudine viuunt, & iis solet tantũ accidere, qui multis alimentis multum sanguinem gignentibus vtuntur, vt vino multo, carne multa. Iuuenibus & adultis subitò siue alia præcedente causæ affectione solet accidere. Gal. lib. de locis affect. 5. ca. 1. illos potissimùm iuuat & in hoc præsens est remedium missio sanguinis. Et quia multus sanguis in bene valentibus & crassus est, vel

sua copia obstructionẽ facit coarctatoriam, imperamus victum attenuantem & medicamenta alterantia cordialia, qualia dicentur postea ad obstructionem. Si à flatibus fiat hæc affectio, leuissima corporis motione excitatur, & ferè asthmatici euadunt tandem. Vel fit accessio cum asthmate, vel sentitur palpitatio in genis oculorũ, vel in aliqua parte, aut dolores repẽtini, qui statim cessãt spõte sua: oculi etiam quodammodo obtenebrantur. Sonitus aut sibilus auriũ his solet accidere. Quare prima ventriculi concoctio perfecta procurari debet, & flatus qui in ventriculo & intestinis sunt collecti discutiantur. Id fiet duas adimplendo intẽtiones, scilicet vt purgetur frequẽter materia illa pituitosa, & aqua ex qua flatus gignuntur. Pilulis de aro. de hiera, cum agar. vel carth. Deinde syr. materiam concoquentibus cum decoctione anisi assumptis: & materiã præparare, & rursus euacuare paulò fortioribus pilulis, vt sine quibus, aureis, agreg. In crastinum detur theriaca antiqua, vel confectio arom. ros. vt caussa illa efficiens castigetur, nempe calor diminutus. Huc referre oportet omnia illa remedia, quæ dicuntur cap. de inflatione ventriculi. Si ab intemperie calida fiat tremor cordis, diamarg. frig. diatrag. frig. syr. de bugloss. & borrag. & omnia alia remedia quæ sunt inter calida & frigida pro curatione conueniunt, vt aurum, argentum, & quæ ex iis componuntur. Fiant tro. ex quibus potiones cum aquis affectui & morbo consentaneis, vt

℞. boli coral. an. ℥. ß. quat. semin. frig. ma. seminis citri an. ℥. j. marg. ℥. ß. camphoræ ℈. ß. terantur omnia diligenter, fiant tro. cum aqua ros. adde mosci gr. iij. vel croci tantundem. Dari etiam possunt syr. infrigidantes, vt de nymphea, iulep. ros. & similia. Si fiat à materia calida, vel à vaporibus necessaria erit phleb. Si adsit pleth. aperiatur vena dextri brachij: si à vaporibus, basilica sinistri. Sunt qui in omni palpitatione laudant missionem sanguinis, qui laudandi non sunt, si fiat iis quibus non competit, phleb. sed tantùm euacuatio. Concoq. materia & euacuetur, si sit calida, syrup. de ribes, de limonibus, de agresta, de acetosi citri, iulep. ros. & simil. Miscentur aquæ quæ vim habent refrigerandi, vel mediam, siue temperatam, vt aqua bugloss. borrag. vt sic

℞. syr. de lymonibus, de acetos. citri an. ℥. j. syr. de pomis simpl. de bugloss. an. ℥. ij. aquarum acetos. ros. borrag. an. qr. j. misce, pro 3. dosibus, aro. cum ʒ. ij. diamarg. frig. Purgetur autem materia, quæ circa cor est, medicamentis purgantibus humorem, adiunctis quibusdam cordialibus vel myrobal. in infusione, vel decoctione tamarindo. rhab. Succus vel syr. ros. manna, cass laudantur. Sunt qui addunt etiam scammonium, quo vti non oportet nisi in summa necessitate, & additis quibusdam cordialibus. Nam hæc laxantia fortiter, sunt ex genere venenorum, & venena sua natura petunt cor, & lædunt. Ergo bene castigata addere oportet. Conficiantur pilulæ ex myrobal. sic

℞. omnium myrobal. confricatorum cum succo ros. an. ℈. j. rhab. ℈. ij. cinamomi, seminis ocymi an. j. spicæ vtriusque an. ℈. ß. cum syr. ros. & pulpa tamarind. fiant pilulæ de quibus cap. ʒ. j. vel ℈. iiij. Quòd si magis soluentes velis parare, per diem macerentur in succo ros. vel syr. ros. cum manna & infusione rhab. vel decoctione addendo quæ temperant calorem moderatè vt quatuor semina frigida maiora, flores cordiales. Purgentur sæpe, sed leui medicamento. Nam materia, quæ circa cor est, non facilè educitur. Fiet talis opiata.

℞. radic. bugl. conser. ros. an. ℥. j. vel conser. flor. bugl. borrag. acetos. capil. an ℥. j. pul. diamarg frig. ʒ. j. ß. diair. abb. & diatrag. frig. an. ℈. j. tro. de camphora ℈. ß. cum syr. de bugloss. fiat opiata. de qua cap. bis aut ter in hebdomada. Superbibendo parum vini lymphati cum aqua ros. vel bugloss. fiat epith. supra cor.

℞. aquæ ros. bugl. an. qr. j. aquæ end. qr. ß. tro. de camphora ℈. j. sandali albi & rubri an. ʒ. ß. misce, fiat epithema, applicetur tepidè supra cor, irrorãdo cum aqua buglossæ & ros. Si autem à materia fiat frigida, coquatur & euacuetur. Coquetur syr. calidis, sed additis cordialibus vt sunt syr. de buglo. de borragine, decoctum hyss. syr. capil. ven. mel. ros. oxymel. syr. de bizantiis. Aquæ autem sunt borrag. bugloss. melissæ, beto. vt

℞. syr. capil. ven. buglossæ an. ℥. ij. syr. conseruationis corticis citri. ℥. j. aquarum rorismarini, melissæ, borrag. bugloss. ana qr. j. misce pro tribus dosibus matutinis.

Purgetur autem cum myrobal. emblicis, cum decoctione ag. vel eius infusione, aliquo cordiali addito. Turbith si maceretur per diem in lacte, deinde in melle, & addantur cordialia, congruet. Nollem, vt cæteri, vti colocynthide, quoniam lædit. Quare non nisi in magna necessitate illam vsurpo, nec est vsurpāda, vt nec diagridium in causa calida, neque turbith, nisi in magna necessitate. Purgetur sic.

℞. ag. tro in vino albo infusi ℥ j. exprimatur fortiter, & cum decoctione pass. & florum cordial. in aqua viol. decoct. fiat potio, addendo mannæ ℥. ij. Quòd si non sufficit, adde decoctioni summitatum thymi, & seminis carth. an. ℥. vj. Quòd si pilulæ fiant ex his, addita hiera picra, bonum erit. Vel vtantur pilulis de hiera picra, addito ag. vel turbith infuso in lacte, & postea in melle, addēdo macis mediam partem. Si fiat ab humore melancholico, dandi sunt syr. respicientes melācholiam, vt de summaria, de pomis, de epithymo, de scolopendria. Sic & in purgantibus est faciendum, cum syrupis præscriptis ad pituitam, additis semper flatus discutientibus in maiori quantitate. Si autem fiat ab obstructione, potest addi in decoctione herbæ fœnicul. marini q j. vt pituitā deiiciat & obstructiones soluat. Id autem est verū empetrum antiquorū, non vatis, vt existimant herbarij, tū quòd non sit foliis portulacæ, nec albioribus. Est enim folio pingui, sed viridi. Ob id ab aliquib. à viriditate prasoides, & quòd inter lapides crescat super muros, & antiquā ædificia, empetrum dicitur: vel propter mare, fœniculum marinum. Est autem sapore salso, vt ab antiquis monstratū est, & fœlicissimè prouenit in saxis marinis, & in rimis parietum spectātium mare. Apta erunt & alia deobstruentia. Ferè eadem erit ratio curandi hūc affectum ab obstructione, cum illo, qui fit à pituita, sed istis decoctionibus addenda erunt, anis. fœnic. & alia flatus discutientia vt galanga, garyoph. macis. Nam magna ex parte morbus hic ex generantibus flatus accidit, patientibus obstructiones hepatis & lienis, vt licet videre in puellis patientibus cachexiam, & malè coloratis. Detur theriaca cum aqua buglossæ & melissæ. Post purgationem fiant electaria vel opiatæ ex elect. diamarg. cal. de gēmis pli-

A melancholico humore.

ris

ris cum mosco, diambræ. dianthos, arom. rosa. garyo. Multùm valet confectio de hyacintho. & alchermes, conserua rad. buglossæ, borrag. anthos, florum bugloss. & elenij. Ex his conseruis & pulueribus fiunt opiatæ. Fiet optimum medicamentum, & alimentum ex corde porci, in quo inditi sint garyoph. in veru assato vel super prunas, priùs cocto in aqua, vt caro tenerior fiat, alioqui dura est, quia fibrosa, vt,

℞. cordis porci N. ij. cordis cerui vel bouis N. iij. garyophill. galãgæ maioris & minoris. seminis basiliconis ana ʒ. iiij. macis ʒ. iij. flor. buglos. borrag. ana p. ij. florum anthos p. iij. temperentur in vino mal. per noctem & distillentur omnia in alambico. aqua seruetur vsui.

℞. aquæ prædictæ ℥. iij. sacchari parum. Fiat iulep. Aqua illa valet in omni passione cordis à materia frigida, flatuosa, vel à vaporibus, & in melancholica passione. Sed in materia non frigida adde aquæ rosarum partes æquales, & vtatur vel cum aqua buglos. vel borrag. Dosis huius aquę est ℥. ß. superbibendo vini hippocratici ℥. ij. Sacculi ad fotus cordis, qui magis laudantur, quàm emplastra, vel epith. hoc modo.

℞. garyoph. ros. flor. ana. ʒ. an ß ij. cort. citri sicci macis, ligni aloës, sandali albi & rubri & muscatelini seminis ocymi an. ʒ. j spicę celticæ & lauendulæ, foliorũ lauri ana ʒ. ß. cõtundantur, fiat pul. & ex eo sacculus interbastatus, vt artis est, pro corde. Irroretur cum vino albo, & aqua bugl. applicetur calfactus. Optimum est hoc.

℞. flor cord. ana p. j. garyoph. maioris j. antophli. ʒ. j. decoquantur leuiter in aqua bugl. & melissæ. In ℔. j. decoctionis adde vini albi vel clari ℔. iij. garyoph. ʒ. ij. cardamomi ʒ. ß. sacch. q. s. fiat syr. aro. cum. ʒ. j. cinamomi. Si à serosis humoribus auctis fiat palpitatio, danda est opera, vt euacuentur, qui in venis continentur. Nam id quod collectum est in pericardio, si nihil amplius in illud resudarit è venis, calore cordis absumetur. Serosi autem humores euacuantur vsu seri caprini, vel asinini, vel succo ros. decocto brassicæ marinæ, thymeleæ, seminis carth. folic. senæ, & aliis medicamentis cap. de hydrope & cachexia. In hoc tantùm differt, quòd hæc remedia sunt imbecilliora, & magis cordialia, & ea,

A serosis humoribus.

quæ minus cordi aduersantur, vsurpantur.

℞. rad. graminis, rusci, asparag ana ℥. iij. rubiæ maior. ℥. ij. galang. & cyperi ana ℥. ß. herbarum capil. sum. cichor. end. ana M. j. seminis anisi, apij, petro. ana ℥. iij. medullæ seminis carth. polypod querc. senæ oriental. ana ℥. ij. cicer. rub. p. j. seminis hederæ rad. iridis ana ʒ. ij. foliorum brass. marinæ tertiam partem M. j. flor. anthos, buglosſ. ana p. j fiat decoctio in sero caprino ad ℔ j cui adde succi rof. & syr rof. lax. ana ℥. 4. sacc. solidi ℥. vj. fiat syr. mediæ decoctionis, cap. ℥. vj. pro dosi alternis diebus vel quotidie prout magis vel minus operabitur. Si paretur tempore calido fiat sine sero, quia facilè acescit, & syr. corrumpit. Præter illa remedia præscribenda cap. de cachexia sunt adhibendi sacculi supra pectus, qui vim habent siccandi.

℞. cortic citri, sandal. omnium galang. cyperi ana ʒ. ij. pul. de gemmis & diamarg. frig ana ʒ. j. camphoræ ʒ. ß. bōbace excipiantur, & fiat sacculus interbastatus, qui irroretur vino, & aqua melissæ, applicetur supra mediū thoracis. Idem etiam potest apponi si à caussa flatulenta fiat affectus, addendo tantū m anisum, vel cyminum, vel aliud flatus discutiens. Opiatæ etiā cor magis respicere debent, quā quæ in suprà citatis capitib. describuntur, vt

℞. cort. citri conditi cum sacch ℥. ß. conser. anthos ℥. j. conseru. stechad. & florum cichor. ana ʒ. iij. confect. aro. rof. ℥. j. pul. diagalangæ & diamarg. cal. vel de gēmis ana ℥. j. cum syr. conseruat. corticis citri fiat opiata. Hic aduertere oportet quòd neque conserua violarum vel buglosſ vel borrag. addimus, quia nimis humectant, & hîc potiùs siccandum quàm humectandum. Camphora in hoc morbo magnam vim habet, etiam in collo suspēsa à quacunque causa proueniat. Optima victus ratio in hoc morbo est necessaria, quæ magis exiccans sit.

De Syncope. CAP. XVII.

SYncope fit ob insignes euacuationes ob resolutos spiritus. Fit etiam à veneno ob passionem alicuius membri communicato cordi, & aliis causis. Si autem fiat post insignem euacuationem, vt sanguinis, ponatur supra lectum capite decliui. Irroretur aqua, vt excitetur. Detur parum vini diluti aqua frigida. Si autem post

medica-

medicamentum nimis purgans, fiat syncope, detur statim theriaca recens. Quod si non adsit, detur antiqua addendo opij g. ij. cum vino & vngatur ventriculus & venter oleis sequentibus.

℞. olei cydoniorum, myrtill. ana ℥ j. ß. ol. absynth. ʒ. j. addatur parum aceti & vngatur venter inferior. Fiant frictiones partium supernarum, vt brachiorum. Potest etiam addi vinum & mica panis intincta vino. Qui autem ob sudores delinquunt, à vino abstineant, & frictione. Nam talia magis mouent sudores, sed potiùs sunt meatus cutis obstruendi, vt sudor sistatur. Irroretur facies aqua rosarum etiam frigida. Euentiletur & leuiter operiatur. Fiat pul. sequens, qui ponatur in lecto, vt sinapizetur.

℞. florum ros. rub. nymph. labruscæ ana ℥ iij ladani puri ʒ. iij. styracis ʒ. ij. myrt. berb. fuma. an. ʒ. j. misce, fiat pul. qui ponatur intra lectum, vel fumigentur indusia, & alia quæ circa corpus ponantur. Inspergantur per cubiculum herbæ frigidæ, vt summitates salicis, myrthi, oleæ, vitricis &c. Detur postea talis potus.

℞. diamarg frig. diapap. albi, & elect. de gemmis ana ʒ. ß. aquarum ros. acetos. myrthi ana ℥. j. syr. de ros. siccis ℥. j misce, fiat potio. Nullo pacto fricentur, sed sæpe mutent locum.

Si ab hausto veneno fiat syncope, statim vomitus prouocetur, & eo prouocato detur theriaca, aut mythr. Post theriacam si sentiatur ardor, vel acrimonia vẽtriculi vel punctura, lac, vel butyr. accipiat, vel pul. fiat ex cordialibus refrigerantibus, & acrimoniam veneni obtundentibus, vt,

℞. diamarg. frig. ʒ. j. tro. de camphora & confectionis de hyacinthis ana ℈. ß. aquæ ros. nymph. bugl. ana ℥. j. syr. de acetos. citri, vel de limonibus ℥. ß. misce, fiat potus, detur pars media & altera post aliquot horas. Si autem venenum frigidum esset, vel affectus frigidos induceret, fiat sic.

℞. confect. de hyacintho ℈. 2. pul. de gemmis ʒ. j. aquarum beth. meliss. bugloss. elenij ana ℥. ij. syrup. de bugloss. ℥. j. fiat potus. Si deprehendantur quale fuerit venenum, detur antidotum. Zedoria in omni veneno va-

let. Potest etiam dari tormentilla, quæ ad syncopem & ad tremorem cordis mirum in modum valet. Si syncope in principio paroxysmi febris accidat, optimum erit suffitu excitare sic.

℞.rosſ.rub.ligni aloës, beniouin, styrac.ana ʒ.ij.cai bonis salicis contusi ad pondus omnium, fiant tro.cum terebinth.vel vti possumus alipta moscata. Si ob consensum alicuius partis, vel oris ventriculi, fiant topica remedia, quæ & parti & affectui conueniant, vt si ob consensum ventriculi, ob humores acres putres, prouocetur vomitus cum aqua calida & oleo, vel cum decoctione anethi, & raph.vel syr.acetos. Si materia fuerit euacuata, fiat vnctio supra ventriculum & os eius.

℞.ol.ros.myr.cydon.ana ℥.j ß.ol.nardi ℥.j.misce. Post vnctionem sinapizetur puluere sequenti.

℞.ros.rub.sandali ana ʒ.j.coriand, mastich. cort. citri sicci ana ℈.j.ß.fiat pul.subtilissimus, quo sinapizetur regio ventriculi, vel additis cera & ol.fiat vnguentum. Pro materia frigida fiat sic.

℞.ol.nardini de absynth.de lentisco, vel de mastiche ana ℥.ij.misce. Sic & pul.ex calidis & astringentibus fiet.

℞.garyoph. masticis, macis, nucis moscatæ, sandali moscatell.ana ʒ.j.ß spicæ, schœnanthos, ros. myrti ana ʒ.j.ß. misce, fiat pul.vel addendo parum ceræ & olei fiat vnguentum. Vel vtatur cerato stomachico Gal. vngendo os vētriculi ante & post, circa decimā tertiā vertebrā in latere sinistro, quia in eo magis inclinat os vētriculi.

Si fiat per consensum alterius, vt vteri, curanda erit illa affectio vteri remediis, & corroboretur cor.

Si syncope proueniat ob defectum spirituum post labores, vel morbos vel medicamentum, nutriatur alimētis optimi succi citò nutrientibus & humectantibus.

De lactis defectu. Cap. XVIII.

IN mammis ex sanguine generatur lac, & idē est cum sanguine, colore tantum differens. Nam lac in hepate infantis, citò & facilè in sanguinem abit, & puto album esse sanguinem, prouidéque à natura dealbatum fuisse, ne videretur crudele pueros nutriri sanguine. Sed quod lac sanguini simile sit, ratio ostendit. Nam infans, cum in vtero esset, sanguine nutriebatur, & vnumquodque

suo

suo simili nutritur. Oportet igitur sanguinem & lac similitudinē habere. Tot sunt in lacte partes, quot in sanguine. Ergo eadem substantia, sed leui tantùm alteratione differunt, quam lac accepit à mammis, vel potiùs à venis, & secundum aliquos à glandulis mammarum. Cum igitur sanguis sit lactis materia, mulieres, quæ lac habere volunt, multo sanguine præditas esse oportet, & vt sanguis ad mammas fluat, curandum. Quare duæ erunt causæ potissimùm penuriæ lactis, aut quia paucus est sanguis, aut quia ad mammarum venas non peruenit. Si multus sit sanguis in corpore, & ad mammas non perueniat, hoc fit vel propter venarum angustiā, aut obstructionem, aut propter sanguinis crassitiem. Defectus sanguinis est, aut propter totius corporis atrophiam, quam mulier ob picam, aut alimentorum fastidium cōtraxit tempore impregnationis, vel quia post partū tanta sanguinis copia fluxit, vt retractus sit ad partem inferiorem, aut quia venæ plus iusto inanitæ sunt. Quare nutriendæ erunt optimis alimentis calidis & humidis, & multum sanguinem generantibus, vt vino optimo, iusculis, succo carnis, vitellis ouorum, caseo, & aliis euchymis. Si propter crassitiem sanguis non fluat, leuiter incidentibus & attenuantibus, neque multum exiccantibus est vtendum, & illa sunt potiùs aliméta medicamétosa, aut cōdimenta alimentis permixta, vt herba fœnic. apij, petro. anethi folia erysimi, origani. Illa sunt iusculis admiscenda, & recentia esse debent, ne siccitate sua potiùs lac extinguant, quàm generent. Zinzib. cinamomum in pauca quantitate in condimentis sunt vtilia. Vinum tenue, album vel fuluum conuenit. Neque illis vsus est interdicendus cæparum coctarum, vel in brodiis, vel sub cineribus. Confricandæ sunt mammæ, vel fouendę aqua tepida, vt venæ, quæ ibi sunt, dilatentur. Neque audiendi sunt practici, qui pulueres ex semine fœnic. & aliis calfacientibus, & attenuantibus, & resiccantibus componunt, vt corallo, &c. Quid enim potest coral. ad generationem sanguinis, cùm non concoquatur, nec in sanguinem vertatur ob siccitatem & duritiem, neque propter eius qualitatem, cùm sit frigidus & siccus, potest iuuare cōcoctionem, neque sanguinis generationem? Fœni-

culi herba ob suam humiditatem minùs siccat, & ad sanguinis distributionẽ multùm valet, & proinde ad lactis generationem. Quòd si semen siccum sit, desiccat. Nam vt eruca recens semen auget, sicca minuit, sic de semine fœnic. sentiendum est. Res calidæ & humidæ multum sanguinis generant, vt lac animalium in cibis sumptum, dulcia, & alia id genus. Si autem sanguis non fluat ob angustiam venarum, optimum erit aqua tepida mammas fouere, vel sinapismum debilem, aut tropacem supra pectus apponere, vt sanguinem ad partem trahant. Sed diutiùs non oportet super mammas sinere, ne id quod attrahunt, digerant, aut inflammationem in ea parte procreant. Hoc modo fiet.

℞. ficuũ maceratarũ in aqua ℔. j. pistentur diligenter, postea adde semin. sinapi tenuissimè triti ℥. j. misce, ponatur supra mammas, vel dissoluatur & pix misceatur multo ol. & post aliquam frictionem applicetur supra mammas, vel potiùs in circuitu mammarum sub clauiculis, & sub alis. Nam per illas regiones venæ ad mammas perueniunt. Frequenter sugere mammas, vel exprimere, lac effluere facit. Cucurbitularum appositio cum pauco igne, paulò infra clauiculas, ad sanguinis attractionem prodest. Si menses nimis fluant, retinendi sunt priùs. Parùm se exerceant, bene alantur & dormiant.

De lactis exuberantia. CAP. XIX.

Redundantia lactis laborant mulieres primis diebus post partum, quia multus sanguis mittitur, & non absumitur, aut quia non sugitur. Quare mulieres, quæ hac redundantia laborant, si fieri potest, ante partum aliqua repellentia apponant supra mammas, ne tantam sanguinis copiam recipiãt. Nam postquam lac multum receptum est, non potest repelli, sed per mammas euacuari debet, aut suctu, aut alia ratione. Prohibetur autẽ sanguinem deorsum trahendo, & appositione cucurbitularum in emunctoriis, & pessariis, si sufficienter non fluat sanguis. Deinde linimento in circuitu mammarum, & sub alis imposito.

℞. boli ar. ℥. ij. spõg. bedeg rad. bistortæ, ana ℥. ß. cum ol. ros. & pauco aceto reducãtur ad formam linimenti, illinantur prædictæ partes. Supra mammas catag. digerentia

rantia sunt apponenda, vt quæ fiunt ex farina hordei, & oxymelite, vel ex herbis digerētibus cum quadam astrictione, vt menta, absynth. & aliis.

℞. mentæ siccæ M.ij. absynth. M.j. fiat decoctio, tundantur, & per cribrum passentur, quibus adde farinæ fab. vel orobi, vel lupinorum ℥.iij, cum decoctione & pauco ol. liliorum, fiat catap. Supra papillam vtile erit radicem chelidonij maioris, decoctam & contritam superponere. Si hæc non proficiant, cerusam, litharg. cadmiam in vnguenta reducere vtile erit, & alia, quæ citra calfactionem digerunt, & medicamentis pituitam purgantibus corpus vacuare, & tenui victu, attenuante, & incidente copiam sanguinis absumere.

De lactis coagulatione. CAP. XX.

COncrescit lac in mammis, vel post vsum medicamētorum refrigerantium, aut nimis calfacientium, aut post contusionem aliquam. Dissoluitur autem cataplasmatis, & vnguentis incidentibus & detergentibus, vt catapl. suprascripto, vel hoc sequenti.

℞. succi apij qr.j. oxymel ℥.ij. farinæ cicerum rubr. & orizę an. q.s. ad incorporandum, fiat catap. quod applicetur supra partem. Si his medicamentis non dissoluitur, vt glandulæ indurentur, & suppurentur, & tunc suppurantibus iuuanda est natura, vt si apponatur tale catapl.

℞. rad. althę & lilior. an. qr.j. fic. par. xx. decoq. in aqua, donec mollescant, quibus adde axungiæ porci non salitæ, aut butyri recentis qr. ß. coq. & cocta contundatur, & fiat catap. adde olei communis parum. Quando materia est iam suppurata, aperitur locus, & curatur. Postea vt vlcus sordidum, de quo hîc non agimus.

De inflammatione mammarum. CAP. XXI.

FIt aliquando ex redundantia sanguinis inflammatio in mammis. Erit autem curanda sanguinis missione, ni fluant menses, aut fluxuri sint, vel hæmorrhoides. Curatur medicamentis repellentibus positis in circuitu mammarū, deinde catap. sup. scripta ad digestionem vtilia erunt, potissimùm in statu & declinatione. In incremento farinam hordei, & ol. ros. oportet his addere, vel aliqua repellentia digerentibus permiscere, vt si succo semperuiui excipiatur far. hord. ol. cham. pul. ros. medi-

camẽtum fiet repellens,& digerẽs. Quòd si ad suppurationem perueniat,vt vlcus putridum detergere oportet.

De mammarum incremento. CAP. XXII.

MAmmæ increscunt, posteaquã puella ad eam magnitudinem ferè peruenit, ad quam nata est peruenire,vel quia incipiunt pinguescere, ob redũdantiam alimenti,vel quia multus sanguis ad illas partes profluit ante mensium eruptionẽ. Aliis autem increscunt mammæ,quia aluntur flatulentis alimẽtis,vt castaneis, rapis, &c. Quod mulieribus monticolis accidit. Quare si quis velit illarum incrementum prohibere, sanguinis attractionem impediat, & partes illas densas reddat, vt non facilè sanguinem influentem recipiant. Ad id commendatur succus cicutæ(prohibet enim incrementum) aqua myrthi peculi rof. & aquæ distillationis pinearum cum pauco aceto, & alumine positæ sup. mammas intinctis pannis. Quòd si iam accreuerint, bonum illum habitum soluere oportet,& multùm mouere menses,vt sanguis multus absumatur,& super parté medicamenta digerentia apponere,qualia sunt præscripta ad lactis resolutionem,aut vnguẽta metallica, addendo salis communis,sulphuris, & aluminis an.ʒ.j. pro ℥. j. Postquam detumuerunt, & flaccidæ factæ sunt, lutum, quod reperitur in molis,quibus acuuntur gladij,superponendum, cum pauco aceto vt indurentur. Lutum enim molarum cum aceto positum vsum chimoliæ præstat, aut vulgò dicta bolus. Rubrica fabrilis eodem modo præparata, vel cum oleo myrthino,rof. omphacino, vel acacia vulgari, & quæcunque astringunt sine magna distentione, aut resolutione. Nam quæ resoluunt,illas emolliunt.

De mammarum scirrho. CAP. XXIII.

SCirrhus mãmarum fit post inflammationes, aut concretiones lactis,aut diuturnioré vsum repellentium, quæ materiam cõgelarunt, aut post fortiter detergẽtia, quæ id, quod tenue est, euacuarunt, & quod est crassarum partium,crassius reddiderunt. Si autem glãdulæ indurẽtur,strumæ,siue χοιράδες à Gal.qui dicit ardenes induratas esse χοιράδας. Curatur autem scirrhus eadẽ ratione, qua in aliis partibus, nempe repellentibus & digerentibus. Dari possunt medicamẽta incidẽtia & attenuantia,

tuantia, ad attenuationem materiæ, & mensium prouocationem, quod parciùs fit, si sit in vtero.

De mammarum cancro. CAP. XXIIII.

CAncer tumor est durus, qui sensim incipit, scirrho similis, nisi quòd dolorem parit. Scirrhus verò sine dolore est. Cū incipit, sanguinis missione, purgatione, & topicis remediis præscriptis curari potest, vel abscissione, si fieri possit. Abscindi autem potest, si paruus sit, & altas radices nō gerat, & quando abscinditur, oportet sectionem incipere à parte sterno proximiore, procedēdo ad superiorem partē, propterea quod venę maiores vltimo loco sunt abscindendæ. Nam copia sanguinis vtriusque (scilicet venarum & arteriarū) ægrum & assistentes perterret, & ægri vires deiicit. Ideo oportet hoc modo incidere, deindè cauteriis sanguinē sistere. Neque statim cōpescēdus est sanguis propterea quòd vtcūque infectus est euacuādus. Si cancer est magnus, & materia iam collecta sit & putrefacta, satius est materiæ exitum dare, quàm materiam illam putrefactam relinquere. Nam experiētia didicimus materiā illā grauissimos dolores inferre, qui post apertionē mitigantur. Adde quòd ex dissectione nouimus, thoracem repleri sero sanguineo nimio vsu repellentiū quod superiori ann. 1553. mercatori cuidā euenit i (Montagnac) ciuitate Gallię Narbonensis, qui priusquā moreretur, laborauit magna anhelandi difficultate. Nihil aut parū expuebat, tandē vita decessit, & in thorace repertæ sunt seri amphoræ quatuor. Quod accidisse puto propter laminam illam plumbeam, quam semper gestabat, & medicamenta fortiter refrigerantia, & repellētia, quibus vsus est, etiam post suppurationem. Argumento est sanguinē resudasse in pectus, quia tumor maximus erat, qui detumuit, & longè minor factus est, post vsum illorum remediorū. Et priusquam laboraret difficultate anhelandi, ab eo tempore difficulter anhelauit, donec è vita excesserit. Serum illud erat sanguineum, id est, videbatur sanguis paucus in sero dissolutus, nec tale esse, quale reperitur in peritoneo, & pericardio.

De hydrope. CAP. XXV.

HYdrops ab aqua nomē accepit. In omni specie tandem colligitur, etiam in illa, quæ ab Hipp. sicca di- *Aliam horū morborum cu-*

tationem r-petes libro 3.

citur quam Tympanitem alio nomine vocant Medici, in qua flatus multi sub peritoneo collecti sunt, sed tandem aqua è venis in spatium ventris veluti per diapedesim effluit, plus tamen aquæ in Asci, quàm in illa specie, plus vero aquosæ pituitæ in Hyposarca, vel Leucophlegmatia. Sunt qui distinguũt illam ab Anasarca, sed specie non differunt. Est autem Hydrops symptoma in actione hepatis lęsa, sanguificatione, primariò, vel per consensum. Sanguificatio, hepatis est actio. Ad carnem refertur tanquam ad præcipuam illius partem, vt doctè docuit Gal. lib. de Dogmatis Hippoc. & Platonis, ex sufficienti partium enumeratione. Est aliquando affectus in ipso hepate, intemperies omnis immoderata, calida, frigida, humida, & sicca, obstructio, abscessus, scirrhus per consensum omnium partium, quæ ad facultatem nutritoriam referuntur, vt vẽtriculi, intestinorum, splenis, mesenterij, renum consensu, sed citius ob affectum partium, quæ vel magis excrementis suscipiendis seruiunt, vel ob vicinitatem, vel splenis, quia sanguinem fæculentum recipere debet & massam sanguinis fæculentam repurgare. Si frustretur illa vtilitate, iecur tandem refrigeratur, & læditur sanguificatio. Item si renes non trahant lotium, replentur venæ lotio, & tunc fit aqua intercus. Fit etiam ob longos affectus mesenterij. Ob vicinitatem læduntur meseraicæ, & per consensum vẽtriculus, vt si ob caloris imbecillitatem, crudum chylum mittant, vel flatus gignant, vel pituitam, fit Tympanites, & Anasarca. Læditur, vel refrigeratur hepar, à contactu chyli frigidioris, vt omne agens in agendo repatitur, repatiendo læditur. Aqua intercus facilè læsionem pulmonum sequitur. Nam phthisici, & hectici magna ex parte hydropici fiunt, nisi fluxione ventris corripiantur, & ob fluxum ventris morte præoccupentur. Hoc fieri puto propterea quòd in illis ab intemperie illa æquali, facultas cõcoctrix siue sanguificatio læsa est. Item Asthmatici hydropici fiunt tandem, quia aliqui, vt per anatomen cognouimus, aquam in spatio thoracis habent, quam cùm corpus mouent, concitant, agitant, & pulmonum expirationem impediunt. Alij hydropici fiunt, quia cor per arterias consensum habet cũ hepate. Quòd

Hydrops quid.

si cor

si cor non probè diffluatur, tandem concipit calorem præter naturam, qui actionem lædens hepatis, hydropem facit. Fiunt & ob immoderatum fluxum sanguinis, & aliorum humorum, vt videmus ob immoderatum fluorem hæmorrhoidarum, vel vteri, vel nasi, vel ob intempestiuam missionem sanguinis, ob sputũ sanguinis, ob dysenteriam sanguinolentam, diarrhæam, & alium fluxum longum humorum. A potione aquæ frigidissimæ post corporis exercitium immoderatum, ob morbum acutum, hydrops fit, vt Hippoc. docet. Hydropem semper præcepit cachexia, & nunquã repẽtè fit, sed post aliquod tẽpus. Non enim repentè fieri potest, vt ad tantam intemperiem hepar veniat, quæ hydropem generet, neque vel tanta flatus, vel seri fit collectio, vt hydropem generare possit, nisi ex retentione vrinæ. Aliquam hydropis speciem præ se fert, sed non est verus hydrops, nisi perseueret. Nam collectio seri est id quod sequitur actionem læsam, neque à seri copia constituitur, sed à sanguificatione læsa vt si ob calculos in vtero recontentos aqua non descendat in vesicam, retrocedit, & habitum corporis implet sero, vt corpus prætumidum appareat sine hepatis læsione. Nam si calculus deturbetur deorsum, fluet vrina, statim prouocato sudore, redit ad suam naturam corpus, vt citò fit citò curatur.

Prognosticum.

Facilè dignoscitur hæc affectio, postquam ad aliquam magnitudinẽ peruenit, sic & difficulter curatur. Quare melius est venientem cognoscere, vel cùm incipit, quo tempore omnia sunt mitiora, & vires fortiores, quæ genus omne remedij ferre possunt. Tympanites agnoscitur ex morbis, vel caussis morbificis præcedentibus, vt si præcesserint multæ cruditates, multus flatus in vẽtre, sine aliqua euacuatione per sedem, vel per ructum, si venæ magis distentæ appareant, quàm pro ratione plenitudinis Nam post longas ventriculi, aut hepatis aut aliarum partium cruditates, plenitudo esse potest, & pauco cibo repleti difficilè respirant, ob flatus, qui distendunt partes internas. Quòd si circa vmbilicum dolores fiunt, qui non soluantur, neque medicamentis, neque aliquo modo, & flatus sub mesenterio, vel inter tunicas mesen-

terij congregati sunt, certò sperare debemus aquam sic. cam, vt Hip scriptũ reliquit, scribens: Circa vmbilicum dolores, &c. Ascites verò deprehenditur, primùm quod multũ vrinæ in nobis generatur, & redditur, sed paulò post supprimitur, & in venis remanet, & grauitatẽ & põdus facit. Cùm corpus voluitur, sentitur aqua fluẽs, veluti per canalem. Sitiunt, corpus contabescit in dies, & vẽter intumescit. Anasarca cognoscitur cùm partes externæ frigidiores tactu deprehenduntur, & in ea frigiditate perseuerant. Partes faciei quæ emaciatæ erant longo morbo, tumidiores apparent, & palpebræ pedes crassiores & calidiores sentiuntur. Quòd si præcesserit fluxus sanguinis immodicus, vel aquæ potio frigidioris, Anasarcam oportet expectare. & ne decipiamur, oportet diligenter interrogare, si id eueniat ob longas vigilias, vel quia laborans stabat noctu rectus. Solent enim tibiæ & pedes, vel ob impraegnationem, aut vigilias, aut stationẽ intumescere. Quòd si prementi cedat caro, & remaneat veluti fouea quædam est vel partis œdema, vel initium Anasarcæ. Hydrops, si à caussa calida ortum habet, difficiliùs curatur quã si à refrigeratione. In caussa est, quòd medicamenta intrinsecus vel extrinsecus admota calida sunt, quę aquam euacuant, vel siccant, vel detergunt, vel flatus absumunt, ob id intemperiem augent, quæ hoc symptoma attulit. Si à frigida, & caussam & symptoma auferunt. Hydrops ob schirrum hepatis vel splenis, nõ curatur, neque si à scirrho procreetur, si scirrhus sit cõfirmatus exquisitúsque, & antiquus. Morbus enim nullus curatur, cuius caussa tolli non potest. Adde quòd scirrhi hepatis, difficiliùs curantur. & medicamenta emollientia aduersantur parti, quia astringentia semper expostulat, ad eius corroborationem, ob id difficiliùs curatur. Præterea emollientia partes relaxant, & implentur magis flatu vel aqua. Pancreas cum aliis glandulis mesenterij in scirrhum vertitur, quod difficilè deprehenditur, ob ventris inflationem, & quia nullus antiquorũ obseruauit scirrhum hepatis in magna distentione, vel inflammatione, qui non potest deprehẽdi facilè.

CVRATIO.

Curatur hydrops, ad curationẽ morbi, qui illius caussa est,

est: Quare considerandum, qualia, & quæ caussa præcesserit intemperies, vel tumor aliquis. Si intemperies calida, vel à febre acuta relicta, vel à longo tempore in hepate facta, & praua victus ratione aucta, illa non potuit tandiu perseuerare, sine magna bilis generatione, & seri. Quare in primis euacuare bilem oportet, & meatus apertos retinere, vt illa descendant per intestina. Quod fiet commodissimè remediis extinguentibus bilem flauam, & euacuantibus ichores citra magnam adstrictionem, vel calefactionem. Catholicon, syrup. rosa. laxatiuus cum aqua endiuiæ, vel graminis, vel asparagi dari possunt. Interea syrupus sequens præparabitur.

℞. endiuiæ, cicho. fumariæ, herb. capill. agrimoniæ, rostri porcini an. M. j. mercurialis, & absynthij ana M. ß. passul. prunorum, sebesten an. N. xx. thamarindorum ℥. j. anisi ʒ. ij. florum bugl. borrag an. p. j. fiat decoctio. In ℔. j. ß. dissolue succi rosa. & mercurialis an. ℥. iiij sacchari q. s. fiat syr. aromat. ʒ ij. diarrhodon abbat. vltimę dosi adde expresionem, ʒ. ij. rhab. Deinde detur opiata sequens ad virium naturalium corroborationem, & castigationem intemperaturę, vt

℞. conseruæ florum cichor. capillorum veneris, an. ℥. j. pulpæ passul. infusarũ in aqua endiuiæ ℥. j. ß. pul. diarr. abb. & triasa. an. ʒ. ij. rasuræ eboris ʒ. j cineris intestinorum lupi loti in aqua endiuiæ & absynthij ℥. ß. cum syr. capillorum ven. vel de bisantiis, fiat opiata, capiat singulis matutinis superbibendo ex aquis sequentibus.

℞. aquarum endiuiæ, cichor. graminis, & absynthij an. qr. j. dulcorentur, & capiat ℥. iij. post opiatam, vtatur frequenter sequentibus supra hepar.

℞. ol. absynthij & rosa. an. ℥. ij. ol cydoniorum ℥. ij santali albi, rubri, coralli rub. an. ʒ. j. seminis endiuiæ, portulacæ, berberis an. ʒ j. ß. ceræ albæ q. s. fiat linimentum pro hepate. Si morbus procedat, inflatio & aquæ collectio appareat, oportet, non solùm intemperiem extinguere, sed & quod genitum est. & congregatum, extrahere. Symptoma illud caussæ rationẽ habet, auget intemperiẽ, sitim facit. Quare instituemus tales syrupos, quales in libro de formis docuimus, ad aquæ eductionem. Suprascripto syr. vel syr. de endiuia composito, vel de

bisantiis, vel de eupatorio, addendo decoctum sequens vel ex illo decocto syrupum parare poterimus, sic

℞. rad. petro. gra. & aspa. an ℥. anisi ʒ. ij. foliorum brass. marinæ, seminis hederæ ℥. j. asari ℥. ß. anisi ʒ. ij. fiat decoctio, quæ detur cum syrupis suprascriptis, vel addendo sacchari q. s. fiat syrupus qui detur alternis diebus. Vel vbi non reperiuntur herbæ marinæ, vt chamelea vel brassica marina.

℞. rad. iridis recentis ℥. j. merc. circij cum rad. sonchi an. M. j. sennæ orien. qr. j. rad. apios Dioscoridis ℥. ij. asari ℥. j. apij. petro. an. ʒ. iij. seminis hederę ℥. j. fiat decoctio in aqua endiuiæ, addendo passul. ℥ ij. & in ℔. ij. dissol. syr. rosi. laxa. ℥. iiij. sacch. q. s. fiat syr. cap ℥. vj. mane duobus vel tribus diebus continuis aromatisetur ʒ. iij. diar. abb. Clysteres & cientia vrinas admota faciunt ad eductionem aquæ. Aqua enim & in magna vena, & aliis continetur, vnde in spatium ventris defluit Quare cientia vrinas prosunt, quòd onus venarum & antecedentem materiam euacuant. Sunt autem syrupi parati ex radicibus, vel succis herbarum aperientium & acrium, vt syr. de bisantiis, de quinque rad. in forma opiatæ. Trochisci dantur, vel in forma pulueris, admixtis, quæ iocinoris substantiam roborant, & aliqua, quæ intemperiem calidam tollant, vel minuant, vel astrictione leui sint, vel similitudine substantiæ iuuent. Parentur ergo ex conf. capill. rad. apij eryngiorum, carne, passul. carne hepatis lupi, vel cuculi, intestinis lupi, vel gallinæ, puluere diair. abb. trochiscis de eupatorio de rhab. Laudant practici dialaccam, & diacurcuma, sed has compositiones reiicio, nisi in anasarca, quia calidiores sunt & tam ingratæ, vt vix assumi possint. Fiat ergo talis opiata.

℞. conf. rad. apij ℥. j. capil. & florum cicho. an. ℥. ß. pul. diarr. abb. ʒ. ij. triasanta. ʒ. j. cineris lumbricorum & intestinorum lupi an. ʒ. ij. cum syru. de endiuia composito fiat opiata, capiat serò & manè, superbibendo aquam cicho. & gra. ℥ iij. faciunt penetrare opiatam, & calorem temperant. Clysteres verò aquam trahunt è venis meseraicis, à quibus venis in omentum, & intra peritoneum resudat. Illæ enim venæ sanguinem plenum sero continent, quæ venæ raræ sunt peritoneo tantùm vicinæ,

næ, ob id in ſpatium reſudat ſerum quod ſua tenuitate continere non poſſunt. Clyſteres autem ex detergentibus, & aquam trahentibus fieri debent, non ex emollientibus, vt ex mercuriali, foliis braſsicæ marinæ, ex beta, parietaria, radice ireos, & cucumer. ſilueſtris, ex ciclamine, vel ſucco cum vrina hominis, vel cum ſero caprarum, & iniiciendi ſunt ſine oleo, vt

℞. merc. betæ, parie. an. M. j. braſsicæ marinæ, vel thymeleæ, vel chameleæ, M. ß. vel ſennæ orien. ℥. ij. florum hipperici, geneſtæ an. p. j. Aniſi, apij, petro. an ʒ. ij. carthami ℥. j. fiat decoctio, & in ℔ ß. colla. diſſol. benedictæ ℥. j. miſce, fiat clyſter, vel ſic.

℞. cucumeris agreſtis, vel apios Dioſcoridis, vel ciclaminis, vel aſari ℥ iij. contundantur, & decoquantur in ſero, vel in vrina, & iniiciantur, vel extrahantur ſucci ex herbis, vel radicibus, & fiat clyſter: iniiciatur frequenter. Sunt, qui fermentum acre diſſoluunt, quia trahit. Pituitoſa medicamenta, vt turbith, agaricus, cartha. iniecta valent. Nam ſi ſine zinzibere ponantur, aquoſam pituitam & ſeroſam trahunt. Poſtquã illa ſeri copia vaſorum euacuata eſt magna ex parte, tunc tentare oportet euacuationem, vel aſſumptionem ſeri collecti ſub peritoneo, non antè, ne plus trahant, quàm à parte euacuent. Euacuatio verò vel punctura vnà facta in ventre ad interna vſque, vel ſcarificata cute totius ventris ad aponeuroſes muſculorum. Nam ſi cutis & membrana illa, quæ cooperit rectos muſculos paruis inciſſuris diuidatur, ſerum per ventrem reſudat. Quòd ſi paucum ſit, totum euacuat & potiſsimùm ſi in parte inferiore circa foramina vaſorũ ſpermaticorũ. Sic multos curaui, appoſitis digerentibus & epipaſticis ſupra ventrẽ De quibus poſtea dicemus Scarificatio hic minùs periculoſa eſt, quàm paracoleſis. Illam autem antiquorum, quę non niſi viribus valentibus fieri debet, & quibus ſcirrhus nullus eſt in aliquo viſcere, rationem faciendi in noſtra Chirurgia docebimus Supra ventrem exiccantia vel abſumentia reliquum aquæ, ponẽda & diu retinenda ſunt. Ponuntur etiam in parte inferiore vẽtris, quæ digerunt, & ciunt vrinas. Fiunt emplaſtra, vel cataplaſmata, quia illa citra oleũ parari poſſunt. Emplaſtra excipiantur melle, vel mu-

co coclearum. Paratū habent de baccis lauri, quod huic conuenit, sed magis in Tympanite. Addatur coclearum marinarum cinis, vel terrestrium, vel purpuræ, vel buccini, vel scombrorū, & supra ventrē applicentur, addita pauca spica celtica, vel nardi, vel asari, vel valerianæ, sic.

℞. coclearum terrestrium, viuarum, non latarum. Contundantur diligenter, quibus adde spicæ nardi, schœnanthi, asari an. ℥. iij. fiat cataplasma. Vel ad euacuationem aquæ, quæ in splene, & venis mesaraicis & perinei. Ad aquæ absumptionem applicentur succi herbarum, vel vnguentum de arthanita, siue de ciclamino, & vnguentum aragon sic.

℞. succi thimeleæ cucumer. agrestis, & brassicę marinæ an. ℥. ij. succi aristolochiæ, vel asari ℥. j. spicæ nardi, sennæ, an. ʒ iij. Excipiantur farina orobi, vel lupinorum, & applicetur supra vmbilici regionem. Alij supra vesicam ex ol. rutaceo, & vrina pueri ac succo pedis columbini parant. Mouet vrinas. Quare illud debet fieri, cùm suprà dicta remedia vrinam prouocantia dabuntur. Sudorem prouocantia non multùm prosunt in hac specie, quia pauca aqua est in habitu corporis. Quòd si quis velit sudorem prouocare, hoc debet facere, etiam aqua in venis colligitur, vt in fine, in Anasarca.

De Tympanite. CAP. XXVI.

TYmpanites hydrops est siccus, quia aqua in principio nulla est. sed flatus multi distendunt peritoneū, ita vt percussum sonum edat, vt tympanū. Fit post multos morbos, & post euacuationes ventris ob imbecillitatem caloris naturalis, qui à pituita vel ab humore aliquo flatus eleuat, quos discutere non potest. Quare vtriq; caussæ occurrendum, nempe caloris naturalis imbecillitati, & humiditatibus crudis. Calor naturalis ob intēperiem frigidam debilitatur, cui occurritur, vel capite de intemperatura hepatis, vel ventriculi frigida, vel inflatione ventriculi. Sed calor resoluens in morbo acuto quandoque in caussa existit, cui difficilius occurritur. Moderatè calidis temperatis reficitur calor viscerum, vt ventriculi, intestinorum, hepatis, splenis. Hæc enim species ferè vitio ventriculi fit. Quare commodè curari poterit, si vētriculi inflatio, vel dolor colicus perseuerat circa vm-

ca vmbilicum. Purgetur materia cruda pilulis de aromatibus, de hiera, sebellinis, ante pastum, frequenter exhibitis ante cœnam per horam. Deinde coquatur syrup. de bisantiis, de absynthio, de menta, cum decoctione seminum calidorum maiorum, vel minorum, vel sic.

℞. cort. citri sicci ℥ j. rad. eringij ℥. ij. mentæ siccæ, hyssopi, beto. absynthij, ana M. j. cicho. endiuiæ ana M. ß. anisi ℥. ß seminis apij, petro. ana ʒ. j. florum anthos, stechados ana p. j. fiat decoctio in aqua & vino, & in ℔. ij. col. dissol. syr. conserua. corticis citri ℥. iiij. sacch. q. s. fiat syr. aro. ʒ. ij. diagal. capiat in vj. matutinis. Finitis syrupis capiat pilulas sequentes.

℞. pul. benedictæ ʒ. ß. agar. tro. ℈. j. cum syr. de bisantiis, fiant pilulæ, capiat post mediam noctem, vel si pilulas deuorare non potest, capiat sequentem potionem.

℞. syr. præscripti ℥. iij. In quo dissolue elect. diacarthami ʒ. iij. benedictæ ʒ. j. syr. capil. ℥. j. misce, fiat potus, detur, vel sic.

℞. carthami, sennæ orien. ana ʒ. ß. agar. anisi ana ʒ. ij. florum enth. p. j. fiat decoctio, & in q. j. dissol. elect. de citro sol ℥. iij. syr. ros. lax. ℥. j. misce, capiat manè. In crastinum detur opiata sequens, vel electuarium dianisi, vel trium piperon, vel arom. ros.

℞. cons. zinziberis viridis ℥. j. cons. anthos ℥. ß. cort. citri, & conseruæ eringiorum ana ʒ. vj. confect. aro. ros. ℥. j. diagalangę, & dianisi ana ʒ. iij. cum syr. cons. cort. citri, fiat opiata, capiat ante prandium, & ante cœnam, superbibendo parum vini maluatici diluti aqua absynthij, vngatur hypochondria in principio sequenti vnguento. Postea vtatur emplastris, vel cataplasmatis.

℞. ol. rutacei & anethini ana ℥ iij. succi rutæ & absynthij ana ℥. j. vini ℥ ij. coquantur ad consumptionem succorum, quibus adde pul. diagalangæ, seminis apij, petro. cumini, carui ana ℥. ß. ceræ q. s. fiat vnguentum. Vngatur venter, addendo vini albi, vel maluatici tempore inunctionis.

℞. massæ empl. de baccis lauri ℔. ß. fiat emplastrum. & cingulo sensim constringatur venter, vel fascia, vel ponatur cataplasma sequens.

℞. ster. vaccæ ℔. j. pul. cumini, & rutæ ana ℥. j. incor-

porentur simul, & applicentur supra vétrem, cui in processu adde salis vel nitri, vel sulphuris ℥. ß. interea iniiciendi sunt clysteres ex decoctione herbarum discutientium flatus, decoctarũ in vino, vel seminum discutientium sine oleo, hoc modo.

℞. foliorum rutæ, maioranæ an. M. j Anisi ℥. j. seminis apij, petro. an. ʒ. iij. florum came anthos, stecad. an. p. j fiat decoctio in vino, & aqua, vel lixiuio de[...]ili in ℔. ß. dissol. benedictæ ℥. j. si sit constipatio: si verò non sint recrementa, prætermittatur, vel ponatur ℥. ß tantùm, fiat iniectio manè. Pulueres ante pastum, & post pastum magis efficaces sunt in hac specie, quàm in alia: parantur ex discutientibus & siccantibus.

℞. anisi, fœniculi, carui, cumini in aceto, maceratorum ana ℥ ij misce, fiat puluis, capiat per horam ante prandium, & post cœnam duobus horis, ne si statim assumatur, crudũ serum deducat intra venas Sasellationes ex semine milij, & sale, & cumino, & aliis appropriatis.

De Atrophia. CAP. XXVII.

CVm corpus ali desinit, sensimque exarescit & absumitur affectione ea, quam Greci atrophiam vocant, laborare dicitur. Quare nihil aliud est quàm nutritionis error, aut priuatio. Sæpe autem euenit, vt non totũ corpus, sed vna quæpiam pars solùm ex atrophia tabescat, ex quo atrophiæ duæ sunt constituẽdæ species. Vna, quæ totius corporis est altera, quæ partis alicuius tantũ. Quę totius corporis est, ex alicuius partis nutritioni subseruientis vitio, aut imbecillitate procedit: quæ caloris spiritúsque vitalis, aut naturalium functionũ, quarum ministerio attractrix facultas vtitur, robur virésque obtundit vel extinguit. Pulmonũ enim exulceratio, & cordis affectus, potissimúmq; marasmus, quia vitalem spiritum (qui vitæ omniúmque functionum author est & principiũ) labefactant, in atrophiam corpus perducunt, sicuti etiam ventriculus, si tanta intemperie, aut imbecillitate laboret, vt alimentum vel probè conficere, aut satis diu retinere, donec concoxerit nequeat, malè corpus nutriri necesse erit, cùm posteriores vitia prioris cõcoctionis non emendent. Accidit interdũ per immodicas euacuationes, & alui profluuia corpus alimenti penuria laborare

rare

rare, propterea quòd euacuetur nutritionis materia, & quod alimẽtum corpori esse debeat, veluti nec per diarrhæas, & dysenterias chylus ad hepar transmitti potest. Quare quæ talium affectionum, aut immodicarum in quauis parte corporis euacuationum caussa esse potest, atrophiæ simul caussa statuenda erit. Quæcunque pariter hepatis affectio obstabit, quò minus vel trahendi ad se chyli munere fungi possit, aut attractum in laudabilem sanguinem conuertendi, aut earum deniq; partium, quæ sanguini ab excremẽtis repurgando destinatæ sũt, vt est vesicula fellea, lien, & renes, quæcunque, inquam, malè suum officium præstabit, consumptionis corporis tandẽ efficietur caussa, vt etiam partes trahere ad se alimentum, aut tractum in sui substantiam cõuertere non possint, vnde atrophiam sibi asciscũt. Atq; hę sunt atrophiæ caussæ interiores. Externæ sunt, quæ illas aut gignunt, aut augent. Hæc ex alimentorũ vitio procedunt, aut ex animi aut corporis affectibus, & iis, quæ extrinsecus corpori occurrũt. Alimentorũ vitia aut ab eorum quantitate, vel qualitate procedunt, aut in præpostero eorum ordine, vel intempestiua eorum assumptione. Studia verò, & affectiones animi, corporísque exercitationes importunę, venerea, balnea, motus omnes corporis, vigiliæ, inedia, iracundia, melancholia, & similes. Quibus perspectis & cognitis, vt corpus, quod ex atrophia contabescit, consumi prohibeatur, vel exhaustum restauretur, aut rursus nutriatur, caussæ, quæ atrophiam efficere deprehendentur, per eius emotionẽ, aut emendationem occurrendum erit, vt si ventriculi vitium in caussa sit, corrigendum est, siue illud, morbus, aut symptoma, aut symptomatis caussa existat. Cruditas enim, aut alimenti corruptio, vel eius per vomitionem, aut alui profluuia reiectio, vnde nutritioni materia exhauritur, atrophiam adducunt. Si verò iecoris obstructio distributionem impediat, si intemperies in sanguinis confectione errores committat. Si lienis, vesicæ, renúmque noxa & imbecillitate suis fæcibus & excremẽto, siue bilioso, siue ichoroso non debilè emendetur sanguis, sine illarum caussarum emendatione, à quibus corpus exarescit, eius integritas seruari nequit. Quare inanis illorum

conatus, qui alimentis quantumnis euchymis, & laudabilibus resarcire corpus contendunt, si partes, quæ conficere debent cibos, non conficiant: quæ immutare, non immutent: quæ attrahere, non attrahant: quæ expurgare, non expurgent. Quemadmodum enim corpora impura, sic corpora admodum intẽperata, vel obstructiones, vel tumores in partibus naturalibus habentia, quãtò plus nutriueris, tantò magis læseris. Cacochimiæ enim quantitas, augetur, & excrementorum quantitas maior cumulatur, quæ licet venas distendant, & corporis molem, aut augeant, aut non imminuant, corpus tamen ali non permittunt, & in partibus radicalis substantiæ absumptionem accelerant, non aliter, quàm tabem pulmonem vlcus inducit. Quod curationem antè recipere non est sperandum, quàm illud sanatum sit, cùm ex eo, qui per inspirationem in pulmonem attrahitur aër, perpetuo inficiatur, & inde vitalem in corde spiritũ labefactet. Eadem est etiam ratio cordis affectuum per ardentes maximè febres hecticas. Quare in omni atrophiæ curatione caussæ eam procreantis habendam esse primo loco rationem semper existimamus. Deinde de reficiendo per alimenta corpore cogitandũ, in quo modum tenere debemus, vt alimenta ægris primùm, quæ citò & facilè coquantur & distribuantur, demus. Postea præscribamus ea remedia, quæ multùm nutriunt, quanuis tardiùs & difficiliùs coquantur. Ob eam caussam iis, qui nec febre, nec obstructione, nec tumore partium internarum laborant, neque capite dolent, aut hypochõdrionum distentiones & murmura patiuntur, lac in primis muliebre, deinde ouile, tertio vaccinũ, addito pauco saccharo, ne concrescat, exhibendum censeo, non autem asininum, qui vis quædam purgandi & detergendi inest, vnde minùs ad nutriendum aptum est, sed exulceratione pulmonum affectis ex vsu esse tantùm videtur. Succi carnium, vt perdicum, capi, vel coxæ veruecis, addito pauco vino, aut ex pane assumendi, qui si minus cocti sint, in scutella super carbones coquendi. Iuscula etiam ex carnium coctura tabefactis, admixto pauco vino, danda, quibus aliquando incoquere poterimus micam panis albi, vel farinam tritici, aut hordei, vel orizæ.

Date

Dare etiam non inutile erit hordeatum ex amygdalis, & farina tritici, aut amygdalarum lacte, manè, & aliis omnibus suprà enumeratis alendus est æger, quibus superdormire etiam quacunque hora post cibum conducit. Post somnum frictiones corporis lenes imperandæ, ol. amyg. dul. inungendo manum, vel ingrediendum balneum aquæ dulcis tepidum, à quo non priùs exeundum, quàm refrixerit, vel immissa aqua frigida, ne tepiditate balnei ad superficiem attractum alimẽtum simul per transpirationem exhalet. Passularum vsus ad corporis nutritionem, & ad impinguandum commendatur, sed commodior erit, si paretur ad hunc modum.

℞. pass. ab arillis mundatarum & infusarum in aqua bugl. & borrag. & vino albo ℔. j. siccentur primò, deinde disponantur in vase vitreato, sinapizãdo saccharo tenuissimè puluerisato, seruentur in loco calido, & vtatur frequenter. Caro testudinis multum alimentum parit, & ob humiditatem, assumptum resarcire deprehenditur, sed illius iusculum potentius, cum vino sumptum. Sunt, qui eius sanguinem bibunt. Id quod quibusdam maximè ob venenum assumptum, aut aliquam qualitatem venenosam contabescentibus profuit, cùm eius vis veneni inimica sit. Caro autem illa cocta contunditur, & immissis amygd. & nucleis pinearum fiunt morcelli, vel placentæ cum pauco saccharo in hunc modum.

℞. carnis testudinis nemoralis, vel aquaticæ ℥. iiij. pinearum mundatarum, & amygd. dul. infusarum in aqua rosarum vel lactis, vel in aqua buglossæ ℥. ij. sacch. dissoluti in aqua rof. q. s. fiat placenta, coquatur in furno parùm. Si farinæ tritici, vel orizæ ℥. j. admisceatur, præstantior erit ad nutriendũ. Ad reficiendũ ægros atrophia tabescentes multùm præstat condimẽtum apud Hispanos vsitatum, quod (*blanc manger*) vocant. Componitur autem ex pulpis capi contusis, amygd. & saccharo, lacte, & farina orizæ, ex quibus fit illud gratissimum palato ferculum, & ad multùm nutriendũ aptissimum. Inter ea, quæ facilè & potenter alunt, & gelatina commendatur cum saccharo, testiculi gallorum, & glandes omnes. cerebrum porci coctũ, deinde in sartagine frictum & farinæ, melioris saporis gratia inuolutũ, à Gal. in metho-

do laudatum, sed lib. de alimẽtis improbatum est, quòd nauseam moueat, malúmq; succum præbeat. Caro præterea porcellorum, quòd multum alimenti diutiúsque hærentis, & permanentis suggeret, celebratur. Contrahitur interdum atrophia ob derelictas & intermissas exercitationes, & quòd partes ad attrahẽdum & euacuandũ imbecilliores efficiuntur. Quare frictiones in ea post alimenti coctionem sunt imperandæ, vel picationes, vel balnea tepida, vt ab iis attractio partium adiuuetur; sed summopere cauendus illorum vsus, nisi prima & secunda concoctione absoluta. De vniuersa corporis euacuatione dictum est. Restat de ea sermonem facere, quæ vnam quampiam tantùm partem obsidet, cuius caussa peculiaris, quod illius vitium est. Quod aut propter aliquam intemperiem aut resolutionem, aut eius partis relaxationem accidisse videri potest. Ex quo efficitur, vt partes illæ suo attrahendi alimenti munere malè fungantur, propter animalis spiritus interceptionẽ, qui eas immobiles, & veluti emortuas reddit, & in atrophiam, sicut per exercitationes intermissas, perducit, nisi ad facultatum consensum & conspirationem sit id referendum, quarum vna affecta reliquas in consensum suum trahere cõsentaneum est. Proinde curandus in ea atrophia primùm est affectus, qui eam inducit, deinde in alimenti attractionẽ incumbendum, quæ picatione vel frictione ex oleo amygd. vt superiùs dictum est, perficitur.

De Ructu. CAP. XXVIII.

Suo loco omissum fuerat.

RVctus motus est facultatis expultricis ventriculi, quo flatuosus spiritus cum quodã murmure foras affatim excernitur. Quare symptoma est actionis læsæ. Illam enim flatus generatio sequitur, qui materia sunt huius affectionis, de qua superuacaneum est ob id plura dicere, cùm flatuum procreatio, atque etiam cruditatis generatio abundè à nobis suo loco sint explicata. Sed cùm cruditatem non minùs calida, quàm frigida intemperies efficiat, vnaquæque illarum suam ructus speciem constituit. Frigida natura acidum, calida verò nidorosum ructum parit. Sub nidoroso comprehendo, qui aliquid aut putrens, aut putre redolens, veluti ouorum frictorũ

odorem

odorem referunt. Quod ad curationem siue sedationem symptomatis attinet, eo modo aggrediēda est, quo ventriculi intemperiei emendationem demonstrauimus, in paulò largiore quātitate, quæ discutiendi flatus vim habent. Compescere etiam ructum citissimè deprehēditur aquę frigidę potus, idq; celeriùs, si nidorulétus sit. Cuius rei caussam nullā aliam video, quàm quòd aquæ frigiditas ventriculi sensum obtundit: vnde ab illo conatu expellendi desistit, licet id ructus caussam augere videatur. Verùm illa inunctione extrinsecus facta super ventriculum ex oleis calefacientibus & naturę ventriculi accommodatis, qualia sunt nard. & absynth. aut de menta, & cerato stomachico emendabitur. Pulueres flatus discutientes ex vsu erunt, si in illis sacchari quantitatē augeamus, quę aciditatem potentius castiget. Quod etiam multùm præstant amygdalæ torrefactæ, & saccharo coopertæ. Ad nidorosum verò ructum sedandum vtilis est vomitio, vel purgatio leuis, cum huiusmodi ructus corruptionis humorum in ventriculo existentium index sit. Post hæc aquæ frigidæ haustus prodest, vel pomorum coctorū cum saccharo prima mensa assumptio.

FINIS LIBRI SECVNDI.



METHODI CVRANDORVM MORBORVM LIB. III.

De affectibus partium naturalium, & inferiorum, Guil. Rondeletio D. Medico authore.

De affectibus OEsophagi. CAP. I.

OEsophago & ventriculo iidem ferè morbi accidunt. Sunt tamē œsophago magis peculiares, vt difficultas deglutiendi, vlcus, excoriatio, quæ fit à caussa procatarctica, vt veneno, vel alimento acri, vel malè manso, vel aspero, vel osse

deuorato, aut à caussa interna, vel humore acri defluente à cerebro, vel vomitu reiecto. Accidit & nonnunquam in febribus ardentibus, siti diu tolerata, & ob caliditatẽ, & siccitatem in acrioribus factis humoribus. Excoriatio dicitur summa tantùm parte decisa. Vlcus verò, quando profundius penetrat. Huius affectus indicia sunt sensus doloris, dum vinum aut iusculum, aut quidpiam aliud calidum bibitur, si salsa & acris defluxio præcesserit, quæ circa illam partem firmata sit, aut si biliosus vomitus etiam, aut si venenum sumptum est adeò paucum, vt ad ventriculum non potuerit descẽdere. Si verò fiat ab osse impacto, aut re quapiam aspera deuorata, id ex sermone ægri fiet manifestum. Si dicat se post deglutionem in ea parte fluxum quidpiam sensisse, aut aliquid sanguinis reiecisse. Hæ caussæ sunt distinguendæ, vt pro diuersitate illarum quæ conferunt, inueniamus. Caussa antecedens siue interna siue externa, primùm auferenda est. Quoniã verò huius morbi caussa, vt plurimùm, est acris defluxio, ea curetur, vt ostensum est cap. de catarrho.

Obseruatio in fluxionibus.

Obseruandum tamen, dum humor fluit, & nihil in parte firmatum est, nec humeris, nec collo cucurbitulas esse affigendas, vt quidam recentiores imperant, nec ligandas aut asperiùs fricandas partes exteriores. Id enim auget defluxionem, & ad partem affectam humores trahit. Satius verò fuerit capiti raso cucurbitulas admouere, si modò possint adiacere, & fluentis humoris impetum sistere. Postquam verò consistit fluxio, expedit, vt & in angina, deriuare ad partes vicinas, vel ab interna parte ad externam, & tum cucurbitularum vsus circa illas partes est vtilis.

Obseruatio in apoplexia.

In apoplexia verò, quia humor in cerebro resolutionem facit vniuersalem, ac prohibita respiratione iugulat, vt humor ad inferiora trahatur, & cerebrum leuetur excrementorum copia, nos corpus confricamus, & vngimus oleo copiam relaxante, vt ol. chamo. de lilio, amygdal. dulc. vt partes fiant ad suscipiendam fluxionem aptiores, figimus cucurbitulas dorso. Trahimus per clysteres acres. At sic non faciendum in catarrho, quin potiùs

tiùs aliò diuertendus est humor, aut si nos cogat plenitudo purgare corpus, vtemur iis catarcticis, quæ quandam attrictionem relinquunt, quales sunt pilulæ assaieret, & aliæ, quæ agaricum & myrob. recipiunt & mastichem, & aliquid rhab.

Excoriationis curatio.

In acri defluxione primùm competunt syr & decocta incrassantia: deinde detergentia & incrassantia: postremò resiccantia & astringentia, quæ possunt excoriationem, vel vlcus resiccare. Interim tamen videndum est, morbus sit simplex, an compositus, an caussam præsentem habeat, aliúue symptoma, quod curam ad se trahat, vt si vnà cum excoriatione magna sit inflammatio vel intemperies calida & sicca, vel si quod excoriationem facit, adhuc adhęreat. Caliditas enim & inflammatio, tum morbum, tum curationem tardant. In magna caliditate medicamenta sint frigida, & quæ lentorem quendam habeant, vt adhærere possint, & excoriationem non exasperent. Si inflammatio adsit, mittatur sanguis, deinde detur in principio cremor hordei mundati, quoniam minus terget, magis lenit, dolorem sedat. Postea vtetur cremore hordei integri, quia magis terget, vel decocto sebesten, vel mucilaginibus, vt

℞. semin. psyllij non concass. semin. cydon, ana ʒ ß semin. papauer. albi ʒ. iij. infundantur in aqua rosacea & extrahatur mucilago, addatur parum sacch. ad dulcedinem. Præstantissimum est remedium totum ouum fortiter agitatum, addito paucó sacc. Si est inflammatio aut dolor magnus, aut medicamentum venenosum deuoratum, ouum sit crudum. Nam si coctum esset, & incrassatum, deuolueretur in ventriculum, & ita nil prodesset. His remediis sæpe curatur leuis excoriatio. Datur etiam commode syr. de papauere, aut diacodium Gal. cum volumus compescere defluxionem, vel detergere. Habet enim sapam & gly. quæ detergent. Si propter immodicam siccitatem exsiccata sit, iisdem remediis erit vtendum, nimirum frigidis, & humidis, vt syr. viol. gallinæ iusculo, aut pulli frigidè sumpto.

Veneni curatio.

Venenum si sumptum est, iuscula sint pinguia. Si affe-

ctus sit citra affluxum materiæ, potest caliditas, & siccitas admotis castigari, vt effundendo collum oleo rosa. si calor vrgeat, viol. si siccitas. Lac etiam tum sumptū, tum admotum confert. Excoriatio à veneno si sit facta, aut bilioso humore à ventriculo descendente, neque aliud symptoma adsit, dentur quæ flauæ bilis acrimoniam extinguunt & citra morsum detergent, quale est hoc.

A bilioso humore excoriatio.

℞. gly. ras. ℥. ij. pass. ℥. ß. sebest. iuiubarum, prun. an. pa. xx. (ficus non conueniunt, quia nimis detergent, & aliquid habent acrimoniȩ à lacte suo) tamarind. elect. ℥. ij. quatuor semi. frig. maior. & semin. mal. ana ʒ. ij. florum violarum p. j. fiat decoctio. De qua cap. 4 quoque die ℥. iiij. cum ℥. ij. syru. ros. laxat. & de reliquo capiat assiduè lambendo. Si bilis post eas euacuationes adhuc in ventriculo restet, quod ex amarore oris & nausea nosces, deorsum trahenda est, ne partem affectam exasperet magis. Idem faciendum est in acri fluxione. Si defluxio fit à pituita salsa, aliquid erit adiiciendum, quod pituitam ducat. Notandum est tum medicamenta, tum alimenta liquida, & actu frigida, vel saltem temperata esse danda, fugienda verò acria omnia, salsa, amara, acetosa. Si vlcus fuerit profundius, magis tergendum & siccandum est. Medicamenta eligantur, quæ circa magnam caliditatem siccent, & non habeant venenatam qualitatem, & quæ non sint ingrato sapore, nec multùm medicamentosa: ob id metallica omnia sunt reiicienda, excepto alumine. Bolus ar. conuenit, terra sigillata, farina hordei, orobi, ciceruni, fabarum, radix panacis, cortex thuris, corallus, sanguis draconis, pyra, cotonea, quibus adiungenda sunt quædam viscida, vt parti adhæreant. Vsus suffituum non est improbandus, quamuis videatur minus conferre, quam in vlceribus trachiæ arteriæ, vel pulmonis. Sed fieri non potest, quin aliquid etiam gulam intret, dum in arteriam trahitur. Suffitus esto, qualem supra descripsimus cap. de catarrho.

De difficultate deglutiendi.

Quibusdam œsophagus dicitur musculus, quod Gal. refert 2. de motu muscul. quare & eum resolui posse dicunt. Est autem via oblonga & angusta ab ore in ventriculum ex duabus tunicis constans. Is interdum satis contra-

contrahi non poteſt, vt cibum propellat in ventriculum ac maximè potum, qui conſiſtentiam non habet. Nam cibum faciliùs poteſt tranſmittere. Aliquando videtur cibus velut in lagenam dimitti. Vtrunque ſignum eſt peſſimum in febribus acutis: ſiue propter imbecillitatem, ſiue propter nimiam dilatationem, non poſſint deglutire ægri. Cùm eò peruenerunt, ferè ſunt deplorati, & ſolis prognoſticis relinquendi. Morbus hic quandoque fit à defluxione à capite, quod deprehenditur ſi vel capitis grauitas, vel tenſio colli, vel defluxio in aliquam oris partem præceſſerit. Vacuato capite, pars ægra ſiccanda eſt. Vacuatur autem pil. de hiera, elephanginis ante cibum. Poſtea imperantur ſyr. calfac. & ſiccantes, vt de hyſſ. de ſtechad. mel roſ. antho. Abſtinendum ab aperiẽtibus, & de bizantiis, de quinque radic. quia nimis attenuando, fluxionem augent, quod in omnibus morbis à defluxione, ſemper eſt obſeruandum. Adiungimus herbas, vel decoct. herbarum ſimilium, vt chamepith herbam paralyſ. betonicam, ſaluiam, & ſimiles. Affigendæ ſunt cucurbitulæ ad euacuationem ſecundum longitudinem colli, & metaphreni in vtraque parte & maximè colli. Non eſt ſcarificandum, niſi pars affecta fuerit inflammata. Tunc enim poſt vniuerſalem ſanguinis miſſionem, licebit poſt admotas cucurbitulas ſcarificare, vt de angina diximus. In hoc autem morbo affigũtur magis, vt in partem affectam ſanguis trahatur. Ad abſumẽdam nimiam illã humiditatem œſophagi, medicamenta partim admouentur, partim ſumuntur. Admouentur quæ calfaciũt, & ſiccant, vt oleum nard. de coſto, de pip. de lateribus & ſimilia, quæ potiùs in lateribus colli admouẽda ſunt, quàm vel in anteriore, vel poſteriore parte. Sic enim citiùs ad partem affectam perueniunt. Nos autem ol. de lilio imperamus, quantumuis & recentioribus & veteribus laudetur fæx liliorum. At veteres rectè ſuam fæcem adhibuerunt Erant enim calida & ſicca, quæ ad eius olei inſpiſſationem ponebantur. Fæx ol. liliorum nunc nil aliud eſt, quàm partis aquoſæ ſedimentum, cui prorſus contraria eſt facultas ei, quam quærimus. Inſpiſſantur olea, conficiuntur vnguenta, parantur cataplaſmata ex calidis & ſiccantibus hoc modo.

Pilulæ capit. vacuantes.

Syr. conuenientes.

Cautio.

Admota.

Decoquantur herbæ vel radices, vel flores. Decocta admisceatur farina aliqua reficcans, vt hordeum si est inflammatio, farina orobi, fabarum, lolij. Additur aliquid cal. aro. vel spicæ, vel scœnanthos, macis, nucis mos. cyper. garyoph. & parantur inde cataplasmata. Vtile est etiam addere guttas aliquot aceti ad penetrationem.

℞. rad. enulæ camp. ℥ ij. beth. saluiæ, chamep. lauend. puleg. an. M. j. fi. decoct. pistentur, & per setaceum passentur. Pòst incorporentur farinæ fabarum & orobi ana ℥. ij. farinæ lolij ℥. j. misce. fiat cataplasma. Non sunt addenda ol. vel adipes, nisi sit aliquid ex prædictis calidis. Optimum est remedium ex ol. ac stercore, vel nido, vel cineribus hyrundinum vt in angina, in qua olea relaxantia conueniunt, hîc verò astringentia modicè, & siccan. Sumuntur per os illæ compositiones magnæ, multùm antiquæ, vt theriaca, mythrid. aurea alexand. quæ omnia siccant, & nullo modo refrigerant, & incrassant, si antidota hæc vetusta sint, sin recentia, refrigerant, & incrassant, eóque nomine in hoc morbo fugienda sunt, nisi fortè tanto impetu flueret humor, vt astrictione sit opus. Datur cõserua anthos, stech saluiæ & enulæ camp. confectio aro. ros. diamosci, diagal. & similes. Sed quia hæc in ventriculum delabuntur, magis faciunt ad resiccationem materiæ antecedentis, quàm coniunctæ. Admiscenda sunt viscida & lenta, quæ suo lentore adhærescant, & sua mora siccent, vt in affectibus trachiæ arteriæ fieri solet. Talia enim miscentur, vt dũ in œsophago diutius morantur, penetrent in asperam arteriam, vt sic accipiamus cinerem stercoris canis, aut priapi tauri, aut hyrundinum, aut ossium, quæ valent in hoc affectu, & in angina, quia siccant & discutiunt. Addimus mel, quia deterget, & suo lentore adhæret, atque saporis est gratissimi, aut syr. conser. cortic. citri, syr. de stech. syr. conser. cortic. zinzib. Sic fiet præstantissimum remedium.

Assumenda.

Confectiones.

Conserua.

Pulueres.

℞. cine. hyrundinum, vel priapi tauri, vel oss. ℥. iij. rad. ireos vener. ℥ j. pulue. ros. nouellæ, aut diambræ, diagal. an. ℈. ij. mell. anth. q. s. Si autem pituita sit multùm viscida, mell. scill. aut oxymel miscendum erit, fiat vt lohot, quo vtatur lambendo. Cauendum à potu valde frigido, & valde calido. Nonnulli sunt, qui potum & non cibum

bum, alij cibum & non potum deglutiunt. Nam vinũ ob tenuitatem penetrat ad secundam tunicam, quæ quodãmodo est diuulsa ab interna. Sed non propter id variat curãdi ratio. Nonnunquam post frequentes vomitiones & repletiones œsophagi pars inferior, & os ventriculi sic relaxantur, vt cibus contineri non possit. Huius verò mali alia sunt auxilia, quàm superioris, nempe astringẽtia tum foris admota, tum intus sumpta, vt cùm post alios cibos carnem cydoniorum, vel astringentia alia sumimus ori grata, aut frigidam bibimus. Extrinsecus adhibentur frigida astringentia cum calidis quibusdam, tum vt ad partem affectam penetrent, tum quia calore perpetuò ventriculum iuuant. Medicamẽta in hoc morbo, & in inflãmatione oris vẽtriculi eodem loco admoueantur, nempe circa 13. vertebram ad latus sinistrum.

℞. cortic. malorum granat. myrtil. seminis verber. coriand. ana ʒ.ij. acatiæ corall. rub. an. ʒ. j. hypocistidos, ladani, an. ʒ. ß. spicæ nardi. cyperi, gariophyl. an. ℈. j. ol. cydoniorum, vel myrthini, vel ol. ompha. ℥. ij. ceræ albæ & aceti parum, fiat linimentum: vngatur pars exterior, si affectus sit in ore ventriculi. Poterit vngi pars anterior similiter. Poterit etiam fieri ex medicamentis eiusdem facultatis cataplasma.

De oris ventriculi inflammatione. Cap. II.

Inflammatur os ventriculi cum maximo dolore ob eius exactiorem sensum. Quare primùm dolor sedandus est. Cataplasma in hunc vsum paratur.

℞. farinæ hordei ℥. vj. flor. chamo. melil. & rosar. ana p. ß seminis coriand. sandalorum omnium an. ʒ. iij. spicæ nardi ʒ. ß. ol. ros. ℥. iij. ol. chamo. & absynth. an. ℥. j. misce fiat catapl. vel vnguentũ addita pauca cera. Clyster molliens & detergens detur ad reuulsionem. Catarctica per os sumpta nocent, quia ad partem affectam trahunt excrementa. In declinatione post doloris sedationem licet vti mitioribus: vt cassia, catholicone, rhab. Si est plenitudo, & vires valent, sanguis detrahendus est, maximè in phlegmonibus internis. Sed quia hunc affectum syncope, & virium imbecillitas, ob vehementem dolorem sæpe sequitur, in sanguinis missione summa cautio adhibenda est. Nam præcipuus scopus est in eo remedij ge-

nere, virium robur. Præscribuntur potiones, & confe-ctiones cordiales, vt in affectibus cordis, vt

Potio cordial. ℞. conf. viol. & bugl. an. ℥. j. conseruæ rof. corti. citri conditi an. ʒ. ij. pul. diamarg. frig. ʒ. j. diarrhod. abb. ʒ. ß. coral. rub. ℈. j. sacch. rof. tabul. q. f. fiat conditum, & in hoc morbi progressu. Nam circa initia conser. rof. & aliorum astring. dosis est augenda, minuenda verò viol. vt magis roboret medicamẽtum, & repellat. Vtiles sunt

Syr. refri. syrupi refrigerantes, vt syrup. de rof. siccis, cydoniorum myrtill. de succo agrestæ, de berber. Et hoc in principio cum aqua rof. cuspid. rof. end. cichor. addendo parum aquæ absynth. vel mentæ, cum pulu. diarrh. abb ℈. j. In processu dentur syrupi minùs astringentes, & magis refrigerantes. In magno & acri calore addimus syru. viol. de nymph. portulaca, end. simpl. Ab aliis syrupis abstinemus. Inflammatione curata pars astringentibus curetur, & iisdem medicamentis, quibus paulò superiùs in dilatatione oris ventriculi vsi sumus.

De ventriculi imbecillitate. CAP. III.

VEntriculus varios morbos patitur, & symptomata varia, quæ à diuersis morbis nascuntur. Morbi autem sunt intẽperies calida, frigida, humida, & sicca sine materia, vel cum materia, eáq; pituitosa, biliosa, vel melancholica. Quare si quis velit symptomatis occurrere, morbos agnoscat oportet, quod ex dolore, functione læsa, & alui recrementis dignoscetur. Difficiliùs verò dignoscuntur, quàm curantur. Intemperaturę sine materia raro fiunt. Quòd si fiant, diu sine ea esse nõ possunt. Nam omnis intemperies ventriculi nata est coctionem impedire. Quòd si frigida intẽperies vel sicca præsens sit, cruditatem faciunt, à qua multa pituita asseruatur in ventriculo. Si calida, vel cibos vrit, vel corrumpit, vel aliam cruditatem facit. Dignoscitur intemperies frigida ructibus acidis, vt calida ex nidorulentis, & siti: quanquam sitis magis siccitatem significat. Frigidam intemperiem

Signa frigida. sequitur appetentia, & coctionis tarditas. Humida autẽ intemperies fluctuationem, & sitis inappetentiam, & co-

Calida. ctionis tarditatem facit. Sicca tardam etiam coctionem facit. Nã quibus ventriculi siccitas adest, debilis est calor

Humida. natiuus. Potest esse vẽtriculi imbecillitas ex partis mollitie,

litie,&nimia laxitate,citra intemperiem aliam,vel citra materiam,quod patet ex Gal.verbis lib.1. ad Glauc. Vbi ait syncopen fieri ab imbecillitate ventriculi, quã solis curat astringentibus appositis supra ventriculum. Nam eodem in loco postea curat imbecillitatem,si coniuncta sit imbecillitati, frig. humiditati,vel siccitati idque cum materia, aut sine materia. Nos igitur incipiemus ab ea imbecillitate, quæ dignoscitur à functione læsa, nulla manifesta alicuius intemperiei nota alia apparente. Fit itaque hæc affectio post multas comessationes,quæ ventriculum multùm distenderunt, aut quia ventriculus est suapte natura magis laxus, aut maior, quàm oporteat, & quia vsus est nimis relaxantibus. Omnes istæ caussæ distentionem ventriculi faciunt, quæ facit vt minùs bene cibos amplectatur. Quòd si non facit,non bene concoquit. Erunt igitur apponenda medicamenta in primis qualitatibus temperata, & astringentia. Quòd si minùs prosint, sunt augenda frigida astringentia, quia magis astringunt quàm calida, & ad intra repellendo calorem excitare possunt. Post cibum verò assumenda quæ per partem superiorem ventriculum possunt constringere, quales sunt pul. qui parantur ex aliquibus astringentibus, vt rof. cinamomo crasso, cortice cyperi, corallo & aliis,vt pul.diacytonitem sine speciebus. Sed quia ventriculi infrigidatio magis periculosa est, quàm calfactio, admiscemus aliqua constringentia calida,vt galangam,cyperum,& cynamomum.Vel imperamus,vt accipiant à cibo fructus astringentes, vt mala cotonea, pyra cocta vel condita. Diuitibus paramus condita ex myrobal.cortice citri cum prædictis pulueribus,vt

Curatio imbecillitatis sine manifesta intẽperie.

Pul. constringẽtes.

Fructus astringẽtes.

℞.carnium cydoniorum conditorum cum saccharo ℥ ij.corti.citri conditi ℥.j.myrobal.chebul. ʒ.j.abluãtur cum vino styptico, & contundantur diligenter, quibus adde pulueris diacytonitem sine speciebus ʒ.ij. coralli rub.ʒ.j.rof.rub.cyperi, galang.crass.an.℈.j. sacch.ros. tab.q.s. fiat conditum, capiat post pastum,nihil superbibendo.Extrinsecus apponuntur vnguenta ex oleo myrtino, & cydoniorum pauca quantitate ol. de absynth. vel nardino, quibus si addatur acetum rof. efficacius erit, & citius penetrabit. Potest fieri sinapizatio supra il-

Conditum.

Vnguẽta.

lam irrigationem ex ol ad maiorem constrictionem, vt

℞. myrtill. mastich. nucis cupress. florum labruscæ & ros. rub. & cortic. citri & balaustiorum an. ʒ. j. sandalorum & coral. rub. ʒ. ß. garyoph & spicæ nardi an. ℈. ß. fiat pul. tenuiss qui inspergatur ab vnctione. Hæc eadem remedia vtilia erunt in intemperie calida, adauctis quibusdam refrigerantibus, vt si loco conditi fiat opiata, cui addatur pul. tria sandal. & diamarg frig. aut diatrag. frig. & detur tribus horis ante pastum, superbibendo parum aquæ cichor. vel end. vel cisternæ. Parantur etiam aliæ ex conseruis refrigerantibus, vt ex conserua ros. viol. in minori quantitate, aut florum cichor. cum pulueribus prædictis, vt

Ad calidam intemperiem.

℞. conf. ros ℥. j. cōs. flor. cichor. & nenuph. an. ℥. ß. pul. tria s. ʒ. ij. diatrag. frig. ʒ. j. ß. diamar. frig. ℈ j. cum syrup. end. simpl. fiat opiata. Nec erit præter institutum addere conseruam caulium, lactucæ (vocant vulgò *gorge d'Auge*) & carnium cucurbitæ cōditarum. Refrigerant enim, & ventriculo & palato gratissima sunt medicamenta, vel abluantur in aqua frigida. Per duas horas ante pastum ea comedant superbibendo parum aquæ.

Curatio frigidæ intemperiei.

Ad frigidam intemperiem valent vina generosa & antiqua præsumpta, duabus aut tribus horis ante pastum, vel vinum illud hippocraticum, vel cui addita sint piperis grana aliquot. Confectio aro. ros. diagala. de cinamomo, ros. nouellæ. pliris sarcoti, diamosci, diambræ, & diarrhod. Danda est loco diatrium pipereon, vel diospoliticum, quia non minùs calfaciunt, & vētriculo grata sunt magis. Dantur in forma opiatæ vel in tabulis. Zinziber conditum sufficienter calfacit. Cortex citri paulò minùs: caro citri adhuc moderatè magis. Conseruæ anthos & stechad. satis calfaciunt, ob id opiatis addi possunt. Augent etiam molem medicamenti, & plures partes ventriculi contingunt, cùm maior est moles. Superbibant aquam absynthij, mentæ, hyss. & cum vino generoso. Syr. de absynth. de menta satis sufficienter calfaciunt ventriculū refrigeratum, & magis conueniunt, quàm alij syr. propterea quòd leuiter astringunt vētriculū, quæ astrictio semper est huic parti necessaria.

Confectiones calfacientes.

Conserua calfacien.

Aqua calfac.

Curatio

Curatio siccæ intemperiei.

Intemperies sicca difficillimè curatur, vt omnes alij morbi. Curatur autem vsu lactis, quia humectat & nutrit bene, vsu vini non antiqui, & bene diluti, iusculis pinguibus ex capis, & gallinis, vel ex carne vituli lactantis, vel hœdi, quibus iusculis addendum est parum vini ad faciliorem distributionem, & concoctionem. Cremor ptisanæ paratæ cum ol. amygdal. dulc. vel cum axungia gallinæ, vel tota ptisana vino conspersa non parùm conducunt. In iusculis carnis decoqui debent folia lactucæ, borrag. viol. Ad extra illinenda est ventriculi regio inferior (ne os ventriculi contingatur) ex oleis sequentibus, vt, *Olea.*

℞. ol. amygd dulc. viol. an. ℥. j. vngatur venter, vel addantur axung. gallinæ & anatis, & fiat linimentum, quibus adde, tempore inunctionis, guttas vini ad penetrationem. Quòd si verearis nimiam relaxationem, adde parum ol. ros. vel cydoniorum. Intus autem dari possunt medicamenta aliqua, quæ humectent, vt syr. viol. de cucurbita cum aquis, bugl. viol. lact. &c. Aqua carnis porcellorum, vitulorum distillatæ magis, quàm in alia affectione hic conuenit, nisi diutius seruata sit & iam putrescat. Eius verò magnam quantitatem assumere oportet, semper addendo parum vini oligophori. Medicamenta pauca sunt, quæ habent vim humectandi substantificè. Et in intemperie talia oportet esse remedia, qui cũ hac affectione, semper adiuncta est totius corporis atrophia. Si tamen substantificam materiam non restituant, multa sunt, quæ magnam illam exiccationem retardant, & partes irrorant, vt semina illa frigida maiora in ptisana apposita, non rancida, sed recenter mundata. Item caro caulium, lactucæ, & cucurbitæ humectant. Quare si quis opiatam velit conficere, ex his fieri posset.

℞. caulium, lactucæ conditorum cum saccharo liquido ℥. ij carnis cucurbitæ eodem modo conditæ, ℥. j. conseruæ radic. buglossi & viol. ana ℥. ß quatuor seminum frigidorum maiorum minutim incisorum ʒ. j. cinamomi scrupul. ij. (additur autem cinamomum ad penetrationem, & ne hæc humidiora flatus gignant, aut aliud simile præditum nonnulla vi adstringente, & *Opiata.*

tenuitate partium (cum syr. viol. fiat opiata, de qua capiat mane, & superbibat parum vini bene diluti.

Victus ratio.

Balnea ex aqua tepida vtilissima erunt. Parùm est exercendũ corpus. Parùm & frequenter comedendum. Multùm dormiendum. Et quia propter vsum istorum humidorum, frequenter multa gignuntur recrementa: satis erit iniicere clysterem, aut dare cassiam dissolutam in brodio pulli aut lacte asinæ, vel dare mannam in eodem lacte. Sed accipienda est magna quantitas lactis, vt faciliùs perturbet ventrem, & laxet. Id faciendum per magna interualla, vt semel in mense. Nam si in ventriculo remorentur talia recrementa, perfectam concoctionem, & humectationem impediunt. Aqua carnis, de qua suprà memini, paranda est ex porcellis & vitulis, & gallinis. Lac autem debet esse muliebre, aut ouile, & non ex asina, vt practici solent facere. Nam asinæ lac plus seri habet quàm alterius substantiæ, & ad detersionem magis quàm ad nutritioně phthisicis datur. Quòd si aliud lac non reperiatur, vaccinum erit vsurpandum, vel asinæ nutritæ in otio, herbis recentibus, vt hordeo & secali. Hordeum sit in aqua maceratum, & excorticatum, auena macerata & decocta etiam dari poterit. Tunc enim lac redditur crassius, minus serosum & laxans. Pisces saxatiles dare non est præter rationem, & testudines aquaticas, & postea nemorales, quarum caro durior & siccior est, quàm aquaticarum. Harum verò tenerior, & coctu facilior. Quare in hoc affectu magis conuenit, & omnia coctu facilia, quia concoctio in hac affectione difficilis est. Pisces meliores erunt, si in iure carnis decoquantur, vel ex iure albo sine porro & anetho sed ex aqua & ol. tantùm. Succus carnis testiculi gallorum, inter præstantissima alimenta numeratur, vt & vitelli ouorum recentes, & tremuli. Cerebrum porci laudat Galenus, quod tamen difficilioris est concoctionis. Ego mallem cerebrum auium dare, quod concoquitur faciliùs aut cerebrum piscium, quia sunt substantia minùs densa Nuclei pinearum in lacte macerati humectant, & bene nutriunt, cuius rei argumento est, quòd semen multùm augent. Amygdalæ recentes bene

Nuclei pinearum.

bene masticatæ ventriculum humectant. Vuæ recentes, & suspensæ, & passæ non sunt prohibendæ, neque ficus etiam recentes. Facilè enim concoquuntur & saginant corpus. Argumento est, quòd qui ficus & vuas edunt, visuntur pingues, sed ea pinguedo minùs durat, tamen propter id prohiberi non debent. Nam illa etsi tenuis & facilis humectatio, parat corpus ad solidiorem nutritionem. Eadem hic conueniunt, quæ in hectica.

Curatio humidæ intemperiei.

Humida intemperies faciliùs curatur, quàm sicca, quia partes humidæ faciliùs vim medicamentorũ suscipiunt, quàm siccæ. Siccæ enim propterea quòd partes cõciderunt, & densiores factæ sunt, nõ facilè cedũt medicamentis. Adde quòd medicamenta humida, nõ multùm agunt neque multùm resistunt. Curabitur humida intemperies inedia, aut victu tenuiore, & resiccante, vt si abstineat à multo potu vini diluti, & potiùs vtatur vino generoso meraciori, vel posca, vel oxymel, aut hydromel: parum coctis, & multùm dilutis, vt magis detergant & minùs nutriant. Abstineant à iusculis. Vtantur carnibus, & piscibus salsis, & assis. Pane biscocto cum multo sale vescantur. Frequenter absumant pilulas de aro. vel de hiera. Capiant cineres ex cornu cerui vel intestinorum gallinæ, vel priapi tauri, vel coralli vsti, vel trociscos de viperis, vel cineres viperarum. Ex his conficiatur pul. vt cap. de suffusione, vel conficiatur magis determinatus ventriculo, & intestinis, vt, *Victus ratio.*

℞. cineris intestinorum gall. ℥. iij. cornu cerui, & coralli rub. vstorum ana ℥. j. ciner. hyrundinum vel viperarum ℥. ß. vel si vtrunq; reperiatur ana ʒ. ij. Quòd si nõ reperiatur, prætermitti possunt. Galang. cinamomi pip. ana ʒ. j. sacch candi ad medium omnium fiat pul. Potest etiam addi sal assum in furno loco sacchari, & vti pul. isto pro condimento alimentorum vel amotis odoratis sale vsto, & cinere intestinorum gallinæ tantùm. Si paretur cum sacch. capiat ante pastũ tribus horis cochlear j. nihil superbibendo. Istis pulueribus addi possunt pulueres parati ex fragmentis lapidum preciosorum, & qui vocantur de gemmis, & de margaritis, diarrho. diagalanga, aro. rosl. vel ex istis & aliis opiatam facere, sic. *Pul.* *Opiata.*

℞.cortic.citri conditi in forma sicca ℥.j.conser. acori vulg.vel capill.ven.flor.anthos,vel saluiæ ℥ ß.conf.aro. rof. & diamarg. frig. ana ʒ. ij. cineris intestinorum gallinæ ℥. j. cum syr. de menta, fiat opiata, capiat manè ad quantitatem fabæ, superbibendo parum vini antiqui generosi diluti cum aqua absynthij. Supra ventriculum emplastra magis siccant, quàm vnguenta, vt emplastrum de mastiche, ceratum stomach. Gal. empl. diuinum. Nec erit disconueniens emplastrum de palma, modò addatur aliquid odoratum, vt spica, vel galanga. Vel si maceretur cum ol. nardino, vel de absynthio & potentissimè exsiccabunt, nec ventriculi robur deijcient, cùm astringendi vim habeant, & calfaciendi ob medicamenta odorata addita. Corpus est diligenter exercendum, ieiunandum, dormiendum sine cœna.

Emplastra.

Curatio intemperiei cum materia.

Ventriculi intemperies, cal. frig. humid. & sicca cum materia, eodem, quo suprà, modo curatur, nisi quòd frequentius vtimur pil. vel syrup. vel pulueribus laxantibus humores redundantes, qui magna ex parte sunt, bilis, pituita, & aliquando melancholia, sed raro. Euacuantur autem vomitu, si nihil prohibeat, vt affectus thoracis, aut corporis constitutio. A cibo facilior est vomitus, ante cibum plus materiæ vacuatur. Si bilis vacuanda, post iuscula multa, vel post potationem liberaliorem prouocandus est vomitus. Nam bilis, vt oleũ, his supernatat, & ob id facilius euacuatur. Adde quòd acrimonia eius tẽperatur mixtione harũ potionũ. Datur syr. viol. cum aqua tepida, vel iusculũ pingue sine sale, aut decoctum betæ, cũ ol. viol. vel cõmum, vel amygdalarum. Si autem pituita euacuanda sit, manè ante cibum euacuetur, quia pituita semper est in maiori quantitate, quàm bili, & in fundo ventriculi, magis hæret. Ob id vomenda ante cibum. Vel si lenta sit & nimis hæreat, syr. acetos. simpl. dilutus aqua, vel decoctionis betarum, vel parũ agarı vel asari propinãdum erit, prius relaxata regione ventriculi, oleo liliorum, vel amygd. inuncto, aut immisso digito, aut penna oleo intincta. Quòd si fiat post corporis agitationem, vel frictionẽ super ventriculũ, in gyrum, faciliùs & plus voment. Pituita pilulis de aro. aut de hiera

Vomitus biliosus.

Vomitus pituitæ.

cum agar. euacuanda sine aliquibus astringentibus. Bilis autem rhab. infuso syr. rol. & aliis mitioribus remediis purgantibus bilem leuissima medicamenta ob duas rationes sunt vsurpanda, tum quia materia è longinquo non est vacuanda, & ventriculus non est vexandus fortioribus. Clysteres ad id multùm faciunt, sed acres esse oportet, vt ex altioribus intestinis etiam euacuent. Humor peccans dignoscitur ex oris sapore, vt si amarus sit, bilem significat puram: si salsus, bilem & pituitam permixtam: si acidus, pituitam & atram bilem: si insipidus, pituitam aqueam, vel dulcem Id meliùs deprehenditur ex vomitu. Atra bilis commodissimè euacuabitur decocto polyp. vel senæ, vel epith. decoctis in iure galli antiqui, vel iure piscium saxatilium, vel decocto mercurialis. Si sint præscribendi syr. vel ad concoctionem, vel ad alterationem, ad bilem sufficit syr. end. simpl. vel de absynth. cum aqua endiui. (quia non est magna caliditas ventriculi) vel syr. de cichor. sine rhab. aut syr. compos. cum rhab. addito in tanta quantitate, in quanta additur syr. de cichor. vel syr. rol. cùm volumus euacuare, aut bilem detergere. Ad pituitam detergendam sufficit hydromel, vel cremor hordei cum melle, aut oxymelite. Si pituita incidenda & detergenda, syr. aceto. simpl. aut compos. syr. de bizantiis, & similes, leuiter incidentes, attenuantes, & detergentes conueniunt.

Clysteres. *Qui dignoscitur humor ventriculi.* *Syr. ad bilem.* *Syr. ad pituitam.*

De ventriculi inflatione. CAP. IIII.

INflatio ventriculi symptoma est, quod sequitur vitiatam concoctionem, & est vitiata concoctio à caussa frigida vel humida. Nam inflatio ventriculi fit à multis flatibus, qui solent fieri à debili calore, tanquam à caussa efficiente ab alimentis flatulentis, & humidis, vel à pituitosis excremẽtis. Ergo qui vult huic symptomati mederi, auferat caussas, nempe pituitam illam medicamentis pituitam deiiciẽtibus & leuiter laxantibus auferatur intemperies, & augeatur calor naturalis diminutus. Optimum erit igitur imperare pilul. de hiera, & de aromatibus, quæ vtrunque faciunt, scilicet leuiter purgant, & calorem ventriculo suppeditant. Deinde si quis velit illam pituitam coquere, & ventriculum corroborare, id fiet syr. vt syr. de menta, syrup. conseruationis

Pilula. *Syr. concoquentes.*

cortic citri,syr.de stechade in pauca quantitate cum aliis quibusdam temperatis Mel.anthos. cum aquis hyss. mentæ, beth. & absynthij (quæ minùs astringit, quàm syr. vel decoctum herbæ. Ob id cum syr.attenuantibus, & detergentibus dari potest, non autem decoctum, vt prohibuit Gal.) vel fiat talis syr.qui tria præstabit, caussam materialem expulsioni præparabit, efficientem minuet, & flatus discutiet, qui sunt immediata caussa inflationis. Parabitur igitur ex leuiter attenuantibus modicè calidis, & flatus discutientibus, vt,

℞.cortic.citri ℥. j. galangæ maior ℥. ß. mentæ siccæ, hyss. sicci, beto. siccæ ana M. j. anisi fœni. ana ʒ iij. flor. anth. & stechad. ana P. j. fiat decoctio ad ℔. j. In fine decoctionis adde vini albi optimi ℔. ß. sacch. ℔. j. clar. & aro. cum ℥. j. cinamomi, fiat syr. cap. ℥. iiij. ante prãdium & ante cœnam duabus aut tribus horis. Rusticis poterit dari decoctum cymini, vel seseli cum menta, vel hyss. in vino decoctis. His obseruare oportet, quòd herbæ siccæ sunt vsurpandæ non humidæ; neque fructus dulces ponendi, quia flatus gignunt talia. Additur vinum ad attenuandum & calfaciendum. Tertio quoque die capiat ʒ. j. pilularum supradictarum in exitu lecti, deinde redeat ad syrup. vel dentur clysteres flatus discutientes, quorum formulam habes in libro nostro de cõponendis medicamentis. In talibus clysteribus parùm aut nil olei ponẽdum est, nisi summè discutiat, vt ol rutaceum. Ad extrà ponatur emplastrum magnum supra totum ventrem, de baccis lauri, vel emplastrum stomachicũ Gal. vel emplastra resiccantia & astringentia, additis seminib. calidis maioribus, & sulphure. Nam ista emplastra constringentia prohibent illam magnam dilatationem ventriculi, & sic fortiùs flatus, vel suprà vel infrà trudũtur. Fiunt ex emplastro pro matrice, de mastic. & cõtra rupturam. Addimus semina cumini, seseli, apij, carui, galangam, cyperũ, & similia odorata, vtcunque astringentia, nisi dolor id prohibeat. Tunc enim ratione doloris, aliis discutientibus, & aliis vtcunque relaxantibus est vtendũ. Sed si sine dolore fit, constrictio adaugeri debet. Nam partes, quæ semel distentæ sunt, aut propter distentionem laxæ, non redeunt ad pristinã formam,

Clyster discutiẽs.

Emplastra.

mam, nisi vel fascia, vel alio modo retineantur compressæ. Ob id in huiusmodi affectibus solemus imperare post aliquam euacuationem, & discussionem, vt regionem ventriculi sensim & leuiter comprimant, & quotidie magis ac magis constringant. Id commodissimè fiet fascia supra emplastrum apposita. Opiatæ præscriptæ ad intemperiem frigidam, & pulueres vtiles sunt, & ad intemperiem humidam præscripti, vt & opiatæ. Abstineant à multo potu, à multis iusculis, leguminibus, & oleribus nimis dulcibus, quia talia flatus gignunt. *Victus ratio.*

De ventriculi dolore. CAP. V.

DOlor ventriculi à flatibus nimis distendentibus, vel à bile acri, vel à pituita multa fit, raro sine materia. Quare ad dolorem auferendum, recurrere oportet ad ea, quæ dicta sunt de intemperie ventriculi & inflatione eiusdem. Et ad præsentis doloris mitigationem, quæ est cum plenitudine, vel recrementorum, vel alimẽtorum, imperanda est vomitio, vt supra dictum est pro natura humoris. Deinde clysteribus retrahendum ad partem inferiorem. Supra partem anodyna erunt apponenda, vt post veram caliditatem à compressione & plenitudine alimẽtorum, qualia sunt ol. cham. anethinum, nard. Vel fiat fotus, si à materia flatulenta fiat. Quòd si à bile, post vomitionem optimum esset dare medicamen. bilem detergens, & ad inferiorem partem deducens, vt syr. rof. lax. cum deco. hord. vel aqua end. Nimis astringentia vitãda sunt, vt rhab. nisi in infusione aut decoct. ponatur. Quòd si dolor vehementissimus esset, vel suspicio de aliqua materia venenosa, aut medic. venenoso assumpto, theriacam recẽtem dare summopere proderit. Dolores ventriculi vehementissimi non fiunt, nisi à materia: modici & intemperati ab intẽperaturis maximis fieri possunt. Quare diligenter animaduertere oportet, à qua materia excitetur, quod cognosci poterit, per ructus, vomitus, & alia signa superioribus capitibus prædicta. Qui dolent à cibo, magis à pituita, & multitudine laborant. Qui ante cibum, vel à bile, vel ab intemperie fit. Quòd si cibo ingesto meliùs habeant, argumento erit, vel flatus in inferiorem partem detrusos fuisse, si pauci fuerint (nam multi suspendunt cibum) vel cibum

Vomitio. *Clyster.* *Anodyna.* *Curatio doloris à bile.* *Signa doloris.*

prohibere, ne bilis os vētriculi mordeat. Amaritudo oris & morsus ventriculi bilem etiam indicabunt. Intentio & remissio appetentiæ, bilem distinguunt ab acida pituita. Hæc sua aciditate partem superiorem vētriculi mordet, & vellicat, atque appetentiam auget, bilis verò eam minuit, & nauseam & morsum facit. His distinctis remedia sunt petenda ab affectibus suprà enumeratis. Quòd si dolor fiat à nimio sensu, vt qui facilè in animi defectionem incidunt, non erit præter rationem imperare vsum theriacę recentis, factis priùs quibusdam euacuationibus per clysteres & pilulas prædictas.

Distinctio pituitæ acidæ à bile.

De Nausea. CAP. VI.

NAusea appetitus est vomitus sine effectu, quod fieri solet, vel ob obiectum nobis parùm gratum, vel ob alimenta putrida, & malè olentia, quæ assumere ventriculus refugit, vel ob recrementa pauca tunicis ventriculi adhærentia, vel intra tunicas collecta. Quare si nausea à viscidis humoribus adhærentibus fiat, oxymel dandum, vel syru. acetosus Si à bile, detergentia sola sufficiunt vt decoctum hordei cum sacch. vel cum syr. endi. simpl. vel addēdo parum succi rosa. diluti aqua tepida, vel magnam copiam decoctionis pulli cum multo sacchar. assumere, & postea digito in os immisso vomitum prouocare. Bilis facilè euacuatur, & detergetur. Pituita magis contumax est. Quare decoctum rapha. cum syru. acet. dandum, vel cum decoctione radicum, & ol. vel butyr. rancidis, vt vomant faciliùs, sed magna quantitas est propinanda, vel vinum, vel brodium multum est assumendum, vt eorum copia ventriculus stimuletur ad vomitionem. Deinde pilulæ dandæ de hiera, de arob. cum aga. formandæ cùm oxymel. Dandæ verò manè sunt, vt detur decoctum asari pro vomitu ante vsum pilularum, deinde ventriculum corroborare oportet. Nam vomitum prouocant, ventriculum perturbant.

De Vomitu. CAP. VII.

VOmitio fit, quando ventriculus cibum non potest continere, aut cùm irritatur à recrementis. Non enim continet, vel quia alimenta sunt plura, quàm continere possit, vt ebriis accidit, aut quia alimēta nimis sunt pinguia, & leuia, aut ordine suo non assumuntur, vt si

quis

quis assumat magnā quantitatem incisorum, qualia sunt pastillorū caro, aut quæ vulgò (*pastez en pot*) dicūtur, vel si liquida multa ingerantur, post astringentia multa & dura, vel quia ventriculus plenus flatibus, alimētum suspēsum in superiori parte cōtinent. Aut quia multa dulcia supra alia sunt assumpta, vt pepones, ficus, cerasa, & omnia alia dulcia, vel quę parantur cum multò oleo, lacte, vel butyro. Vel si cum suspicione alimenta aliqua assumpta fuerint. Recrementorum autem vomitio fit, propter humorum conturbationem, vt & alimentorum, vt post nauigationem, vectionē in curru a cibo, vel conturbationē medicamentorum laxantium, vel ob influxum humorum copiosum & repentinum ad ventriculum, vt in die accessionis, & in diebus decretoriis. Vomitus alij sunt supprimendi, alij iuuandi. Vomitus omnes optimorum alimentorū, qui fiunt post alias vomitiones ob debilitatem retentionis, vel irritationem expultricis, compescendi sunt, vt si sanguis per vomitum reddatur. Aliæ omnes sunt iuuandæ, donec corpus sufficienter à recrementis fuerit mundatum. Regio enim illa est aptissima ad reiicienda excremēta, quæ sunt collecta in superiore vētriculi regione. Ob id nauigatio illa & vectio, quæ vomitū excitant, sæpe curant dolores ventriculi diuturnos, & contumaces. Neque etiam retinendi sunt vomitus in illis morbis, qui fiunt à plenitudine ventris, vt in colico, nephritico, aut arthritico dolor bus: Aut cùm diuertit ab inflāmationibus inferioribus internis, vel etiā à superioribus, vt in doloribus capitis, aurium, &c. modò non affecta sint collum aut partes thoracis In talibus enim cōpescendus est Retinenda autē retinentur ligaturis factis in partib. inferioribus, vel cucurbita magna in fundo ventriculi apposita. Pars superior ventriculi constringēda est, inferior & intestinorum relaxāda. Constringetur autē medicamentis suprà enumeratis cap. de ventriculi imbecillitate, citra vllam qualitatem manifestè peccantem Et quia emplastra tardiùs operantur, vnguenta parāda sunt, vel linimēta, vel inunctiones, supra quę puluerē inungimus, vt cap. præscripto monstratum est. Sed hic aceti maior quantitas addēda est. Inunctio debet esse in principio calidis, in fine frigidis. Nā calida omnia,

Qui vomitus iuuandi & qui compescendi.

In quibus non est inhibendus vomitus.

& frigida constringunt, tepida relaxant. Et debent inungi sine frictione multa, sed fouendo leuiter tantùm. Nã omnis agitatio, aut motio circa os ventriculi vomitum prouocat, vel fiat ex succis herbarum hoc modo.

℞. succi cydon. ℥ ij. succi pyr. sorbarum vel vuæ acerbæ, ℥. j. aceti albi rof. ℥. ij. agitentur simul, & cum pauca farina excipiantur & applicentur supra os ventriculi & à parte posteriore, & ab anteriore. Vel istis succis addũtur olea astringentia, & simul decoquantur ad mediam consumptionem succorum, & cera addita, fit linimentum. Post vnguenti confectionem potest addi succus aliquis astringẽs, vt cydoniorum, &c. quantum ebibere poterit, agitando in mortario, vel mouẽdo cum spatula palmea, aut ligno alio astringente. Illud enim diutius parti adherebit, nec tam citò siccabitur, ob oleum & cerã, quàm quod priùs dixi, ex farina & succis parandum. Nam succi ex decoctione multũ de sua astrictione deperdunt. Istis duobus vltimis sæpissimè vomitionem maximam compescuimus. Aluimus puerum per quindecim dies iusculis liquidis, adhibita cucurbitula supra ventriculum, donec cibus esset concoctus, quæ liquida alioqui non conueniunt. Sed ob tenuitatẽ & morbum, alia medicamenta assumere non poterit. Sunt ergo danda alimẽta in vomitione, quæ spissa sint, & vtcunque viscida, vt ventriculo adhæreant, minimè pinguia, ori grata & actu frigida. Id etiam obseruandum in medicamentis. Nam tepida semper vomitum prouocant. Quare in cholera, morbo, aut vomitu biliosо, & aliis, nisi in quibus os ventriculi est nimis refrigeratum, præsentissimum remedium est aquam frigidam post cibum assumptum ebibere, vel cochlear vnum succi cydoniorum, aut syr. cydon. aut frustum cydon. aut pyri acerbi deuorare, aut puluerem cõstringentem. Sed quando masticandum est, minus conuenit, quia morbus ille inter masticãdum agitat. Ob id debẽt à pastu quiescere, non loqui, neque tussire, si fieri potest, donec cibus in partem inferiorem descenderit. Pulueres, qui à cibo assumuntur, debent esse gratissimi, neque multum saccha. recipere (atq. illud esse debet saccha. rof. tab.) aut quæ saporem vel odorem medicamentosum habent ingratum. Ob id pulueres parati ex corallo, gra-

Quibus compescuit vomitum.

Præsentissimum remediũ.

lo,granis vuarum,cortic.citri,& aliis minùs odoratis, vt sorbis vel pyris exsiccatis, & in puluerem redactis magis laudantur. Quòd si ex conditis paretur, vt carne cydoniorum, myrob.nucibus conditis, diligentissimè ablui debent in aqua cisternæ,& contundi diligentissimè, & pulueri corallorum permisceri. Si vomitio fiat ob flatus cibum suspendentes, dantur medicamenta præscripta ad inflationem ventriculi ante cibum: & inunctiones ad flatus discutiendos, supra totam regionem ventriculi fiant, parte superiori intacta. Clysteres in omni vomitione vtilissimi sunt, si modò paucam quantitatem iniiciamus,neque fortiter laxantia aut olentia apponantur. Nam si multa quantitas iniiciatur, pars colli, quæ ventriculo incumbit, repletur,& fundus vẽtriculi comprimitur, & illa facultate, qua irritat expultricem intestinorum, vomitum prouocat, vt experientia in multis ostendit. Fiunt ergo clysteres ex emollientibus herbis, & seminibus discutientibus flatus, floribus bene decoctis, in quibus dissoluatur mel rof. aut viol.aut cass. aut succus mercurial.aut ciclæ,ol.chamo.vt sic. *Curatio Vomitus à flatibus.* *Clysteres.*

℞.mal.cum rad. & bism.an.M.j.Mercur.ciclæ, an. M. j. anis. vel fœni.ʒ.j.vel ʒ.j.ß.flo.chã.vel anth.vel melil. p.j.fiat decoct.in qua dissolue mel.conf.vel viol.ʒ.ij.succi mer. ciclæ,an.ʒ.j.ol.cham.ʒ.iij.vel butyr.vel pingue. porci ʒ. iij.sumatur tãtum ℔. ß. decoctionis propter rationem prædictam His,qui vomunt, non sunt clysteres fortes prescribendi,quia pauca sunt recrementa, & hæc sufficienter attrahendo diuertunt.Post vomitionem lõgam, vel in ea vomitione,quæ alimenta retinere nõ potest,iniiciuntur clyst.ex decocto capi,sine sale, sine sacc. oleóq.sed cum pauco vino ad nutritionẽ. Danda est magna quãtitas horum,vt partem superiorem conscendat, sed neque maior, quàm vt possint retinere. Verùm cùm inanita sunt intestina,rapiunt talem clysterẽ,& retinent ad sui nutritionem. In his optimũ est anisum decoquere,vt & flatus discutiat.Nam intestina inanita replentur aere: qui prohibet ingressum clysteris. Tales clysteres iniiciendi sunt toties,quoties cibũ assumere per os solebant. Proderũt enim tribus modis. Primùm nutriendo, vt docuimus lib.de cõpositione medicam.Flatus discur- *Cautio.*

tiendo, quia quando ventriculus nil assumit, motus ille concitationis ventriculi ad vomitum conquiescit, & in sese contrahitur ventriculus. In hac caussa prodest etiã cucurbita, supra vmbilicum cum multo igne apposita.

De Vomitu sanguinis. CAP. VIII.

VOmitus sanguinis fit, quando vel per rupturam, vel per anastomosin venarum sanguis in ventriculum defluit, & à ventriculo vomitione reiicitur. Quare si liquidus reddatur, statim compescendus Si refrigeratus & coagulatus, dissoluendus est, & euacuãdus. Si ipso fluente liquido magna sanguinis redundantia in toto corpore appareat, aut magnus sanguinis influxus in ventriculo, optimum erit sanguinem mittere è poplite, quia omnes venæ ventriculi à venis portæ oriuntur. Quòd si hæmorrhoides prouocari possent, maior fieret diuersio, vel aperiantur venæ sinistri brachij: quia venæ ventriculi magnum habent consensum cum splene, & maximè si sanguis ater & tenuis fuerit, qualis esse solet, qui ad splenem à vena portæ defertur. vel si maluerit, à dextra parte (quia sanguis omnis primùm ab hepate euacuatur) non erit incommodum. Supra ventriculum ponenda sunt astringentia, qualia indicauimus in vomitu, scilicet, ex succis vnguenta, vel fotus ex herbarum succis & aceto. Deinde bibere poscam oportet & post eius reiectionem accipere potionem sequentem.

Vena sectio.

Vena popli.

Topica.

℞. succi burs. pastor. ℥. ij. aceti guttas iij. vel iiij. bibat statim. Idẽ fieri potest ex succo plantag. vel caudæ equinæ, vel linguę passerinæ. Deinde dentur potiones ex quibusdã astringentibus & emplasticis, vt orificia venarum obturentur, quale est albũ oui fortiter agitatum, assumptum crudum, vel bolus ar. vel terra sigillata, vel de carabe. Si autẽ sanguis fuerit coagulatus, syr. acetos. simp. vel posca meracior danda. Postea quæ dissoluunt sanguinem coagulatum, vt carabe, pix, mumia, coagulum hœdi. Sed quia illa valde ingrata sunt, ob fœtorem reiiciuntur, Magis probo aquã nucum distillatam, in pauca quãtitate cum syr. acetoso, vel aquam rubiæ maioris. Ista leuissima sufficiunt: quia natura satis excitatur ad expulsionem per vomitum, & fortiora nimis ventriculum agitando, venarum ora recludunt, & erit satis rhabarbarum

Potiones astringen.

rum cum syr.ros. laxa. dare, vt per inferiorem partē sanguis reiiciatur, sine contentione magna. Post hæc repetenda sunt superiùs enumerata, quę constringendo orificia venarum, sanguinem sistunt. Ligaturæ & cucurbitæ adhibitæ in inguinibus, sunt vtilissimæ. Cibus conueniētissimus his, qui sanguinem vomunt, est amylum coctum in iure pedum veruecis; & frigida actu, omnia danda sunt. Fiunt condita, quibus vtūtur cum aqua bullita: vel syrup. frigidi & astringentes, vt syru. myrthinus, cydoniorum, de ros. siccis, malorum granat. de berberis, de acetosa & similes. Conseruæ symphiti, ros. caro cydoniorum conditorum ad hunc affectum maximè conferunt. Fiunt autem condita ex his conseruis, bolo. terra sigillata, sanguine drac. gum. trag. & aliis, quæ nulla aut pauca sunt prędita facultate odorata, vt *Victus ratio.* *Syrupi.* *Conserua.*

℞. conser. symphiti, & carnium cydoniorum conditorum ana ℥ j bol. ar. coralli rub. an. ʒ. j. sacch. ros. tab. ad pondus omnium, fiat conditum. Opiatæ ex iisdem fiunt, addito aliquo syr. astringente, & auctis pulueribus.

De Vomitu sanguinis ex prima dictatione.

CAP. X.

SAnguis è ventriculo per vomitum reiicitur. Si is fiat splendidus, naturalis & recens videatur, statim compescendus est sanguis missione, diuersione facta per ligaturas, cucurbitas, vnguenta, vel embrocationes factas supra ventriculum. Vnguenta quidem fient, vt sequitur. *Externa.*

℞. thur. mastich. nucis cupressi, sumach. berber. cort. mali gran. an. ʒ ij. sang. drac. ʒ. ß. boli arm. terrę sigil. myrtill. an. ʒ ij ol. cydoniorum ℥. ij. succi plantag. & linguæ pass. (quæ & corignola, & polygonum vocatur) an. ℥. iij. ceræ parum, fiat vnguentum Si incorporentur cum succis, non peccabitur, vt sic.

℞. ol. ros. ol. myrthi an. ℥. ij succi plantag. ℥ j. acaciæ, hypoci. ladani an. ʒ. j. corall. amborum, seminis port. berber. acinorum vuarum (qui propriè dicuntur nuclei) an. ʒ. j. ceræ parum, fiat vnguentum, vel fiat pul. & post vnctionem oleorum supradictorum fiat sinapizatio. vel fiat sic.

℞. sandal. corall. an. ʒ. ß. florum labruscæ, ros. rub. an. ʒ. j. ß. sorborum, mespilorum exsiccatorum, aut carnium

cydon.℥.ß.thu. mastic. sang.drac. gallarum, pisidiatum, sumach berber.myrtill.terrę sigi.vel boli armenian.ʒ.j. fiat pul. subtiliss. qui sinapizetur post inunctionem. Ad intra optimum erit à principio dare poscam, id est, aquā cum aceto, vt sanguis iam fluxus, vel etiam coagulatus, reiiciatur. Postea illis dare oportet potum restrictiuum, vt suprà factum est. Sed eligere oportet, quæ magis sunt propria ventriculo, vt si fiat syr. addatur mina cydoniorum, syr. ros. de ros. siccis, myrtinus, vel de berberis potius, quàm syr. de papa. vel iuiub. Ex aquis eadem etiam electio fieri debet, vt hoc modo.

Interna.

Syrupi.

Potiones.

℞. tro. de terra sigillata, de carabe, vel spodio ℈.j. pul. diamarg. frig. ℈.ß vel pul. coral. ℈.j. aquæ plantag. vel prunel. vel acetos. ℥.ij. myuæ cydon. ℥.j. fiat potio. Potiones hæ sunt imbecilliores, quàm in sputo sanguinis, quia citiùs medicamentum venit ad partem affectam, & minùs debilitatur. Fiat opiata, vel conditum hoc modo.

Cõditum.

℞. carniū cydon. conditorū cum sacch. cõser. symph. an. ℥.j. cõser. acetos. ℥.ß. pul. diacydonites sine speciebus, pul. coral. an. ℈.j. tro. de spodio cum semi. acetos. vel de terra sigil. vel formularum de bolo, vel tro. de carabe an. ℈.ß. syr. myrtini, vel syr. cõser. symph. vel succi cyton q. s. fiat opiata. Si perseueret affectio, potest addi gluten piscium & similia. Sin autem sanguis, qui reiicitur, est niger & coagulatus, optimum erit dare primùm potionem ex iis quæ sanguinem coagulatum dissoluunt, vt coagulum leporis fluxū sanguinis sistit, & coagulatum dissoluit, vel aqua rubiæ cum aliis, & in principio cū mumia, & pice, & asphalto. In vnguentis, epithe. aliisq; topicis animaduertere oportet, vt cum astrictione quadam caliditatem habeant. Nam quamuis fluxus compescatur frigidis & astringentibus, indicatione tantùm sumpta à partis functione, & tempore hoc fit. Optima sunt, cyperus, spica, cass. crass. cinamomū (quod vim habet astringendi) inter alia astringentia. Nam præter id quod partis temperiem seruant, faciunt etiam ad penetrationem astringentium & frigidorum, quæ sua natura sunt crassarum partium.

Si sanguis sit niger quid.

Cautio.

De siti immensa. CAP. X.

SItis cùm sit appetitus frigidi & humidi, siccitatem & caliditatem eius causas esse oportet, quæ si immodera-

derata fuerit, oportet etiam caliditatem & ſiccitatem magnam eſſe. Fit autem ob ſiccitatem & caliditatem totius ventriculi, vel œſophagi & oris, vt pulmonum,& trachiæ arteriæ. Ab intemperie tantùm ſine materia fit, vel etiam cum materia, à cauſsis internis,& externis, vt verſari in calido ſiccóque aëre aut iuxta ignem, excitat ſitim,quia aër calidus & ſiccus partes exiccat, vel aëris conſtitutio ſicca,æſtatis, vſus piſcium marinorum & frictorum in oleo, vel butyro. Carnes ſalſæ & exiccatæ in fumo. Si ab iis poſtremis accidat ſitis fiet magis poſt paſtum. Sin ante cibum aliquis ſitiat, oportet alterum duorum eſſe, aut humorem bilioſum vel ſalſum in ventriculo collectum, aut ſiccitatem ob inſignem aliquam euacuationem vrinæ, aut ſudoris, aut aliam à medicamento factam. Si propter ſiccitatem pulmonum, aut trachiæ arteriæ proueniat, vel à febre calida & ardente, aut ab aëre inſpirato nimiùm exiccante fit.

Sitis ante paſtūquid ſignificat: quid poſt paſtum.

Curatio ſitis ſine materia.

Curatur ſitis ſi ſine materia ſit, potu humido, vt aqua ſola, vel pauco vino permixta, aut aceto etiam multum diluta, aut ſyr. viol. ſyr. de cucur. & aliis humectantibus & refrigerantibus. Idem faciendum, ſi ab eſu rerum ſalſarum fiat. Sin ob exiccationem trachiæ arteriæ, & pulmonum, magis inſpiratione aëris frigidi, quàm potu recreantur, ob id oportet feneſtras aperire, per quas aura lenis ingrediatur aëris cubiculi refrigerationem & agitationem. Inſpergere oportet folia vitis ſalicis, lact. & aliorum frigidorũ & humidorum maceratorum prius in aqua & aceto. Si à ſalſis humoribus vel bilioſis, euacuatione illius humoris, & alteratione, quæ fiet, frigidis & humectantibus curabitur. Si poſt largam aliquam euacuationem fiat cremore hordei, vino bene diluto inſperſo, aut iuſculo pulli ſine ſale ſedabitur, in quo decocta ſint ſemina frigida maiora & herbæ humidæ. Si ob linguæ & palati ſiccitatem, abluant ſæpe os aqua frigida, additis duabus guttis aceti, vel vini albi. Ad mitigationem ſitis in febribus cùm timemus nimium potum, vel ob hydropis periculum, vel ob fluxum ventris imperamus vt teneant in ore vel pruna, vel ceraſa ſicca macerata in aqua frigidã, vel frequenter mutent, aut fruſtum

Curatio ab exſiccatione arter.

Cur. ſitis à ſalſis humor.

Cura. ſitis ab euacuatione.

Mitigatio ſitis in febribus.

pomi aut ex mucilag. cydon. & psillij, vel gummi trag. extractis cum aqua viol. vel buglos. potiùs, quàm cum aqua ros. remedia paramus. Nam aqua ros. exiccat, sed propter odorem gratum nonnihil eius apponitur, nisi dolor capitis adsit. Radix gly. recenter è terra euulsa masticata sitim sedat. Si ab intemperie ventriculi aliqua accidat, curabitur vt supra mõstrauimus, capite proprio.

De appetentia canina. CAP. XI.

APpetitus intenditur, quemadmodum & sitis à caussis præter naturam. Is est duplex, scilicet, appetentia & voulimos. Conueniunt in hoc, quòd multùm comedere cogantur. Sed appetentia canina facit, vt cibos, qui multi sunt assumpti, vomitione reddamus, & rursus assumamus cibum, & iterum euomamus, quod canibus solet accidere. Voulimos autem est appetẽtia, quam nisi sedent alimentis sumptis, in animi defectionem, & cardialgiam incidunt. Fit autem appetentia canina, vel propter intemperiem solam frigidam, aut ob pituitam acidam, vel melancholiam, vel ob totius corporis dissolutionem magnam. Excitatur etiam aliquando à caussis procatarcticis, vt à nimia aëris refrigeratione, quod accidit iis, qui per montes frigidos & niuosos iter faciunt. Fit & potu aquæ frigidissimæ, refrigerato ore ventriculi. Ob id scripsit Hipp. aquam & aërem facere voracitatem, sed magis aquam, quam & voracem appellat. Fit & cùm æger nutritur alimentis exigui nutrimenti, vt si vescatur oleribus, fructibus acidis, asparagis, radicibus, leguminibus, aut aliis alimentis imbecillioribus. Fit etiam ob longum vsum alimentorum detergentium, vt ficuum, vel gari, quod in meipso expertus sum, qui cùm me vellem cogere ad vsum piscium, vterérque frequentissimè garo parato ex lycoctionis (vulgus *Anchoyes* vocat) & oxyleo, ficus etiam Massilienses ferè omnibus horis comederẽ, ita fuit pituita illa ventriculi & intestinorum detersa, vt mihi superuenerit appetentia canina, deinde voulimos quæ me adhuc hodie infestat. Deprehenduntur huius affectus caussæ, ex relatu ægrotantis, & his, quæ præcesserunt. Quòd si nullam ex numeratis caussis procatarcticam caussam præcessisse inueniamus, internam esse suspicamur, nempe humores acidos in ventri-

ventriculo collectos, qui non alio modo, quàm acetum, vel omphacium appetentiam faciunt, os vẽtriculi pungendo, & exprimendo. Id multò certiùs ex ſapore eorum, quæ euomuntur cognoſcemus, ídque ex ægri relatu, vel etiamſi ante vomitum ex ructibus acidis tale præſentiat, & ſapore eius acido. Curatur euacuando, & per vomitum & per ventrem. Vomitu quidem, ſi poſt primam illam vomitionem alimentorum dederimus vomitorium, vt iuſculum pingue, vel decoctum raphani, vel aſari, vel oxymel. aut ſyr. acetoſ. ſimpl. Deinde pilulas ventriculo accommodatas, quales ſunt de hiera, de aromatibus cum ag. Et pilulæ dandæ ſunt potiùs, quàm alia medicamenta, quas oportet eſſe molles, vt facillimè diſſoluantur, & diu poſt vomitum factum ventriculo inani dandæ ſunt. Quòd ſi præceſſerit clyſter, vel ſi ſequatur, pilularum actionem accelerabit. Si pilulas deuorare non poſſunt, danda erunt medicamenta in pauca quantitate, quæ ventriculum poterunt detergere. Sed ferè omnia talia vomitum ciunt, vt ag. ſcammonium, colocynthis. Quare ſi dandum eſt ag. infundatur in oxymel. aut ſyru. acetoſo, & addatur cinamomum loco zinziberis. Quòd ſi addantur & grana aliquot diagridij, citiùs eiicientur per inferiora humores. Si alia medicamenta præter ſyr. aſſumere nolit, aut non poſſit, dandus erit ſyr. roſ. lax. cum ℥. ß. oxymel. & ℥. j. cinamomi, & ʒ ß. zinzib. atq; itaque fiet medicamẽtum phlegmagogum. Sufficiet autem leuis euacuatio, & reiterata, quia multos humores continent, ob frequentem vomitum. Deinde ſunt opiatæ, vel electuaria, quæ vim calfaciendi habent, & corroborandi ventriculum, qualis eſt cinamomum, aro. roſ. diagal. roſ. nouellæ. & aliæ ſimiles. Extrinſecus corroborandus ventriculus calfaciẽtibus primùm, & leuiter aſtringẽtibus. Deinde aſtringentia ſunt augenda, potiſſimùm ad os ventriculi parata. In principio ſufficiet inungere vẽtriculũ cum cerato ſtomach. Gal. vel cum ol. nardino, de abſynth. ol. maſtic. Deinde addenda erunt, quæ magis aſtringunt, vt ol. cydon. lentiſci myrti, vel vt priùs docuimus, pul. aſtringẽtes inſpergenda, aut cum aſtringentibus ſuccis, & vino maluatico partẽ fouere, vt fecimus cap. de imbecillita-

te ventriculi. Si autem intemperie sola frigida, & sine materia fiat hic affectus, sufficiet alterare partem calfaciendo, & constringendo medicamentis & fascia. Nam & propter magnam ventriculi distentionem ingerunt multa alimenta, nec tam citò satiantur. Coguntur verò à cibi multitudine vomere. Si propter resolutionem magnam totius corporis fiat, aut quia vsus est alimentis detergentibus, & euacuantibus immodicè, optimis alimẽtis illos alere oportet, vitellis ouorũ, succo carnis, optimo & generoso vino, pane intincto in maluatico vino, vel hippocratic. vel muscatelino. Hæc alimenta differũt ab iis, quæ ad voulimum præparantur: quòd in voulimo dantur multùm alentia, & multùm satiantia, atque ob id eligimus pinguia, quæ sunt fugienda in appetentia canina, quòd vomitum prouitent, vt & oleaginosa omnia, & magis liquida, quæ suapte natura facillimè vomuntur. Istis tantùm alimentis vtimur, cùm volumus ab initio augere vomitum. Si propter alimenta, aut medicamenta plus iusto detergentia acciderit hæc affectio, viscosa sunt danda, vt cremor alicæ, ptisanæ, decoctum pedum veruecis, aut aliorum animalium.

De Voulimo. Cap. XII.

VOulimia eodem modo curatur, quo appetentia canina. In hoc tantùm differt, quòd alimenta oportet esse duriora, & tardiora ad concoctionem, vt alimentum inde factum diutius duret. Inter alia alimenta probatur caro suilla, & lucanicæ Bononienses, quæ cum integro pipere parantur. Multùm enim alunt, & ventriculum calfaciunt. Alia alimenta, quæ cum pipere parantur, & aliis aromatibus conueniunt. Quòd si voulimia fieret ab humore acido, euacuationẽ tentare oporteret, sed cum maiore cautela, quàm in appetentia canina. Nam ij facillimè in animi defectionem incidunt, post aliquam euacuationem. Sunt autem statim reficiendi vino, & rebus odoratis. Inunctiones & omnia alia præscripta cap. de appetentia canina, hic conueniunt.

De cibi fastidio. Cap. XIII.

CIbi fastidium cõtraria est affectio appetentię caninæ & voulimo. Nam in hac nullos cibos appetunt, aut si appetant, vitiatos appetunt, & tunc dicitur pica.

Fit

Est autem à caussis contrariis his, à quibus fames excitatur, scilicet, propter plenitudinem ventriculi, vel quòd inanitionem nullam sentiat os ventriculi. Non sentit, si plenus sit recremẽtis dulcibus: illa enim satietatem faciunt, vt acida appetitum. Pituita etiam insipida vel sanguis in ventriculo collectus faciunt satietatem. Biliosa recrementa, non quòd ventriculum replent, sed supramodum calfaciunt, appetentiam deiiciunt. Calor enim solida corpora laxando dissoluit, atq. ad attractionis functionem reddit imbecilliora. Nam vt frigus appetitum auget, sic caliditas eundem destruit, quemadmodum & medicamẽta calida dulcia, pinguia, & vina generosa, vt Hipp. scripsit, Torexis famem sedat. Vinum autem quia calefacit, & subitò nutrit, famem auferre dicitur. Quare qui cœnam aut prandium à potu vini inchoant, hi parum aut nihil comedunt. Pinguia, quia ventriculum relaxant, & quodammodo resupinant, appetitũ deiiciunt. Deiicitur & post morbos acutos, in quorum principio multùm alimẽti assumpsere, id quod Hipp. scripsit Aph. 31. lib. 2. Omnes ferè, qui malè se habent, circa initia cupidè comedentes, nec quicquam proficiunt, ad postremum nil appetunt. Qui verò circa initia cibum fastidiunt, postea bene appetentes, hi in meliùs euadunt. Post chronicos etiam morbos fit, quòd ex his facultatum naturalium vis sit deiecta. In morbis præterea, in quibus non est facta insignis euacuatio per ventrem: Item in omnibus internis inflammationibus ob calorem ventriculi, in fluxibus præterea ventris, vel propter imbecillitatem, vel quia recrementa defluunt in ventriculum, vt quando pituita à cerebro in ventriculum descendit, & excrementa sunt spumosa. Deiicitur & appetentia ob relictum exercitium, aut quia nulla aut pauca fit resolutio, vt in multis obesis, in his qui consueuerunt frequenter coire, & non ampliùs coëunt. Aliqui cibos non appetunt, quia priusquam esuriant, iuscula aut alia alimenta assumunt, quod sæpe ægrotantibus contingit ob mulierbularum importunam diligentiam. Curatur hæc affectio contrariam caussam inducendo, vt si propter satietatem comedere nequeunt, ieiunent. Qui ob recrementa in ventriculo collecta, sunt euacuandi vomitu,

aut deiectione. Detur syr. acetos. simpl. qui incidendo & detergendo pituitam, vomitum prouocat. Pilulæ etiam in exitu lecti assumptæ, appetitum possunt excitare, si ventrem moueant. Pilulæ ante cibum, vel sabellinæ, vel de hiera, de arob. cum pauco ag. si pituitosus fuerit humor, conueniunt, aut rhab. si bilis. Sed quia bilis ob calorem deiicit appetentiam, conuenientius erit dare decoctum tamarind. prunorum acidorum, & sebestem cum syr. ros. vel. rhab. In crastinum medicamenti, duabus horis ante pastum bibent aquam frigidissimam, nisi ventriculi imbecillitas, aut quid aliud prohibeat. Vtantur pro condimento cibis acidis. vt multo aceto, omphacio, succo aranciorum. Gustent & aliqua salsa, vt oliuam, aut lactucas, ex aceto sine oleo, vel pauco, aut scariolam, aut cichoreum. Quòd si pituita fuerit in caussa, post euacuationẽ, optimum est illis dare acida, sed cum detergentibus, vt salsa. Nam quæ præter dulcedinem detergunt, satiant & inflant, vnde non prosunt affectui, nisi multum aceti addatur, vt parùm dulcia videantur. Vtatur garo, oliuis, cappar. fœnicul. mari conditis, salitis. Optimum est illis dare pisces salsos, non pingues ex aceto, vel frequenter iniicere clysteres, quò recrementa intestinorum abluantur. Vt breuiter dicam, in quibuscunque deiicitur appetitus ob caussam aliquam ventriculum calfacientem, vt medicamenta & alia, refrigeratione curantur: quibus verò ob plenitudinem ventriculi, totius corporis euacuatione: quibus ob derelictum exercitium, aut venerem, exerceant se, & coëant modicè. Si frictiones solitæ non fiant, iterum procurentur. In omni inappetentia dentur alimenta actu frigida, & parua quantitas detur, propinentúrque, inscio ægrotante, quantùm fieri potest. Vtantur pane asso, vel exsiccato diu in aere, vel vtantur placẽtis bene siccis, & bene salitis, & bene fermentatis, & non nimis subactis. Rustici nostri solent parare huiusmodi panes, superpositis lycoctonis, vt in Prouincia faciunt, quos non improbo, modò non recipiant nimis olei. Quæ parantur ex amygdal. lacte, butyro, & pineis, nimis satiant. Aëris frigidi inspiratio multùm confert ad excitandum appetitum, vt ablutio corporis, & frequens indusiorum mutatio.

Nidores ciborum & odores replent. Quare in voulimo, & appetentia canina magis conuenient.

De Pica. CAP. XIIII.

Pica corrupta est appetentia, quæ vtero gerentibus, & puellis cachexia laborantibus ob mensium retentionem, aut seminis prouenit, à vitiatis & corruptis humoribus collectis in ventriculo, vt hominibus aliquando accidit melancholia laborantibus, aut aliis morbis, qui ab atra bile, aut diuersis humoribus fiunt. Nam ferè id euenit, vt ventriculus appetat similia alimẽta humoribus in se contentis: vt atra bilis in ventriculo effusa sit, non vsta acida appetunt, vt mulieres vtero gerentes. Sin vsta sit & incinerata, carbones, cineres, & alia alimenta sicca appetunt, & assumunt, & illis delectãtur. Qui salsos humores, salsa, qui alios, alia, ita vt ex eorum appetentia humorem coniiciamus collectum. Is humor est paucus, & serosus potiùs, quàm crassus. Ob id detergentia magis conueniunt, quàm fortiter laxan. Vomitus à cibo frequens, iuuat. Medicamenta superiùs enumerata cap. de anorexia, vtilia erunt, cass. tamarindi, cath. trip. persica. Ex syrupis, rosf. laxat. de fumo. compos. & serum lactis cum infusione myrobal. vel ros. recentium, vel folic. senæ, quæ frequenter exhibeantur, vt quatuor aut quinque vicibus. Deinde castigetur ventriculi intemperies, si qua contracta ex recrementis. Id fit topicis remediis descriptis cap. de intemperie ventriculi.

De singultu. CAP. XV.

Singultus est veluti conuulsio ventriculi. Fit autem cùm ventriculus pungitur medicamento acri, vel humoribus acribus, aut quando pituita hæret tunicis ventriculi. Ventriculus enim contrahitur, vt quod illum molestat, eiiciat, vt sternutatione, epilepsia, & aliis affectibus accidit, in quibus facultas expultrix multum irritatur. Est hoc symptoma cum sono, quia in spatio vacuo ventriculi aliquis aër, aut spiritus continetur, qui cùm premitur, & per angustam viam redditur, sonum facit, vt euentre docuit Hipp. in sternutamento, cùm inquit, sternutamentum fit calfacto cerebro, aut humectata capitis parte inani. Aër enim intus contentus extrà prorumpit. Sonat autem, quia per angustum est ei

exitus. Curatur multis modis, pro caussarum varietate. Nam si fiat à pituita viscida in tunicis infarcta, dandum erit, quod pituitam incidat, detergeat, & euacuet per vomitum, vt syr. acetosus simpl. aut oxymel. simpl. aut squilliticum. Decoctum seminis asari, vel genistæ, vel raphani cum hydromelite. Quòd si non satis purgetur vomitu, dandæ sunt pilulæ, de aromatibus, de hiera, vel sabellinæ. Et post pilulas, optimum est dare hydromel, vt meliùs detergatur ventriculus. Quòd si morbus fuerit diuturnus, est concoquendus mell. rof. oxymel. syru. de byzantiis, aliísque attenuantibus, incidentibus & detergẽtibus, in quorum numero poni potest syru. de stechade, si sine febre fuerit. Sunt fugienda, quæ aliquam habent astrictionem, vt syr. de menta, absynthio, & similes, nisi facta iam euacuatione humoris. Tunc enim conueniũt ad corroborationem ventriculi, alioqui materiam iam infarctam magis impingunt. Concocto humore, rursum euacuãdum est, ídque pilulis fortioribus, vt quando à pituita fit, damus pilulas cochias cum pilulis de abro. vel de hiera, quibus addimus g̃. iiij. castorei, quoniam materia pituitosa valde frigida est. Post hanc euacuationem vtilissimum est dare syr. de absynt. cum aqua mentæ, vel confectione aro. rof. vt diagal. vel diacyminum, vel decoctum paratum ex menta, & pulegio in hydromelite cla. & aro. cum ʒ. j. galangæ & ʒ. j. pip. Oportet hunc syr. esse perfectè coctum & sensim transglutire. Ad extra supra ventriculum optimus est fotus ex ol. calfac. & maximè his, quæ vim habent discutiendi flatus, vt ol. rutaceum, anethinum, abrotanum, vel de absynth. aut illis addendum parum cymini, & galangam, & totam ventriculi regionem fouere oportet, & fascia diligenter ventrem comprimere. Minor enim fit singultus, quando minùs dilatatur ventriculus, aut minùs corpus exagitatur. Possunt fieri sinapisationes, post inunctiones, vt monstratum est cap. de imbecillit. ventric. Et quia compressio per fasciam singultum facit minorem, ob id puto aëris retentionem, non tam calfaciendo, vt Gal. putauit, quàm intendendo septum transuersum conferre. Eo enim distento premitur ventriculus. Mulieres imperant singultientibus vt

cogitent quo in loco viderint beatam Mariam lactantem Christum, vt ex illa cogitatione inspiratio retineatur, quæ prodest, vt dictum est. Timor repentè factus ob repentinam spirituum motionem & cessationem à respiratione, idem præstare videtur. Si singultus à biliosis, vel corruptis cibis prouenerit, ex præcedente victus ratione dignoscitur, & ex ructibus, vel ex vomitione, sapore, & colore flauo, & calore. Quare non minùs erit prouocãda vomitio, quàm in pituitosis humoribus, sed hîc detergentia magis danda sunt, quàm incidentia. Humor enim est nimis tenuis, & sua tenuitate ventriculum penetrando, & acrimonia purgãdo, singultum facit. Syr. end. simpl. vel compos. dari potest ad humoris coactionem, & vomitus prouocationem. Sed quando ad vomitionem datur, cum aqua tepida, vel aqua decoctionis hord dari debet, & in magna quantitate, & tepidus. Post cuius assumptionem moueri debet corpus, saltem ventriculi regio confricari. Quòd si non vomant, detur cyathus vnus decoctionis gly. vel passularum cum syrupis prædictis, aut cum multo saccharo, aut hydromel bene dilutum exhibeatur, aut vomitio prouocetur. Infusum Rhab. cum decoctione pass. vel hord. vel gly. dandum est cum syru. rol. lax. aut syr. de absynth. Clysteres quoque dandi sunt, à quacunque caussa fiat singultus, ad humoris deriuationem. In crastinum medicamenti dari potest ℥. j. theriac. recentis, quãdo singultus est fortissimus, quo tempore etiam syru. de pap. cum aqua lact. noctu dandus est, addendo parum croci. Conciliat enim somnum & partem minùs sensibilem facit, obtundendo sensum. Illius rei caussa non veritus est Galenus compositiones dare paratas ex opio, vt Philonium & alia multa medicamenta calida, vt asyncriton etiam dari potest. Sed mihi non placent compositiones artheriacæ neque quæ astringentia & detergẽtia simul, cùm opium recipiunt: quia laxantia opio permixta amittunt facultatem laxandi. Ob id theriaca recens vim medicamenti purgatoriam impedit. Non est igitur illa compositio Asclepiadis à Galeno tradita libro 8. κατὰ τόπους, danda in solo singultu, quam parauerat stomachicis ardorem sentientibus, & ad intercisos singultus, & voluulosas

stomachi affectiones. Et quia Fuschius hanc compositionem immutauit suo opere practico prætermittendo aliqua simplicia, visum nobis fuit operæpretium, descriptionem ex oleo citato huc transferre.

℞. costi, spicæ nardi, crysobal. ros. virid. mastic. an. ℥. ß. aloes, asari an. ℥. ij. opij ʒ. j. excipiãtur succo psillij, reduc ad formam pastillorum, exhibe obolos tres, id est ʒ j. ß. dissolutos in conueniẽti succo. Hæc compositio recipere debet crocum. Nam Gal. in eius declaratione croci meminit. Recipit verò mastic. de quo nihil meminit. Crysobalanum aliqui putant esse nostram nucem moscatam, quam Gale. discutere & corroborare dixit. Habet. n. nux moscata vim astringendi, & roborandi. Hæc compositio optima erit, in illa affectuum complicatione, sed in singultu tamen minùs videtur cõuenire. Ob id satius esset, vt diximus, dare colica, quę nulla astringentia recipiunt, vt asyncriton, philoniũ, pilulas de cynoglossa, styrace, & similes confectiones. Possunt conuenire, quæ astringentia sine laxantibus, vel detergentibus recipiunt, quando singultus est cum vomitu, vel fluxu ventris, qualis esset prædicta compositio, ablata aloe, dando cum aliquo succo, vel aqua astringẽte. Fit etiam ab inanitione singultus post magnas vomitiones & superpurgationes cum vehemẽtissima siti, quam speciem curare oportet lactis potu, optimis iusculis, & aliis corpus reficientibus, de quibus dictum est cùm ageremus de siccitate vẽtriculi. Gal. præter hos modos singultus, nẽpe ab inanitione & repletione, dicit fieri ab acribus humoribus, qui videntur cõprehendi sub repletione. Sed quia vidẽtur id magis præstare qualitate sua, vt medicamenta acria, ob id distinxit. De huius speciei curatione iam suprà dictũ satis est, cùm de humorum acrium abstersione loqueremur, quod fiebat syr. de end. & detergentibus citra incisionem. Quòd si ab alimentis aut medicamentis acribus fuerit factus singultus, citra magnam plenitudinem, præsens remedium est ol. amyg. dul. recens, vel oliuarum, vel butyrum assumere, vel ptisanæ cremorem, vel multùm aquę frigidæ bibere. Extinguit enim medicamenti acrimoniam, & sensum minuit. Ligaturæ ferè omnibus caussis fieri possunt, quia inducendo dolorem singultum sedant.

De

De cholera morbo. CAP. XVI.

CHolera morbus vel symptoma est, ventriculi immodica perturbatio infra supráque erumpens. Qui patiuntur hanc affectionem, biliosi à Plinio vocantur. Hic morbus fit ex corruptione alimentorum, & ratione medicamentorum. Alimenta corrumpuntur, vel quia ad id apta erant: vel quia in maiori quantitate assumpta fuerunt, & non potuerunt concoqui, sed corrupta sunt: vel quia eo ordine nō sunt assumpta, quo debebant. Vt cucurbita putrescit facilè, si aliis cibis misceatur, sic & pepones, & melopepones. Alimenta verò facillimè corrūpuntur in corporibus intemper. quæ in temperat. coquuntur facilè, vt dulcia, aut quæ excitandæ choleræ apta sunt peculiariter, vt pepones, mala armeniaca, chrysomela (*abricots* vocāt) nuces, amyg. acria, vt cepæ, allium. Corrūpuntur etiā bona alimenta, quāuis ordine recto, & quātitate iusta fuerint assumpta, ob intēperiem ventriculi calidā, & ob prauos humores in eo contētos, & maximè bilem. Excitant hunc affectū medicamenta, quæ sua natura cient vomitū, aut ad ventriculū trahunt excrementa, vt veratrum, colocynthis, scammonium. Huic morbo medemur, si syncope, aut aliud symptoma tale non impediat, ablata caussa. Quoniā primùm vnāquanque caussam abscindere oportet, postea ad intemperiem venire. Sed quomodo sit auferenda caussa, & per quā regionem, docet Hipp. hoc aph. Quò natura repit, &c. In hoc affectu fit excretio per vomitum, & per secessum: ante omnia erit prospiciendum, an æger vomat facilè, vel difficilè, si sine conuulsione & syncope. Nam ipsis primùm esset occurrēdum, vt grauioribus, & magis vrgentibus. Si verò facilè soluatur aluus, per deiectionem purgandus est. Si vomitus sit difficilis, facilis reddatur non vomitione cōmuni, aut quocunque indifferenter, vt veratro decocto raph. asa. atriplicis, ol. & aceto. Sed si bilis in ventriculo est, aut alimenta in bilis naturā corrupta sint (quod per nidorosos ructus agnoscitur) abstinendum à calidis, & iis, quæ bilem augent & intēperiem: vtendū verò tantùm aqua tepida, non parua quantitate (sic enim vertitur in bilem) sed copiosa, tum ne bilescat, vt ait Hippoc. tum vt ventriculi partes

omnes abluat, & citius reiiciatur. Quòd si pituita caussa est reiectionis, aut cruditas, aut alimenta pituitosa, aut tēperamentum pituitosum, cum aqua tepida, misce syr. acetosum, aut aliquid ex aliis vomitoriis. Æger sinendus est vomere, donec vitiosus humor totus, aut maiori ex parte reiectus fuerit, nec antea medicamentis astringentibus est vtendum: quoniam materia, quæ agitata est & quasi sursum elata, retineri non potest, nec etiam debet, ne humoris corrupti vacuatio impediatur. Interim si singultus accidit, vel alius motus tremulus, aut similis conuulsioni, dāda est opera, vt cesset. His peractis ventriculus est corroborandus, ne attractis à partibus vicinis excrementis, vt à liene, iecore, ac intestinis, ea, quæ præter naturam est vacuatio, cōtinuetur. Nam ea excretio, quamuis vtilis sit, si modum excesserit, periculo non vacat, cùm prostratis viribus mortem afferre possit. Ventriculus potiùs admotis, quàm sumptis est roborandus: quoniam admota meliùs corroborant, & sistunt, citra ventriculi nauseam, vel subuersionem. Quæ verò sumuntur, siue medicamenta, siue alimenta fuerint, reiiciuntur propter agitationem. Æger quiescat, & interim, quod admotum est, non erit otiosum. Sōnus si fieri potest, conciliandus, vt & qui concoctionem maximè iuuet, & excretionem retineat. Admota perpetuò esse debent astringentia: sed calida in frigida, & frigida in caussa calida. Quæ verò admouentur vel sunt emplastra, vel sacculi, vel fotus oleorum, vel decocta herbarum, vel succi earundem & fructuum, vel pul. In hoc autem morbo tam periculoso, & acuto eligenda sunt, quæ celerius iuuant, nempe, quæ citiùs penetrant, ob partium tenuitatem, & consistentiam sunt minimè emplastica, ac valdè astringunt, vt fotus herbarum & oleorum. Nam sacculi & emplastra non nisi post multas horas id præstant. Olea, quia ferè vbique reperiuntur parata, primùm vsurpabimus, tantisper dum fotus parabitur. Oleum ob lentorem est acopum, & prohibet conuulsionem, vel laxat. In caussa calida conueniunt, oleum rос. cydoniorum, myrtil. quæ refrigerant, roborant & astringunt. Oleum simpl. nisi fuerit omphac. non probo, nec violatum, nisi sit spasmus à siccitate

citate & caliditate. Tunc enim aliis misceri posset, vt cùm volumus iuuare exeretionem in his, qui vomere non possunt, & ardorem sentiunt.

℞. ol. viol. & omphac. ana ℥. ij. ol. cydon. & myrtill. an. ℥. j. aceti & vini parum ad penetrationem, sed acetum citius penetrat, & constringit: proinde magis competit, nisi sit conuulsio. Tunc enim vtimur vino mediocriter crasso. Non est negligenda iudicatio, quæ à parte sumitur. Nam cùm ventriculus habeat functionem toti corpori communem, quæ caliditate perficiunt, perpetuò calida (sed in minori quantitate) miscebimus, tum ad iuuandam cōcoctionem, tum ad penetrationem. Talia sunt oleum nardinum, de menta, de absynth. mastic. lentisc. Nardinum & de menta roborant sine magna astrictione. Hoc igitur artificiosum est, vt si ol. sint multùm astringentia, & frigida, aliquid addamus ex calidis, quæ minùs astringunt, vt calor vētriculi foueatur, & medicamētū penetret, & si tale medicamētū præscribatur.

℞. ol. cydon. & myrtil. an. ℥. iij. addendum erit ol. de menta, vel nard. parum, vt ℥. ß. Si autē reciperet ol. ros. ℥ iij. myrtil ℥. j. tunc quoniam hæc astringunt minùs. miscendum esset lentisc. vel mastic. In caussa frigida quāuis calida vsurpanda sint, tamen quia frigidi est condensare, si magis constringere, quàm actionem partis corroborare volumus, licet aliquid frigidorum addere, vt

℞. ol. mastich. de menta, & absynt. an. ℥. ij. lētisc. aut myrtil aut cytrij ʒ. j. Post oleorum inunctionem puluisculos inspergimus aut astringentes, aut roborantes, aut vtrunque efficientes, aut penetrantes & corroborantes maximè post refrigerantium oleorum vsum.

℞. ol. ros. ℥. iij. olei cydon. & myrtill. ana ℥. j. Tum adde puluerem talem.

℞. spicæ nardi, schœnanth. cyperi, macis ana ℈. j. ros. myrtil. sand. coriand. ana ʒ. ß. corall. rub. ʒ. j. fiat pul. tenuissimus, quo aspergatur post inunctionem. Possunt ex his puluerib. ol. & cera parari vnguenta, & cerata, quorū facultas diutius durat, & retinetur supra partem affectam. Ex his, quæ in officinis parantur, ceratum stomach. Gal. in caussa frigida valet. Emplastrum de mastiche, de pelle arietina, & pro matrice, vsurpari possunt,

his additis, quæ huic morbo magis accommodata videbuntur, vt

℞. maſſ. emplaſtri pro matrice, vel de pelle arietina ℥. ij. coral. rub. coriand. ſantal. ſeminis berber. rhus, gallarum vel cortic. mali granati ana ʒ. ij. ol. cydon. lentiſc. vel myrtil vel roſ. ℥. ij ceræ albæ q. ſ. fiat vnguentum. Et hoc in cauſſa calida: in frigida verò ſic.

℞. maſſ. emplaſtri pro matrice ℥. ij. coral. rub. cortic. mali grana. macis, maſtic. ana ʒ. j. malaxentur cum ol. nardino, vel de abſynth. Poſt vnctiones fiunt etiam fotus ex herbis ſiccis vel recentibus, radic. ſeminib. fructibus, floribus, aqua ciſternæ, vel aceto, vel vino auſtero, facta decoctione, vt

℞. corti. meſpili vel cydo. vel querc. ℥. ij. ſum. myrth. & ſeminis eiuſdem, vel ſum. pyri ſylueſtris, vel liguſtri, vel oleaſtri M. ij. cortic. mali gra. balauſtiorum, ſumac. berber. gallarũ ana ℥. j. flor. roſ. p. j. fiat decoctio in aqua & pauco aceto pro fotu Si nõ adſit myrthus recens, eius loco ſubſtitui poſſũt tenella germina pyri ſylue. meſpili, ſorbi, corni, berberis, & aliorum ſimiliũ, addita menta, vel abſynthio, vt ſupra de oleis dictum eſt, quo aſtringentium, quæ ſibi viam præcludunt, facultas ad partem affectam deducatur. Myrthus alba & nigra, lentiſcus, terebinthus conſtant facultatibus contrariis, nempe calfaciendi & refrigerandi, ſi viridis accipiatur. Vbi igitur illarum arborum copia eſt, poterunt vtiliter vſurpari. In cauſſa frigida apponimus mentam, abſynth. corti. citri, flores anthos, ſtech. roſ. ſemina cal. maior. & aro. aſtringentia, vt cyper. macis, quæ in fine decoctionis iniiciuntur. Emplaſtra fiunt in declinatione, quia melius & diutius retinentur, ne tam frequenti vnctione opus ſit Fiunt etiam epithemata ex ſuccis arborum, herbarum, fructuũ arborum, vt in cauſſa calida è ſucco meſpillorum, pyrorum, punicorum, cornorum, ſorborum, vnedonum. His pãnus madens ventriculo apponitur. In hoc morbo multum iuuat cucurbitula inter vmbilicũ & ſtomachũ affixa. Retinet enim, quod in vẽtriculo eſt neceſſum manere, ſiue cibus, ſiue medicamentum fuerit: humores retrahit, & vẽtriculũ firmat. Sed ſi vomitus, vel morbi choleræ excretio fiat ab hepate, ſupra hepar ponenda eſt:

De cauſſa frigida quid facto opus.

ſin

sin à liene, supra liené, si materia sit retinenda. Nec probo eorum consilium qui iecori aut lieni cùm humores in ventriculum reiiciunt, admouent astringentia remedia. Sic enim partes constringendo, vim illis addunt, vt fortiùs sua propellant excrementa. Vtilius itaq; esset vẽtriculum astringentibus corroborare, ne excremẽta recipiat, & imposita lieni aut hepati cucurbitula inde erumpentes humores retrahat. Admotis omnibus his remediis, vbi ventriculus perturbatus, paulùm conquieuerit, ad sumẽda trãsibimus, quæ admotis citiùs agunt. Quæ sumuntur, vel medicamenta vel alimenta sunt. Alimenta priùs danda sunt, si periculum sit de virium lapsu. Viribus autem integris rectè faciunt, qui modicè detergentia exhibent, vt quicquid reliquum est humoris euacuetur, vt in materia calida dabimus aquã hordei cum pauco sacchcaro: in frigida cum pauco cinamomo. Quòd si multus adhuc humor supersit, in calido fiat decoctio.

℞. myrob. citrinorum ʒ.ij. fiat decoc. in aqua hord. & in col. ℥.iij. diss. sacch. parum. Si magis purgandũ est, dari poterit rhab. & syr. rosar. lax. In caussa frigida conueniunt pilulæ de hiera picra, de aro. & aliæ, quæ ventriculum sine molestia detergent, cum melle ros. formatæ. Hæc magis ad vomitum, quàm ad choleram morbum conferunt. Nam cholera morbus ferè totum humorem, & plusquam sat est, euacuat. Alimenta sunt eligenda, quæ morbum minuunt, vt in caussa calida panis maceratur succo granatorum, hordeatum cum aqua ros. & pauco saccharo, & quæ sine magno negotio nutriunt, & sine fastidio deuorantur, & sic parata, vt non facilè corrumpantur, ac reiiciantur, vt assa. Alimenta probantur medicamentosa, vt cydonium coactum in caussa calida: panis maceratus in succo granatorum cum pauco cina. vel in vino Hippocratico, cortex citri in caussa frigida conueniunt. Non placet, quòd practici tro. de olibano & similes prescribunt. hi enim odore & sapore ingrato ventriculum subuertunt. Quod vt melius intelligatur, eius medicamenti compositio ex Rase, Auicenna, & Hali in hunc locum translata est.

℞. boli ar. thur. an. ʒ.ij. ß. camph. galliæ moscatæ, garyoph. an. ℥. ß. fiant tro. Hoc medicamentum propter

camph. insuauiorem odorem, & saporem vomitum subuersionémque ventriculi excitat. Satius itaq; fuerit dare succum cydoniorum, aut condimenta ex cydoniato, & cinamomo quæ æger intelligat à coquo, non à pharmacopola esse parata. Vel dabimus in caussa frig. tab. j. arg. ros. vel ro. no. Quòd si ob morbi vehementiam, valde astringentibus vtendum sit, deligantur, quæ vel nullum vel iucundum saporem, & odorem habent, vt bolus armena, thus, galla, cortex castaneæ, berberis, coral. coriand. vniones, rosæ, conser. ros. cortex citri cum saccharo conditi. Quòd si quis putet sine his tro. morbum curari non posse, vbi omnia alia tentata non profuerint, dentur sub forma pilul. vt sine gulæ, & palati offensa deuorentur. Condita etiam fiunt, quæ vulgus putat dari ad vires corroborandas, de quibus magis, quàm de morbo sollicitum esse medicũ cupit. In materia calida fiat tale.

℞. myrob. conditarum N. j. cons. ros. veteris ℥. j carnis cydon. ℥. ij. coralli rub. ʒ. vnionum ʒ. ß. fragmentorum lapidum preciosorum an. ℈. j. boli arm. vel terrę sigill. ʒ. sacc. ros. tab. q. s. fiat conditum, vel si æger mauult fiat opiata cum syr. de ros. siccis. Et ita fortius erit medicamentum. sed æger eo non poterit vti cũ aqua tempore sitis. Humor postquam euacuatus est, odoribúsque & admotis recreatæ vires, cibus medicamentosus est offerendus, ísque solidus, non liquidus, vt in caussa calida, malum cydonium, perdix, aut pullus minutim cõcisus cum succo arãciorum. Auiculis abstinendum erit, quoniã earũ caro biliosa est, teste Hipp. In caussa frigida conuenit cydonium, si addatur parum cinamomi vel garyop. Hordeatum optimum est in vtraque caussa: in frigida quidem, si parum cinamomi, garyoph. vel mentæ. vel aquæ mentæ admisceatur: in calida, si cum aqua ros. vel cusp. ros. & pauco saccharo detur. Parandum est sine amygd. quia facilè vertuntur in bilem, nisi sint recentes, vel diu maceratæ in aqua frigida. Gelatina conueniet, si paretur ex santalis, aceto, & pauco cinamomo, in calida: ex aceto, cinamomo, galanga, macere, & aqua mentæ in caussa frigida. Retinetur cibus & humor diuertitur, cucurbita affixa inter vmbilicum & vẽtriculum, vt suprà dictum est Sunt topica remedia, quæ ab antiquis tradita sunt,

sunt, & à me experta, vt emplastrum de Ranis apud Mes. emplast. de mica panis, & alia paratu facilia, vt

℞. micæ panis assi ℔ ß. decoquatur in aceto & vino austero. Adde mentæ viridis M. j. pistentur simul, & incorporentur, cum galliæ mosc. garyoph. macis ana ʒ. ß. sandal. corian. myrtil. sumac. ana ʒ. ij. extendatur supra pannum, & applicetur. Hoc est pro calida vel media affectione. In frigida oportet augere modum calidorum, & decoquere panem in vino, & mentam siccam addere ad hunc modum.

℞. panis assi ℔. j coquatur in aceto & aqua cisternæ, adde mentæ viridis M. ij pistentur, per setaceum transmittantur. Adde mastic. garyoph. macis an. ʒ ij. spicæ nardi, cyperi, nucis cupressi an. ʒ. j. ladani, hypoci. an. ʒ. j. ß. incorporentur simul, fiat in modum cataplas. Vel minuendo quantitatem panis, adde, vt agglutinetur, terebinth. q. s. fiat vnguentum. In caussa calida fiat sic.

℞. mastic. ℥. j. pul. & incorp. cum albumine oui, & admoueatur. Vel

℞. acaciæ ℥. iij. diss. in aceto & applica. Hoc modo fiet præstantissimum.

℞. ladani puri, hypoci. an. ʒ. iij acaciæ ℥. j. diss. in vino styptico, vel ol. lentisc. vel mastich. vel de absynth. vel nard. Possunt fieri ex farina lentium & hordei, sic.

℞. farinæ lent. qr. j. sumac. berber. coriand. olib. ana ʒ. ij. succi plantag. aut cydon aut sorborum, aut rubi. q. s. incorp fiat cataplas. pro caussa calida. Pro frigida.

℞. farinæ hord. & lentium an. ℥. ij. olibani, mastich. ladani, macis, garyophil. an. ʒ. j incorporentur cum succo cydon. vino styptico & pauco aceto. Trifolium & sumptum, & admotum, valde commendatur.

De cardialgia. CAP. XVII.

CArdialgia dicitur oris ventriculi dolor, qua antiqui cor etiam appellarunt partem illam ob similia symptomata, quæ huic parti accidere solent, his, quæ cordi eueniunt, nempe animi defectio. Inde stomachica dicitur syncope, ad differentiam cardiacæ propriè dictæ. Fit autem vel ob materiæ biliosæ morsum, aut ob crudorum humorum copiam, aut ob partis molli- *Caussa.*

tiem & imbecillitatem. Quòd si ab humoribus biliosis fiat, magna ex parte nausea præcedere solet, vel subsequi, vel vomitio, & oris amaritudo aliqua præcessit, corporis aut animi motio, aut ira, aut accessio febris incipit, in qua solent humores agitari, & symptoma hoc facere. Fit etiam propter medicamenta, nimis conturbãtia humores circa superiorem partem ventriculi ob eorum leuitatem, vel malitiam, vel quòd suapte natura vomitum nata sint facere. Accidit & cùm redditur clyster, seu medicamentum cum difficultate, vel quia materia attracta ab aliis partibus, per coli reuolutionem, descendit, & supra ventriculum aliquandiu remanet, & lædit. Incumbit enim ventriculo colon. Hi promptissimè incidunt in hanc affectionem, qui tenues habent humores, & partem oris ventriculi multum sensilem.

Curatio. Huic symptomati occurrendum est statim, vires reficiendo, & impetum naturæ iuuando. Quòd si natura per partem inferiorem difficilè expurget, & ob coli obstructionem materia remoretur supra ventriculum, postquam redierint ad sese, iniiciatur clyster ex pauco ol. vino, & melle. *Clyster.* Sedabit enim dolorem, & leniet intestina, detergebítque. Si nausea præcesserit, & aptus ad vomitum fuerit, detur aqua tepida cum pauco vino, & digito intincto ol. & in os immisso prouocetur vomitio. *Vomitio.* Euacuatione facta siue per superiora, siue per inferiora, os ventriculi roboretur topicis remediis præscriptis cap. de imbecillitate ventriculi. Si in principio accessionis fiat, prouocetur vomitus, & odoratis naribus appositis, reficiatur æger. Quòd si apparet etiam virium imbecillitas, non erit præter rationem, vt Gal. docuit, paulò ante accessionem, cibo & potu ægrum reficere, vel dare cremorem ptisanæ cum pauco vino, aut brodium pulli cum pauco vino. Aliquando à cibi corruptione fit hæc affectio. Id deprehenditur nidorulentis ructibus, aut acidis. Eodem modo curatur atque ea, quæ à biliosis humoribus fit, hoc est, euacuando. Si à crudis humoribus, concoctionem procurando linimentis, & quibusdam leuiter detergentibus, & incidentibus assumptis. Quòd si tanta esset quantitas, quæ facultatem expultricem stimularet, dato cibo detergente, & vtcunque inci-

incidente optimum esset prouocare vomitum, & dare magnam quantitatem cremoris hordei cum oxymel. quæ detergendo & incidendo euacuationem iuuabunt. Extrinsecus apponantur topica illa, quæ in intemperie frigida apponenda ostendemus cap. de imbecillitate ventriculi. Si propter medicamenti leuitatem, aut malitiam accidat cardialgia, optimum erit vomitu reddere totum medicamentum, vel aliquam eius partem, vel acuto clystere deorsum trahere. Hæc omnia post accessionem facienda sunt. Nam in accessione frictionibus, clamoribúsque tentamus ægrum reuocari, & odoratis, & potione vini, vel data aliqua quantitate medicamenti cordialis. Aspersio aquæ frigidæ, & euulsio pilorum, aliáque dolorifica facienda, (de quibus multa Gal. lib. 2. ad Glauc.) conferunt. Si mulier aut vir nimiùm constricta habeat indumenta, dilatanda sunt, vt meliùs respiret, & minus comprimatur pars affecta. Commune remedium in animi defectibus omnibus est, statim corpus extendere, & ita collocare, vt caput sit depressius reliquo corpore. Id puto fieri, quòd in ea constitutione, paucus sit calor mouens ad partes superiores sanguinem, venæ & arteriæ concidunt, & propter duas illas caussas sanguis venarum & arteriarum retractus ad cor, non potest ad caput recurrere. Cùm autem depressius est, sanguis ille defluit ad partem decliuem, vt liquida omnia facere solent. Sed cùm ista facimus, non sunt alia negligenda, neque longiùs portandi, sed eo in loco prosternendi, in quo corripiuntur animi defectione. *Commune remediũ.*

De Diarrhea. CAP. XVIII.

Diarrhea symptoma est multos morbos sequens. Dicitur Latinis alui profluuium. Nam in diarrhea maior copia humorum fluit, & reiicitur per aluum, quàm in lienteria, vel dysenteria. Facilè autem discernitur ab istis. Nam in lienteria alimenta, vt assumpta sunt, aut parùm immutata, reiiciuntur: in dysenteria primùm redditur mucus intestinorum, deinde pinguedo, tertiò quædam ramenta, vel aliquid sanguinis: in diarrhea autem redduntur multa liquida recrementa. Et quia à diuersis caussis prouenit, diligẽtissimè debemus perquirere omnes caussas, vt à qua fiat, agnoscamus. Fit autem *Distinctio diarr. dys. & lienter.*

propter morbos ventriculi & intestinorum, aut propter defluxionem humorum in ventriculum, & intestina. Fit & propter alimenta corrupta, vel ob plenitudinem, & multitudinem recrementorũ. In principio vel declinatione alicuius morbi acuti accidere solet, vel post diuturnos morbos varij & diuersi humores purgantur. Ob id consideranda sunt recrementa, quæ reiiciuntur. Illa enim poterunt nobis indicare, à qua parte fluxerint, vt si spumosa fuerint & pituitosa, diarrhæã fieri ob defluxum à capite factum significat, vt Hipp. aphor. 30. libr. 7. scripsit. Agnoscitur & ex iis, quæ circa caput apparent, vt grauitate, multitudine sputi, & quòd mane magis fluat & noctu, quàm alio tẽpore. Hæc species diarrheæ longo tempore durat, & qui hac laborant, sentiunt ob pituitam fluentem ad ventriculum, dolorem, cruditatem alimentorum Non multùm sitiunt & sunt somnolenti. Quòd si excrementa alui biliosa sint, & male olentia, tunc considerandum, an adsit febris, vel iecoris inflammatio. Nam odor ille grauis putredinẽ semper indicat. Putredo autẽ semper febrem adfert, vt & interna inflammatio. Cùm tale apparet recrementũ, considerandum, quo tempore cœperit fluere, morbi naturam, & partem inflammatam. Nam multùm refert, si in principio vel declinatione talia reddantur, & si in inflammatione hepatis, vel pulmonũ, vel si fiat in hydrope & phthisi & febre hectica, vel aliqua specie febrium biliosarum. In illis enim vtilis est diarrhea. Si in declinatione apparentibus signis coctionis accidat, & in principio etiam, cùm magna plenitudo adest, in morbis autẽ, qui cum tabe & atrophia iuncti sunt, mortem, vt Hipp. scripsit de tabidis Aphor. 14. lib. 5. quod nõ solùm de phthisi est intelligendũ, sed de omni atrophia, vt in feb hectica, hydrope, & aliis multis. Significat enim summam imbecillitatem partium naturalium, & potissimùm facultatis retẽtricis. Ferè omnes hydropicos diarrhea mori obseruaui. Partem vero inflammatam considerare oportet, quia in inflammationibus hepatis, splenis, ventriculi, & omnium partium naturalium diarrhea in declinatione est vtilissima, si notæ concoctionis appareant. Quòd si in inflammationibus pulmonum & costarum accidat, inutilis & pericu-

Caussa diar.

Signa diar. capitis

Quibus vtilis diarr.

periculosa, quia nihil à partibus inflammatis euacuat, & corpus liquefacit: Id quod prudenter monuit Hipp. Aph.17.lib.6.Morbo laterali,vel peripneumonia correpto,&c. Si recrementa putrida fuerint,feb. nō adsit,neq; sentiatur dolor in aliqua parte,argumento est,illa fuisse diutius retenta à constrictione alui, vel à corruptis alimentis fieri. Confirmabit coniecturā nostram, si quibus alimentis prius vsus fuerit æger, sciamus, vt si facilè corruptibilibus qualia sunt pepones,cucurbitæ lac post cibos alios assumptum. Vel si comederit carnes perdicum diutius asseruatas, & aliarum auicularum, quarum substantia facilè alteratur: aut nimis humida, quæ cùm facilè corrumpuntur,à natura reiiciuntur,vt pisces. Alimenta acria & salsa diarrheam aliquando faciunt, cùm corpus recremētis redundat. Fit aliquādo à diarrhea ob ventris constrictionem externam, vel à medicamentis, vel ab aere nimis cōstringentibus. Ea causa procatarctica facilè dignoscitur ex præcedentibus, & maximè fit post medicamentum purgans,si aëri frigido se exponat, vel si medicamētum effrene fuerit vt colocynthis malè præparata. Tunc iudicamus ventriculum esse caussam diarrheæ, aut intestina, si nulla ex prædictis caussis præcesserit,nullúsque dolor in alia parte sētiatur,& sit vētriculus supercalfactus. Nimis enim calfaciendo,alimenta corrumpit. Aut propter intēperiem frigidam,multitudinémq; cibi nō potest cōcoquere. Sed illa caussa magis lienteriā facit,quā diarrheā. Intestinorum etiam laxitas, imbecillitas,& intemperaturæ, in caussa esse possunt.

A corrup. alimentorum.

Ab alimentis acribus.

A multitudine humorum agnoscitur fieri, si singulis annis bis aut ter soleat fieri, natura sese exonerante liquidis & serosis humoribus, & notæ illius redundantiæ apparuerint, præcesseritque victus ratio talia gignens. Nulla talis euacuatio subita retinenda est,nisi in phthisicis,& quibus minùs conuenit,vt in inflammatione pulmonum, & costarum. Quòd si moliaris aliquid ad retentionē, in principio oportet sint imbecilliora remedia,vt quæ ad extra ponūtur, & datis quibusdam leuiter astringentibus alimētis id faciendum,vt id,quod in graciliotibus intestinis iam defluxit, non retineatur. Quare in eiusmodi caussis probo vsum lactus cocti,vel caly-

A multitudine.

beati cum pauco saccharo. Lac verò minùs coquitur in principio, vt magis detergat, postea multùm vel ferro candente, vel lapillis serosa substantia absumatur. Lac caprinum, vel ouile, vel vaccinũ, nõ asininũ (quia nimis ventrem turbat) conuenit. Ad extra apponenda sunt illa medicamenta, quæ robur ventriculi augẽt, constringendo, exsiccando, & modicè calfaciendo. Ob id oleum ros. omph. mastich. cum ol. de absynth. vel nardi, & pauco vino in principio, postea cum aceto, partibus ventris inferioris inungendis conueniunt. Si ob humiditates, vel partiũ laxitatẽ fiat, saeculi resiccantes conueniũt, vt ex milio torrefacto, vel oriza, vel lentibus cum sale, vel sine sale irroratis in sartagine cum pauco vino. Si vires deficiantur, & morb. hæc inferiora, & imbecilliora remedia negligat, ad fortiora transeundum est, vt ad vnguenta, fotus, vel cataplasmata, quæ vim astringendi habeant, oleisque supradictis adduntur olea cydo. lentisci, myrt. & augetur quantitas aceti ros. Fiunt vnguenta, emplastra, & linimenta, qualia fuere descripta cap. de cholera morbo. Si à multitudine humorũ fiat, fluátque sufficienter, danda erit opera, vt corpus alimẽtis crassioribus nutriatur, & humoribus acrimoniã alimẽtis potiùs frangamus, quã medicamentis astringentibus retineamus. Quod si cognouerimus purgationem sufficienter factam, medicamentis suprascriptis constringere tentabimus. Et quo securius ista astringẽtia adhibeantur, vtilissimum erit dare prius leue quod medicamentũ, laxãs & astringens, vt si quid restet euacuandũ, euacuetur, vt certiùs cognoscamus euacuationẽ esse factam humoris defluxu. Sunt autem conuenientissima remedia, quæ parantur ex rhab. myrob. mastiche, ex quibus pilulæ confici possunt, quæ in omni defluxu ventris tuto dantur.

Topica.

℞. myrob. citrini chebul. ana ʒ. ß. mastich. ℈. j. spicæ nardi g̃. vj. cum syr. rof. lax. fiant pilulæ, de quibus capiatur ʒ. ß. pro prima vice, deinde ʒ. j. si opus fuerit reiteratione. Si fluxus perseueret, appareátque humorum redundantia, certissimũ indicium perfectæ purgationis est, si ægri fuerint citra febrem, vt Hipp. de medicamentis dixit, lib. 4. Aphor. 19. In his optimum est clysterem detersorium ad ablutionẽ iniicere, & statim post astringentia

gentia supra ventrem, & circa sedem apponere. Vtimur etiam frequentiùs clysteribus istis detergentibus, quando non licuit medicamentum dare, vel ob virium imbecillitatem, vel ob ægri difficultatem. Parantur autem ex decocto hordei & ros. cum melle ros. Fiunt etiã ex sero lactis cum sacch. & melle, vel ex iure carnis non pinguis cum melle & sacch. ad maiorem quantitatem, quàm in aliis, quia minùs deterget ius, nisi accipiatur ius galli antiqui, aut concharum marinarum, vel mytulorum. Detergunt enim citra magnã attractionem, vel irritationem. Olea in his clysteribus non sunt ponenda. Dantur etiã in fluxu ventris clysteres, cùm difficilè humor euacuatur, & cum torminibus ob flatus, aut materiæ viscíditatem. Tunc ad doloris sedationem oleum anet. vel chamo. misceri potest, & maiorem quantitatem sacch. aut mell. aut aliorum detergentium oportet addere. Si materia acris & mordax sit, decoctum ex hordeo mundato est faciendum, & vitelli ouorum adiiciendi, qui & mitigant dolorem, & humoribus euacuandis permixti, faciunt vt facilius reddantur. Si crassi & viscidi humores sint, nec facilè descendãt, hordeum integrum decoquitur. In quibus constringere, & detergere volumus, addimus ros. in fine, quibus abstinemus in principio, quia magis est detergendum, quã constringendum. Brodium, ius carnium, ex quo parantur clysteres, si ad dolorẽ, & detersionẽ sumãtur, pingues esse possunt, sin ad detersionem solam, pinguedo omnino est auferẽda. Si pro dysenteria facta, aut quæ incipit, ius debet parari ex parte illa renum veruecis bene pingui. Seuum enim illud primùm confert ad inducendas partes, ne ab acrimonia humorum fiat vlcus, aut factum exasperetur.

Hæc satis demonstrata sunt à nobis lib. de componen. medicamentis. Cùm est astringendum, oportet vel leuiter constringere, vel fortiter & tenuibus, vt ad partem illam intestinorum facultas astringens penetret. Nam si cõstringantur partes externę tantùm, fluxus ventris maior fiet. Quæ enim constrictio fit à musculis epigastri, excretionem auget, vt Gal. 1. ad Glauc. obiter annotauit. Ob id oportet talia esse tenuium partium, vel acetum misceri, vt facultas descendat ad partes illas

profundas. Ego sæpè in talibus medicamentis ab aliis præscriptis, solo aceto addito, fluxum ventris compescui. Vtatur ergo præscriptis aliis addito aceto Fiant fotus ex astringentibus, vt ex radicibus, herbis, fructibus, floribus, & aliis resiccantibus, & astringentibus. Nam quæ potentissimè siccant, astringunt.

℞. radic. bistortæ, quinque folij, vel tormentillæ ana ℥. iiij. cort. mali granati, balaustiorum an. ℥. iiij absynth. sicci & mentæ siccæ ℥. ij. flor. ros. P. iij. semin. myrthi ℥. j. fiat decoctio in aqua cisternæ, & pauco aceto, cũ prædicta decoctione fiat fotus. Macerentur radices in aqua & aceto, priusquam decoquantur. Foueantur venter & partes sedis. Possunt fieri ex residẽtia huius decocti, cataplasma, diligenter contundendo, & per cribrum trãsmittendo, & seuo hirci excipiendo, idque applicetur vẽtri. Vel fiat decoctio ex fructibus, eodem modo paretur fotus & cataplasma, semper addendo aliquid olei de absynthio, vel de menta, aut aliquid foliorũ absynthij, aut mentæ, vt facultas coctoria & retentrix iuuentur.

Præstantißimum paratur sic.

℞. cotoneorum, vel pyrorum, vel sorb. vel mespil. vel dactyl. viridium ℔. j. macerentur in aceto, & aqua cisternæ, & in iisdem decoquantur, addendo rosarum absynth. ana M. j. cymini ʒ. iij. fiat decoctio, pistentur diligenter, & adde acaciæ ℥. ij. mastich. ℥. j coralli & spõgiæ bedeg. ana ℥. j. ß. garyoph. spicæ nardi ana ʒ. j ol. ros. omphac. myrtill. ana ℥. iij. incorporentur, & reducantur ad formam catapl. addendo ad maiorem consistentiam, & adhærentiã, panis candidi ℔. ij. in decoctione extendatur supra totum ventrem. Accõmodari potest omnibus fluxibus ventris, nisi quòd in diarrhea magis constringendum, in lienteria magis calfaciendũ, & corroborandũ: ob id cyperũ, galang. nardũ, garyo. & mast. in maiori quantitate ponimus. Ladanum hypocist. & huiusmodi, calida & constringentia. In dysenteria verò magis resiccamus constringendo. Ad intra damus aliqua alimẽta mendicamentosa, quæ sunt palato grata, vel sunt omnino saporis expertia. Ob id fructus illos astringentes, in iusculis decoquendos imperamus recentes, vel exsiccatos. Quòd si penuria horum laboremus, succum cydoniorum

niorum in iusculis addemus. Ponimus etiam in polentis corallum vstum, cornu cerui vstum, aut pul. fructuum astringentium exsiccatorum. Et hæc tantùm admiscemus alimentis in prima mēsa, vel manè. Damus farinam hordei coctam in furno, vel orizam, quæ nutriunt, & exsiccant, atque per consequens astringunt. Damus etiam aliqua medicamenta, parata ad constringendum, vt manè syr. cydo. vel myrtil. vel de ros. siccis, cū aquis herbarum astringentium, vel fructuum. Aqua absyn. his permiscenda est, quæ magis astringit, quàm ipsa herba, & vim aliorum medicamentorum deducit ad hepar, & alias partes naturales. Vulgus medicorum plurimum facit syr. de ribes, quem nesciunt ex quibus paretur, & non habent, ni si adulteratum. Nam qui illum ad nos afferunt, ex vna ℔. cōficiunt ℔. x. Quare satius erit nostris syr. & aliis remediis, quàm istis adulteratis vti. Fiunt opiatæ ad constringendum, & corroborandum partes, vt ex carne cydoniorum condit. carne corticis citri, vel myrob. condit. prius lotis, & aliis constringentibus, vt

℞. carnis cydon. conditorum in frusta ℥. j. corticis citri ℥. ß. pul coral. rub. ʒ. iij. acaciæ ℥. j. syru. cydon. q. s. fiat opiata. His addi possunt pul. resiccantes, vt pul. diamar. diacytonites, & similes. Vtantur aqua ferrata, vel cisternæ. Cibos assumant, quasi frigidos, abstineant à iusculis, & aliis liquidis alimentis. Si autem fiat per defluxionem ab aliqua parte, remedia etiam erunt accommodata partibus, vt si fuerit biliosa, argument. est ab hepate defluere. Quare cucurbitula super illam partem apposita post sufficientē euacuationem, fluxum humoris poterit cohibere, & erit interea venter cohibendus astringentibus. Si autem à capite defluat, frequentiùs erit euacuandum pilulis & mastiche, vel pilulis præscriptis à principio capitis, addito aga. Vtendum erit caputpurgiis post pilulas, vel masticatorio ex mastiche, vel cubebis, vel nuce moscat. continuando per tres vel quatuor dies, & quinta, vel sexta die capiant theriacam aliquam, vel mythridatium. Hæc enim multum exsiccāt, multúmque conferunt, vt & aurea alexandrina. Sacculi supra caput exsiccantes sunt apponēdi, vel emplastra exsiccantia, vel suffumigio exsiccare, vel lixiuio, vel pulue. capitali. Sacculi

Victus ratio.

A capite.

conficiuntur ex milio punico & multo sale, & calidi supra caput applicantur, vel ex floribus & seminibus.

℞. florum stechad. anth. an. p. iij. furf. macri, hord. vel frumenti M. j. frigantur in sartagine, irrorando vino generoso. Et sacculi applicētur supra caput. Possunt etiam fieri emplastra duorum generum, alterum est attrahens, alterum constringens & exsiccans. Primum conficietur ex gummi attrahentibus, vt

℞. gum. ammo. bdellij opopan. ana ʒ. ß. mastic. ʒ j. extendantur super alutam pistillo calido, & supra commissuras, coronalem & sagittalem applicētur. Ob id emplastra ad formam hāc. T. fieri debent, vt partem suturæ coronalis & obeleæ contingant. Vel fiant ex pice liquefacta, & remollita ol. nardino, addendo si diues sit, pul. garyoph. nucis mosc. an. ʒ. j. pro ʒ. j. piscis, mosci ℈. j applicetur loco dicto. His aliquando additur stercus columbarum. In multa humiditate cerebri, hæc emplastra efficacissima sunt, quæ parantur hoc modo, vel etiam emplastra, quæ parantur in officinis lachrymas recipientia, quale est illud ceroneum dictum. Adhiberi verò debent, quando à recrementis genitis ab intemperie cerebri defluxio fit. Nam si dolor capitis, vel effumatio ad cerebrū, etiamsi absque dolore sit, in caussa fuerit (vt solet fieri in his qui hepar, cor, renes, & alias partes calidiores habēt) his abstinere debent. Nam caput tales vapores aut fumos, magis traheret, sed tunc alio emplastrorum genere vtemur, scilicet, resiccantibus, & constringentibus leuiter. (Nam quæ fortiter constringunt, cerebrum comprimendo fluxionem augent, maximè si ante purgationem corporis, & capitis adhibeantur) vt empla. pro matrice, cōtra rupturam, quæ quanquā nomen habeāt ab aliqua parte, vel affectu, aliis tamē partibus & affectibus conueniunt. Vel fiant his similia ex astringentibus resiccantibúsque, permixtis quibusdā calidis ad penetrationem, vt

℞. nucum cupress. rad. bistor. spong. bedeg. an. ʒ. iij. ros. galla. chalcitid. alum. an. ʒ. j. carioph. nucis moscat. & cyperi, ros. rub. coriandri ana ʒ. j. fiat puluis subtilissimus & cum sufficienti quantitate olei nardi. ceræ, & resinæ, fiat emplastrum pro cōmissuris: vel applicetur parti capitis posteriori, aut anteriori tonsis capillis è regione suturarum

rarum obeleæ & lambdoidis. His qui consueuerunt abluere caput optimum erit parare lixiuium ex cineribus quercus, & aliis astringentibus, vt nucibus cupressi, vel nucl. nucum, & lixiuio addere salis M. j vel decoquere flores sabinæ, an. hos, stechad. & rosf. & diligenter abluere caput tali lixiuio, post exsiccare. Pul. tenuissimum capiti inspergere possumus loco lixiuij vt

℞. cyperi, nucis cupressi, nucis mosc. galand. rosf., mastic. ana ℥. ij. myrtil. granorum tinctorum an. ℥. j. ß, florũ saluiæ ℥. j. cornu cerui vsti, salis torrefacti ana ℥. iiij. fiat pul. tenuiss. quo sinapizetur caput serò & manè, vel ex sulphure, sale, chalcit. parari potest pul. pro pauperibus & multum humidis. Vti possunt vnguento parato ex ol. nard. cydo &c. vt dictum est c. de imbecilli. ventric. citra manifestam intemperiem, & post vnctionem sinapismo ibidem præscripto. Hæc autem ad exsiccationem capitis fiunt, interim tamen partem recipientem negligere nõ oportet. Pro capite fumigia efficacissima sunt, quia eorũ substãtia & vis ad partes internas multam humiditatem habentes penetrat, nempe fumus cum aere attrahitur per nares ad vẽtriculos cerebri, & si Galeno credimus, aliqua substantia medicamenti, quod de nigella lib. de instrumento odoratus monstrauit. Quare fumigia resiccantia esse debent, & astringentia, neque nimis acria, ne facultatem expultricem cerebri incitando, ea ad excretionem moueant. Fiunt autem ex his, quæ fuliginem procreare possunt, aut si propter eorum siccitatem effumare non possint, aliis multum fumum facientibus debent permisceri, vel ol. confricati, vt fument. Valde enim arida, quia nihil humidi habent, fumum non emittunt. Fiunt hoc modo.

℞. ladani depurati, hypoci. ana ℥. iij. mastic. thur. ana ℥. ij. nuc. cupres. nucis mosc. rosf. coriand. ana ℥. j. caryo. ℥. ß fiat pul. crassiusculus pro suffumigio, imponendo carbonibus. In hoc neque nigillam, neque myrrham, neque gummi hederæ addimus, quia acria sunt. Posset etiam addi sandar. in morbo antiquo, quia valde exsiccat, & ne sua acrimonia lædat, excipitur terebinthina, vel mutilag. gummi tragac. & fiunt tro. Aut, vt diximus de aridis, oleo amygd. confricatur. Nullum est re-

medium ad exſiccandum cum hoc cõferendum, niſi ob fœtorem valde ingratũ eſſet. Quare roſ. beniouin, ſty-racem & odorata ei admiſcemus. Fumigetur cubiculum, in quo dormire ſolet, vt inter dormiendum reſpirando ſine moleſtia trahat. Pars recipiens interim non eſt negligenda, ſed topicis remediis præſcriptis ad ventriculi imbecillitatem ab intemperie humida vtendum eſt, & opiata ibidem præſcripta ex aſſumendis, non pulueribus, quia ſalem & alia recipiunt, quæ minùs cõueniunt. Tali opiatæ addenda eſt caro cydon. vel fiat ſic.

℞. conſer. acori vulg. ℥ ij. carnis cydon. ℥. j. conſ. flor. anth. vel ſtech. ℥. ß. confec. aro. roſ. ʒ. vj. diagall. ʒ. j. ciner. inteſtinorũ gallinæ, coral. rub. vſti, ℥. j. rad. biſtor. ʒ. ß. miſce, fiat cum ſyr. de menta, vel cydo. ca. ℥ ij. duabus aut tribus horis ante paſtum: vel cap. cochlear j. pul. parati ex cinerib. conu cerui, inteſtinorum gallinæ, & nucum cupreſſi, quæ multum vrenda ſunt, ne aliquid fuliginis remaneat, ob quam pul. amarus reddatur. Vel abluatur cum aqua aſtringente, vt myrthi, de abſynthio, prunellorum, & diuitibus parentur opiatæ ex myrob. ablutis in vino aſtringente, & aliis prædictis. In hac ſpecie plus proſunt quæ exſiccant, quàm quæ conſtringunt. Vtatur oriza torrefacta, ſine pinguedine multa in iure cocta. Vtatur farina hord. in furno cocta, & pane exſiccato in furno. Abſtineant à iuſculis pinguibus, acribus, cibos aſſumant infra ſatietatẽ. Veſcantur alimentis exſiccantibus, vt aſſis, frequenter edant ventriculos gallinarum elixos, vel aſſos. Abſtineãt à vino generoſo, vtatur craſſo & aſtringente, aqua ferrata, vel ciſternæ diluto. Fricent corpus, nõ caput, quod videatur, ne multùm calfaciant. Euitent inſolationem, & radios lunæ. Cùm verò medicamentũ fortius propter ſuam quantitatem, aut malam qualitatẽ irritat facultatẽ expultricem, debilitátque retentricẽ, partes nimis relaxando calfactionẽ, aut humores acres cõmouendo, diarrhæam facit. Quare optimum eſt aquam frigidam, ſi medicamentum calidum fuerit, & acria reiecta ſint excrementa, haurire. Deterſorius clyſter etiam iniiciendus, & conſtringentibus inteſtina, & ventriculum corroborari oportet. Theriaca danda eſt, maximè quando medicamentum venenoſum eſt. Si

Victus ratio.

ob ſi-

ob frigus aeris nos ambientis, tunc alia ratione curandus est is affectus, auferendo caussam quæ est constipatio cutis & confrictio partium externarum, ad quam sequitur expressio recrementorum ad intestina & ventriculum. Corpus inungere oportet oleo chamomelino,& leni frictione humores ad ambitum corporis retrahere. Quod si ista non sufficiant, esset optimum sudores mouere, vel balneo, vel stupha, vel appositis calidis circa corpus. Deinde partes ventris corroborandę sunt, internis,& externis remediis suprà scriptis.

De lienteria. Cap. XIX.

LEuitas intestinorum lienteria dicitur. Fit autē quoties alimenta in ventriculo non retinentur tandiu, quandiu possunt concoqui, neque intestinis superioribus, quæ eandem habent facultatem. Non retinent autem, quia partes illæ, quæ rugosæ & sinuosæ naturaliter sunt replentur pituita vel medicamento lubricante, atq; ita fit, vt alimenta eodem quo assumpta fuere, modo citissimè reddantur Fit & aliquando ob alimenta nimis pinguia, quæ partes illas nimis lubricant, ita vt retinere nequeant. Imbecillitas etiam illarū partium huius affectus caussa est; qui & accidit propter obstructionem venarum mesaraicarum, & tunc chylosus fluxus fit. Fit autem incipiendo, aut post alios fluxus. Si post diarrheā, aut dysenteriam, aut longum morbum, lethalis est. Nam cùm hi egeant magna virium reparatione, repararíque non possint, nisi cibo & potu, hæc non reficient, nisi cōcoquantur, distribuantur, & assimilentur In talibus enim hic affectus accidit, ob virium naturalium imbecillitatem præsertim verò concoctricis & retentricis. Quare statim adhibenda erit cura, vt internis & externis, constringentibus medicamentis, & corroborantibus hic morbus castigetur, dictis cap. de diarrhea, de imbecillitate ventriculi ab intemperie frigida, vel humida, vel dicendis cap. de dysenteria. Si hæc affectio propter pituitam lentam lubricantem ventriculum & intestina fiat, ante omnia purgetur medicamentis pituitosis, potissimùm agarico tro. in melle infuso, & cum eodem melle propinato vel pilulis de hiera, de arom. cum agar. & mastiche. Post euacuationem & detersionem dentur me- *Purgan.*

Concoctionem iuuantia. dicamenta illa, quę vẽtriculi cõcoctionẽ iuuare possunt vt confectio aromat. rosſ. diagal. diarrh. rosſ. nouella & similia. A dextra apponentur emplastra illa suprà à nobis dicta, cap. de imbecillitate ventriculi, ab intemperie humida. In hac affectione plura calfacientia & corroborantia, quàm in alia specie fluoris alui esse debent. Ob id ceratum stomach. Gal. hîc commendatur, & emplastrum diuinum, additis galanga, caryoph. & mastiche malaxatis cum ol. de mastich. vel de mẽta. Cataplasma, quod parauimus adauctis odoratis hic conuenient. Item quæ ex pane, & odoratis præparantur, quale est hoc.

℞ panis candidi ℔. j. absynthij sicci, mentæ siccæ ana M. j. corticis citri sicci ℥ ij. carnis cydonio. qr. j. corticis mali granati ℥. j. fiat decoctio in vino styptico. Contundantur, & per cribrũ mittantur, quibus adde ladani puri, & hypocistidos ana ℥. ß cyperi, galangæ, cariophyllorum masticis, cardamomi, macis, nucis mosc. ana ʒ. ij. spicæ nardi ʒ. j. incorporẽtur simul, addendo olei de absynthio, & myrthini quantũ sufficit, reducantur ad formam cataplasmatis, applicentur supra totum ventriculum, vel fiat vnguentum tale.

℞. ol nardini, de absynthio, vel menta ana ℥. ij ol. cydoniorum ℥. j. cariophyllorum nucis mosc. macis, galangæ, cinamomi, spicæ nardi ana ʒ. j. rosarum, florum œnanthæ, id est, labruscæ ana ʒ. ß. ceræ quãtum sufficit: fiat vnguentum, quo vngatur regio ventriculi. Item cõueniet in diarrhœa, si pituitosa appareant recrementa. Si lienteria fiat ob alimenta pinguia, & oleosa, ab iis abstineant, & vtantur siccis, & spissis alimentis, quamquam illa difficillimè à ventriculo conficiantur, meliora sunt, quàm quæ citò nutriunt. Nam, vt Hipp. docuit 18. aph. lib. 2. Eorum quæ vniuersim & velociter nutriunt, &c.

Victus ratio. Cibi parati ex mica panis, semoula, aut aliis, quæ ex farina frumentacea parantur, optima sunt alimenta, si parentur cum iure gallorum, carne bubula potiùs quàm vitulina, aut aliorum lactantium. Nam caro illa lubricitatem propter mucum inducit. Caro veruecis, ablata pinguedine, non est vituperanda. Alimenta assa sine lardo magis conueniunt. Oua indurata etiam prosunt & alia alimenta, quæ in diarrhœa indicauimus.

Oporte-

Oportet aliméta in minori quantitate assumere, quàm in aliis, vt auidiùs cibum appetant, & illum retineant. Erit vtilissimum cucurbitulam paruam apponere supra regionem ventriculi, vt diutius cibus retineatur, quod admonuimus cap. de vomitu. Fit aliquando lienteria ob multam bilem permixtam alimentis, vel affluxam in ecphysim, quæ nimiùm, euacuando recrementa intestinorum, cibum facit descendere, priusquam fuerit perfectè coctus. Idem præstat saltatio multa à cibo, aut equitatio vehemens. Medicamenta etiam calfacientia post cibum assumpta, vt diatrium pip. diospolit. & alia quæ nimis incidunt, attenuant, & calfaciunt, quales sunt pul. à Medicorum vulgo præscripti, aut nimis constringentes, ita etiã fructus astringẽtes. Sed quæ ab aliis caussis fit affectio, eis ablatis citò tollitur, nec diu perseuerat. Fit & post veram dysenteriã, ob cicatricem, quæ nimium leuis est & lubrica, ad cuius curationem commendãt practici vsum ciborum acriũ, vt sinapi, cepæ, & alliorum, sed mihi parùm videntur proficere talia. Nam vbi permiscentur humiditatibus corporis, suam acrimoniam amittunt, qua putant asperitatem induci. Et hoc tantùm conueniret in superioribus intestinis, in quibus raro fit. quia in illis bilis non diu remoratur. Quare clysteribus id corrugare possent, & si tutum esset multũ salis addere, meliùs esset, sed veremur ne talia pungant, expultricémque stimulẽt ad excretionem, fiátque nouus error peior priore. Si fluxus ventris fit chylosus, vel propter obstructionem venarum mesaraicarum, vel imbecillitatem hepatis non potentis trahere, fit. Quare si ab obstructione, dandæ erunt duæ, vel tres pipulæ de arom. vel de hiera. Si aluus adhuc non multùm fluxerit, etiam pilulas paratas ex ʒ.j. ag. ℈.j. cinamomi, schen. cum syr. de bizãtiis accipere possunt ad euacuationem pituitæ ventriculi, & intestinorum. Deinde dandi sunt syr. aperientes, vel de bizãtiis, de radic. capil. ven. aut syr. de absynth. cum syr. acetos. simpl. cum aquis aperientibus, vel cum decocto cyperi, cichorei, vel rubiæ maior. vel eryng. vel pastynac. agrest. Hęc omnia aperiunt, & facultatẽ cõcoctricem non lædunt. Clarificandi erunt isti syr. & arom. cũ pauco cinamomo, aut troch. diarrho. Deinde inungendus

venter ob. cham. cum vino albo, aut fiat vnguentum.

℞. ol. amyg. amararũ ℥. iij. ol. nard. & cham. an. ℥. j vini albi ℥. j. ß. decoquantur leuiter, quibus adde ceræ q. s. terebinth. abietinæ ℥ ß. spicæ celticæ, fœnanth. cyperi, galangæ an. ʒ. j. seminis apij, petr. ana ʒ. ß. fiat vnguentum, vngatur regio ventris circa vmbilicum. Nam in illis partibus obstructiones aperiendæ sunt. Supra ventriculum, magis constringere oportet. Quare si eodem vnguento vngatur ventriculus aliquo pul. astringente sinapizetur, vt pul. coralli cum garyoph. aut cum pul. cum granis myrthi, vel vuarum, aut aliorum astringentium. Danda sunt illa, quæ leuiter obstructiones aperiunt, de quibus plura dicentur cap. de obstructione hepatis. Hic magis aperiendum, quàm constringendum est, quia medicamenta astringentia morbum augent. Sed quæ nimis fortiter aperiunt, ventrémque laxant, vt asarum, & similia, sunt fugienda, sic & dulcia, & alia nimis detergentia, quia alui fluorem augent. Dentur alia alimenta, quæ sunt tenuium partium, & quæ ad iecur possunt facilè penetrare. Fugiant lenta, viscida, & crassa. Si ob imbecillitatem hepatis non trahentis alimentum, fiat fluxus chylosus, applicetur cucurbita supra iecur. Detur syr. & opiatæ, quæ imbecillitatem facultatis attractricis castigare possunt, qualia sunt calida medicamenta & aperientia. Nam iecur non attrahit ob caliditatem, vel propter obstructionem, aut satietatem. Quare ista calida & leuiter aperientia, leuibus quibusdam astringentibus permixta, aperiunt obstructiones. & distributionem alimenti ad iecur iuuabunt, & intemperiem frigidam emendabunt, sed de his suo loco.

De dysenteria. Cap. XX.

DYsenteria vlcus est intestinorum ab humoribus aut medicamentis acribus. Fit magna ex parte à bile, non tarò à pituita salsa, interdum à melancholia per adustionem. Qualis sit, excrementorum color & tormina ostendunt. Quoniam hoc in morbo, ad partem affectã humores praui defluunt, caussa primùm auferenda est medicamentis cholagogis, quæ constrictionem quãdam relinquunt, nec acrimoniam augent, nec multùm laxant. Nam fluxum addere fluxui periculosum est.

Rhab.

Rhab. myrob. tamarindi conueniunt, minùs verò cath. quia nimia ventris lubricitas est fugienda. Igitur satiùs est cath. omittere, nisi tanta esset humorum copia in prin. Sed conuenientiùs vacuabitur sic.

℞. rhab. ʒ. j. myrobal. citrinorum ℈. j. aquæ capil. aut hord perfectè cocti ℥. ij. syr. capill. ven. ℥. ß. fiat potus, qui poterit iterari, si morbus perseuerat. Non sunt imitandi Medici quidam nostri temporis, qui solent purgare hoc modo.

℞. rhab. torrefacti ʒ. j. myrob. citrinorum similiter torrefactorum ℈. ij. aquæ plantag. ℥ ij. syr. de rof. siccis ℥. j. addant etiam interdum semen nasturtij. Peccāt enim tum quòd humorem vitiosum retinent, nimis astringentibus, tum quòd seminis nasturtij & reliquorum assatione medicamentum reddunt acrius propter empyreuma. Adde etiam, quòd vis rhab. & myrobal. exoluitur vstione. Illud etiam, quod à nobis præscriptum est, bene purgat, & astringit satis. In principio soleo quandoque dare fortem expressionem rhab. Deinde rhab. in tota substātia. Si febris magna fuerit, aut ardor vehemens, addimus pulpam tamarindorum, vel semina berberis ad obtundendam bilis acrimoniam. Datur rhab. infusum potiùs, quàm in substantia, vel assum, vt à venis aliquid trahat, cum syr. rof. lax. Nonnulli sanguinis missionem imperant, sed sine iudicio, & vtilitate, & cum magna ægrotantium molestia. Vires enim deiicit nec bilem, vt plurimùm ex foliculo fellis fluentem retrahit, nec ad curationem vlceris confert. Hoc autem intelligendū est de vera dysenteria, non de fluxu sanguinis siue dysenteria cruenta, quo casu venæ sectio commodissima est. Corpore purgato, vlcus sanandum est clysteribus primùm detergentibus, deinde sigillantibus. Terget hic sine acrimonia, ac ob id frequenter iniiciendus est.

℞. hordei integri p. ij. fiat decoctio. In colaturæ ℔. j. ß. diss. mel. rof. col. ℥. j. vitel. ouorum nu. ij. nulla hîc sunt astringentia, quoniam ea retinerent, quæ sunt excernenda. Nulla olea, nullæ axungiæ, quæ vlcus sordidum faciunt. Quòd si dolor magis vexet ægrum quàm morbus, tunc additur ol. rof. vel myrthinum, vel porci axungia, vt Gal. docuit. Ergo vnguentum rof. loco axungiæ

misceo, si quando flatus adiunctus sit, quod rarò fiat, additur aliquid anisi vel cumini, & cùm dolor vrget, flos chamo. & meliloti. Ardor plerunque magnus est, ob id decocto adiicitur vel plantago, vel eius succus, vel alia frigida, & leuiter astringentia. Vlcere satis deterso, quod ex saniei paucitate dignoscitur, clyster iniiciendus est medius inter astringentes & detergentes, vt ab iis per medium ad illos transitus fiat, sic.

℞. hord. integri p. j. ros. rub. p. ß. fiat decoctio in ℔. j. diss. succi plantag. mell. ros. vel saccha. rub. an. ℥. j vitellos ouorum nu. ij. clyster Hic & priores diu continendi sunt. Nam merè astringentes ante detersionem multùm nocent. Soleo tamen admotis astringentibus ventriculo, ventri, & renibus, excrementorum impetum prohibere hoc modo.

℞. ol. ros. myrtil. cydon. ana ℥. aceti ℥. j. miscæ, vngantur venter & renes. Id si non sufficit.

℞. gall. myrtil. nucis cupress. ros. rub. seminis berb. an. ʒ. i. cortic. thur. coriandri an. ʒ. ß coralli rub. ʒ. ij. fiat pul. tenuissimus, quo sinapisetur post vnctionem. Vel fiat tale linimentum.

℞. pul. præscripti ʒ. iij. ol. ros. omphac. myrtil. & cydon. ana ℥. ij. ceræ albæ q. s. fiat linimentum. Interdum oleis & succis astringentibus fouemus partes ventris, addito semper aceto, quod & astringit, & vim medicamenti ad partem affectam deducit Sed cùm vtimur istis topicis clysteres non sunt omittendi, quorum constringentes & consolidantes sic fiunt.

℞. hordei integri p. j. rosa. rub. p. ß. fiat decoctio, & in libra vna colaturæ dissolue mellis rosati, & sacchari rubri ana ʒ. j vitellos ouorum N. ij. succi plantaginis ℥ j. fiat clyster. Priùs istis diu oportet vti. Nam astringentes nihil prosunt, sed potiùs nocent ante detersionem. Clysteres astringentes, & sigillantes tales sint.

℞. hord integri assi. p. ij tapsi barbati cum rad. linguæ passerinæ, plantag. foliorum myrthi ana p. ij ros. rub. p. j. fiat decoctio. In ℔ j. ß. diss. pingue. hirci ℥. j. succi plantaginis ℥. ij fiat clyster. Vel sic.

℞. rad. consolidæ maioris, bistortæ an. ℥. ij. gall. nucis cupressi an. ℥. ß. ros. rub. florũ chameleontis an. p. ß. fiat deco-

decoctio in aqua cisternæ. In ℔.j ß.dissolue succi plā-tag.& sāguinariæ an ℥.j.pingued.hirci ℥.ij.fiat clyster. Aduerte, maiorem quantitatem clysteris iniiciendam esse in hoc morbo,quàm in aliis,vt ad ℔.j.ß.aut ad ℔.ij quia inanita intestina tantum accipere possunt,& sic melius tergentur,& astringentur.Pulueres clysteribus non adiicio, quia si remanerent supra partem affectā, eam pungerent,& stimularentur, ac vix euacuarentur. Quòd si libet vti sanguine draconis,bolo armeno, terra sigillata, & similibus, infundantur in succis herbarū vel in decoctione.Deinde colentur succi,aut decoctio, & postea iniiciantur Valde vtilis est hæc potio.

℞.syru.de pap.℥.j ß. syr.de ros. siccis ℥.j. diamarg. frig. ʒ.ß. boli ℈.ß.aquarum plantag. & caudæ equinæ an.℥.ij capiat dormiturus. Hæc potio humores incrassat,somnium conciliat,& astringit. Denique mirum in modum prodest, vt sæpè sum expertus. Manè dentur syr. astringentes & refrigerantes, vt de ros. siccis, cydon.myrtil.cum aquis similibus vt,

℞.syr de ros siccis,myrtill.an.℥.j.syr.de berber.aut de agresta.℥.ß. aqua cuspid.ros. caudæ equinæ, plantag. vel linguæ passer. ad duplum. Fit etiam iulep. ex succis herbarum,& aquis sic.

Succi burs. pastor. linguæ pass. depurati ana ℥.iij.aquæ cuspid. ros. vel myrtill.℥.iij.succi citri ℥.ij. sacch. q.s. cla. cum pul. diamarg.frig.ʒ.j.Fiunt quoque condita ex conseruis,pulueribus,& saccharo, quibus vtuntur in siti.

℞.Conser.ros antiquæ℥ ij.conser.symphiti℥.ß.pul. diamarg.frig.ʒ j ß.boli arm. coralli rub. an.ʒ.j.sacch. ros.tabellati ad duplum omnium, fiat conditum quo vtantur per se, vel cum aqua calybeata. Ex iisdem parantur opiatæ. Hoc tantùm interest, quòd in conditis miscentur, quæ palato gratiora sunt, in opiatis verò parum refert: ita vt etiam conueniant tro. de spodio, de carabe,de terra sigillata.

℞.Conseruæ symphiti,carnium cydon. an.℥.j. pul. tro.de terra sigillata,de spodio cum semine acetos.an. ʒ.j.syr.cydon.q.s.fiat opiata,capiat manè duabus horis ante pastum,ad quantitatem nucis.

De Dysenteria. CAP. *alterum.*

CLyster abluens intestina, vulgò lauatiuus dictus ad abstersionem fit, sine tamen aliqua proritatione. Et hoc ab abstersiuo differt, qui datur ad pituitæ abstersionem, fitque abstergentibus herbis, & facultatem proritantibus. Hic verò ex abstergentibus citra morsum. Et hoc facimus in dysenteria & tenasmo. dysenteria siquidem, vt vlcus est, omnino duplici abundat excremento, quod quidẽ auferendũ est, antequam vtamur astringentibus, & sarcoticis, & eo vsq; his vtendum. Lauatiuus est, donec intestina omnino sint abluta. Conficitur autem ex decoctione hordei, melle rос. vitellis ouorum. Additur succus plantaginis, vbi videmus intestina aliqua ex parte abluta, tum vt aliqua fiat astrictio, tum vt intestina refrigerentur. Additur præterea mel cum succo plãtaginis semper, donec vlcus sit sufficienter detersum, eóque fit medicamentum compositum ex astrictione, & abstersione, quo vtimur ante clysterem constrictiuum & consolidatiuum, præceptum illud commune sequentes, ab vno remedio ad illud dissimile, per medium aliquod esse progrediendum, vt in inflammatione vtimur repellentibus simul, & digerentibus post repellentia pura, antequam solis vtamur digerentibus. Fit verò clyster sic.

℞. decoctionis hord. integ. ℔ j. mellis rос. vel sacch. rub. ℥. j. vitellos ouorum nu. ij. olei rос. ℥. ij. misce, fiat clyster. In hoc vitelli ouorum abstergendo leniunt, eóque dolorem sedant, auferunt asperitatem, & coquunt. Oleum autem rос. refrigerat, dolorem sedat, & leuiter astringit. Sunt, qui loco decoctionis hordei accipiant decoctionem capitis veruecis, vel intestinorum. Præstat autem decoctum intestinorum ob similitudinem substantiæ, & pinguedinem eorum, & seuum, quod partes lenit exasperatas. Additur & in decoctione intestinorum hordeum. Cùm volumus transire ad astringentia, addimus rос. succum & plantaginis.

℞. hord. integri p. j. foliorum plantag. M. ß rос. rub. ℥. j. fiat decoctio, in ℔ j. col. diss. mellis rос. & succi plantag. ana ℥. j. ol. rос. ℥. ß. vitellos ouorum nu. ij. misce fiat clyster qui præscribendus est post præcedentem clysterem.

tem. Constrictiuus clyster ad ventris constrictionem præscribendus est duplex: Alius constrictiuus, in quo solum intendimus fluorem alui cõstringere, vt in diarrhea, constátque herbis, seminibus, & astringentibus. Herbæ in summa sunt omnes, quæ astringunt, vt bursæ pastoris, tapsus, caules diutius cocti, folia sumach. myrthus, berberis, acetosa, lysimachia. Adduntur semina plantaginis, coriandri, fructus sumach. acetos. cupulæ glandium, galla immatura, glandes, pisidiæ, rosæ albæ, & rubræ hoc modo.

℞. taps. barbati cum toto, radic. burs. pastor. hippur. acetosæ, fol. myrthi ana M. j. seminis acetos. portulacæ, ana ʒ. iij gallarum, sorb. mespill. ana nu. xx. ros. rub. p. j. fiat decoctio, in aqua calybeata, vel pluuiali, in ℔. j. col. diss. seui hirci ℥. j. misce, fiat clyster. Alius constrictiuus & consolidatiuus, qui fit ex iisdẽ herbis, vt ex plantagine, polygono, foliis salicis, & aliis, quæ vim habent refrigerandi, & constringendi sanguinem. Additur in hoc clystere seuum hirci, quoniam coagulatur & concrescit citiùs ob siccitatem, & materiam terream, quàm aliud, concretum verò cooperit superficiem vlceris, & prohibet, quo minùs acrimonia humorũ recrudescat. Vlceri quãdoque cicatricem inducit opera aliorũ simplicium, quibus eo scopo vtimur, vt gum. arab. terra sigill. bolo armeno, mastiche, quæ omnia consolidant, vt

℞. hippur. plantag. fol. myrth. sumac. taps. barb. cum radic ana M. j seminis berb. plantaginis, portul coriãd. ana ʒ. ij florum ros. chamo. ana p. ß. vel ℥. j fiat decoct. in ℔. j. colaturæ diss. acaciæ, hipoc. ana ʒ. iij. sacch. rub. vel mell. ros. ℥. j. vitellos ouorum assatorum nu. ij. seui hirci, vel caprarum ℥. iij. fiat clyster, vel fiat sic.

℞. succi plantag & polygon. ana ʒ. vj. ol. ros. ℥. ij seui hirci ℥. iiij. misce, & facta residentia adde pul. boli arm. sang. drac. vel lap. hematites, vel terræ sigillatæ, vel mastich. ana ʒ. j. Pulueres isti sunt subtilissimè terẽdi, alioqui multum nocent vlcus pungẽdo. Quæ viscida sunt, magis conueniunt, quàm nimis acida, propter læuorẽ, quem habent dissoluta, ob quem asperitatẽ non inducunt partibus, neque dolorem. Possunt & alia addi, quę vim habent constringendi. & cõsolidandi, vel ladanum,

hypocistis & huiusmodi. Addit etiam Galen. aliquando pinguedinem porci, sed hoc tãtùm cùm dysẽteria magis est ab acrimonia humoris, quæ est obtundenda. Rarò tamen ea vtimur pinguedine, ob eius immodicam humiditatem. Ad sedationem enim doloris præstaret vti ol. ros. In deploratã dysenteria, postquam optimè detersum vlcus est, si supprimi nõ possit sãguinis fluor, cauda equina, & semine portu. plantaginis, & aliis astringentibus modò iniectis. Non imitandi veteres qui sandaracã, auripig. calcẽ viuam, & alia eiusmodi iniiciebãt, in reliquas intestinorũ partes omnes æquę agẽtia, ac in ea, quæ vlcerata est. Quinimo in hoc casu solitus sum vngere imũ ventrem, & posteriorẽ partẽ ol. cydonio, & myrtill. ros. & aliis similibus astringentibus, cum multo aceto ad penetrationẽ, refrigerationẽ, exiccationem & repercussionem. Acetũ enim insigniter astringit, proinde fluorem omnem compescit. Optimo autẽ successu semper propinaui poscam (quæ fit ex aqua & aceto) sãguinem spuẽtibus. Solent enim extingui sapa ignita aceto, & vapor inde elatus excipitur ano, in sella perforata sedente ægro Potest simili modo alumen dissolui cum aliis astringentibus, & iniici, aut calx lota decies Posset etiam in hos vsus accommodari ol. de hyperico, quod aptissimum est vlceribus glutinandis.

De Tenasmo. Cap. XXII.

TEnasmus affectus est recti intestini, dicitúrque assidua egerendi cupiditas sine magna euacuatione. Fit in principio: & post alios morbos, vt post dysenteriam maximè. Bilis enim acris & mordax, circa illam partem retenta, facultatem expultricẽ stimulat, & natura conatur expellere id, quod molestat. Et quia materia iã euacuata est, nihil reddi potest. Fit etiã à pituita salsa, vel lenta, retenta circa sedẽ. Fit etiam propter frigus externum partem illam constringens. Accidit & ob lapidẽ vesicæ magnũ & inæqualem, qui sua inæqualitate pungendo vesicam pungit & intestinũ, quod vesicæ adhæret. Idem facit calculus, & propter põdus. Videtur enim ægrotantibus stercus aliquod circa sedem retineri, ob id stimulãtur ad frequentẽ excretionẽ. Fit & propter inflammationẽ adenarũ, parastatarũ Nam

cùm

cùm materia acris est, & mordax,& rectũ intestinum & penem simul afficit. Fit etiã ab vlcere recti intestini,& vermibus eiusdẽ. Item à stercoribus induratis,& retentis circa sedem. Dignoscitur hæc affectio,ex illa cõtentione excernendi. Caussa autẽ inuestigatur,cùm à procatarctica aut interna proueniat. Nã si æger super lapidem frigidũ sederit,aut in aëre frigido,aut vẽto aliquo perflato, aluũ exonerarit, vel vsus fuerit suppositorio, id ab ægri relatu poteris deprehendere. Itẽ si præcesserit dysenteria, vel medicamẽtum acre assumpserit. Sed si à pituita salsa, aut aliis caussis proueniat, opus est maiore speculatione. Si pituitã reiiciat, dicátque se sentire morsum, à pituita fieri cõiiciemus. Si à stercore retento agnoscitur, quod diu æger nõ assellauerit, recremẽta sicca admodũ, & sine muco reddere soleat. Si autẽ post recremẽta indurata perseuerauerit sensus ille, aut illa stimulatio, præcesserintque aliæ notæ calculi, vt vrina retenta, vrina turbulenta, & aliquando sanguinolẽta, à calculo tenasmũ fieri dicemus. Sin ab inflammatione parastatarũ, adest penis distentio, & ardor vrinæ.

CVRATIO.

Omnis tenasmus curatur auferendo caussam. Quare si propter calculũ fiat, impossibile est curari, non ablato calculo. Si ab inflammatione glãdularum, aut sedis, adhibenda sunt remedia istis affectibus. Sed si affectio sit in recto intestino, vt bilis pro dysenteria, aut pituita salsa clystere detergente curabitur, iniiciẽda verò pauca quantitas clysteris, quia extrema pars recti intestini tantùm abluenda, sed frequenter iniiciendi sunt. Post vsum iniectionum fouendæ sunt partes sedis eadem decoctione, vel si nimis stimulentur, addere etiã oportet aliqua sensum, & acrimoniã humoris temperãtia. Clysteres detergẽtes erunt, quales diximus cap. de dysenteria. Valent etiã facti ex sero lactis cum sacch. vel cum melle, & vitellis ouorum. Quòd si sit cum multo dolore, ol ros. vel axungia porci miscentur. Quòd si perseueret dolor, optimum erit sedere in decoctione intestinorum pingui. In hac decoctione sint maluæ, aut rad. alth. Quòd si ardor sentiatur, & caliditas præter naturam in ea parte, addẽda erunt aliqua frigida citra astri-

ctionem, vt fol. viol. cucurbitæ vel cucum. vel melonũ, vel lact. vel solani. Si pars fuerit detersa, & dolor sedatus, constringentibus leuiter pars erit corroboranda. Quòd si sequatur recti intestini relaxatio, & procidentia, curetur, vt proprio loco dicemus. Si à frigore externo factus fuerit morbus, optimum erit sedere in aqua calida, vel in ol. dulci calido, vel fouere vino. Quòd si morbus non expurgetur, addemus quædam calfacientia, vt flores anthos, stechad. herbas calfacientes, vt pulegiũ vtrunque, orig. hyss. melissam, saluiã, &c. Vel inungantur partes perinei, quæ sunt circa sedem, aliquo ol. calido, vt anethino, rutaceo. Si à recrementis retentis & induratis fiat, remollienda est pars, & relaxanda. Quare iniectio olei communis cum pauco vino vtilissima erit, vel decoctum pingue cum pauco sale & oleo, vel decocto maluarum, viol. branchæ vrsinæ, & mercur. seminis lini & fœnugræci. Quòd si non reiiciatur istis clysteribus, addenda erunt aliqua magis relaxantia, vt cassia, benedicta, hiera. Idem erit faciendum in multa pituita viscida retenta circa anum. Medicamentum acre si fuerit huius affectus caussa, detergendum est medicamentis præscriptis ad humoris acrimoniam, deinde aliqua pinguia sunt iniicienda, vt butyrũ dissolutum in brodio pulli, vel axũgia porci, vel oleum amygdalarum. Hæc enim pinguia acrimoniam frangunt. Si ab vlcere acciderit tenasmus, ob id pus acre & retentum fieri solet. Quare clysteres ad puris detersionem in principio iniiciendi erunt, aucta mellis quantitate, aut sacchari. Vel additis vnguentis detersiuis, quæ vlcus detergẽdo hoc symptoma auferunt. In principio, quia vlcus magna ex parte solet esse sordidũ, vnguentum ægyptiacum cum multo melle iniiciendum est, aut vnguentum apostolorum eodem modo præparatum. Sensim minuere oportet eorũ acrimoniam, quę iniiciuntur, quia omnia vlcera post detersionem magis dolorem sentiunt. Vlcus postea curatur ea ratione, qua postea docebimus. Sed ad tenasmum & vlceris curationem multùm confert talem facere iniectionem.

℞. hord. torref. p ij. foliorum myrthi, oleæ, agrimo. ana M. j. florum centaurij minor. p. j. rof. siccarum p. ß. absyn-

absynthij tertiam partem M. j. fiat decoctio, in hydromelite, & frequenter iniiciatur, donec vlcus detersum fuerit augendo, vel minuẽdo mel pro detersione facta. Quòd si in hac iniectione vnguentum pompholig. fideliter dispensatum dissoluatur, vlcus etiam curabit. Idẽ facit emplastrum diapalma, dissolutum in multo oleo, ita vt iniici possit. Idem præstat vnguentum diuinum, additis ℥. ij. chalci. A vermium motione, & morsu circa anum si fiat tenasmus, iniicienda erunt medicamenta valde amara frequenter, vel decoctum absynthij, marrubij, persicariæ, centaurij minoris. & in col. dissoluẽda myrrha, aut fel bouis. Olea etiam addi possunt, vt ol. amygd. vel de absynth. vel parum ol. de iunipero vel petrolei, vel olei de spica. Satis est accipere ℥. j vel ij. horum cum aliis propter eorum insignem vim. Benedicta, hiera picra, & alia laxan. post hæc amara cõmodissimè iniiciuntur. Possunt etiam dari pilulæ, ex aloë, myrrha, aga. rha. & aliis amaris.

De Ani procidentia. CAP. XXII.

RECtum intestinum relaxationẽ patitur, quando ad extra propendit, neq; sursum post assellationẽ retrahi potest. Intestinum enim rectum longius est factũ, vt cùm recremẽta reddere volumus propellatur extrà, ne stercora remaneãt in sinu illo, qui est inter clunes, quod vt fiat, natura apposuit duos musculos, qui ex vtraque parte, ipsũ retrahunt. Quare quòd non retrahatur, istis musculis imputãdũ est, vel quòd sint imbecilliores, vel resoluti, vel quia intestinum protẽditur & inflatur, & ob tumorem maiorem suo loco reponi nõ potest. Fit autem resolutio earũ partium post longã natationem in aqua frigida, propter longam moram supra terram humidam, quæ intemperatura neruos ab osse sacro ortos tenuiores resoluit. Fit etiã post dysenteriam & tenasmũ propter illam cõtentionem in reddendis excremẽtis, aut difficultatem in reddẽdis durioribus. Quare manibus reponere ipsũ sensim oportet, & leniter comprimẽdo. Quòd si pars illa externa rugosa, inquinata fuerit, vino abluẽda est. Si verò ob paralysim non retrahatur, locus fouendus est. Nam per commodiorem partem nõ possumus partes resolutas exsicca-

re,vt & vnguētis supra coccygem,& os sacrum. Sed priùs tentare oportet euacuationem,quæ fit vomitu à cibo cōmodiùs agitante cibum, vel medicamento in forma syr. detergentis.& facilè purgantis,quale hoc.

℞.gly.raf.ʒ.vj. polyp.querc. recent.℥.iij. pass.fic.ana N.xxx.betonicæ,marrub.saluiæ, merc.ana M.j.medullæ seminis carth.℥.ij.senæ orient.℥.j flor.anth. stechad.ana p.j.fiat decoctio in ℔.j.ß. dissol.mel.q.s.fiat syru. capiat primùm ℥.sex: deinde vtatur digestiuo sequenti per tres dies. Postea tertio quoque die capiat de apozemate supradicto.

℞.mell.ros.col.℥.iij. syr.stechad.℥.ij. decocti hyss.vel betonicę ℔.j.fiat syr.aro. & cla.cū ʒ.ij.diagal. Efficacius reddetur apoz.si aga.tro. decoquatur, quòd siue vomitū faciat,siue laxet,non potest non prodesse. Corpore euacuato & exiccato, attenuante & exiccante victu vtatur. Fotu sequenti vtatur.

℞.puleg.vtriusque, marrub.beton. chamep.primulę veris,verbasci an.M.j.foliorum cupres.lentis.vel myrth. an.ß.florum anthos stech.saluiæ an.P.ij.fiat decoctio in aqua & vino. In prædicta decoctione sedeat, vel spongiis nouis foueatur pars. Eadem decoctio fieri potest in lixiuio parato ex cineribus cypressi, vel lauri, vel roris.vel lentisci. Post fotum reponatur & sedeat supra scamnum ex ligno nucis valde calidum,quātum ferre poterit. Possunt fieri suffumigia ex resiccantibus & calfacientibus partem vt,

℞.nucis mosc.macis,garyoph.cyperi galangæ ana ℥.j. flor.anth.stech.an.℥.ß cortic.thur.mastic.thuris masculi ana ℥.iij.ladani puri, hypocistidos ana ʒ.ij.excipiantur terebinth. & pice, fiant troc.lupinares, qui imponantur carbonibus, & fumus recipiatur per scabellum perforatum.Frequenter manibus comprimatur. Fumigio vti debemus post repositionem. Nam multò meliùs reponitur,quando molle est,& humidum,quàm cùm magis exsiccatum.Linimenta parantur ex resiccantibus & calefacientibus,quæ sunt tenuium partium.

℞. mastich. nard. & costini ana ℥. ij. vini generosi vel mal.℥.j.pipe.longi & nigri galangæ,costi,cyperi an.℥.ß. decoquantur in duplici vase,& oleo illo inungatur regio

ossis

ossis sacri, vel addendo ceræ rubræ vel viridis q.s. fiat vnguentum. Adde tempore inunctionis aquæ vitæ parum. Post repositionem vtatur hoc cataplas.

℞. vsneæ, herniariæ, an. M j. saluiæ minutæ M.ß flor. stech. & saluiæ, ros. an. ℥.j. decoquantur in vino, & applicentur supra partem ad formam cataplasmatis, vel contundantur & excipiantur terebint. vel pice liquefactis in ol. myrth. aut mastich. & reducantur ad formam emplastri. Aliud efficacius.

℞. sterc. lacerti ʒ.iij. sterco. colum. & hyrund ana ℥.j. sterco. capræ ℥.ij. excipiantur terebinth & applicentur supra os sacrum coccygémque. Possunt etiam dari, quæ fuere præscripta cap. de procidentia vteri.

De hæmorrhoidibus. Cap. XXIII.

HÆmorrhoides nihil aliud sunt, quàm venæ sedis dilatatæ aut factæ varicosæ. Fiunt autem iis potissimum, qui cum magnis conatibus & expressionibus intestinorũ recreméta reddunt, mulieribus quæ frequenter & difficulter pariunt: qui flatulenti sunt, & cachexia laborant, vel qui calculum, aut vlcera penis, vel recti intestini patiuntur. Harum multæ sunt differentiæ, quæ à situ sumuntur, à calore, asperitate, vel à symptomate. A situ quòd aliæ sint internæ & non appareant, aliæ externæ, & circa sedem apparentes. Quare opus est distinctione ad diluendam quæstionem, num à vena caua, an à porta oriantur. Nam internæ fiunt ex venis intestinorum, quæ mesariacæ dicuntur, aliæ autem à venis distributis circa sedem, quæ per eius loci pinguedinem perueniunt ad cutim. Ob id venæ internæ iis, qui laborant cachexia, frequentius aperiũtur, & iis qui difficulter excernunt, vel mulieribus, quæ difficulter pariunt, aut iis, qui frequenter vtuntur allio. Fluxus internarũ maximè conuenit affectibus melancholicis, tumoribus splenis, hepatis, mesenterij externarũ verò in affectibus renum. Sanguinis verò reiecti colore & consistentia differunt. Nam qui ab internis fluit, splendidus & tenuis est: qui ab externis, colorem habet magis saturum. Sanguis enim dilutus permixtus multæ substantiæ serosæ, magis tenuis & splendidus est, qualis aliquando redditur in fluxu hepatis. Nam sanguis venarum mesaraicarum, tu-

dem tantùm formam habet: qui verò ex ramis venæ cauæ defluit, magis concoctus & elaboratus est, vnde & color magis exiaturatus. Differunt tertiò, quòd aliæ leues sint, vnísq; similes & leuitate & colore: aliæ rugosæ, quas practici morales à moris vocant, vt alias vuales ab vuis. A symptomate verò, quòd aliæ sint ab inflammatione, aliæ sine. Item aliæ sanguinem effundunt, & nomen generis seruant, aliæ nihil excernunt, & ob id cæcæ dicuntur, quæ dolorem vehementissimum inducunt. Fluit per istas sanguis per diaurosim, dianastomosim, aut diapedesim. Hi verò modi sic deprehenduntur. Si sanguis sit aquosus, & paucus, per resudationem fit: si per anastomosim, paulo crassior est, & in maiori quantitate, & in forti compressione guttatim defluit, & nō nisi cùm redduntur excrementa alui. Si ob arrosionem venę, præcessit vlcus circa sedem, sanguis fluit crassior, & in maiori quātitate, & etiam sine compressione. Fiunt hæmorrhoides in quibusdam per interualla, in aliquibus quarto quoque anno, in aliis singulis annis, vt in his, qui multo sanguine abundant. Quare si quis velit illas inhibere, duo sunt facienda, mittendus sanguis è brachio, & medicamenta repellentia circa sedem sunt apponenda, minúsq. est comedēdum. Quòd si iam factæ sint, & præhumidæ, dolorémque inducant, relaxandæ sunt, & aperiendæ, si sponte sua non aperiantur post relaxationem.

Inhibendi modus.

Aperiuntur autem multifariam, vt medicamentis arrodentibus, & acribus, & succo cepæ, fellibus porci, succo cyclaminis, medulla colocynt. & succo aliarum herbarum acrium, vt chameleæ, thymeleæ. Apponuntur supra magis tumentes, si extra appareant, si intus lateāt, balani conficiuntur, intróque mittuntur, vel iniiciuntur clysteres ex succis, vel decocto, in quibus dissol. fella vel benedicta, vel hiera. Quòd si appareāt, melius erit sanguisugam apponere, & extrahere quantū volueris. Et quando non possunt hyrudines apprehendere, non est malū ferro aperire parua apertione. Sin apertæ sint hæmorrhoides, neque sufficiens quantitas sanguinis emittatur, sedeant in aqua, quoad videatur sanguis satis fluxisse. Quibus consueuerunt fluere, & ob suppressionem morbus aliquis obortus est, vel morbi dispositio, vt lepræ, cancri,

Aperiendi ratio.

cancri,ſputi ſanguinis,hydropis,&c.ſunt aperiendæ. Aperiuntur autem mollibus & delicatis,qui venas admodum delicatas habẽt,ſi panno aſpero, aut follis aſperis, podicem confricent. Talia ſint folia ficus,cucum.agreſt. aut aliarum arborum,vel herbarum. vt borrag vel pãno infecto ſucco cepæ,vel centaurij minoris, vel felle, vel cyclaminis, aut aliorum acrium,vt braſſ. marinæ, chamel. thymel. Nos apertionem tentare debemus, priuſquam vehementiſſimus dolor oboriatur. In bene ſanis, in quibus neq; propter cachexiam, aut nimiam plenitudinẽ inflantur,curari debent in totum à principio. Id cõmodè fit auferendo cauſam primariã, & corroborando partes ſedis. Et ſi mulier ob frequentẽ partum, & difficilem dolorem vel fluxum hæmorrhoidas patiatur, poſt tertium aut quartum menſem, incipiat vti repellẽtibus, ne ſanguis accumuletur, & vt pars cõſtringatur,ne tempore partus tam facilè dilatetur, & ſanguinem recipiat.

Topica.

Commodiſſimum topicum remedium erit, quod paratur ex muſc.pſillij. & aqua peculi roſ. vel myrthi, vel plantag, vel ſolani. Ponitur ſupra ſtupas, vel pannum rarum, & poſt deterſionem podicis confricatur iis ſtupis vel panno, vel linimentum ſequens.

℞.ol.roſ. vel myrtil.vel cydonio ℥. iij. aquæ roſ.ſucci plantag.vel ceterac.vel ling.paſſ.vel ſolatri,vel ſemperuiui. vel vmbil.ven.ana ℥. ij. coquantur olea ad conſumptionem ſuccorum,poſtea in mortario plumbeo agitentur,donec craſſitiem quandam acquirant,& colorẽ mutent. Tali vnguento fricetur pars, vt ſuprà dictum eſt de muſci. Poteſt etiam addi aliqua pars muſcil. vel albuminis oui, vel ceruſ. lotæ, vel litharg.diligentiſſimè triti. Procurent,vt alui excremẽta ſemper mollia ſint,vt cum facilitate reiiciantur, quod fiet vſu panis ex ſecali, vſu pomorum coctorum, prunorũ aut herbarum emollientium, vel molliter detergentiũ in iure pingui coctarum, vt mal.lact.borrag.ciclæ, mercur.ſpinac. &c. Eadem facienda in iis,qui ob difficultatem excernendi inflantur. Vtantur frequenter caſſia ante cibum,aut aliis lenientibus aluum. Abſtineant à ſuppoſitoriis acribus,ſed conficiantur tantùm ex larido pingui, vel candela ex ſeuo. Si ad extrà ſint,fotus ex repellentibus & conſtringentibus

Quibus remollitur aluus.

Quibus vtendum in his qui rarò egerunt.

fieri possunt. Si internę immittantur succi per syringam & vnguenta liquida, vel fiant tentæ oblongæ vnguentis illitæ, & immittantur. Eadem vnguenta valent in principio doloris, quibus addi possunt vitelli ouorum, & albumina frequenter agitata. In vehementissimo dolore & tumore iamiam facto magno butyr axungiæ liquefactæ, aut pomata cõmodè iniiciuntur, vel lini semina aut fœnug. muscil. applicantur. Quòd si hæc non proficiant, ad ea, quæ magis à proprietate occulta, quàm manifesta conducunt, deueniendum, vt oleum de vermibus, in quo dicũtur aselli (ὄνους vocant) vel ol. de chrysomelis (vulgò *abrigots*, vocant) quę ego puto prodesse, quia degerunt aliquam portionem humoris serosi, & ol. relaxat partem distentam. Ob id ad doloris sedationem diligentissimè inspicere oportet, si pars sit cum aliqua inflammatione. Tunc enim refrigeranda & relaxanda est. Nam constringentia & verè repellentia in dolore vehementissimo nõ sunt apponenda, nisi fluxus immoderatus iunctus esset, & qui raró iungitur, nisi per arrosionem fluant hæmorrhoides. In dolore cum caliditate magna vtimur vnguẽto ros. viol. vel suprà dicto linimento, parato in mortario plumbeo, vel simile fit cum ol. viol. vel succo hyosquiami in pauca quantitate ponitur, vel ol. mandrag. in vehemẽtissimo dolore. Cogimur aliquando ob vehementiã doloris opiũ diluere in ol. viol. vel cham. vel viol. vel lil. & amyg. dulc. aut in muscil. fœnug. & supra partẽ apponere cum pauco croco. Si sine magna inflãmatione sit, potiúsq; ob distẽtionẽ dolor fiat, oportet retrahere sanguinẽ, ne fluat cucurbita apposita supra iecur, & lienẽ, & linimento ex ol. ros. myrth. & aliis cõstringentibus supra renes. Supra partem dolentem illinuntur olea superiùs enumerata, nempe lumbricorum, asellorum, & aliorum emolliẽtium, & digerentium. Vel fiant talia linimenta.

Quæ conducũt proprietate occulta.

℞. rad. lil. ℔. ß ol. amyg. viol. axung. porci an qr. j. decoquantur simul, deinde pistentur, & ad formam linim. reducantur, vel catap. addendo vitellos ouorũ coctorum contusos similiter N. iiij. applicetur supra partem. vel,

℞. radic. liliorum ℔. ß. ol. amygdal. viol. axungiæ porci ana qr. j. decoqu. simul, deinde pistentur, & ad formam linimenti reducantur, vel catapl. addendo vitellos

Linimẽta.

tellos ouorum contusos N.iiij. vel,

℞.musc.fœnu.seminis lini extr. cum vino ℥.ij. butyr. recen.℥. iiij. seui hirci ʒ.j. simul agitentur in mortario plumbeo, fiat linimentum, vel,

℞. vermes terrestres, vel sanguisugas N.xx. coquãtur in oleo amygdalarum dulcium, & diligentissimè contundantur, & applicentur.

℞.fæcis ol liliorum, & ol. hyperici an. ℥.iij. seui hirci ℥.iiij. fiat ad formam linimenti. Linimenta magis conueniunt, quàm vnguenta. Quòd si vnguenta parentur ex metallicis aut similibus, oportet esse diligentissimè trita, vt collyria, & dissoluta supra cotem. Sedeat in decoctione sequenti.

℞.radic. bismal. mal viol. an.M j. flor. chamo. mel. samb. hyper. an.p.ij. seminis lini, fœnug. an.℥ j. fiat decoctio in brodio pingui intestinorum, vel in aqua, quibus adde axungiæ porci ℔.j. Dolor aliquando prouenit propter asperitatem, cùm altera alteram tangit & confricat, ob id necesse est interponere bombacem intinctum linimentis appropriatis, vt si cum inflammatione, vnguentis scriptis ex succis, & albumine oui, vel ol.ros. vel viol. conueniat, vel muscilago psillij, & cydon. Si sine inflammatione, remedia, quæ parantur ex muscilagine seminis fœnug vel lini, vel ex seuo & adipe, vel terebinthina abietina mixta axungiæ gallinæ. Fluxus immodicus hæmorrhoidarum statim supprimendus, quia toto genere præter naturam est, & rationem caussæ habet. Refrigerat iecur & totum corporis habitum, & vires deiicit Supprimitur autem diuersionibus. Diuertitur autem euacuando sanguinem extra corpus, vel trahẽdo in partem remotam. Si multus non fluxerit sanguis, corpúsque multo sanguine abundet, vires valeant, & ætas non dissuadeat, vena brachij aperienda erit parua apertione, ne multus sanguis affatim fluat, & vt magis tenuis & serosus fluat. Si verò vel æger debilis sit, aut propter multitudinem sanguinis defluxi, fiant ligaturæ dolorosæ in extremitate digitorum. Apponantur cucurbitulæ supra iecur & lienem, vel sub alis, vt sanguis extra trahatur. Nam si sanguis multus sit in hepate vel liene, per illam regionem ad sedem defluit: apponendæ erunt cucurb.

Quibus supprimitur fluxus immodicus.

sub alis,vel in ea parte thoracis,in qua musculus brachij positus est. Diuersione facta,& reiectis alui excrementis vnguentum illud præscriptum ex succis herbarum, in mortario plumbeo agitatum vtile erit. Efficacius verò redditur, si huic vnguento dissoluatur ouum integrum cum testa assum diligentissimè contritum. Quòd si testa non bene cōteratur, dolorem faciet. Ob id prius probetur manu,num quid asperi reperiatur. Vel auferatur testa, & cuticula illa interna oui assi, & diligentissimè seorsum pulueriſetur: postea reliquo ouo contrito permisceantur. Erit & efficacius, si cerusam & lithargyrum receperit, vt prius dictum est. Si addatur bolus armena aut terra sigillata, vel fabrilis præparata, erit efficacissimum, & si herbarum astringentium succum in eo vnguento posueris, vt plantag. tapsi, bar. linguæ pass. burs. pastor. vt hoc modo.

Post diuersiones quid faciendum.

℞. succi plantag. burs. pastor. & taps. barb. an. ℥.ij. syr. acetos. simpl. ℥.iiij. cōcoquantur simul leuiter, in quibus misce sang. drac. ʒ.j. boli vel terræ sigill. vel rubricæ fabrilis ʒ.iij. radi. bistortæ subtiliter pul. ʒ.j. ß. ceruſ. lotæ ʒ.j simul incorporentur & reducantur ad formam linimenti. Hæc vnguenta, quæ sine ol parantur, magis constringuntur, quàm quæ cum ol. fiunt. Syr. acetos. conuenientissimus est, quia & repellit, & ob facchari viscositatem arida retinet, & facit adhærere supra partem. Possumus etiam vsurpare syr. myrtill cydo. & alios astringentes, vel succos, vt cydon. aut aliorum. Sapa etiam quādo sedandus erit dolor, & erit constringendum, vtilis erit ad excipienda medicamenta. Mucilagines etiam ad excipienda omnia ista & repellendum conuenient. Si sanguis multus & crassus fluat, argumento est, vt suprà diximus, sanguinem per deaurosim euacuari. Quare inspiciendus est locus affectus, num in eo vlcus aliquod appareat, quod facilè videri poterit, si æger in sella perforata sedeat supra mensam, aut aliquo loco edito & in luce, & frequenter locus detergatur. Ita enim deprehendetur à qua parte fluat sanguis, & tunc vnguenta ad curationem vlceris præscribenda erunt, quódq; à nobis præscriptum est ex cerusa & lithargyro, vtile esse poterit. Vel illud, quod recipit testam oui, quæ testa crustam facit & sanguinem

Sanguis crassus.

guinem à quacunque parte fluentem citissimè retinet & sine magno morsu resiccat. Deterget, vbi est detergendum, & crustam facit. Pul. ex testa non est abiiciendus, quia sanguis, qui ab vlcere effluit satis obtundit acrimoniam eius. In fluxu immoderato, & in vlceribus possunt fieri encathismata, vel potus, & oportet illa remedia esse actu frigida, vt constringant. Calor enim semper dilatat, trahit, & fluxiones auget, sed illa actualis frigiditas subitò constringit partes, & sanguinem repellit, facitque concrescere, qui concretus postea alium sanguinem retinet. Quare non erit præter rationem, si pulueres constringentes sanguine proprio, vel suillo, vel bubulo, vel asinino excepti, supra partem apponantur. Fiant autem ex his quæ constringunt, & vlcerationis curationem non impediunt. vt

Pul. ex oui testa.

In fluxu immodico quid.

℞. rad. bistortæ ℔. ß. rad. taps. barb. & suberis an. qr. j. calcitrapæ (quam puto esse veram spinam albam) M. ij. vel scorpiuron. M. j. vel burs. pastor. virg. pastor. vel herniariæ, vel ling. pass. M. j. syderitis M. ß. decoquantur in aqua cisternæ, & pauco vino astringente, & pars foueatur, vel sedeat in decoctione, & super herbas decoctionis. Vngere totam lumborum regionem vsque ad primam costam ol. vel vnguentis cõstringentibus, & nates etiam, non est inutile. In hoc fluxu astringentia intus assumpta non multùm valent. Nam si debilia sint, euincuntur, & inefficacia, priusquam partem affectam contingant. Si efficaciora sint, & multùm constringant, constringendo sanguinem exprimunt, & fluxum augent, ventrémque siccant. Quare satius erit illis abstinere, & potissimum pilulis de bdellio ad id commendatis, quæ quanquam valent, ad vlcera sedis, vteri, & aliarum partium internarum, si sanguis fluat, non possunt conuenire tales, quales fiunt in officinis. Cùm enim careant vero bdellio, myrrham, quæ bdellij modo lentescit, vsurpant, & sic illud medicamentum potiùs mouet, quàm sistat, vt nos sæpe experti sumus. Myrrha enim multũ mouet sanguinem, vt patet ex tro. de myrrha, qui menses prouocant. Quòd si quis velit ad vlcera, vel ad fluxum, paret sine bdellio, & eius loco ponat sanguinem draco. vel gummi tragac. aut arab. Hæc pilulæ sic paratæ exiccant serosam sanguinis

Vnctio lumborũ.

Pilulæ de bdellio in offi. paratæ nõ sunt ex vsu.

Myrrha.

substantiam,& crassiorem reddunt, vt de rasura ossis sæpe diximus. Incrassantia sanguinem præstare aliquam vtilitatem poterunt, vt si fieret hoc modo opiata ex emplasticis & siccantibus.

Opiata siccans. ℞.conf.symph.℥.j.ros. antiq.℥.ß.gummi tragac.arab. sang.drac.an.ʒ.ij.boli armeni ʒ.iij cum syr.de iuiub fiat opiata, vtatur mane & ante cœnam. Potest etiam addi rasura sepiæ & carabæ an.ʒ.iij.

Victus ratio.

Vtantur pro cibo amylo, hord.medicamento vel polenta ex farina hordei cocta in furno, parata cum iure pedum veruecis, vel porci,vituli,vel bouis. Sunt qui voluerunt huncfluxum deriuare,ídque prouocando sudorem vel vrinas, quod fieri nequit. Nam quæ prouocant vrinas, vel acria sunt, vel humida. Acria, vt verè cientia vrinas,qualia sunt spica celtica,nardi,semina apij,petro. & similia.Illa verò sua acrimonia fluxionem prouocat. Quatuor verò semina frigida maiora, ob humiditatem faciunt sanguinem liquidiorem, & magis serosum. Porrò quæ sudores prouocant,ea sanguinem fundunt. Quare nullum horum tentare oportet.

De Vermibus. CAP. XXIIII.

VErmes toto genere præter naturam sunt, ob id expellendi. Sunt autem tria genera, &, vt aliquibus placet,quatuor,scilicet.rotundi,longi, & alij parui albi similes vermibus casei. Tertium genus est illud quod à latitudine,latus vermis dicitur,potéstq; vermis aut tinea appellari Nam Græci tineam vocant fasciam oblongam & albam.Hic verò trium aut quatuor digitorum est, aut quinque,qui secundum longitudinem intestinorum extenditur,vel circumplicatur, vt longiores aliquando sint ipsis intestinis,vt qui tricenum sint pedum, vel plurium teste Plinio. Fiunt autem à pituita, vel à chylo viscoso.

Caussa material. Quòd si talis materia continua sit, & extensa, animatur non, vt Aëtius putauit, quando tunica intestinorum interior abscedit. Nam impossibile, tunicam illam abscedere, & accipere vitam. Aliqui putarũt cucurbituos esse fœtus lati lumbricis,sed id falsissimum est. Nam nulla est sexuũ distinctio,& ex putredine generantur. Alij autem dixerunt cucurbituos esse frusta lati vermis, sed neque id

id verũ est. Nam cucurbitui videntur esse animalia, non partes animalis. Fiũt omnes in putredine, quia vt Arist. docet, quod est putrefactum, ad aliquid gerendum est ineptum. Sed cùm ex aliqua materia, aliqua animalia generantur, quia illud totum quod est in ea re benignũ absumitur, ad generationẽ animalis. quod superest, est veluti fæx vel recrementũ, & redundans, quod naturali calore destitutum, facilè putrescit. Fiunt in sacco magis, quàm in alia parte lumbrici: Ascarides circa sedẽ: Lati secundum longitudinem coli. Si multi sint, qui chylum assumant, corpus minuitur, aut laborant quasi voulima ob assumptionem alimẽti. Si quiescant in suis locis alimentóque abundant, nihil noxæ adferunt. Sed si soluãtur ab intestinis, & ventriculum ascendant, potissimùm teretes per os & nares reiiciũtur, vel si os vẽtriculi mordeant, animi defectionem inducunt. Dignoscuntur autem tum ex his, tum ex acore anhelitus, tussicula inani, & sicca quę aliquãdo nonnullos infestat. Cum clamore expergiscuntur, qui laborant vermibus, & profundè satis dormiunt. Patiuntur quendam dentium stridorem. Cognoscuntur collecti in vẽtriculo ex eius morsu, nausea, fastidio & vomitu. Si in tenuib. intestinis consistant, tunc fluorem alui faciunt vel lienteriam, vẽter inflatur. Certissima nota est si aliquos reiecerint, vel assumpto medicamento purgante, aut amaro, aliqui descendant. Fiunt etiam quotidianis similes, & aliquando inordinatæ, vel horrificæ. Latus lumbricus ex illa cibi appetẽtia immodica facilè deprehenditur, & ex gracilitate, & imbecillitate, quæ sentitur sine alia manifesta occasione. Certissimã notã omnes esse volũt, reiicere cubitos, vel quia, vt aliquibus placet, sint frusta, vel quia parui remaneant, neq; possunt ad eam peruenire magnitudinẽ ob assumptum alimentum à maioribus. Ascarides autem in ano fiunt, & conglobati degunt infiniti, qui ob frequentem illam motionem aut succum tenasmum faciunt & ani pruritũ. Et quo frequentiùs alui excrementa reddunt, eò meliùs se habere existimant. Apparent in excrementis semper aliqui, sed potissimùm quando excrementa liquida, & biliosa sunt. Vermes sui ablationem indicant, cùm sint toto genere præter naturam,

In quibus partibus gignũtur.

Signa.

potissimum quando morbum faciunt, & quando fluxum, vomitum, morsum, & alia symptomata enumerata suscitant. Quando autem vermes reiiciuntur in morbis acutis, vt in febribus ardentissimis, & aliis morbis senum & puerorũ, nõ statim debemus nos ad illos nostram totam intentionem conuertere, vt mulierculæ faciunt, & medici mulieribus inseruientes, quod facit, vt ægri intereāt neglecto morbo, aut cùm magis ad vermes curationem conuertunt, quàm ad morbum, vt si febris continua, aut alius morbus biliosus, aut fluxus ventris aliquem occuparit, aut in morbis acutis in principio vermes reiecerit, semen contra dare solent, quod febrem maiorem accendit, vel corallum, & alia quæ astringunt, ad vermes occidendos, opportuna solēt administrare. Quæ omnia affectib. præcipuis aduersantur, vt multùm amara febri & fluxui ventris, astringentia & siccātia febribus. Quare oportet medicum diligenter distinguere, num febris à vermibus dependeat, vel vtrum vermes reiiciantur ob aliam caussam, qui semper continentur in ventre. Quòd si cognouerimus febrem aliunde fieri, quia quartana, vel tertiana, vel vera quotidiana est, nullúmq; quod vrgeat, symptoma ostendit, negligendi sunt, vel ea tantùm medicamenta præscribenda, quæ affectui præcipuo, & vermibus conueniunt, vt medicamenta laxantia in febre: cum vermibus, laxantia amara, & leuiter astringentia in fluxu & vermibus. In febribus ab obstructione & vermibus dare possumus syru. de bizantiis & acetosum cum decoctione & graminis, portulacæ. Adhibere topica remedia supra vmbilicum, quæ vermes interficiant, & protrudant, si vermes cum febre iungantur, tunc oportet esse amara & laxantia, vt quæ parantur ex pul. aga. fellib farinis amaris, aceto, succis herbarum, vt

Error medicorum.

℞. succi persicar. vel aizoi minor. ℥. j. extrahatur cum aceto. In illis succis diss. fellis porci, vel tauri ʒ. j. aga. ʒ. ij farinæ lupinorum q. s. ad inspissandam cum terebinthina, fiat ad formam cataplasmatis, applicetur supra vmbilicum. In hoc nos abstinemus à portulaca, corallo & farina lentium, quia hæc omnia astringunt, quibus non vtimur, nisi cùm vermes fluxui immodico iunguntur, quem compescere volumus, & post magnas euacuationes,

tiones. Nam in principio etiam licebit vti suprà dicto, aut alio calidiore, si febris non adsit. Myrrha, aloë, bitumine, petroleo, & aliis vehemẽter calfacientibus etiam abstinemus ob febrem, quibus in aliis vtimur, cùm sine febre vermes infestant. Si vermes in caussa sint fluxui ventris egeátque corpus purgatione, non est verẽdum vti aliquo medicamento purgante, & præcedente cataplasmate. Quòd si pueri fluxu lõgo, aut vomitione multa corpus satis purgatum fuerit; aut corpus redditum imbecillius, si diarrhea sit, tale conueniet.

℞. ol. cydon. ℥. ij. succi portul. ℥. j. ß. extrahatur cum aceto, farinę lentium ℥. j. ß. coralli rub. cornu cerui vsti ana ʒ iij. incorporẽtur simul & cum pauca terebinthina, vt adhæreat, fiat ad formam cataplasmatis. Quòd si volueris vnguentum facere, coquatur in ol. succus, & minue quantitatẽ farinæ, aut eius loco, adde cerę quantum sufficit, fiat vnguentum. In his omnibus topicis remediis acetum cõuenit ad penetrandum, sed maiorem addimus quantitatem, quando vel constringẽdum est, vel refrigerandum, vt in febribus. Si autem lieteria sit, calidiora, & quæ plus roborant ventriculum, eligenda sunt, vt facultas retentrix, & concoctrix simul reficiantur, & corroborentur. Fit autem hoc pacto.

℞. ol. de absynth. ℥. ij. ol. nardini ℥. j. succi mentæ ℥. ß. myrrhæ ʒ. j. aloës ʒ. iij. mastiches, corall. rub. ana ʒ. j. ceræ parum fiat vnguẽtum, tempore inunctionis adde parum aceti, vel vini maluatici. Oportet etiam secundũ illam rationem interna remedia inuenire, quæ vtrique affectui prosunt. Quòd si sine istis accidentibus pueri vermibus torqueãtur, remedia etiam calidissima, & efficacissima præscribẽda sunt. Itaque si latus lumbricus vel teres, medicamenta laxantia, & amara in principio danda sunt, vel amara in principio, vt occidantur, & postea laxantia, vt occisi expellantur. Cõfectio illa quę diacarth. dicitur, potentissimum est remedium, datum pueris ad vermes deiiciendos, & ad pituitã vel chylum corruptum, ex quo generantur, & nutriũtur, vel infusio agarici in oxymel. plurimùm valet rhab. quãdo vel fluxus ventris, vel bilis purgãda est. Potiones ad occidendos vermes parantur ex decocto port. vel absynth. gra *Syrupi cõuenientes*

minis, additis syr. conuenientibus, quales sunt syr. acetos. simpl. de bizantiis, si pituita extenuanda sit, vt in febribus: vel syr. de limonibus, de acetos. citri, quādo obstrictiones aperiend. & refrigerandum. Syrup. endiuiæ compositus, si est refrigerandum, vel laxandum, vel obstructiones aperiendæ. Si ventriculus & intestina detergenda, & corroboranda sunt syru. de absynthio. Si verò refrigerandum, & astringendum, syr. end. simpl. magis conuenit. Fiant hoc modo.

℞. syr. acetos. simpl. vel de bizant. ℥. j. vel ana ℥. ß. aquarum graminis & aspar. ana ℥. j. aquæ absynth. ℥. ß. misce pro vna dosi, vtatur per tres aut quatuor dies, quibus finitis dentur medicamenta laxantia. Interim dum vtitur istis syr. iniiciūtur clysteres ex lacte, saccharo, vel melle. Si febris adsit, ex hydromelite, vel iure pulli, & saccharo. Si fluxus vētris sit cum febre, ex decocto hordei & saccharo. Si fluxus adsit sine febre, ex lacte calybeato, & pauco saccharo rosato. Die verò ante purgationem addantur aliqua laxantia in prædictis clysteribus. Si sine fluxu sint, vt succum ciclæ. vel mercur. aut parum benedictæ vel hieræ picræ. Et omnes isti clysteres parentur sine oleo, nisi quando iam attractos volumus euacuare, & medicamentis laxantibus vtimur, maximè si aluus sicca & astricta sit.

De colico dolore. CAP. XXV.

COlicus dolor symptoma est, quod sequitur continui solutionem, quæ fit à distentione coli, aut frigida intemperie. Intemperies autem frigida fit à pituita vitrea aliísque pituitæ speciebus, quæ lentore suo ita intestinis adhæret, & frigiditate sua ita lædit, vt intestinum perforari videatur, & dolor fixus est in vna parte intestini, qua nota discernitur ab ea, quę fit à flatibus distendētibus intestina, & à multitudine alterius pituitæ. Fit etiam, sed rarò, à materia calida, quæ calidam intemperiem inducendo, dolorem facit acrem, & velut mordicantem. Hæc species sequitur magna ex parte biliosos morbos, cùm bilis retinetur, vt in ictero, febribus biliosis, & præcedit dysenteriam. Illis notis cognoscitur, aut si bilis retineatur, quæ solebat expurgari. Irritatur maximè auxiliis calorificis, cùm in aliis caussis magnam

Nota pituita vitrea.

Nota biliosa collica.

magnam præstent vtilitatem. Sequitur etiam magnas duritiés factas in intestinis, aut retentionem excrementorum durorum in ventre, ob quas duas caussas distenduntur intestina copia recrementorum & flatuum. Cognoscitur ventris distentione & tumore, & à recrementorum retentione, quæ quotidie solebant excerni. Durities autem deprehenditur tactu. Fieri etiam potest ab inflammatione intestinorum. Colicus dolor conuenit cum iliaco & nephritico, & vteri dolore. Ab iliaco quidem, quòd in eo sit magna ex parte febris, & vomitus, non solùm pituitosus, vel biliosus, sed aliquid chyli per intestina, & aliquando nonnihil fœtoris habet. Hæc non solent in prima vomitione, neque in secunda apparere. Nam primis illis vomitionibus reiiciuntur ea, quæ in ventriculo collecta sunt. Dolor iliacus est magis fixus, & magis in circuitu vmbilici: Coli verò dolor magis in lateribus, & paulo infra ventriculum ob illam reuolutionem coli, supra fundum ventriculi. Quare nō est nota admodum certa, neque in colico dolore, neque in dysenteria præsentiscere dolorem in superiori parte. Discernitur autem ab vteri dolore, quòd dolor vteri fiat magis in ligamentis, quàm in alia parte, & maximè post partum. Discernitur hac certissima nota, quòd dolor descendat ad inguina, & à multis credatur dolor coxendicus, propterea quòd vteri ligamenta ferè ad internam coxendicis partem perueniāt, & ligentur. Fiunt & vteri dolores, quibus difficulter fluunt menses, eo tempore, quo fluxuri sunt. Tunc dolor circa renes magis sentitur, quàm in interioribus, & aliis partibus, ob distentionem factam in venis prouenientibus, ad vterum cum vasis spermaticis, & ad cornua vteri. Dolor nephriticus duplex est, vnus, qui sequitur inflāmationes renum, alter, cùm lapis aut pituita per vreteres descēdit. Si ob inflāmationem renum, febris adest, quæ colicum dolorem ab hoc distinguit, estque sensus doloris cum maxima renum caliditate. Si ob calculum aut pituitam excitatus sit, dolor incipit à renibus, & in vesicam desinit, fixus est, & diutius durat. Vrina aquosa, & tenuis in principio, vel turbida aut retinetur vrina. Hisce notis distinguitur a colico dolore.

Signa.

Quibus est conuenit dolor colicus.

Distinctio iliaci à colica.

Quomodo discernitur ab vteri dolore.

Nephriticus duplex.

Distinctio nephritici à colico.

Curatio colici à pituita vitrea.

Colicus dolor à pituita vitrea non curatur, nisi post multos dies, & post euacuationem, & alia multa remedia, quia pituita multùm cruda est, & multùm resistit concoctioni expulsioníque. Quare erit vtendũ fortioribus remediis. Si in principio æger vomat, optimum erit impetum naturæ iuuare larga potione olei & vini maluatici permixtis, aut leui decoctione asari. Si nõ vomat, optimum est prouocare vomitũ, si ad id aptus sit. Postea iniiciatur clyster molliens, & calefaciens multùm, qualis est ille ex decoctione rutæ, pulegij vtriusq; hyss. aliísque attenuantibus & calfaciẽtibus paratus, vt, ℞. radic. bismal. liliorum, brion. ana q. j. puleg. vtriusque, marrub. abrotani ana M. j. florum chamom. melil. sampſ. vel anthos, vel stech. ana p. j. seminis lini, & fœn. ana ℥. j. anis. fœn. sesel. ana ℥. ß. fiat decoctio in aqua & vino albo. in ℥. viij. diss. benedictæ ℥. j. vel ℥. j ß. si difficilis sit aluo, vel indi maioris, vel diaph. vel hieræ picræ, vel hieræ colocynth. tãtundem, butyri antiqui, vel pinguedinis porci antiquæ ℥. ij ol. veteris, vel aneth. vel rutac. vel nucum ℥ iij. Oleum autem præstantissimum est oleum nucum ob partium tenuitatẽ. Isti clysteres fortiores dandi sunt, & in principio, & post aliquam coctionem materiæ. In principio, quia est minuenda magna illa copia recremẽtorum recti intestini & coli, post concoctionem materiæ ad eradicationem. In medio tempore oportet clysteres esse minùs trahẽtes & magis concoquẽtes, vt si fierent ex decocto paulò ante descripto, non additis laxantibus, addita magna quantitate, vel butyri, vel olei, vel pinguedinis, addito parùm mellis, vel sacchari, vt semper aliquid detergatur, vel ex solis oleis, & vino. Euacuatis vtcunque recrementis crassis, induratis ab intestinis & vomitione vtcunque purgato ventriculo, crudis illis humoribus vtilissimũ erit pilulas de hiera simpl. præscribere, vel elephanginas, vel de benedicta, aut aliquas alias, quæ neque myrobal. neque medicamentum aliquod astringens recipiant, aut fortiter attrahens Illis enim fortioribus vtendum est post materiæ coctionem. Fiunt autem hoc modo.

Clyst. molliens & calefac.

Pilulæ.

℞.pilul.de hiera simp.vel de aromat. ʒ.ß.castor.℈.ß. cum syr.de stech.vel de bizan.vel de arthem. fiat pilulæ. Hæ ob castoreum liquefaciunt pituitam, & soluunt dolorem. Fieri etiam possunt pilulę ad sedationem doloris, si admodùm vrgeat, sic:

℞.pul diagalan.aro.ros.ana ʒ.ij.castor ʒ.ß.euphorb. ǧ x.ol.2.diligentissimè contusi cũ pistillo ferreo calido, dissolutiq; in vino maluatico ℈.j.ß.piper.croci,myrrhæ ana ℈.ß. formentur pilulæ x pro ʒ. capiat pilul.4.aut 5. Quòd si non sedetur dolor, dentur 9.aut 10. Sunt autem conficiendæ paruæ & molles, vt citiùs dissoluantur, & citiùs dolorem sedent, minúsque in vẽtriculo remorentur. Vtile est medico has pilul.habere paratas domi suæ. Nam ob insignem facultatem, & præsentem vtilitatem Pharmacopolæ his abuti possent. Eædem pilulæ vtiles erũt in nephritico dolore, à calculo, vel à pituita, addito ℈.j.carabæ ad ʒ.j pilularum. Si ab inflammatione dolor vrgeat, eædem pilulæ sine euphorbio, pipere, & myrrha, vtiles erunt. Ad concoctionem materiæ & sedationem doloris, post præcedentium remediorum vsum, cataplasmata, & residentia clysteris, fotus ex decoctione eiusdẽ, augendo seminum, florum, & herbarum quantitatem conuenientem. Post fotum & cataplas. inungatur regio ventris oleis calfacientibus, attenuantibus, incidentibus & relaxantibus, vt ol.antiquo, irino, kerino, rutaceo, quibus addendum est vinum maluaticum, vel parum aquæ vitę, loco aceti ad penetrationem, vel addita cera, & pauca terebin. fiat vnguentum sic:

Pilulæ ad sedationẽ doloris.

℞.axung.gall.vel buty.non saliti ℥.ol.cham.aneti ana ℥.j.ß.terebin.℥.j.semin.apij petro.galangæ, spicæ vtriusque an.ʒ.ß.ceræ parum, fiat vnguentum, quo inungatur totus venter frequenter, addendo vini, vel aquæ vitæ parum, tempore inunctionis. Post vsum horum remediorum, dentur pilulæ priores, quibus adde pro ʒ.j. tro.alãdal.ǧ vj. ag.tro.℈.j. Clysteres, qui iniicientur, sint similes primis. In iusculis semper ponatur vinum maluaticum, vel decoquat aliquot ǧ piper.aut galangę, aut zinzib. vel in aqua bullita ad parum, potum cinamomi, vel cardamom. & hoc cùm nulla adest febris. Nam si febris

Vnguentum.

adest, quod rarò euenit, minùs calorificis est vtendum. Si sitis vrgeat ob clamores, & dolores, neque adsit febris, detur syrup. capill. ven. cum decoctione piperis, vel anis. vel galangæ decoctorum in multa aqua. Nec est danda aqua hordei, ob flatus, quos gignit. Si quis velit concoque humorem syrupis, conueniunt omnes, qui sine aceto parantur, & vim habent incidendi, attenuandi, & detergendi, vt syr. capill. de bizantiis, de stech. de gly. commiscentur, vt fiant imbecilliores, & fortiores. Imbecilliores, vt:

SYRVPI.

℞. syr. capil. & de stech. de arthem. ana ℥. iij. vel syr. de gly. & mell. anth. vel scill. cum syr. de bizantiis, vel capil. an. ℥. iij. dissoluantur syrup. in aquis similibus, vt in aqua beth. melissi. hyss. absynth. & mentæ, vel in decocto illarum herbarum, vel cum aqua bullita præscripta, cum pipere, galanga, vel cinamomo. Si colicus dolor fiat ab aliqua materia pituitosa, eadem ratione curandus erit, nisi quòd imbecilliora paulò oportet esse remedia. A flatib⁹ fiunt dolores in ventre, sed aliquando flatus retinentur in intestinis, aliquando extra intestina, vt in mesenterio. Prima species facilè curatur remediis suprà scriptis ad pituitam, adauctis seminibus flatus discutientibus in clysteribus, vnguentis, cataplas. aliisque remediis. Retinentur autem in intestinis ob fęces induratas. Quare primus clyster emolliens erit, & fortiter euacuans. Secundus discutiens & euacuans. Tertius discutiens, & relaxans. Primus clyster præscriptus conuenire potest, secundus fiet hoc modo.

Alia species doloris colici & curatio.

℞. mal. cum radic. bismal. an. M. ij. beth. mercur. orig. ana M. j. fic. pass. pa. xx. semin. lini & fœnug. ana ℥. j. anis. fœnic. carui, cumini ana ℥. ß flor. anth. stech. chamo. ana p. j. fiat decoctio in aqua & vino, & diù decoquantur herbæ, vt flatus deponant. In ℔. j diss. mell. anth. sacch. rub. ana ℥. iij benedictę vel hierę, vel aliorum suprà enumeratorum ℥. ß. ol. rutac. vel nucum ℥. iij. misce, fiat cly. In secundo clystere oportet plus decoctionis addere, quàm in primo. Nam in primo sufficit ℥. octo inicere ob plenitudinem distendentem. Dosis laxantium augetur, vel minuitur secundum operationem prioris clyst.

De clysterum varietate.

Clyst. eua. discutiēs.

& ple-

& plenitudinem excrementorum. Sal in primis clysteribus addi potest, quia sollicitanda est facultas expultrix: in vltimis verò non est addendum, quia sua acrimonia dolorem excitat. Tertius clyster paretur hoc modo.

℞. apij, petro. anethi, cymini an. ℥. ß flor cham. melil. samb. ana p. j. fiat decoctio in vino & oleo antiquo, vel cham. vel rutae vel nucum de col. cap. ℥. x vel xij. & iniiciantur. Vinum hippocraticum, maluatic. aut claretum (quod de melle, pipere, & cardamomo fit) conuenietissimum, si per se vel cum aliis iniiciatur. Si colicus dolor ab inflammatione, vel bile fiat, clysteres detergentes iniiciendi sunt, vt qui parantur ex decoctione hordei vel torrefacti, addita pauca quantitate anisi: miscentur enim etiam aliquando flatus. Saccharum rub. vel mel. viol. dissoluere oportet, vt *Discut. & relaxant.* *Colic. dolor à calore.*

℞. hord. mundati, aut integri leuiter torrefacti p. ij. anis. ʒ. j. fiat decoctio in ℔. j. colaturae diss. mel. viol. vel sacch. rub ℥. ij. fiat clyster. Si ab inflammatione fiat magis, quàm a bile, clysteres magis refrigerantes, & laxantes parandi sunt, vt

℞. rad. bismal. qr. j. fol mal viol. ana M. j. (fol. nucum cucurb. citruli, si reperiātur, poni possunt) sem. lini. ℥. ß. quatuor seminum frig. maior & anis. an. ʒ. ij fiat decoct. In ℔. j. col. diss. mel. ros vel viol & sacch. rub. manae granatae, si diues sit, ℥ ij. ol ros. vel viol. ℥. iij fiat clyst. Butyrum, vel axung. porci non salita addi possunt ad ℥. ij. lac omne iniiciendum in omni dolore, qui fit ab inflammatione, vel ab acrib. humor. addito sacc. ne retineatur. Glandes sufficiunt in inflammationibus ad irritandam facultatem expultricem, modò inflammatio sedem, aut partem inferiorem intestini non attingat. Quòd si æger pilulas deuorare non possit, benedicta dissoluta, vel hiera, vel indum maius in decoctione anis. vel quatuor seminum calid. maio. vel in aquis calfac. possunt dari. Et in dolore à bile, si non fluat venter, syrup. ros. laxatiuus cum decoctione anisi detur. In dolore verò ab inflammatione non conueniunt medicamenta laxātia, sed potiùs missio sangu. vel cassia dissoluta cum decoctione hordei, & anisi. Potest etiam poni cassia in clysteribus ad inflammationem, non in aliis, quia flatus gignit Præ- *Præcautio.*

cautio est ab hac affectione. abstinere à nimia cibi plenitudine, & ab alimentis flatulentis: frequenti vomitu vel euacuatione facta pilulis de hiera, vel de arom. sumptis semel in hebdomada: vel si vinum ponant in iusculis, vel si ante cibum vtantur pul. discutientibus flatus præscriptis in li. de compositione medicament. vel sumpta tab. j. diagal. aut aro. rof. superbibẽdo parum vini albi diluti in aqua mentæ, vel absynthij. Aluus est sollicitanda, ne retineantur excrementa, glandibus, vel clystere, vel ficubus sumptis ante pastum, aut prunis dulcibus decoctis cum multo saccharo, & ante cibum sumptis. Acida enim pruna ventrem lædunt, & colicum dolorem faciũt. Vtantur tenui & attenuante victu.

De dolore colico ex prima dictatione. CAP. XXVI.

PRimũ sedetur dolor, dilatata ad tempus vera curatione, quæ caussæ debetur. Ad hoc facit clyster molliens sic.

℞. rad. alth. & lilio. an. ℥. ij. mal. bismal. branch. vrs. an. M. j. pariet. M. ß. flor. cham. p. j (Althea & cham. valent mirè ad dolores internos) fiat decoctio. In col. diss. buty. recens, & ol. commune, vel amygdal. dulc. aut de lilio. Clyster hic præcedere debet acres aut discutiẽtes, qui si in principio iniiciantur, exacerbant, eorum vi attenuata pituita ex crudis humoribus. Quòd si donec hic clyster paratus sit, ob doloris vehementiam expectare non liceat, alter parabitur ex oleo & butyro simul liquatis, & succo mercurialis, aut betæ, quæ irritant facultatem expultricem, circa magnam calfactionem. Si dolor non sedetur hoc clystere, fiat alter ex eisdẽ, ex quibus superior, addendo semina calida maiora, vel minora ad ʒ. j. flor. anth. & stechad. ana p. j. In col. dissolue simul ol. discutientia, vt aneth. chamo. rutac. nucum, & reliqua huiusmodi. Sunt & dissoluenda cathartica, vt hiera picra, benedicta, indum maius, diaphenicum, quæ non tantùm clysteri vim præbent discutientem, sed & purgatoriam. Validiora sunt seminibus calidis suprà commemoratis, semen rutæ, seseli, baccæ lauri, & similia. Quidam admiscent decoctis carth. & aga. Si dolor penetret & multùm torqueat, ad narcotica confugiẽdum est, quorum duplex est vsus. Aut enim sola dantur, aut cum cathartico. Idq; ratione

ratione & vtilissima, & certissima dantur cum catharctico duobus modis. Aut enim confectiones, opiatas cathartico immiscemus, vt

℞. asyncriti vel theriacæ recentis, aut philon. ratione scam preparati ℈. j. vsque ad ℈ ij. quia valde sopita est facultas expultrix & impedita. Hoc cõuenit post clysterem. Aut ag. tro ʒ. j. misce, fiat bolus. Aut opium miscetur purgantibus medicamentis, adiecta pari potione castorei, si ea castoreum non recipiant, vt

℞. hieræ picræ, aut diaph. aut benedictæ, aut indi maio. ʒ. ß. opij casto. an. g. iiij. plus minus, fiat bolus. possent ei immiscere, quæ astringentia non recipiant. Pilulę, quę ex speciebus hieræ, aut ex gummi parantur, sunt vtiliores. Hac methodo caussam morbi abscindimus, simul & dolorem tollimus. His sedatus dolor, si aliquando post ingrauescat, vel quia assiduè à cæco in crassum fluit pituita, vel quia ex aliis partibus corpotis humores in ventrem decumbunt, vel quia febres diuturnæ in dolorem colicum sunt permutatæ, tum vniuersum corpus purgãdum est, ac humor concoquendus, qui morbum excitat, fouétque, coquitur apozemate sequente.

℞. rad. alth. glyc. an. ʒ. j. ß. rad. apij, petro. vel quinque communium an. j. pass. fic. an. pa xx. quatuor seminũ calid. maior. an ʒ. ij flor. cham. mell. an p. j. anth. stech. ana p. ß in ℔. j. ß. col. diss. sacch. q. s. aut mell. ros. aut syr. de hyss. de stech. de bizant. de cala. Non est dãdum oxymel, quia valde nocere sum expertus propter acetum solùm, intestinis & neruosis partibus aduersissimum: œnomeli, eius loco, vtilissimè dari poterit. In purgatione facienda sunt, quæ Rasis imperat, vtpote nimis violenta, quæque periculum inflammationis sæpe adferunt, deturbatis in ægram partem humoribus, vt veratrum, turbith. colocinth. scam. & alia id genus violenta. Nec conuenit rhab. & myrobala. ob facultatem astringentem, cùm opus sit attenuatoria & detersoria. Faciunt enim cruciatus recidiuos. Nec sena, vt quæ sua vi tormina pariat, nec cassia, nec pruna, manna, & eiusmodi dulcia vel aquea, & fatua: quoniam authore Mes. facilè in flatus vertuntur. Vtiles sunt ad purgationẽ pilulæ ante cibum, de hiera simplici, de aro. imperiales, de benedicta, adiecta portiũcula aga-

Apoz. coquens.

Quæ minus conueniunt.

Pilulæ cõuenientes.

rici, quoniam hę miscentur attenuantibus & discutientibus magna ex parte aro. quibus ventriculus & omnia viscera corroborantur. Dabimus & pil. lucis maiores. Nam etsi myrobal. recipiant, tamen quoniam constant incidentibus & attenuantibus conueniũt. Pilulæ fœtidæ maiores addi possunt, de castoreo. Si æger pilulas non possit deuorare, paranda erit potio ex expressione ag. iamdiu tro. & in ea diluta hieræ, aut benedictæ portione exigua. Post purgationem danda est in multos dies sequentes rab. vna aro. ros aut ros. nouell. aut diacymini, diagal. diatrium pip. singulis matutinis, vt partes interiores vi morbi læsæ reddantur suæ constitutioni pristinæ. Si dolor post summa narcotica repetat, & perseueret, lauetur æger balneo ex eisdem medicamentis, ex quibus clysteres parantur, scilicet, mollientibus in colica stercorosa, & discutientibus in flatuosa. Sed aduerte vsum balnei, non esse commodum ei, qui ad conuulsionem, resolutionem, aut arthritidem sit procliuis. Nam liquescentes, & calore balnei fusi crudi, & crassi humores, in eas partes imbecillas decũbunt. In huius periculi metu fotus adhibendus erit. Cæterùm ob id balneum vtilius cẽsetur, quòd partes omnes æqualiter calfacit. Fotuum non est perpetuus calor, quoniam sæpe mutanda sunt ea, quibus pars ægra fouetur. Proderit etiam instituere puluerem post pastum ad iuuandam concoctionem, sed non sic parandus, vt sine discrimine vulgò solẽt, ex multo coriandro, corallo & diacyron, sine speciebus, quasi propositum sit os ventriculi constringere, & resiccare, sicque efficere, ne vapores in cerebrum efferãtur. Aliud vero spectandum est, nempe vt crudis humoribus perfrigeratus ventriculus modicè calfiat, sicque facilius & melius concoquat. Nec iuuant multùm calida, quoniã cibum, priusquam elaboretur, crudum expellunt, sed quæ modicè calfaciunt, & astringendi facultate quadam prædita sunt, vt cortex & succus citri, cinamomum crassum, &c. Pulueris post pastum exemplum erit.

Vsus balnei quibus conuenit, & quibus non.

Pul. post pastum.

℞. anis. conditi ℥. iij. fœnic. ℥. j. ß. coriand. ℥. ß cymini, carui, selel. in aceto maceratorum, aut in vino albo (vt calor mitigetur, & ingratus eorum sapor mitescat) ana ʒ. j. corticis citri sicci, cinamomi crassi ana ℈. iiij.

sacch.

ſacch. ad duplum omnium, vel ad pondus omnium fiat pul. cuius cochlear j. etiam ſuperſumptum eos iuuabit, addito pipere longo, vel nigro iis, qui hoc morbo crebrò vexantur. In hoc medicamento aniſ. eſt fundamentum, quoniam & ſuauiter olet, & grati eſt ſaporis, & viſcera omnia corroborat. Sunt, qui in hoc morbo catarcticum metuunt, quod Galen. præceperat cauendum ab iis, quę trahunt humores ad partem affectam. Sed non animaduertunt, quòd Galen. tantùm dixit de phlegmone, neq; quicquam periculi eſſet, ſi in ea parte via eſſet, qua quod attractum eſt, excerni poſſet. Pulueribus poſt paſtū gly. non eſt admiſcenda, vt vulgus facere ſolet, quoniam vētrem laxat, & diſſoluit. Coli dolor ab humoribus acribus ſanatur his eductis, clyſtere emolliente, & refrigerante, qui paratur, vt ſuperiores, additis ſeminibus frigidis, & ol. viol. & violaria. Quamuis affectus ſit calidus, non tamen conueniunt frigidiora, vt nymphea, mandrag. quoniam ea frigidæ intemperaturæ inteſtinorum nocent, ſed potius lenientia, & detergentia citra caliditatem, vt decoctum hordei, parietaria, beta, ſebeſten, & ſimilia. Cauendum ab vſu prunorum, à quibus maximè diſſoluitur ventriculus. Cæterùm per os dantur rhab. tamarind. infuſi cum ſyr. viol. aut tantillo ſyr. de papauere. Cinis inteſtinorum lupi, cinis cornu cerui, ab occulta quadam proprietate valde conferre creduntur ad dolorem colicum, cuius rei ratio nulla reddi poteſt, ſed ſolius experientiæ eſt inuentum.

De dolore Ilei. CAP. XXVII.

ILeos ſymptoma eſt inteſtinorum gracilium, à Latinis conuoluulus, à Barbaris (miſerere mei) dictus eſt, & quidē circumuoluulus à circumactione, quòd videatur dolor circa vmbilicum ægri. Fit autem à bile multa aſſeruata in gracilibus inteſtinis, vel à cibo corrupto, vel à cruditate. Retinentur autem hæc excrementa ob factam obſtructionē à recrementis, vel ob tumorem inflammationis. Dolorem vehementiſsimum hæc omnia excitāt, tum ob materiæ acrimoniā tum ob partis ſenſum. Magis enim ſentiūt, quàm craſſa inteſtina. Fit etiā ob peritonei ſtructurā, aut propter laxationem, cùm inteſtina recrementis plena, deuoluuntur in ſcrotum, vocatúrq; Ileos,

Quanquam Ileon intestinum non deuoluatur, sed à similitudine symptomatis. Sequitur enim vomitio stercorosa, materia dura deuoluente in scrotum, & inflammata, quæ nota propria est Ilei. Discernitur notis narratis in colico dolore, & vomitu potissimùm. Si fiat ab inflammatione intestinorum gracilium, sanguis est mittendus è brachio. Pars inferior exoneranda balano, vel clystere detergente & emolliente, qualis fuit descriptus cap. superiori pro inflammatione intestinorum. Cucurbitulæ in inguinibus, aut circa inguina sunt apponẽdæ, etiã cum scarificatione. Cataplasma ex farina hordei, fœnug. butyro, vel axungia porci, ol. chamo. parandum est. Vtilissimum est in vehementissimo dolore post sanguinis missionem & alia remedia, dare ℥. ij. ol. amyg. dulc. recenter extracti. Quòd si hoc remedio, & aliis non remittatur dolor, pil. suprascriptæ sine euphorb. pipere, & castoreo erunt ex vsu. Vomitum, si à natura non adsit, optimum erit leuiter prouocare, aquæ tepidæ potione cum ol. vio. Nam pars media per interiorem, & superiorem partem expurgari potest. Iunctiones etiam faciendę sunt supra partem dolentem ex relaxantibus & emollientibus, vt

℞. ol. amygd. dulc. de lilio an. ℥. ij butyr. recentis & axung. gallinæ vel anaris an. ℥ j. mucil. seminis psilij ℥. j. ß. terebinth. & ceræ parum, fiat linimentum. Vomitio non est compescenda, donec tota cacochymia fuerit euacuata. Fotus ex decoctione herbarum emollientiũ faciendi. Post hæc remedia, theriaca recens erit admodum vtilis, sumpta quinque horis post cibum, & maximè si iliacus dolor post medicamenti venenosi assumptionem oriatur. Si dolor à materia cruda fiat, erit iisdem vnctionibus, & cataplasmatis, aliisque topicis concoquenda, vt prius in colico dolore dictum est. Diligentissimè est obseruandum, vt alimenta in forma liquida sint. Melius enim descendunt, & melius conficiuntur. Quòd si obstructio fuerit soluta, nõ erit inutile dare aliquas pilulas, quę ventriculum & intestina detergant, citra magnam calfactionẽ, maximè cùm à putredine, & cruditate fit. Si autẽ ab inflammatione, minùs conueniunt medicamenta laxantia, sed clysteres fortiores, postquam consistit defluxio, vt id, quod est impactum parti, per inferiora trahatur,

hatur. A principio autem ſi ex inflammatione fiat, non ſunt dandi acres, neque trahentes, ne materia ad partem affectam trahatur, vt Gal. docuit, 13. meth. In aliis cauſſis, quæ ſunt citra inflammationem, licet etiam fortioribus vti iniectionibus. Nam Gal. tantùm prohibet in inflammatione, & affectibus, qui fiunt per defluxionem. Affectus magna ex parte lethalis eſt, nihilominus tentandi ſunt remedia omnia, vt balnea quæ ex anodynis & relaxantibus fiunt, & non in principio, ſed poſt euacuationes & poſtquàm defluxio conſtitit, aut partes inferiores, & ſuperiores euacuatæ ſunt. Soluit enim dolorem & humorem ad corporis habitum trahit.

De Ileo dolore ex prima dictatione. CAP. XXVIII.

INflammatis, craſſo & voluulo inteſtinis remedium eſt præſtantiſsimum ſanguinis miſsio vſque ad animi deliquium. Deinde vomitus prouocandus ſola aqua tepida quæ diſtentas partes relaxando, dolorem mitigat, vel ol. viol. adiecto, quod idem efficit, & præterea calorem temperat. Vomitu idcirco purgantur ſuperiora, vt ad partem inflammatam non defluant excrementa. A ſanguinis miſsione imperanda eſt inedia ad 24. horas, quoad certũ ſit, detracto ſanguine, inflammationis magnitudinem fuiſſe remiſſam. Quòd ſi neceſsitas vrgeat, cibus dandus eſt, íſque medicamentoſus, vt iuſculum galli veteris, cuius venter infarctus ficubus ſit, paſſulis & ſeminibus frigidis, ac butyro. Paſſuli & caricæ dolores inflammationum mulcent, butyrum lenit, & aluum relaxat. Primò nõ erit inutile clyſterem acrem iniicere, quo repurgentur inteſtina. Nec metuenda eſt acrimonia, quoniam malum eſt in ſuperioribus inteſtinis procul à ſede. Poſt hæc lauandus eſt æger balneo emolliente, ac refrigerante, vt ex mal. althea, violacea, & ſimilibus. Nõ probatur eorum conſilium, qui ex alto tepidam ventri affundunt. Nam etſi eiuſmodi embrocationes in doloribus capitis laudarit Gal. non tamen in cæteris partibus, & preſertim ventre conueniunt. Tepida enim facilè refrigerantur, ſicque calorem cum ſanguine & ſpiritu intrò pellunt, vnde augetur inflammatio. Satius verò fuerit, ſi propter balneũ aliud remediũ placeat, illinere ventrem iis, quæ modicè calfaciunt, & laxãt, vt ol. cham. viol. mu-

cilaginibus seminis lini, & similibus. Dantur etiam narcotica, vt in dolore coli, sed recẽtia. At in dolore coli, inueterata: quoniam in recẽtib. vis opij nõdum est obtusa satis, & est plus in ileo, quàm in colica refrigerandum.

De Hepatis affectibus. CAP. XXIX.

IEcur membrum est principale, cui commissa est facultas principalis, quam nutritoriam vocant, & illius gratia alia membra facta sunt quæ sunt sub septo transuerso, si generationis membra excipias. Nam intestina gracilia, venæ mesaraicæ ad alimenti præparationem à ventriculo delati sunt facta. Splen, vesica fellis, renes, vesica, ad recipienda excremẽta facta sunt, venæ ad sanguinis facti delationẽ, & conseruationem. Epiploon ad coctionem iuuãdam. Quarum partium cùm aliqua insigniter læditur, hepar etiam per cõsensum afficitur, vel eius coctio frustratur. Quare considerãdum est hepar vt pars similaris, & organica. Vt pars similaris, laborat intemperie calida, frigida, humida, & sicca tantùm, vel cõpositis, & rursum cum materia, vel sine materia, eáque vel calida, vel frigida. Si calida, aut est sanguis, aut bilis, aut alter vincit alterũ humorem. Sic fiunt in hepate multæ inflammationes à multo sanguine limoso, vel à sanguine bili permixto, inflammatio erysipelatodes, vel è contrà. Erysipelas exactũ vix fit in hepate, sicut nec ob vicinam bilem inflammatio, vel ob copiam sanguinis. Si verò humor redundans crassus sit, vel est pituita, vel terreus humor melancholicus. Rursus isti humores, vel sunt in tota substantia multùm sparsi, & faciunt tumores duros scirrhosos, aut œdemata, vel sunt in venis infarcti, lenti aut crassi, & obstructiones pariunt. Fiunt & quandoque tumores ex crassis flatibus. Obstructio fit vel in meatibus chystis, ad quam sequitur icteritia flaua, cùm bilis non recipiatur à sua vesicula: Vel in eo meatu, qui est à vesicula fellea, ad intestina, & huius ratione duo sequuntur symptomata, alui astrictio, & coloris recremẽtorũ mutatio: sunt enim alba aut cineritia. Si verò obstructio est in venis hepatis, vel in parte concaua, scilicet, in ramis venæ portæ, ad quã sequitur fluxus chylosus, vel lotiuus, vt practici vocant, quia excrementa similia sunt loturæ carnium. Vel obstructio fit in radicibus venæ cauæ, &

næ, & tunc sequitur atrophia, & circa partem posteriorem iecoris grauitas in distributione alimenti, ob retardationem alimenti in caua parte iecinoris.

De imbecillitate iecoris.

Imbecillitas hepatis est, cùm ob vires suas debiles sanguificationem non facit. Tales hepatici dici possunt. Sed hæc imbecillitas à morbis supradictis fit. Nam, vt Gal. in vniuersum dixit: Omnis intemperies nata est impedire actionẽ, & cùm magna est intemperies, imbecillitas fit. Quare qui mederi voluerit huic imbecillitati, caussam agnoscat oportet, quod erit promptum assequi ex effectibus caussarum. Vt si calida intemperies, agnoscitur ex eo, quòd calfaciendo chylum in bilem mutet, vnde sequitur vrina ruffa, alui excrementa crassa, biliosa, fœtida, acria. Si in ventriculum fluat, nausea, vel biliosa vomitio, oris amaritudo, sitis interna, manuum caliditas & pedum, & pulsus celer. In ambitu corporis fiunt pruritus, & aliquando sentiuntur calidi fumi per cutem ferri. Hæc sunt, quæ calidam intemperiem ostendunt. Cum materia biliosa, raro fit intemperies, quin bilis retentio, vel febris aliqua præcesserit, vel nõ sequatur bilis, & serosorum humorũ maior generatio. Raro calida tantùm fit, ob id non multùm debemus curare de ea. Adde quòd de ea sola nunquã conqueruntur ægroti. Illa si fiat, facilius curatur, quàm cognoscitur, nisi admodum sit insignis. Cognoscitur autem, quod volas manus plus iusto calidas sentiunt, & pedum. Sitis adest, ventris astrictio ob vehementem attractionem à nimio calore factam Curatur frigidis assumptis admotísque. Assumuntur medicaméta vel alimenta medicamentosa, quæ efficaciora sunt, quã medicamenta, quia meliùs ad partem affectã trahuntur. Efficax est aquã bibere loco vini fontis vel fluminis, vel cisternæ, cui si addas guttas aliquot aceti vini albi, vel succi granatorũ acidorũ, multùm refrigerabis Non vituperarem vsum vini albi, aquei, diluti pauca aqua. Item poma cruda comesta in prima mensa, pruna acida, vuæ pensiles, cerasa acida & dulcia aliquando Vsus cucurbitæ, & cucumeris in iusculis, pepones cõmendarem, si refrigerati absque sale ederentur prima mensa, & aquã superbiberent. & nulla calida simul assu-

Signa intemperiei calida.

Curatio.

Victus ratio.

merent. Nam facilè in bilem vertũtur, si iis misceantur. Vsus herbarum in iusculis aut acetariis, vt lact. scariolæ cichorei, sonchi. Vsus hordei mundati sine amygd. vel cum recentibus, & quatuor seminibus frig. maior. medicamenta dantur in forma syr. tabellarum, opiatæ. Syr. laudatur ex viol. nenuph. end. simpl. cucurbitæ, portul. Tabellæ sunt, diatrag. frigid. triasand. aucta dosi seminum. Conserua carnis cucurbitæ, lactucæ in aqua frigida lotæ. Extrinsecus admouentur epithemata, vng. Epithemata fiunt ex succis herbarum frigidarũ hepaticarũ, vt cichorij plãtaginis, solatri, scariolæ, addito pauco aceto. Vel ex harum herbarũ aquis distillatis, quibus addũtur aliqui pulueres, vt triasand. coralli, & aliorum puluerum ad refrigerationem. Apta cerata sunt, sandalium, rosatum cum aceto, & cératũ album Gal. recenter dispensatum. Hæc sufficient ad intemperiem calidam auferendam, modò à calidis cibis, potione abstineant, & frequenter vtantur remediis præscriptis. Nam in affectibus ventriculi & hepatis oportet medicamentis frequẽter refrigerare, idque sensim. Quia impeditur illa refrigeratio à frequenti ciborum assumptione, qui nisi frigidi sint, multùm retardant refrigerium. Si auferatur caliditas præter naturam, quæ iecur faciebat imbecillius effœminando, relaxandóque confortetur. Quòd si quis velit sumpta indicatione à functione, quæ calore perficitur, spicam nardi vel celticam, vel parum absynthij frigidis admiscere, non multùm lædent, sed proderũt, potissimum cùm diu & frequenter, his vtendũ frigidis, quæ partem sua frigiditate constipant & obstruunt, quæ obstructio caloris maioris caussa esse potest. Adde quòd frigida, cùm sint crassarum partium, non facilè penetrãt, ob id bene adiunguntur supradictis frigidis spica nardi vel celtica, vel aliud tenuium partium, vt acetum.

De frigida hepatis intemperie. CAP. XXX.

FRigida intemperies, vt calidæ contraria est, sic est caussa symptomatum contrariorum, vt prouentus pituitæ, totius corporis frigiditatis, caloris faciei albidioris, habitus corporis (nisi cordis calor impediat) quasi tumescentis. Excrementa pauca insequuntur, & parùm olentia ob cruditatem. Aliquando venter fluit, post longam

gam excrementorũ retentionem. Et aliquando hæc intemperies vsu rerum frigidarũ, intempestiua aquæ frigidæ potione, aut nimio rerum frigidarum vsu intus, vel extra post longam & largam sanguinis fluxionem, quæ totum refrigerat, & potissimùm iecur. Curatur autem calfacientibus medicamentis, & alimentis, & extrinsecus adhibitis, victus ratione calfaciente, & medicamentis. Vtatur optimo ac generoso vino & tenui, parùm diluto, vel pauco. Vtatur apio, nasturcio, menta, saluia, & aliis alimentis medicamētosis, semine apij, petro. anisi, fœniculi & similium. Vtatur in iusculis, & aliis cibis, Cōmendantur aromata, vt piper longũ nigrũ, cinamomũ, zinziber, crocus, galanga maior, & minor, cyperus, & alia multa talia, quæ calida sunt & tenuium partium. Quæ obstruunt, frigida sunt. Vix reperies insignem frigiditatem hepatis, sine aliqua obstructione. Ob id quæ tenuium sunt partium, conueniunt, quæ aperiunt, & liberāt ab illis. Extrinsecus ol. quale est nardinum, vel de absynthio, de abrotano, anethinũ & similia conueniũt, quibus parum vini addimus. Ceratum stomachicum Gal. valet in hoc affectu, vel parari potest hoc modo. *Victus ratio.* *Ol. experientia.*

℞. ol. nard. & de absynth. ana ℥. iij ceræ par. fiat ceratum. Tempore inunctionis adde modicũ vini maluatici. Ceratis adduntur arida, vt vnguenta fiant hoc modo.

℞. ol. nard. amygd. amar. ana ℥ ij. spicæ nardi celticæ, schenant. galangæ ana ʒ. j. ceræ q. s. fiat vnguentum. Vngatur hepar, vel hypochondria, adde vini parum. Hæc sufficienter calfaciunt, & aperiunt, corroborántque. Ad calfactionem, & corroborationem præscribuntur confectiones aromaticæ, vt aro. rof. garyophylorum, diaga. Hæc in forma opiatæ cum conseruis sufficiunt, vt,

℞. conf cortic. citri ℥. j. conf. flor. roris. ℥. ß. diag. ʒ. j. cum syr. capill. fiat opiata. Capiat superbibendo parum vini diluti aqua absynthij, vel marrubij, vel betonicæ. Hæc intemperiem castigare poterũt & imbecillitatem quæ ab intemperie frigida fit. Eadem etiam humidam castigant, aucta tantùm dosi resiccantiũ, vt si antispod. aliquod opiatæ addatur ex spongia bedeg. vel cornu cerui, vel intestinis gallinæ & lupi, vel ex corall. aut e-orc. Agnoscitur facilè hæc intemperies, vt quæ faciat

partes omnes in tumorem eleuari, multa pituitosa seroſáve excrementa appareant, aut reddantur, & aliquando retineantur, & hydropem faciant. Tunc victus ratio magis reſiccare debet.

De intemperie ſicca hepatis. CAP. XXXI.

SIcca intéperies corpus reddit ſiccius & ſquallidius, ſanguis paucus eſt craſſúſq; & venæ duriores, quàm antea. Fit & intemperies poſt longas inedias, & vſum medicamẽtorum ſiccantium. Facilè agnoſcitur, & non facilè curatur, quia difficilè eſt rem ſiccam humectare, tũ quia, quæ agunt, debilia ſunt, & quæ patiuntur, multùm reſiſtunt. Adde quòd partes exſiccatæ concidunt, denſiores redduntur, & medicamenta non poſſunt penetrare, & vbi penetrarunt, ob imbecillitatem facultatum naturalium, & maximè concoctricis in ſubſtantia membrorum ſolidorum. Illa quæ altas radices non iecit, cibis curatur humectantibus, balneis, & inunctionibus. Alimenta ſunt lac, butyrum, vitella ouorum, ſuccus carnis, vinũ, lac amygd. du lc. & ſem. frigid. maior. ptiſana parata cum iure carnis vituli, vel porcelli. Medicamenta ex carnib. teſtudinum, & aliis parari poſſunt, ſic.

℞. carnium teſtud. ſemicoctarum ℥. ij. pinearum infuſarum in lacte. & amygd. dul. ana ℥. iij. quatuor ſemin. frigid. maior. munda. ℥. j. piſtentur ſimul: quibus adde amyli vel farinæ lentium tenuiſſimæ q. j. cum deco. teſtudinum fiat tarta parua addendo ſacchar. ℔. j. vitell. ouorum N. ij. cinamomi ʒ. j. coquatur leuiter in furno, frequenter comedant, ſuperbibant parum vini. Potus lactis vaccæ, vel ouis, vel mulieris erit ex vſu. Balneis humectetur totum corpus, & ol. amygd. dulc. & viol. vngatur. Regatur, vt qui febre hectica, vel intemperie ſicca ventriculi laborant, vt dictum eſt. In omnibus iſtis cauſſis conueniunt, quæ a proprietate occulta iuuant, vel ſimilitudine ſubſtantiæ, vt hepar lupi, anſeris, caro paſſ. ſed magis in ſicca vel frigida intemperie permiſcentur quàm aliis propriis intemperaturis. Non differunt remediis intemperies ventriculi, & hepatis. Nam oportet vt ſint contraria cauſſis, & ſemper aliquam aſtringendi vim in vtriuſque partis remediis eſſe, niſi cùm obſtructio id vetat.

De

De Hepatis inflammatione. Cap. XXXII.

Hepar quod multo sanguine abundat, & illo nutritur, multas & magnas venas habet, per quas magnum sanguinis fluxum, vel potiùs refluxum ad se patitur. Ob id aptum est ad inflammationes suscipiendas, quæ tumorem, dolorem, febrémq; necessariò secum adferunt, vnde respirandi difficultas, tum ob tumorem tum ob febrem, quæ maiorem refrigerãdi necessitatem habet. Tussicula inanis, dolor verò grauis, quia nõ sentit, nisi in parte gibba sit. Tunc ob ligamentũ, quo cum diaphragmate iungitur, ligatúrque, dolor punctorius sequitur, & cruenta excretio in iis, qui abundant sanguine Vrinæ ruffæ, & maximè, si inflammatio erysipelatosa vel erysipelas fuerit. Dolor ad clauiculas ascendit, vt iis, qui tumorem scirrhosum circa partem dorsi habent. Dolorem sentiunt ob membranę costas succingentis tentionem, quæ tenditur ob septi transuersi tentionem, & septum transuersum tenditur ob pondus hepatis deorsum trahens. Febris ardens est, lingua arida, rubénsq; in principio tandem nigrescit, & aspera fit, sitis inexhausta, nausea, cibi fastidium, singultus. Hæc inflammationem significant, sed cùm fiat in diuersis partibus, diuersa ratione curatur, quod factũ est. Distinguendum est, an affectus sit in gibba. Tunc partes illi vicinæ, & eius functio magis efficiuntur, vt septum transuersum magis opprimitur. Quare maior difficultas respirandi, tussicula inanis magis manifesta, vrinæ magis accensæ. Tumor tactu minùs deprehẽditur, sed retro magis sentitur dolor, & acutior ob ligamẽta. Si in caua, singultus, nauseáque magis diuexãt. Fluxus ventris adest, vomitio biliosa etiã, maior sitis, linguæ ariditas, asperitásque. Sũt qui pro nota inflammationis, & potissimùm gibbæ, addũt, quod dolor est in dextera parte, sed illã notã falsam experientia agnoui. Nam si hepar inflammetur in vtraque parte, grauitas circa mendosas costas percipitur, sed in clauicula dextra potiùs, quàm in contraria, quod dissectio docet. Hepatis enim extremitas ad sinistram venit. Quare si inflammatio fiat in extremitate hepatis, dolor in ea parte sentitur. Quarę aliam notam addere oportet, quæ splenis inflãmationem ab ea distinguat.

In vtraq; enim dolor ſub hypochõdrio ſentitur, ſed altior eſt doloris ſedes in hepate, inferior in ſplene. Adde quòd cùm lien inflammatione laboret, tumor tactu deprehenditur. Nam ob grauitatẽ inferiùs deſcẽdit, quàm pro naturali conſtitutione. Eſt autem ſpongioſus, aptus ad ſuſcipiendas defluxiones. Præterea multarum venarum & arteriarum ramos obtinet, per quos magnum fit humorum ad eum effluuium. Ad hæc ſanguis fœculentus retinetur, ob quã copiam in tumorem eleuatur præter naturam. In muſculis aliquando, non in ſubiectis partibus fit inflammatio hypochondriorum. Quare qui minùs exercitati in partium affectarũ cognitione ſunt, internam pro externa, & cõtrà accipiunt. Cognoſcũtur autem hac certiſſima nota, quòd ſi in parte fiat tumor, eſt vel inter cutẽ vel muſculos. Illa tactu deprehẽditur, viſúq;. Nam ſi calida, rubeſcit cutis, ſi frigida, ſine febre eſt, vel dura, laxa. Si in medio ventre, figuram muſculorum ſeruat. Eſt longa & recta, vt ipſi recti ſunt, tumor quoq; multùm extra protenditur. Si verò in lateribus, maximus tumor erit, qui à partibus anterioribus per poſteriores procedet, & extra prominebit in muſculis obliquis dextris vel ſiniſtris: Si in deſcẽdente, tumor ad thoracem extẽditur: ſi in aſcendente, magis ad inguina veniet. Si in tranſuerſalibus, magis læduntur partes profundæ & quà è iugulo, comprimuntur inteſtina. Dolor eſt vehementior, quàm in aliis muſculis, quia muſculus ille eſt mẽbranoſus circa finem, & neruos plures molliorésq; obtinet, & cũ periptoneo ita iungitur aponeuroſi, vt vnum faciant. Hæc ad inflammationem splenis, muſculorum ſiniſtri lateris diſtinguendam vtilia erunt.

Inflãmatio hypoch.

Nota.

CVRATIO.

CVrantur inflammationes hepatis & lienis larga ſanguinis miſſione, è directo partis affectæ. Cucurbitulæ ſunt in vtraque affectione coxis affligẽdæ ad diuerſionem. Clyſter iniiciendus, mollis, leuiter detergens & refrigerans, quales hic.

℞. mal. biſmal. viol. cucurb. cucu. ana M. j. prunorum ſebeſ. an. N. xx. quatuor ſem. frig. maior. an. ʒ. iij. aniſ. ʒ. ij. flor. cham. viol. ana p. j. fiat decoctio. In ℔. j. dyſſ. mel. viol. ſacc. & caſſ. an. ℥. j. ol. viol. ℥. iij. miſce, fiat clyſter

ster,iniiciatur tertio quoq. die manè. Leuiter deterget, & refrigerat partes per consensum calfactas, aliquid excrementorum sensim euacuat,& maximè si inflammatio sit in caua aut in splene. Ad alterationem humorum tales syr. præscribendi sunt, qui possint feruorem castigare. Si in caua, debent leuiter detergere, & per ventrem, quod à parte inflāmata resudat, euacuare, nisi aluus sua sponte nimis fluat. Tunc enim illi qui leuiter tātùm detergunt,& aliquam astrictionem habent,conueniunt.

℞.syr.end.simpl.℥.2.decoctionis hord.℥.4.misce, fiat syr.vel sic. Syr.

℞.decoctionis cichor.end. scariolæ ana M.j.fiat decoctio,ad ℔.1.in qua diss.vini malorum gran.℥.2.sacch.q.s. fiat syr. Si cum ventris astrictione fuerit, sequens parari debet.

℞.syr.viol.℥.2. decoct.hord.℥,3.misce. Si verò inflammatio est in caua,tūc in principio tales sunt,quales præscripsimus. Sed postquam constitit defluxio, ad leuiter aperientes transeundum est, vt ad syr.end. compos.cap. Et in declinatione ad syr.de bizant. Dandi sunt tales cū decoctione quatuor sem.frig.maiorum,vel aliorum diureticorum,vt cum radic.graminis,apij,petro.In extrema verò parte post missionem sanguinis, addenda sunt repellentia, ne fiat influxus. Talia erunt ol.vel vnguenta, vel cataplasma.Olea sunt, quę refrigerant,& astringunt, vt ol,ros.myrtil.addito pauco aceto. Quòd si fortiùs est repellendum,vel refrigerandum, succi herbarum addēdi sunt,vt succus vitis, cichor.plantag.solani, portulacæ, prunorum,pyrorum,vel cotoneorum,quibus sunt panni intingendi, & superponendi, frequentérque mutādi. Ceratum sandalinum idem præstare poterit cum aceto. Vnguentum album Gal.In incremento ros.vnguentum vel ol Oleum cham supradictis addendum est, & in declinatione nardinum, absynthites, irinum, & alia, quæ detergunt,additis semper aliquibus astringentibus. Pro incremento tale cataplasma paretur.

℞. dactyl. mundatorum N.x. vuarum, pass. cum arillis ʒ.3.coquantur in aqua cum aceto,& fortiter contundantur, quibus adde florum cham.mel. ros.rub. ana p.1. spicæ nardi, scen.ana ʒ.1. seminis apij, petro. ana ʒ. ß.se-

minis end.portulacæ ana ʒ.1.ß.ol.de absynth.& rosa.an ℥.1.farinæ hord.℥.2 misce, fiat cataplasma.vel,

℞.acac.& fic.an.℥.3 coquantur in aqua & aceto, cōtusa per cribrum passentur, quibus adde flor.cham melil. samb.ana ℥.1.farinę semin.lini ℥.2.cum sapa, fiat cataplasma, addendo spicæ celticæ vel nardi ʒ.2. vel ol. chamo. vel anethi ℥.3.applicentur supra regionem hepatis. Resoluit magis, quam supradictum. Quare post principium apponendum erit. Idem poterit ex carne malorum cotoneorum, vel pyrorum, vel pomorum, vel vuarum immaturarum fieri, additis aliis odoratis digerētibus vt spica nardi, scen.cypero, sandal.&c. Si in declinatione post inflammationem durities remaneat, tunc innuenda, aut prætermittenda sunt astringentia, & remollientibus castiganda.vt,

℞.pass.cum acillis, fic ana ℥.3.muc.lini & fœnug.extractæ cum vino ana ℥.2. ol chamom. & anethi, vel amygd. amar.aut dulc ana ℥.2.styrac.calam.iridis, ana ℥.ß.decoquantur pass. & ficus in sapa, & cum eadem fiat cataplasma, vel vnguentum, quia magis emollit, quò profundius descendat.

℞.ol amyg. & liliorum ana ℥.3. ammo.diss.in aceto ℥.1.styrac.iridis ana ʒ.3 spicæ nard.scen.ana ℥.1. ceræ nouæ q.s.fiat vnguentum, quo inungatur serò & manè. In declinatione non erit prætermittendus syru.compos.ex aperientibus & aluum laxantibus, vt

℞.rad.apij petro.an ℥.2.polyp.quer.recentis ℥.3.senę oriental.℥.1.anis.fœnic.apij, petro.an.ʒ.1. flor.cham.vio. an.p 1 fiat decoct. In ℔.1.ß col.diss.oxym.simp.vel acetos.simp.℥ 6 sacch.q.s.fiat syr.aro.cū ʒ.3 cinamomi, cap. alternis diebus ℥.4.

Victus ratio.

Vtatur victu tenui & exquisito. Est enim morbus hic valde acutus, & maximè si erysipelas sit. Abstineat à carnibus, vino, dulcibus. Vtatur lactucis, cremore prisanæ, & pomis coctis, iure pulli. Si sit erysipelas, plus infrigidare oportet. Habenda est etiam ratio capitis, quoniam delirium semper sequitur has affectiones. Expectare oportet fluxum sanguinis in crisi, & maximè si in caua fuerit. Eodem modo curatur lienis inflammatio,

differt

differt tamen situ affectio, & ob id offerunt in sanguinis missione, quæ à parte affecta fieri debet. Remedia in declinatione debent esse magis incidentia & aperientia, per ventrem potiùs, quàm per vrinas purgandi. Scirrhus, vt plurimùm sequitur, qui curari debet iisdem remediis, sed fortioribus. Emollientia minùs sunt verenda in lienis scirrho, quàm hepatis.

De hepatis obstructione.

CAP. XXXIII.

IEcur venas habet maximè obstructioni obnoxias, ob earum paruitatem, & structuram. Vena enim porta in capillares definit, per cauum hepatis disseminata. Item vena caua à gibba nascitur ex capitalibus excipientibus sanguinem coctum, & vtraque bile purgatum. Itaque qui venas habent astrictiores, vt frigidi temperie, plus obnoxij sunt obstructionibus, tam ob venarum angustiam, quàm ob copiam pituitæ lentæ & crassæ. Sunt enim illa duo, causæ obstructionum potissimæ, nempe meatuum angustia, vel humorum crassities, vel lentor, vel sanguinis copia. Obstructio magna morbus est partis instrumentariæ, & caussa malorum symptomatum, vt ictéritiæ, febris inflammationis, & atrophiæ. Danda est igitur opera, vt agnoscatur & curetur. Agnoscitur ab affectu, vt si citra cibi distributionem grauitas circa iecur sentiatur, corpus calidius, si color appareat flauus vel pallidus. Quod si tensio vel tumor in hypochondrio dextro sentiatur, certissimum erit hepar obstructum. Si alui excrementa alba sunt, cineritiáve obstructio est in vesicula fellis ad echisim. Ad horum cognitionem multùm facit pulsus frequens. Victus ratio, quæ præcessit, vt si crassis & viscidis vsi sunt, aut si à cibo corpus supra modum exercuerint, aut si crassis alimentis in prima mensa vsi fuerint, à cibo verò calidis & tenuium partium, & diatrium piper. vel pulueribus digestiuis, ex pipere, cinamomo, & aliis tenuibus odoratis, vt solent multi Medici præscribere. Talia enim (teste Gal. lib. de sanit. tuéda) faciunt cibum crudum inter venas penetrare, & obstructionem facere. Vsus medicamentorum aperientium, ventriculo pleno crudis humoribus, sæpe causa fuit obstructionum.

Causa obstructionis.

Signa.

Victus ratio.

Curatur optima victus ratione, eáque attenuante, & vsu medicamentorum. Sed potissimum fugiendum est, ne alimenta crassa lentáque iniiciantur, neque præpostero ordine, nempe astringentia crassáque in principio. In fine verò aperientia, vel attenuantia. Vitanda est ciborũ varietas,& copia. Eligenda, quæ detergunt ventriculum, & intestina. Vomitus vtilis est iis, qui ad eum faciles sunt. Vinum album aut rubrum tenue vtile est, & alimenta attenuantia, vt herbæ & radices. Constituta victus ratione attenuante, præscribantur alimenta medicamentosa, vt vsus cæparum ex oxym. vel aceto. Iuscula, in quibus decoquantur radices apij, vel petro. vel fœniculi vel eorum semina. Capiat tertio quoque die pilulas duas ante pastum per tres horas ex mitioribus, vt de hiera simp. de aromat. vel ante cibum, quæ odorata tantùm cũ aloe recipiunt. Deinde syr. dantur, vel oxym. aliquod diureticum. Syrupi sunt acetos. de quinque radic. capil. de byzan oxym. simpl. vel diureticum & similia. Quæ liquida sunt, magis conueniunt, quàm spissa vel dura. Finitis syr. purgetur pilulis supradictis, addito ad duplum aga. vel detur diaph. aut compositio alia quæ pituitam soluat, vt, *Syrup.*

℞. diaph. ℥. ß cum aqua apij, vel graminis, vel decoctione cicer. rub. fiat potus. Indum maius idem præstat. Post euacuationem fiant opiatæ ex conseruis alterantibus tro. pul.

Vnguẽtũ. ℞. conser. rad. apij, ℥. j. conser. flor. cichor. & capill. ven. ana ℥. ß. pul. diarrh. abb. triasand. ana ʒ. 2. tra. de eupato. ʒ. j. cum syr. de byzan. fiat opiata, capiat ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum vini albi diluti aqua apij vel asparagi. Ad extrà vngantur hypochondria ad aperiendas obstructiones, & concoctionem crudorum humorum, & discussionem flatuum.

℞. ol nard. & amyg. amar. ana ℥. 3. succi apij ℥. j. decoquantur ad succorum consumptionem, cui adde spicæ nard. & celticæ, scen. asari ana ʒ. 2. semin. apij, petro. ana ʒ. 1. cyperi & ros. an. ʒ. ß. ceræ q. s. fiat vnguentum pro hypochondriis, tẽpore inunctionis adde aceti parũ. Hęc pro hepatis obstructione sufficiant. Quòd si fortiora

remedia

remedia expostules, veniendum erit ad ea quæ pro liene obstructo præscribuntur, de quibus postea. In hepatis obstructionibus medicamenta aperientia apprimè valent, quæ recipiunt aliqua iecur roborãtia, quales sunt tro. de eupatorio, tro. diarrh. dialacca. de rhab. de absynth. diacucur. Verũ ex istis eligenda sunt minùs amara, aut ingrata, minúsque calida & acria. Noui quandam nobilem mulierem, quæ ad vlcus renum deuenit vsu cuiusdam compositionis, puto vocari (de vino) excerptæ à praxi de Tarenta. Quare si morbus sit contumax, longiori tempore his vtendum est. Neque sunt hæc fortissima & calidissima danda frequenter. Quòd si cogamur ingratis & fortissimis vti, meliùs in forma pilul. dantur, quia meliùs, & sine fastidio deuorantur: neque affatim ad partem veniunt. Quare nequeunt tam calfacere, vel aperire, vt dissoluant vel lædant. Ego semper magis vsus sum pulueribus cordial. vt diarrh. triasan. diogal. & ar. ros. aliísque vel pul. tro. miscere sic. Aperiẽtia.

℞. tro de rhab. vel de eupat. ʒ. ß. pul. diarrh. abb. ʒ. ij. diagal. ℈. j. cum vino aut syr. de byzãtiis, vel end. compos. fiant pilulæ vj. pro 3. cap. 7. superbibendo aquæ end. vel cichor. & graminis, vel aspar. an. ℥. ij. Cùm calor præter naturam multus non est, tunc syr. calidiores, vel aquas imperamus accipiendas. Raró accidit obstructio sine calore, præter naturam, nisi in scirrhis. Fortissima remedia ad obstructionem hepatis erunt apta obstructionibus lienis: hac tamen ratione differunt, quòd minus astringentia addimus in liene, quàm in hepate, & ob humoris crassitiem fortiora esse oportet.

De Ictero. Cap. XXXIIII.

Icterus semper symptoma est, & triplex visitur. Propriè dictus flauus est, à bilis aspersione. Altera à splenis vitio, & niger dicitur. Tertius ex vtroque fit, & nomine peculiari caret, dici tamen potest virescens à colore. Est enim ex mixta bile flaua humori atro, aut cineritio, vnde ex viridi flauescit, quod sæpe in puellis videmus, quæ Χλωραι sunt, id est, ex viride flauæ. Icterus fit vel affatim vel sensim. Qui sensim ob obstructionẽ meatus vesicæ felleæ fit. Is verò meatus duplex est. Alter ab hepate in chystim, alter à chysti in cephysim descendit.

Si hic obstruatur, alui excrementa alba erunt aut cineritia. Sin alter, vesica plena existente, excremēta vtcunque colorata sunt. Hi affectus sequuntur febres, vel hepatis obstructiones. Hæc autem curantur iisdē ferè remediis quibus obstructiones hepatis, hoc tātū interest, quod in hepatis obstructionibus vtimur medicamentis purgantibus pituitosa: In ictero biliosa sine attractione, vel parua, vt succo rosſ. scam. sero lactis, rhab. infuso in vino, vel aqua graminis, & aliis. Purgato corpore, & per vrinas, & per ventrem, detergēda cutis balneo, & bilis euacuanda cientibus sudoré, vt quicquid est in habitu, euacuetur, discutiatur, & detergatur. Balneum tale paretur.

℞. ciclæ cum rad. mal. pariet foliorum visci querc. ana M. 4. fol. chelid. sapon. ana M. ß. fabar integ. lupinorum ana p. 3. flor. cham. melil. centaur. minor. ana p 2. hord. integ p. 6. fiat decoct in qua natet & sudet in lecto manè cōtinuādo per quinque dies, & nouis spongiis detergatur. Si in oculis & facie perseueret affectus, errhina purgantia bilem erunt ex vsu. vt,

℞. succi rosſ. ℥. 2 succi ciclæ ℥ 1. scam. ʒ. 1. mel. ros. ℥. 3 decoquantur ad spissitudinem, & digito immittant in nares. Aqua ex vino albo abluat faciem. Quòd si velit citissimè mundari, lauet cum aqua distillationis peponum, vel cum decoctione balnei, sed hæc non sunt tentanda, nisi euacuata bile, castigata intemperie hepatis calidiore. Victu regio vtantur. Bibant vinum album tenue dilutum aqua decoctionis graminis. Quòd si mulieri vtero gerenti accederet icterus, vtatur optima victus ratione, & applicetur sequens medicamentum carpis, & plantis pedum, & curabitur.

℞. fol. visci querc. M. 2. fol. chelid marrub. ana M. ß. contundantur in mortario addito pauco vino, & applicetur. Hic morbus fit in morbis acutis. post, vel ante septimum Quòd si aliquo die critico fiat, apparentibus signis concoctionis, optimum est indicium, & bene sperandum, modò non obdurauerit iecur. Quòd si obdurauerit, & ante signa concoctionis, ante diem decretorium fiat, malum significat, & hunc affectum fieri ob bilis redundantiam, quam natura domare & concoquere non potest, & irritata copia aut qualitate, ante legitimum

tempus

tempus expurgans, ad cutim transmittit. Illius non magnam curam habemus, sed morbi acuti, à quo maius imminet periculum. Quod si euadant, postea curatur symptoma.

De hepatis scirrho. CAP. XXXV.

SCirrhum in hepate, splene, & renibus facilè fieri euidentissimè docuit Gal 13. Methodi In hepate quidem quia sanguine limoso nutriatur: in splene, quòd humoré recipiat crassum: in renibus, quia sanguine spisso nutriuntur. Est autem scirrhus tumor durus sine dolore. Fit post longas & diuturnas, atque magnas obstructiones, & post inflammationes, vel ob vsum eorum, quæ obstruunt, & indurant. Cùm enim iecur obstructum est, tenues mittit humores ad alia membra, & in seipso retinet crassos, quibus dum nutritur, induratur, si vel refrigeretur, vel calfiat, vel siccetur. Frigida quippe inculcant, calida resoluunt quicquid est tenuius, sicca idem digerendo. Inflammatio idem facit, quod obstructio. Præterea vsus nimis frigidorum, & verè repellentium, vel astringentium, scirrhum generat. Sunt verò duo scirrhorum genera. Alterum nondum omnino factum est, neq; hydropem aut atrophiam facit, potéstque curari remediis dextrè appositis. Alterum confirmatum dicitur iam factum, & in habitum versum, quod hydropem aut marasmum facit, nec admittit curationem. Quare tales ægritudines curandas non debet suscipere Medicus, nisi cum præfatione: neque symptomata quorum scirrhus causa est. Nam cùm caussa tolli nō possit, quomodo tolli poterit effectus? Adde quòd malactica quodammodo istis aduersantur, quibus scirrhi curari debent. Agnoscitur scirrhus tactu, nisi cùm venter flatibus intumuerit. Tunc enim hepar infrà residet, musculi ventris sursum eleuantur à flatibus, qua occasione decipiuntur Medici, cùm venter detumuit, quia duritiem, vel tunicā viscerum inueniunt. Memini me vidisse quendam, qui tales tumores duros à paucis diebus factos esse assereret, quòd tunc primùm apparerent. Ægrotantes sunt interrogādi, num grauitatem & pondus sentiant in hypochondriis, vel si dolorem sentiant circa omoplatas, aut clauiculas, si in vtrumque latus decūbere possint. Nā qui tumores illos

habent, nō nisi super partem affectam dormire possunt, aut quiescere, non in latus contrariū, vel supra dorsum. Quòd si sine febre sint, scirrhum esse confirmabimus. Nam idem inflammationibus internis accidit, quæ nunquam sine febre sunt, vel ad extrà tumores fiunt.

CVRATIO.

Curatur autem hoc modo tum hepatis, tum lienis durities. Purgentur modo suprà dicto cap. de obstructionibus hepatis, verùm in pilulis plus myrrhæ, vel bdellij, vel styracis ponimus, vel aliarum lachrymarum quæ humores liquefaciunt, incidunt, & fundunt In primis pilulis satis erit myrrham, & styracem, mastichémque apponere. Deinde præparato corpore ad ammoniacum & alia venire. Pilulæ fiant sic.

℞. aga. ʒ. j. myrrhæ, styrac. an. ʒ. ß. spicæ celticæ, schen. cinamomi an. ℈. ß. excipiantur terebinth. & fiant pilulæ, de quib. cap. ʒ. ß. vel ʒ. j. manè in exitu lecti, deinde vtatur syr. incidentibus, & iis quæ acetum recipiunt, vt syr. acetos. simpl. & compos. & aliis, vt de bizantiis. eupato. oxymel simp. & diuretic. scill. cum decoctione bismal. vel mal. viol. vel decoctione seminis lini, bismal. apij, petro. vt,

℞. syr. acetos. compos. oxymel. diuret. ana ℥. iij. decoctionis pass. fic. ℔ j ß misce, vel,

℞. rad. bismal. ℥. j. graminis petro. asparag. irid. exting. ana ℥. j viol. fol. alkechāgi. cichor. end. borrag. an. M. j. marrub. M. ß. pass. fic. dactyll. munda. ana N. x. anis. fœnic. seminis alkechāgi ana. ʒ. iij. seminis bismal. quatuor semi. frig. maior. ana ʒ. j. flor. chamo. melil. samb. viol. anth. ana p. j. fiat decoctio in aqua & sapa ad ℔. ij. In quibus diss. syr. acetos. simpl. ℥. iiij. aro. cum ʒ. ij. cinamo. & iridis ʒ. j. cap. in quinque matutinis, quo finito capiat pilulas sequentes post mediam noctem.

℞. mass. pilularum de sagapeno, vel fœtidarum ʒ. j. fiant pilu. vij. in crastinum dentur ʒ. ij. terebinth. abietis, quatuor horas ante prandium. Deinde vtatur opiata sequenti.

℞. conf. capil. & viol. ana ℥. j. pul. diarrh. abb. & diareos simpl. ana ʒ. ij. tro. de eupato, & de rhab. an. ʒ. j. cū syr. de bizantiis & viol. fiat opiata, de qua cap. manè ad quan-

quantitatem nucis, superbibendo parum vini albi dilu-ti aqua borrag.& apij. Istis peractis inunctionibus emollientibus, aut fotibus emollienda est pars, quod oleis primùm tentare oportet, & pauco vino albo. Emolliunt ol. amygd. dulc. sesam. liliorum, irinum. Additur vinum aut acetum ad penetrationem, vt,

℞. ol. amygd. dulc. ℥. ij. ol. liliorum ℥. ij. vini albi ℥. j. misce. Succi addi possunt & pars irrigari & foueri Succi herbarum emollientium sunt succus iridis, cucum. agrest. ciclam. aristol. solani vesicatorij. fiat hoc modo.

℞. succi iridis ℥. iij succi apij ℥. ij. succi absynthij ℥. j. ol. amygd. dulc. ℥. iiij. vini albi ℥. iij. misce, & cum col. foueatur regio. Si ex his succis linimentum facere volueris, decoqu. succi cum oleis, deinde adde butyri, & pinguedinis galli, vel medullæ cruris vituli, aut porci ana ℥. j. misce, fiat linimentum. Quòd si spicam celticam aut sche. vel styrac. myrrham, iridem addideris ceræ, vnguentum efficacius fiet, quale est sequens, quo vtendum post alia remedia, & maximè post fotus sequentes.

℞. succi ciclam. irid. an. ℥. ij. succi cucu. agrest. & rad. vlmi an. ℥. j. ol. amygd. dulc. & liliorum an. ℥. iiij. decoquantur in duplici vase ad succorum consumptionem, quibus adde pinguedinis porci, medullæ porci an. ℥. iij. tereb. ℥. ij. propoleos ℥. j. spicæ, trid. schen. myrrhæ, styrac. aristolo. rotundæ ana ʒ. ceræ q. s. fiat vnguentum, quo vngatur pars post fotus sequentes.

℞. radic. vlmi mãdrag. ana ℥. ij. rad. irid. & aristol. an. ℥. j. fol. solatri, mal. bismal. cum radic. ana M. j. viol. & doronici an M. ß. flor. chamo. meliloti, sambuci, an p. ij. fiat decoctio in aqua, & vino albo, si pro hepate: sin pro liene, cum aceto, & cum spongiis ablutis fiat fotus, cui adde absynth. M. ß. si pro hepate paretur, & post fotum vngatur vnguento sequenti. Quòd si his remediis non cedat, fortiora paranda erunt, vt,

℞. rad. bismal. irid. cucum. ana ℥. vj rad. samb. ebuli, & aristol ana ℥. iij. rad panac. ℥. j foliorum marrub. puleg. mal. bismal. geranij maioris, & minor. pedis colũ. ana M. ij. seminis lini & fœnug. ana qr. j. flor. chamo. melil. samb. ana p. ij. fiat decoctio in aqua decoctionis

intestinorum & vino albo, & foueatur frequenter. Si pro hepate fiat, in fine decoctionis addere oportet spicæ vtriusque & asari ana ʒ.3. absynth. M.1. hunc fotum sequitur vnguentum.

℞. ol. hepatis galearum, vel raiarum, ℥.3. ol. liliorum scorp. & lombric. ana ℥.2 ammo. sagap. dissol. in oleis prædictis ana ℥.2. styrac cal ℥.1. beniou. ℥ ß. irid. aristol. spicæ asari ana ʒ.3. medullæ porci, vituli, & cerui ana ℥. 3. ceræ nouæ q.s. fiat vnguentum, tempore vnctionis adde aceti scill. parum. His topicis per interualla vti oportet, sed diu continuando. Et cùm fastidiosum sit semper his vti, fiant empla. vt,

℞. mass. emplast. ceron. ℥.4. spicæ nardi ʒ.1. styr. cal. ℥. ß. cum ol. irino fiat.

℞. mass. emplastri diachil. magni ireati ℥.4. malaxentur cum ol irino & de absynth. Applicetur regioni hepatis. Hæc emolliunt & corroborant. Danda sunt vicissim aliqua purgantia leuiter, vt materia liquefacta, & æquata euacuetur per sedem. Item & cientia vrinam, vt per vrinam expurgetur pars gibba hepatis. *Obseruatio.* Id annotatione dignum est, quòd ex frequenti corporum dissectione obseruaui, omnes hydropicos, vel scirrhosos, glandulas, mesenterij induratas habere, & pancreas similiter. Quare non erit inutile totum ventrem oleis tingere, vel vnguentis, totúmque ventrem fouere.

De Hydrope. Cap. XXXVI.

Vide alterum caput sub finē libri secūdi.

Hydrops est aquæ serosæ collectio inter peritoneum & intestina, in thoracis spatio, & venis omnibus. Fit autem ex hepatis immodica refrigeratione, ex qua eius actio læditur, minuitur, corrumpitur. Ea vitiata cum alimenta vertuntur in flatus, Tympanites fit: cùm in serum, Ascites: cùm in pituitam liquidam, Anasarca, seu Leucophlegmatia. Hydrops fit, modò per proprietatem, modò per consensum. Per proprietatem, si affectus sit primarius in hepate, vt intemperies omnis, obstructio, inflammatio, & omnis humor præter naturam hepar occupans. Per consensum partium internarum potissimùm earum, quæ nutritioni dicatæ sunt, vt ventriculi, splenis, mesenterij, renum, intestinorum gracilium, quæ si non fungantur suo munere, hepar refrigeratur, eiúsque

eiúsque coctio corrumpitur. Vt si splen ob scirrhum nō purgat sanguinem, aut renes propter obstructionem, vel aliam caussam serum non trahant, aut propter imbecillitatem, vel obstructionem diuturnam emulgentium. Nascitur nonnunquam vitio chystis fellis, vt post icterum sæpe contingit. Accidit & post menses suppressos, vel immodicè fluentes, aut hæmorrhoidas superfluas, vnde supramodum refrigeratur hepar. Calor enim innatus situs est in sanguine & spiritu, ob id post magnā eorum euacuationem, vniuersum corporis habitum refrigerari oportet, & maximè ac imprimis hepar, quod maiore opus habet calore, ob suam functionem. Si verò excrementa per vterum, aut hæmorrhoidas vacuari solita retineantur, refluunt ad hepar, & eius calorē velut suffocant. Nam melancholicus ille sanguis reparato frigidior, ipsum refrigerat. Cæterùm non sola intemperies frigida, sed & calida natiuum calorē extinguunt. Omnis enim insignis intemperies actionem lædit, & corrumpit, quæ quidem fit à calore temperato. Quò fit, vt malè concoquant febricitantes, aliásque naturales actiones minus rectè obeant.

Intemperies omnis actionem lædit.

ANASARCA.

IN anasarca omnes partes prætumidæ sunt, sed inferiores magis, ob humoris grauitatem, & earum partium frigiditatem, & pituitæ redundantiam. Tumidis partibus impressis digitus vestigium relinquit. Est enim velut œdema totius corporis. Acidum sæpissimè post morbos diuturnos, & febres pituitosæ. Ab hac distingūtur aliæ duæ species, in quibus partes contabescunt. Venter solus inflatur in principio, & tandem pedes.

ASCITES.

ASCites à Tympanite distinguitur, quamuis Hipp. non secernat, ob similitudinē. In vtraq; enim subest aqua, flatus: sed differunt ratione maioris & minoris. In Ascite plus est aquæ, minus flatuum: In Tympanite contrà. In hoc est minor tumor, percussus venter ob distentionē sonum tympani reddit, & facies minus recedit à naturali habitu. In Ascite minor est ventris distētio, & maior caloris mutatio. Et quando ex vno latere in aliud mouetur ęger, sonus defluētis aquę percipitur. Succedit

Affecti hepatis signa.

cachexiæ, morbis hepatis calidis, & obstructionibus, morbis lumborum, renũ, vesicę. Cognita specie diligenter vidẽdum, an hepar primario affectu laboret Id verò cognoscetur ex dolore, & distentione partis, aut si nullus prædictorum morbus præcesserit Et nunc omni cura studióque erit prouidendũ hepati. Quòd si per consensum malè efficiatur, causæ primũ occurrendum est Hæc autẽ est abscindenda, deinde ad id, quod genitum est, veniendum. Sed quia aqua collecta morbum facit, & auget, ea tanquam causa primùm auferenda est, ac ne augeatur, ratio victus exiccans, & quodammodo refrigerans instituenda est, in frigida calfaciens. Et quoniam plerunque hydrope sequitur cacohymiam praui succi, qui aut obstructionem, aut intemperiem pepererunt, vt causa vniuersalis, euacuandi sunt. Quod vt fiat cõmodius, distinguenda est caussa. In frigida commodè dabimus hieram picram, benedictam, quę multùm nocent in calida. In hac autem vtemur cath. aut diaph. Tripheras non probo, quia myrobalanos recipiunt, nisi sit suspicio fluxus alui. Tũc enim tutò dari possunt. Sed, vt in reliquis morbis, ita in hoc quoque remedia debent esse propria, & (vt loquuntur) determinata. Vt si dentur cum aqua endi. graminis, cichor. Endiuia, in vtraque conuenit.

Distinctio remediorum à varietate causæ.

Quæ non conueniũt

℞. cath. ℥.j. diaph. ʒ.j. aquæ endi. ℥.iij. syr. capill. ven. ℥.j. misce, fiat potio. Non conuenit syr. viol. quia nimis humectat. Nec syr. rosl. lax. si adsit obstructio, quamuis serosos humores educat. Quòd si nulla sit aut leuis, astrictio dari poterit cũ aqua graminis, end. asparagi, fuma. vel cum decocto cicer. rub. Potest etiam dari pro minoratiuo decoctum fol. senę. Non sunt exhibendi syr. diuretici, priusquam factũ fuerit fluidum corpus, & aliqua ex parte purgatum, ad præparationem & auferendam intemperiem calidam. Syr. endi. simpl conuenit, syr. capil. de fumar. simpl. & compos. acetos. simpl. de bizantiis, de cicho. Atque vt hi liquidiores fiant, addimus aquas eiusdem facultatis, vt cicho. endi. capill. agrim. graminis, & asparagi. Porro, quæ tantũ humectant, vel refrigerant, & astringunt, vt syr. de gran. de nymp. viol. de pap. de iuiub. & similes, sunt reiiciendi. In processu tamen admiscẽtur adstringentia, vt hepatis substãtia corroboretur, qualia sunt

Quæ conueniunt.

sunt cyperus, absynth. spica. Sic ergo à nobis fieri solet.

℞.syr.endi.simpl.de bizant.ana ʒ.iij.aqua cichor.graminis, aspar.ana ℥.iiij.aquarum absynth.vel agrim.℥.ij. misce, atro cũ ʒ.j.pul.trias.aut diarrh.abba. aut sandal. rub. capiat in quinque matutinis. Si malit vti decoctis herbarum, poterunt concedi, quia minus calfaciunt. Aquæ sunt præferendæ in obstructionibus, aut in caussa frigida, ob partium tenuitatem. Interim dum syr. vtitur, tertio quoque die clyster iniiciendus erit, & potissimùm secundo & vltimo die, vt medicamentum, facilius & tutius agat. Clyster ex iis parandus, quæ humorem in ventre collectum, & aquas trahunt, circa magnam calfactionem Nũquam molliẽtia, qualis est malua omnis, misceri debent, sed ex detergentibus, discutientibus, purg. Clyster est ad hunc modum parandus.

℞.merc.M.ij.ciclæ M.j pariet. M ß.pedis colũb.M.j.ß.anis.fœnic.ana ℥.ß.fiat decoctio ad ℔.j.col dyss succi merc.& beatæ ana ℥.j.ß.cath.℥.j.mell.anth.℥.ij.salis parum, fiat clyster. Oleum non est miscendum, quia relaxat, nisi fuerit aliquod ex his, quæ flatus dissipant, vt aneth. rutac.& similia. Iniecto clystere, postridie dabimus medicamentum purgans Sed quia pauca sunt propria & accõmodata, decoctum parandũ erit, in quo corrigantur inutilia, coccũ cnidiũ, semen lauriolæ. Castigãtur aqua endi. & absynth. alioqui immodicè calfaciunt. Est autem potio commodior pilulis, quia citius descendit, distribuitúrque. Pilulæ autem, cùm tardius agant, longa mora nimis calfaciũt. Quòd si liquidum medicamentum æger auersetur, huic bolus erit vtilior pilulis. Medicamenta sunt talia quæ tollãt obstructiones, aquas ducãt, & in causa calida bilẽ, simul & serosum euacuẽt. Mitiora sunt, semen carth.serum lactis. ag. Valentiora, cyclamen, laureola, thymel cham.brass marina, scammon. herba asari & hederæ semen, ebuli, samb. cortex.

℞.pass.(ad corrigendum hepar, & leniendam asperitatem aliorũ)℥.ij.seminis anisi ʒ.ij seminis apij petro. alchecãg.ana ʒ.j.medullæ seminis carth.℥.j.senæ oriẽt. ℥.ß ag.ʒ.j.ol.chamel vel thymel.℥.ij.vel ana ʒ.j brass. mari.ʒ iij.fiat decoct in.q.j.col.dyss.elect.indi ma & de citro sol.ana ℥.j.misce fiat potio, vel sic pro diuitib.

℞.decoctionis præcedentis ℥.iij. rhab. infusi in vino albo, & aqua graminis ℥.j.ß. spicæ cinamomi ana ℈.vj. fiat leuis expressio, & ex ea potus. Vtrique potioni adde, si vis, ad dulcorandum syr.capill.℥.j.vel syr.rof.lax.℥.j.aucto pondere spicæ, & cinamomi. Ego soleo exhibere pauperibus elect.de succo rof.elect.de citro sol.

℞.merc.M.ij.braff.marinæ M.ß.fiat decoctio in aqua absynt.& end. In col.diff.ele.& de succo rof.ʒ.iij.vel indi maioris ʒ.ij.syr.de byzant.vel ca.℥.j.misce, fiat potio. In bolo vis medicament.maleficia non sic castigari potest. Si tamen æger malit bolum sumere, fiat hoc modo.

℞.cath.℥.ß.indi ma.elect.de succo rof.ana ʒ.ij.cum sacch. fiat bolus. Si pilulis vti velit, eligantur, quæ myrobal. non recipiant, & quæ ex aloë lota parantur, vt,

℞.maff.pil.elephang.ʒ.j.ag.℈.ß.diagr.℈.iiij.cum succo braff. aut ireos, for.pilulæ. Euacuato corpore hepar roborandum, data postridie tab.j.diarrh.abb. aut triasandali cum aqua endi.& absynthij. Vel præscribēda est opiata ex corrob. iecur sine magna caliditate, & resiccantibus atque absumentibus humores.

℞.conse.flor.cichor.capill.ve.ceterach (in duritie splenis) ana ʒ.ij.conf.anth.ʒ.j. quæ quamuis calida sit, non nocet, sed roborat cerebrum, hepar, ventriculum hepatis lupi, vel echini terrestris ℥.j.vel amborum ℥.ß. cineris cicadæ ʒ.ß.cornu cerui vsti ʒ.j.diarrh.trisan.ana ʒ.ij. cum syr.end.simpl.aut capill. fiat opiata de qua capiat bis in hebdomada, superbibēdo paruum aquæ graminis, end. acrimoniæ, vel absynth. & solani vesicatorij. Ad hepatis corroborationem fiat tale linimentum.

℞.vnguenti rof ℥.iiij.sandal.albi & rub.ana ʒ.ij.flor.cichorij ʒ.iij seminis apij, petro.end.an.ʒ.j.tro.de cāphora ʒ.ß.spicæ vtriusque, schen.ana ℈.j.ol.de absynth.℥.j. misce, fiat linimentū, quo vngetur bis aut ter in hebdomada regio hepatis, addēdo aceti parum. Interim dum vtitur vnguento, & opiata corroborante, tertio quoque die capiat clyst.vel ℥.iiij. præscripti syr.vel vtatur apoz. sequenti ad ducendas aquas, sed præcedente tali.

℞.merc.ciclæ, pedis colum.ana M.ij.fol.braff ma.& chame.ana M.ij.quatuor sem.frig.maior.ʒ.iij flor.cha.& genistæ ana P.j.fiat decoctio. In ℔.j.diff.succi betæ

& merc.

& merc.ana ℥. j. vrinæ pueri ℥. iiij. mell. anthos. ℥.ij. Si fortiorem velis, adde fermenti acerrimi ʒ.ij. fiat clyster, qui detur quarto quoque die, vel ante vsum syr. sequentium. Hic clyster potentissime trahit aquas.

APOZEMA.

℞.quinque radic. aperitiuarum ana ℥ ij. end. cichor. herbarum capill. agrimo. ana M.j. seminis end. & albe. ana ʒ.ij. seminis apij, & petro. ana ʒ j. fol. brass. marinæ cham. an. ℥.ij. senæ ℥. j. pass ℥.iij. flor. cichor. bugl. cice. rub. ana P.j. fiat decoctio. In ℔.j. diss sacch. q. s. fiat syr. aro. cum ʒ.ij. diarrh. abb. Vtatur alternis diebus, continuando per tres dies. Postea intermittat vsum, & vtatur opiata. Non parùm proderit vngere regionem vesicæ & renum, & ventri apponere hoc cataplasma.

℞. ol. rutac. ℥.iij. vini albi, vrinę pueri ana ℥.ij. succi pedis col. ℥.iiij. succi apij, petro. ana ℥. asari, spicæ celticæ, seminis sesel. apij petro. ana ʒ.j. cerę nouę & terebinth. parum, fiat ad formam liniment. Coquantur succi in ol. in quo deinde cera dissoluatur. Valentius erit, si addas succum ireos, sed samb. vel cucum agrest. vel brass. ma. & rursus coque ad consumptionem aquæ, postea vnge ventrem. Sunt, qui emplastrum de baccis lauri consulant, sed hoc magis in tympanite conuenit, quàm in ascite, quoniam plus iusto calfacit. Cocleæ tritæ, & ventri impositæ à quibusdam multùm commendantur. Quod sequitur optimum est.

℞. stercor. vaccæ ℔.ij. far. lupinorum ℥ ij. sulphuris ℥.iij. cymini ℥. ß. incorporentur simul cum vino albo, & applicentur ventri, vitata regione hepatis. His remediis, & optima victus ratione (nimium exiccante, & non calfaciente) hũc morbum sæpe curauimus. Æger abstineat à iusculis, parcissimè bibat. Vtatur in potu vino albo diluto aqua, in qua incoctæ sint herbæ capill. & radix graminis. Vtatur assis. Quòd si cõtendat id sibi permitti, nonnunquam elixa degustet. Abstineat ab omnibus fructibus exceptis passulis.

Ascita curatio.

Ascites, si à causa frigida ortum habeat, audacius vtemur calorificis. In hac autem idem ordo seruandus est, quem secuti sumus in causa calida. Remediorum

tempus & quantitas eadem, sed qualitas diuersa. Pro minoratiuo accipiant hæc.

℞.diaph.℥.ß. diss. in decocto cicer. rub. aut in aqua graminis apij, & syr. de bizantiis, vel,

℞.pil eleph.ʒ.ß.ag.tro.℈.ij cũ syr.de bizãt fiant pil. capiat post primũ somnum. Deinde vtatur syr. sequẽti.

℞.syr. de bizant de eupath. de quinque radic.ana ℥. ij.aquarum apij,petro. aspar. ana ℥.iiij. cum pul.diagal. arom ros.aut cinamomi,fiat syr.capiat in tribus matutinis.Postea purgetur sic,

℞.diaph. indi maior.ana ʒ.ij.elect.de citro sol.ʒ.j.ß. cum sacch.fiat bolus, vel cũ decocto sequẽti fiat potio.

℞.pass.℥.ij.senæ,carth.ana ℥.j ag.ʒ.ij apij petro.ana ʒ.j.flor.anth. P.j fiat decoctio.In q.j. diss. diaph. ʒ. iij. diacarth.& de citro sol.ana ʒ.j.syr.capill. vel de bizant. ℥.j.fiat potio.Hîc adnotandum astringentia & cholagoga non conuenire.

℞. pil. cochiarum ʒ.ß.ag. tro.℈ j.cum oxymel. fiant pil.vj.capiat post mediam noctẽ.Sũt, qui pilulas de mesereo, tanquam summum remedium imperent, sed earũ vsus est periculosus, tum quia non rectè, neque ex vero mesereo parantur, tum quia huiusmodi medicamenta supra modum calida in forma pilul. diutius remanẽt in ventriculo, vnde periculũ est, ne pars aliqua interna lædatur. Quòd si sumantur cũ syr. citius penetrant, aquas ducunt, & magis purgãt sine molestia Sufficit aũt pharmacum paulò fortius minoratiuo, quia tutius est per vrinas materiã vacuare quàm per ventrẽ. Est enim in hoc morbo profluuium ventris periculosius. Purgato corpore vtatur alternatim opiata, syr.& vng. vt dictum est.

℞.cons.elenij ʒ.ij.cons.flor.anth.℥.j cons.flor.cicho. iij.arom.ros.℥ j.ß.pul.diatrag.ʒ.j.hepatis lupi ℥.ß.cum syr.de bizant.fiat opiata, capiat alternis diebus, superbibendo parum vini albi diluti aquis sequentibus.

℞.aquarum apij,petro.absynth.ana q.j.post aliquot dies capiat clysterem, vt suprà dictum est, qui à superiore non differat, nisi quòd audacius huic miscere possumus calidiora & valentiora, vt est benedicta, hiera & similes.Corroboratis visceribus erit hoc apozema.

℞.rad.aperit.℥.ij.corti.tamarisci & samb. præsertim

si adfue-

si adfuerit durities alicuius visceris, vt ferè fit) betonicæ, hyss. puleg. eupat. marrub. chamed. chamep. an. M. j. fol. absyn th. brass. ma. & chamel. an. M. ß quatuor semi. frig. ma. an. ℥. ij. senæ ℥. j. medullæ carth. ℥. ij. ag. tro. ℥. ij. semi. hederæ ℥. iij. asari ℥. ij. flor. anth. P. j. Cicer. rub. P. j. fiat decoctio. In ℔. ij. diss. sacch. qr. j. fiat syr. arom. cum ℥. iij. aro. ros. vel diagal. capiat ℥. iiij. alternis diebus, intermediis vngatur vnguentis & cataplasmatis. Vnguentorũ viscera corroborantium hæc est formula.

℞. ol. nardi. de absynth. amygd. amar. an. ℥. iiij. spicæ vtriusque, scen. asari ana ℥. ij. cyperi, sandali an. ℥. j. sem. seseli, apij, petro. ana ℥. ß. ceræ parum, fiat linimentum, quo vngatur iecur & lien. Si durities sit in aliquo viscere, fiat sic.

℞. vnguenti præscripti ℥. ij. flor. chamo. & melil. an. ℥. iij. styrac. vtriusque ana ℥. ij. ammo. bdellij, opopan. diss. in aceto scill. an. ℥. ß. terebint. ℥. j. ceræ nouæ q. s. fiat vnguẽtum, quo inungatur pars indurata. Cataplasma conficitur ex iisdem rebus, aucta quantitate sulphuris & cymini. Interdum vtimur baccis lauri exceptis melle. Hoc remedium admotum scroto & ventri absumit, resoluítque citra magnum calorem. Fiunt etiã linimenta, epith. quæ aquas mirum in modum pellunt, ex chamethymelea, laureola, cucum. agresti, apio, asaro, cicadis, cantharid. & aliis. Imponuntur autem vmbilico, regioni vesicæ, renum, & perinei, vt eorum vis ad meatus vrinarios citius perueniat, quibus vacuatis serosus humor attrahitur fuga vacui, qui in venis erat reliquus. Atque istud à me præclarè expertum est in admirabili affectu cuiusdã. qui cùm se aliquãdo multa ingurgitasset aqua, sic toto corpore intumuerat, vt non procul abesset à suffocationis periculo. Ipse verò in ea opinione erat, vt crederet inutilem est medicamentorum vsum, sed tandem coactus est fateri eorũ vires. Paraui enim linimentum ex aliquot succis, mihi missis ex Gallia Narbonẽsi, quo admoto, cœpit vrinam reddere post sex horas, & tantam copiam vno atque altero die reddidit, quantam capere vix potuerunt sex magnæ matulæ, sic.

℞. succi thymel. chamel. ciclam. & brass. mar. an. ℥. ij. asari, spicæ nardi, scen. seminis apii, petro. rutæ, agni an.

℥.j.farinæ lupin.& cicer.rub.ana ℥.j.ß. incorp. simul, & cum cera fiat linimentum quo vng.vmbilicus, regio vesicæ, & perinei.

℞.succi brass. ma. & cacuminum agni ana ℥ ij succi ireos, aristol.rotund. ana ℥.j. seminis apij, petro. carui seseli ana ʒ.j. terebinth.℥.ij. ceræ parum. fiat linimentum. Fortius erit, si addas cinerem scorpionum, cicadarum integratum. Oleum non est miscendum, quia obtundit vim medicamentorum acrium. Quòd si sine oleo medicamentum hoc non potest consistere, adde ol. scorpionum, & amyg.amar.ana ℥.ij. Tibiis inflatis conuenit hoc lixiuium.

℞.ciner.ficus, caulium & sarmentorum vitis an.℔.ß. ciner.asphod.hermodac. an.qr.fiat lixiuium, in quo diss. salis communis ℔.j.alum.qr.j.abluātur pedes, & postea imponatur tale cataplasma.

℞.sterc.vaccæ ℔.j. sterco.capræ ℔.ß. incorporentur cum lixiuio tonsorum, & vino, applicentur tibiis. Si malum perseueret, opiatæ loco dentur medicamenta validiora, vt dialacca, diacucur. sed quæ sapore sunt ingratissimo, ex iis & aliis propriis pil. sic compono.

℞.diacucur.ʒ.i.dialaccæ, tro.de rhab.ana ʒ. ß.hepatis lupi, cineris intestinorum lupi ana ʒ. ij. seminis hederæ ʒ.iij.cum syr.de absynth. fiant pilulæ ad magnitudinem pisi, capiat tres vel quatuor singulis diebus quatuor horas ante pastum. Conueniunt in omni specie hydropis, addito succo brass.marinæ.

Tympanitæ curatio.

Plus flatuū in Tympanite, & minus aquæ subest. Conueniunt eadem remedia, quę in Ascite, hoc addito, quòd magis sunt flatus discutientia. Oportet igitur laxare & aperire mediocriter, discutere verò tam sumptis, quàm admotis medicamentis valde calidis, præsertim in caussa frigida. Nam in caussa calida, minus calidis vtendum est. Et quia flatus à cruditate, ventriculus roborādus calidis & astringentibus, vt,

℞ olei mastic.℥.j.ol.nard.& de absynthio an.℥.ij.vng. ventriculus.

℞.cerati stomach. Gale.℥.iij.applicetur. Imperamus etiam pul. à pastu, ad discutiendum flatus, vt,

℞.anisi conditi ℥.ij.carui, cymini,sesel.an.ʒ. j. macerentur in aceto per noctem, carnis citri ʒ. ij. cinamomi crassi,& galang.an.℥.ß.sacc.rosf.tab. ad pondus omnium fiat pul. capiat cochlear vnum à pastu.

℞.diag.& diacucur.an.ʒ.iij. confect.aro.rof.℥ j. cineris intestinorum lupi ʒ. iij hepatis lupi ʒ j.pellic.stomachi gallinæ ʒ.ij.cũ syr. conseruationis,cort.citri, fiat opiata,capiat ter in hebdomada ʒ.j.superbibendo parum vini diluti aqua absynth. In ascite tantùm purgandus est venter,quoniã in hac sola specie,ingens copia aquæ colligitur in peritoneo. Quòd vtilis sit hæc punctio,demõstrari potest,quia per eam aqua euacuatur, quæ per aliã regionẽ perfectè non potest euacuari. Nec adeo periculosa est ventris apertio,modò rectè fiat Nã videmus eos, quibus vulneratus est venter,euadere, nisi vulnus penetret in gracilia intestina. Præterea vtilem esse constat ex euentu. Quibus enim casu quodam per vmbilicum aqua erumpit,hi sunt curati. Quòd si quis obiiciat hoc remedio tẽtato multos interiisse, huic respõdebimus id cõtigisse, vel quia facultas hepatis in illis erat emortua, vt postea sanguinem bonũ gignere non potuerit, aut quia remanserat scirrhus hepatis,aut lienis, vel quia morbus natus erat ex pulmonis vlcere (Phthisici enim propemodum omnes in hydropẽ incidunt)vel quia in thorace fuerit etiam collecta aqua,quæ vacuata non est,quod ex tussi deprehendi potest. Hos desperatos esse dicit Hipp. Sed sic intelligẽdum est,nisi vtraq; pars pectoris aperiatur. In deploratis, qui ad extremã virium imbecillitatẽ deuenerunt, qui scirrhum in hepate confirmatum, aut liene,aut vlcus in pulmonibus habet, ac denique in senio confectis, non debemus hoc remedium experiri. Dum venter pungitur,non est spectandum ex vtra parte, dextráne,an sinistra malum cœperit, vt quidam religiosius obseruant. Nam nihil refert vtram partem seces, cùm ex vtraque possit commodè vacuari aqua. *Apertio ventris.*

De lienis affectibus. CAP. XXXVII.

TOt & tales morbi fiunt in splene, quot & quales in hepate.vt intẽperaturæ,inflammationes, tumores duri,obstructiones, & morborum similium symptomata, vt icteri, hydropes. Quare cùm fiant simili modo,

etiam ſimili methodo, & ferè eadem materia medica curantur. In hoc tantùm differunt, quòd morbi ſplenis valentiora medicamenta deſiderant incidentia non ob ſubſtantiam partis (eſt enim tenuis & rara) ſed ob materiam terreã & craſſam, quam in ſe continet. In aperiẽdo minus vtimur aſtringentibus, quia pars minus eſt principalis & minus ſui conſeruationem indicat, quod de remediis externis velim intelligas. Nam cùm ad ſplenis affectus fortiſſima remedia inſtituuntur, ad iecur etiam perueniũt, ídque lædunt nimis fortiter aperiendo, vel diſſoluendo. Differunt & in hoc, quod melancholia in ſplenis affectibus præcipuè expurgatur, bilis in hepatis, in vtriuſq; verò obſtructione pituita, quoniã magna ex parte facit obſtructiones ſua craſſitie. Quare eadem medicamenta curabunt intemperiem hepatis & lienis. Inflammatione laborantibus his partibus, in ſanguinis miſſione differũt indicationes, ob ſitum partis, atque in topicorum admotione. Nam in hepate admouentur in dextra parte circa poſteriora, ſi in gibba ſit affectus: ad anteriora verò, ſi in caua: in ſiniſtra & infra nothas coſtas applicantur ſplenitica. In curatione obſtructionum & icteri ſola medicamentorum vehementia differunt. Quare & fortiſſima remedia ad obſtructiones & ſcirrhos hepatis præſcripta erunt ſplenitica. Item quæ cappares & acetum recipiũt, quæq; minus aſtringũt, ſpleni magis ſunt accommodata. Quare ſuperfluum eſſet, ea hîc repetere. Id tantùm adnotare hîc oportet, limaturã calybis increſcentem lienem minuere, vt & aquam fabrorum ferrariorum, & ſemen portulacæ, cùm ob eius facilem relaxationem aliquando intumeſcit. Quæ enim cõſtringunt cogenda, ſubſtantiã raram minuunt. Aliud etiam notandum eſt, quòd in tumoribus & doloribus ſplenis flatus diſcutientia, vt agnus caſtus, ſeſeli, apij, & petro.ſemina, ſuccus rutæ multum iuuant. Colon inteſtinum ſpleni alligatur & incumbit, quod flatibus diſtentum, & ægros & medicos ſæpè fallit, ſed hac nota diſcernuntur, quòd ſpleniticus dolor grauis ſit, colicus verò diſtendens, acutus & mobilis: Spleniticus in parte vna fixus eſt: in colico totus venter à flatibus diſtentus: in ſplenis verò affectibus, ſola pars ſiniſtra.

Quæ lienẽ minuunt.

Colici à ſplenitico diſtinctio.

De cachexia. Cap. XXXVIII.

CAchexiam Græci vocant malum corporis habitum. Est autem color malus ex albo flauescens, vel virescens, caro laxior, & omnes vires imbecilliores, & vt dicam breuiter, illa est corporis constitutio, quæ hydropem præcedit. Sequitur immoderatas sanguinis euacuationes per hæmorrhoidas, aut alias partes scirrhósque viscerum. Quare eadem cura erit huius, & imbecilli hepatis, aut cum affectu, quem præcedit, & quem sequitur, vt si cachexia sequatur scirrhum, & vergat in hydropem, tunc victus ratio sit exsiccans & attenuans. Exsiccãdum quippe ob humiditatem incipientem, aut serum, quod est factum ab intemperie, & imbecillitate hepatis. Attenuans autem, vt semper caussa huius affectus oppugnetur, ne scilicet materia crassa scirrhum faciens gignatur. Eadem est ratio medicamentorum. Sed cùm habitus vertitur in aquam, magis digerentibus, quàm humidis emollientibus, magísque farinis siccis, quàm fotibus ex oleis, vel decoctionibus vtemur. Si cachexia fuerit ab immodica sanguinis euacuatione, corpus reficiendum humidis, pares refrigeratæ calfaciendæ, & habitus corporis siccandus. Quòd si fiat ex eius retentione, hæmorrhoidas aperimus, corpus leuiter laxamus, ad quas omnes caussas vsum harum pilularum experior efficacissimum.

℞. pul. dialaccæ, vel diacucurmæ ʒ. j. rhab. ʒ. ij. diarr. abb. diagal. ana ℈. j. cum syr. de absynth. fiant pilulæ paruæ, capiat quarto quoque die pilulas quatuor manè. Quòd si affectus hic sit cum intemperie calida aut fluxu immodico, fiat vt sequitur. Pro febre sic.

℞. tro de rhab. ʒ ij rhab. ʒ. j. ag. ʒ. ß pul. diar. ℈. j. cum syr. capill. fiant pilulæ. cap. sex bis in hebdomada mane, superbibendo aquæ end. & cichor. ana ℥. j. Si febriant, magis conueniunt syr. quàm pilulæ. Sed qui tandiu vsi sunt syrupis, his minùs molestæ. Syr. conuenientes sunt, de bizan. de eupat. capill. ven. end. compos. vel de cich. cum rhab vel end. addendo rhab. idem præstabit. Si cum fluxu immodico sit affectus, pilulæ sic fiant.

℞. myrob. citrinorum, cheb. ind. an. ʒ. j. confricentur cum succo ros. rhab. electi. ʒ. ij. diarrh. abb & triasand.

an.ʒ.ß.cum syr.capill. fiant pilulæ,capiat duas manè in exitu lecti. Post harum vsum ferè in omni caussa conuenit opiata sequens.

℞. ciner. pellic. ventric. & intestinorum gallinæ ana ℥.ij cineris cancrorum marinorum locotum ante & post vstionem ℥.j.conser.flor.cichor.& capil. ven.an.℥.j.pul. aro.rosf.& diagal.an.ʒ.iij.cũ syr.capill.fiat opiata(quando febris & intemperies calida adest,diarrh. & pul.triasand.loco aliorũ pono)capiat singulis matutinis. Quod si aqua euacuata sit, superbibat parum vini, diluti aqua graminis & aspar. Si adsit caliditas, aqua cichor. & end. Si refrigeratio, aqua absynt.& mentæ.Si fluxus,aqua capil. ven.& absynth.Linimenta supra hypochondria sunt apponenda,quæ ex iecur corroborantibus conficiantur.

℞.ol.de absynth. nard. an.℥.ij.ol.cydon.℥.j. spicæ vtriusque ana ʒ.j.cyperi, sandali rub & albi an.ʒ.ß.coralli rub.vsti ʒ.j.ß. ceræ q.s. fiat vnguentum, vngantur hypochondria. Vtatur optima victus ratione, & exercitio, nisi fluxus immodicus sit. Tunc enim frictiones fiant in contrariam partem.

De renum inflammatione. CAP. XXXIX.

INflammatio renum, vt aliæ inflammationes internæ curatur in genere, nempe auertentibus, dolorem mitigantibus, repellentibus, discutientibus, &c.Magis autem propria & peculiaris curandi ratio hæc est. Primùm sanguinis motus aliò diuertendus est, secta basilica eiusdẽ lateris,idque initio & si adsit plethora. Potest etiam è vena poplitis educi sanguis, vt quodam in loco Gal.imperat. Id verò commodè fiet,vbi iam cessauit fluxio,si partes inferiores non fuerint imbecillæ,& sanguis tenuis appareat. Huius autem venæ incidẽdæ commoditas percipitur, ex eo, quòd sit valde perspicua,& ei non mediocris sit cũ renibus societas. Optima enim(vt scribit Gal. lib. de constitutione artis) vacuatio fit per magnam venam, & quæ habet consensum cũ parte affecta. Ante venæ sectionem aluus exoneranda, ne venæ succis crudis, aut vaporibus malis repleantur. In hoc morbo glans cõmodior est clystere,potest tamen clysteris pauca quantitas iniici, alioqui ex maiori distenduntur intestina,atque ita renibus cõpressis dolor augetur. Clyster fit

Cap.11 lib.13.met. medie. Sectio vena.

Glans est clystere cõmodior.

fit molliens & refrigerans. Mercurialis, beta, pariet. & huius generis herbæ & ficus reiiciendæ, nisi cùm detergere oportet, vel abscessum rumpere. Nam nimis detergentia initiò malum exasperant. Clyster optimus ad omnium internarum partium inflammationem, & potissimùm circa sedem fit sic. *Clyster.*

℞. rad. bismal. lil ℥ j. mal. viol. an. M. ij. pass. prun. an. pa x. quatuor sem. frigid. ma. an. ʒ. iij. florum viol. p. ij. fiat decoctio in ℥. viij. diss. mel. viol. sacch. rub. butyr. recen. an. ℥ j. ol. chamo ℥ ij. misce, fiat clyster, datur ante sanguinis missionem, vel statim post. Extrinsecus admoueatur epithema refrigerans, astringens, & repellens. *Epithema*

℞. rosnymp. an. ℥. iij. succi plantag. solani an. ℥. iij. aceti ℥. ij. fiat epithema. In succorum penuria aquis vtemur. Valet quoque vnguentum ros. vel vnguentum Galeni pro renibus, quorum vis augenda est, additis succis conuenientibus, vt plantag. sola. semperuiui, polygoni, & similibus. Quòd si materia in ventriculo contineatur, proderit etiam ante sanguinis missionem vomitum ciere, reuulsionis ergò. Possunt & præscribi syr. ad sistendam fluxionem, qui respondeant actioni nephriticæ, illi verò ex anodynis, attrahentibúsque fiunt, vt hoc modo.

℞. viol. solani, scariolæ, plantag. an. M. j. polygoni M. ß. tamarind. ℥. j. seminis berber. port. & papaueris albi aut capitum eiusdem an. ʒ. iij. flor. ros. nymph. ana p. j. fiat decoctio. In ℔. j. diss. sacch. q. s. fiat syr. quo vtatur mane. Quòd si aluus astringitur, clystere vel glande solicitanda erit, non autem decocto laxante, aut medicamento qualecunque sit, cui locus erit in declinatione. A medicamentis enim duplex est incommodum, tum quòd calida sint, tum quòd humores attrahant ad partem affectam Sed neque cassia, vt solent omnes, vti suadeo, quæ mihi non potest non esse suspecta, cùm aliquid etiam caloris habeat. Dari etiam possunt initio syr. qui parantur in officinis in eadem vtilitate, qua decoctum præscriptum, vt syr. refrigerantes. Et si aluus satis fluat, leuiter astringentes, vt syr. viol. de nymph. myrtil de ros. siccis, de papa. præsertim cùm dolor vrget. In siti vtendum est Iulep Alexandrino. Sitim enim optimè sedat: *Syrup.* *Cassia suspecta.* *Syr. astringentes.*

atque horum decoctum & syr. vsus in principio tantùm conuenit. Quòd si fluxio non possit prorsus repelli, ac iam per membranam renum aliquid resudare videatur, tunc abstinendum à syr. astringentibus, & nimis incrassantibus. Vtendum autem erit modicè, & citra morsum detergentibus, vt saccharo cum aqua, hydromelite in minùs biliosis & senioribus. In biliosis detur decoctum pass. iuiub. hordei & glycir. in declinatione valentiora his prosunt, vt quod parti impactum est, discutiatur. In hunc vsum vtile est hoc decoctum.

℞. gly. ℥ j radic. ireos ʒ. ij. agri. ceterac. polytric. adianthi an. M j. pass ℥ j. fic. N. vj. flor. bugloss. borrag. an. p. j. fiat. decoctio. In quo dissolue mell. ros. col. ℥. iij. fiat syr. aro. cum ʒ ij. cinamomi & ℈. ß. scenanthos. Eodem fine dari possunt pilulæ.

℞. myrrhæ, styrac. cinamomi, asari spicæ nardi, scenu galang. crass. an. ℈. j. excipiantur terebinthina, fiant pilulæ, capiat ʒ. j. summo mane. Sumptis pilulis capiat ℥. iiij. decocti cicer. rub. cum pauco saccharo. Postea singulis diebus manè capiat pilulam vnam superbibendo parum aquæ hordei perfectè cocti. Topica discutientia sunt, vnguentum martiatum, & resumptiuum, quorum singulorum ℥. j. addatur ʒ. j. rad. ireos, vel cineris coralli rub. vel cornu cerui, aut ʒ. ß. far. fabarum.

De renum Vlcere. Cap. XL.

INflammationem renum & abscessum frigidum sequitur exulceratio. Nam post eruptionē abscessus remanet vlcus. Deprehenditur dolore circa renes, cum pure multo reiecto vnà cū vrinis. Discernitur à pure vesicæ, quod pus vesicæ viscosum magis, & tenax sit, quia à parte neruosa defluit. Renum autē pus est quidem crassum, sed minùs viscidum. Parum certum est, quod tradunt practici, pus renum magis permixtum vrinæ, vesicæ autem minùs. Nam in vtriusque vlcere permixtum redditur, & postea in fundo residet. Id tantùm verū est in penis vlcere, in quo priùs redditur pus, deinde lotiū, quasi sine pure. Fit interdum in vtroque rene, interdum alter tantùm, id quod dolore deprehenditur. Nam si sit altera tātùm, dolor in ea parte sentitur, vt Hippocrates ait. Vbi dolor, ibi morbus. Morbus hic quandoque maior,

Signa.
Pus vesicæ disting. à pure renū.

ior, aliàs minor est. Irritatur autẽ facilè longo itinere, equitatione, vsu alimentorum acrium, aut medicamentorum diureticorum.

CVRATIO.

Curatur medicamentis detergentibus, deinde resiccantibus, sed difficilis curatio ob continuum vrinæ transitum. Si absque inflammatione, fiti facilius curatur: Si cum inflammatione, nunquam. Cùm inflammatio adhuc durat, vtilis est sanguinis missio è poplite, vel talo. Deinde quæ detergunt citra calfactionem, vt serum lactis asinæ, aut capræ cum saccharo rof. aut pauco melle. Si febris non adsit, lac omne dari potest Si febris adsit, malum dare, vt Hippocrates in aphorismis docuit. Vel detur tale apozema. *Detergen.* *Apozema.*

℞. rad. bismal. consol. maio. an. ℥. ij. glyc. raf. ℥. ß. corticis cucurbitæ ℥. iij. agrimoniæ, ceterac. plantaginis an. M. j. sebest. pa. xx. seminis anisi ʒ. ij. seminis alchecangi, & bismaluæ, an. ʒ. j. papaueris albi ʒ. iij. aut capitum papaueris ʒ. ij. florum trium cordialium an. p. ij. rof. q. ß. fiat decoctio in aquæ hordei ℔. ij. diss. sacchari quantum sufficit, fiat syrupus, capiat manè, & serò tribus horis ante cibum. Et ne deducantur excrementa aliqua ad partem affectam, erit vtile ante vsum horum syr. vel vomitu vel medicamento leniente ventriculum & intestina detergere. A cibo meliùs vomunt, si os ventriculi ol. liliorum inungant, & aquam tepidam bibant, cum pauco oleo. Et iis tantùm danda sunt, qui facile vomunt. Item ea, quę vomitum excitant, vlcus irritant. Dandum est medicamentum leuius, vt cassiæ in forma boli, vel cum decoctione hordei, & aqua bugloss. & viol. Carth. & diasebesten dari possunt. Syr. viol. ex multis infusionibus, & syrup. viol. in decoctione sebesten idem præstant. Oportet bis in mense bolum deuorare. Forma enim spissa medicamenti commodior est liquida, propterea quòd per ventrem descendit, & minùs peruenit ad renes. Cremor hordei & alimentum, & medicamentum erit. Item albumen oui per se, aut cum vitello datum, dolorem mitigat. Sed optimum est addere semper sacch. rof. tab. ad detersionem, vel puluerem sequentem.

PVLVIS.

℞. coralli rub. vsti & diligenter loti in aquâ plantaginis & caudę equinę ℥.ij.cine. corticis cucurbitulæ eodem modo loti ℥.j.mastic. ℥. ß. sang. drac. & sarcocollæ an.ʒ.iij pul. hippur. ʒ.j. facch. cand.& rof. tab. an.℥. iij. fiat pul. tenuissimus, vt alcohor, vtatur per se, capiendo manè cochlear vnũ, superbibendo cyathum vnum aquæ plãtaginis, vel caudæ equinæ, vel myrtil. cũ pauca quantitate vini albi. Vel vtatur hoc puluere in cremore ptisanæ, vel in lacte amyg. aut non in ouo tantùm calfacto; Vtatur in cibis liquidis puluere illo veluti condiméto, adaugendo quantitaté sacchari. Abstineant ab humidis & liquidis. Vtantur potiùs refrigerãtibus & exiccãtibus. Vtãtur etiam iis, quibus venter potest leniri, vt mal. lact. pomis coctis, prunis. Abstineant à piperatis, & acribus, & coitu, & exercitatione. Sed pro exercitio vtantur frictione tibiarum. Si verò morbus sit sine inflammatione, vtimur frequẽtius medicamentis lenientibus aluum, & detergentibus & lacte ouium. In apozemate prædicto addi potest cortex fabarum, qui potẽtissimè deterget, mel. rof. col. vel syrup. de iuiub. vel de gly. In pul. præscripto augeatur quantitas sacchari candi, minuatur saccharum rof. tab. Post euacuationem factam, vtile erit aliqua ratione mouere sudores, vel ingressu stupharum, vel decocto gaiaci, quod mouet sudores, vlcera terget, & copiam vrinæ minuit: Ob id iuuat in omni vlcere renum & vesicæ. In parte externa supra renes, maximè si cum inflammatione vlcus sit, medicamenta aliqua ad refrigerationem, & exiccationem, apponenda sunt, vt vnguenta & emplastra, quæ talem vim habent, vt

Mouens sudores.

Decoctum gaiaci.

℞. succi plantag. & solani an. ℥ iiij. ol. rof. omph. ana ℥.iij. aceti ℥ j. lithar. tenuiss. pul. ℥. j. ß. cerussæ lotæ ℥. j. tuthyæ tenuiss. pul. ʒ. ij. sang. drac. ʒ. j. pulueristentur puluerisanda & reducantur ad formam litarg. nutriti. Vngantur renes, siue cum inflammatione sit vlcus, siue absque inflammatione.

De renum calculo. CAP. XLI.

HVius duæ sunt caussæ. Altera efficiens, calor renum ingens, humores assans, cogens, & in lapidem durans. Altera materialis, crassi & viscidi humoris copia.

Signa sunt grauis renum dolor, aculei infixi sensum præbens, locum non mutans, spina ægrè potest reflecti. Crus, quod è directo est, stupet, ob nerui orti à lumbis compressionem, fastidium adest, & vomitus. Vrina circa principiũ pauca meiitur, & aquosa propter obstructionem, postea perfectè supprimitur. Aluus nihil excernit, licet adsit permagna egrediendi cupiditas. Aliquando sanguis excernitur ob violentiã calculorum. Vrina tandem arenosam substantiam habet, præsertim vbi lapis è renibus emotus est, qui si leuis & rotundus sit, excernitur facilè: sin asper, & alia quacunque forma præditus, præsertim angulosa, difficulter. In curatione vtendum est leui clystere, & non forti, vt, *Signa.*

℞. quatuor remoll. & pariet. ana M. j. seminis lini, fœnug. ana ℥. ß. caric. ping. N. x. (non pass. quia nocent vesicæ) quatuor seminum frig. maior. ana ʒ. iij. florum chamomel. p. j. fiat decoctio in qua diss. cass. extractæ, sacchari rubri ana ℥. j. mell. viol. ℥. ij. olei viol. & amygd. dulc. ana ℥. j. ß. fiat enema. Adde in decoctione sebestẽ ℥. ß. capiat bis in hebdomada ante pastum. Lenit renes, & lubricando educit, quod in eis continetur, quod semper in affectu est obseruandum. Confert sequens fomentum supra renes spongiis madefactis, & expressis ex decoctione sequenti.

℞. mal. bismal. cum toto ana M. j. ß. seminis anisi, fœnic. ana ℥. j flor. chamom. melil. ana p. j. ß. fiat decoctio de qua fiat fomentum pro renibus cum spongiis, aut filtro. Vtatur sequenti vnguento.

℞. butyr. recentis sine sale, axung. gall. ol. amygdal. dulc. & viol. ana ℥. ij. ol. de lilio. ℥. ß misce cum cera noua parum, fiat linimentum pro rene dolente, qui vngatur sæpius de nocte post fomentum. Verùm quia multi flatus coniunguntur in hoc affectu ob cruditatem ventriculi, & imbecillitatem concoctricis, post vsum præscripti clysteris iniiciatur sequens, qui etiam in colico dolore non parùm confert.

℞. ol. anethi, chamom. ana ℔. ß. ol. amygdal. dulc. ℥. ij. misce, iniiciantur per anum calidè. Postea vtẽdum est sequenti bolo.

℞. cass. recens extr. ℥. j. sacch. q. s. fiat bolus quem ca-

piat. Aut si malit in forma potabili, fiat sic

℞. vuarum pass. caricar. ping. ana Paria vj. iuiub. sebest. ana Paria x. capill. recentium quartam partem M. j trium flor. cord. ana p. j. quatuor seminum frig maior. ana ℥. j. fiat decoctio in ℥. iiij. dis. cass. recenter extr. ℥. j. syr. viol. ℥. ß. fiat potio, detur loco boli. Postea vtatur remediis calculo comminuendo, & foras educendo accommodatis, vt

℞. confect. litontripon ℈. ij. sangu. hirci præp. ℈. j. syr. capil. ℥. ß. cum aqua milij solis, aut cum iure cicer. rub. fiat potio. Vnguentum etiam fiat sic.

℞. ol. scorpion. compos. (Nam scorpius frigidus est, & eius ol. simpl. imbecillius) ol. de lilio compos. ana ℥. j. ß. misce, vngatur regio dolentis renis calidè. Quòd si horum vsu non descendat lapis ex renibus ad vesicam, admoueantur cucurbitulæ, primò paulùm sub loco doloris, & descendendo sensim obliquè secundum meatuũ vrinariorum situm, & descensum in vesicam. Insessibus præterea vtendum, quo remedio nullum efficacius est, ad doloris mitigationem. Sis tamen prudens, quia vires multùm dissoluuntur ob longam moram in insessu calido, & crebrum ingressum. Viribus ergo constantibus, si dolor superioribus remediis non cesserit, paretur insessus ex rebus præscriptis in fomento, maiori tamen quantitate, & dosi & æger in labrum tepidus demittendus est, non multùm calidum ob dictam caussam. Optimum ad diuersionem est simul, & excrementorum eductionem vti sequenti opiata.

℞. diaprun. simpl. cass. rec. extra ana ℥. j. gran. berber. gr. vj. pass. mund. & pulpæ sebest. ana ʒ. ij. pul. gly. ʒ. ß. misce, & cum syr. capillar. reduc. in formam opiatæ. Dosis est ℥. vel ʒ. vj. pro viribus ægrotantis, capiat cum custodia.

Ad calculum comminuendum.

℞. seminis hyperici, quatuor sem. frig. maior. seminis apij & petro. ana ʒ. iij. seminis rhamni & albæ spinæ ana ʒ. ij. saxifrag. & empetri ana ʒ. j. ciner. capitis muris, & cineris scorpionum ana ʒ. iij. cum syrup. de quinque radicibus fiat opiata, de qua capiat ante suos pastus per duas horas, superbibendo aquæ cretæ marinæ

rinæ ℥.iij.vel iiij.cum syrupo limonum.

℞. seminis basiliconis, quat. semi. frig. maior. seminis apij, petro. ana ʒ. ß. rad. fœnic. petro. asparagi, seminis pimpinellæ, ana g̃. xv. saxifragiæ, rusci ana g̃. vj. rhab. electi ℈.iiij. sacchar. dissl. in aqua cretæ marinæ q. s. fiat electuarium in tabellis ponderis ʒ.ij.

℞. aquæ parietariæ ℔.j. vtatur cum dictis electuariis.

De Diabete. Cap. XLII.

Diabete rara est affectio, quam Gal. semel tantùm aut bis vidit, sed quia aliquando accidit, non est negligenda eius curatio. Ego ter vidi in filia & patre, quasi morbus esset hereditarius, vel potiùs, quia erant eiusdẽ temperaméti, scilicet, biliosi. Solet autẽ accidere biliosis ob seri tenuitatem, & renũ caliditatem. Nihil enim aliud est diabete, quàm fluxus vrinæ, vt cùm multum, & frequenter meiunt vrinam aquosam, & tenuem. Fit autem, vel quia habitus totius corporis nimia caliditate dissoluitur, vel cùm renes supra modum calfacti nimiũ seri trahunt. Quare erit occurrendum intemperiei totius corporis, vel renum potissimùm aliméтis crassis, emplasticis, minimè calidis, incidentibus, vel aperientibus. Multùm itaque laudatur ptisana, omnis sorbitio ex alica, pedes veruecini, aut vitulini aut suilli aut bubuli, semoula, panis lotus, amylum si decoquatur in iure carnis, in quo semen papaueris decoctum sit, aut lactucæ. Super renes, si affectus sit in toto corpore, supra totam spinam vnguenta refrigerantia, & astringentia apponenda, qualia sunt paranda ad fluxum sanguinis & ad vlcera renum, vel ex ol. frig. & astingentibus, & ex succis herbarum, vt quod paratur, ex ol. myrrh. rosomph. nenuph. aut de pap. Inungenda est tota spina, maximè ab vltimis costis ad os sacrum vsque. Nimis frigida & astringentia respirationi nocere possunt. Intus autem nec multùm resiccantia, nec aquea danda sunt. Sicca enim habitum soluunt, humida aquam mouent. Sed quæ crassa sunt & emplastica, deligenda sunt, vt consolida maior, gum. tragac. arab. mucilago psillij cyton. amylum, albumen oui, terra sigillata, bolus armena, & melior forma erit in opiata sic.

℞. carnis cydon. conser. cons. maior ana ℥. j. mucilag.

gum. tragac. & seminis cydon. extractæ, cum aqua ros. ana ℥. ß. amyli ʒ. iij. boli arm. sang. drac. ana ʒ. j. misce, cum syr. de pap. & myrth. fiat opiata, de qua capiat bis in die, & semel noctu. Si diabete aut simile diabetæ post hydropem fiat, aut si habitus sit serosus, non statim curare oportet, vt illa seri redundantia euacuetur. Moderanda est, si vitium deiectio sequatur. Qui hac affectione laborant, non debent mouere corpus, neque supra renes dormire, ne nimis incalescant.

De diabete ex prima dictatione. CAP. XLIII.

DIabetica passio est inuolũtarius, & nimius lotij affluxus. Caussa est vehemens renum calor, potentius attrahentium serum sanguinis. Qui hac laborant, vt plurimùm hectici moriuntur, ob eam, quæ renibus inest, trahendi vim à calore exuperanti. Ad huius curationem omnia fiant describenda in ardore vrinæ, exceptis mucilaginibus, syringationibus, & vnctionibus pectinis, & perinei. Nec virga est in lacte immergenda, vt in ardore vrinæ. Sed soli renes sunt refrigerandi per vnctiones & reliqua dicenda capite de ardore vrinæ sine vlcere.

De vesica calculo. CAP. XLIIII.

CAlculi in vesica reperiuntur, qui contractioné impediendo, vrinæ expulsioné impediũt, ob id caussa distentionis, & distentio caussa retentionis vrinæ à toto genere præter naturam dicitur. Fiunt calculi in vesica, maximè in pueris, & aliis ætatibus, vel alibi, vt in renibus, generatim in vesica retinentur, & inter se differunt. Nam qui fiunt in renibus, augentur ex arenulis pituita viscida simul coniunctis. Arenulæ autem à pituita etiam viscida renum calore cocta, & hi comminuuntur. Vesicæ autem calculi non sic fiunt ex multis arenulis, sed ex pituita multùm viscida, & crassa, in vesica indurata augmẽtum recipiunt, & veluti cortex quidam supra lapidem generantur, ita vt videãtur ex multis tunicis aut multis veluti ostrearũ testis confecti. Od id difficillimè franguntur, vel medicamentis vel ferro. Qui autem primùm generatus est in renibus calculus, & retẽtus in vesica, minus rotundus est, & in medio arenosus, in superiori parte veluti testa quadam conclusus. Quare si præcesserit

ceſſerit nephritis,& calculus reiectus non fuerit,& præceſſerint ſigna calculi renum,danda eſt opera, vt calculus ille ex veſica expellatur, quod fiet vrinam retinendo in pene. Nam vrina retenta viam dilatat,& præparat ad calculi euacuationem, & concutiendo corpus,& affatim cúmque impetu reiiciẽdo vrinam. Vel danda ſunt medicamenta, quæ lapidem frangunt, priùs prouocata vomitione, aut facta purgatione. Vomitus ad præcautionem eſt valde vtilis. Prohibet enim eius generationem, aut incrementum. Pituitę ventriculi & inteſtinorum deterſio generationem & incremẽtum impediũt. Dantur igitur prius medicamenta leuiter detergentia, deinde detergentia, & aperientia ſimul permixta, ponſtremò fortiter incidentia,& lapidem frangentia.

℞. gly. raſ. ℥. ij. paſſ. fic. ana pa. x. aniſ. fœnic. ana ʒ. ij. quatuor ſemi. frig. maio. ana ʒ. iiij. milij ſolis ℥. ß beth. M. ß. fiat decoct. In ℔. j. diſſ. oxymel. ſimpl. ℥. iiij. capiat in tribus matutinis. Et poſt vſũ huius ſyr. capiat pilulas de hiera, de rhab. an. ʒ j. deinde vtatur hoc ſyrupo.

℞. gly. raſ. ℥. ij auriculæ lepor. beth. empetri (quod fœnic. marinum vocant) ana M ij flor. hyperici & geniſtæ ana p. j. ſeminis ſatyrij ℥ j. fœnic. apij, petro. aſari ana ʒ. ß. fiat decoctio, in aqua fontis. In ℔. ij. diſſ. ſyr. de limonibus, oxymel. diuretici ana ℥. iiij. ſacch. par. fiat ſyr. mediæ decoctionis, capiat hora quarta matutina, & iterum poſt duas horas eandem quantitatem. Ante cœnam duabus horis capiat cyathum vnum, & hoc continuet, donec lapis fuerit reiectus. Hic ſyrupus lapidem comminuit, ſi comminui poteſt, & parum ex veſica propellit. Quòd ſi moleſtum fuerit ægrotanti tanto tempore vti hoc ſyrupo, miſceatur vino albo,& cum aliquantula quantitate cinamomi fiat vt vinum hippocraticum. Nam propterea quòd locus eſt valde remotus, medicamenta eò peruenire non poſſunt integris viribus, ob id frequenter aſſumenda ſunt, & magna quantitate. Vel fiat opiata hoc modo.

℞. conſer. lyring. & paſtinacæ agreſtis (quam bauciam vocant) capill. ana ℥. ß. ſucci fœnic. marini, hyperici portu. depuratorum, & exiccatorum, ſucci gly. ʒ. j. cineris aſtragali leporis, & capitis muris an. ℥. j. lapidis iudaici ℥.

ß. cinamomi, ſpicæ, rubriæ maio. ana ℥.j. cum ſyr. delimonibus fiat opiata. Sed omnia arida tenuiſſimè pulu. & capiat ad nucis quantitatem, aut caſtaneæ, ſuperbibendo cyathum vini albi, vel clari diluti cũ aqua beth. vel auric. lepor. vel decoctione herniatiæ. Capiant frequenter in die, vt de ſyr. dictum eſt. Fieri poſſunt linimenta, & fotus ſupra regionem veſicæ ex relaxantibus, & aperientibus, vt fiat hoc modo.

℞. rab. biſmal. graminis, aſparag. fœnic. ana q. j. beto. fœnic. marini, parieta. pedis columbini, ana M. j. flor. hyperici, geniſtæ, iuiubarum ana p. iij. fiat decoctio in aqua & vino, quibus adde ſemin. fœnic. apij, petro. ana ℥. ß. foueatur manè regio veſicæ, & perinei tepidè. Fieri etiam poſſunt ex decoctione fotus, inunctiones, & ex oleis ſcorpionum, amygd. liliorum, & aliorum dilatantium. In officinis parantur compoſitiones quædam, quæ vim habent comminuendi lapidem, vt quę inde nomen accepit Litontripon. compoſitio Iuſtini. Sed quæ priùs parari iuſſimus, ſunt efficaciſſima. Si vſu horum non curetur, ad diſſectionem veniendum eſt. Nam lapis eſt fortior, quàm vt conteri poſſit.

De calculo contra Fernelij ſententiam.

LApidem in veſica generari contingit ex crudo ſucco & limoſo ac viſcido cum vrina penetrato ad veſicã, in qua calore loci exarefactus ſenſim lapideſcit, vt in aquæ ductibus aqua aluminoſa & argilloſa, fieri contingit. Fernelius dicit ſe non videre, quomodo crudus ille ſuccus poſſit tandiu illic remorari, niſi fortè admodum anguſta, aut obſtructa ſit veſicæ ceruix, cum ſanguineus grumus, pus & mucoſa & lẽta pituita, aliáque multò craſſiora facillimè illuc cũ vrina profluant. His argumẽtis adductus aliam cœpit cauſſam inueſtigare, ac tandem competit, omnem calculum in veſica concluſum à renibus rudimentum quoddam traxiſſe, è quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi grandiuſculus eſt, in veſica aliquamdiu hæret, ac ſępè perſiſtit, illícque aliarũ ſordium adhæſu coagmentatur, dum verus, & coaptatus fiat lapis. Ita quidem neminem hactenus offendi, inquit, in veſica calculum habere, qui nephriticis doloribus vexatus antè non fuerit, & quoſcunque exemptos

vesica calculos offendit, in medio quasi nucleum reperit, verum rudimentum à renibus exturbatum. Decipitur verò in hoc, quòd putet, quod aliquando fit, & aliquibus, semper & omnibus fieri, scilicet, lapidem vesicæ accepisse initium à renibus, quum post nephriticum dolorem non reiicitur, sed retinetur in vesica, in qua obducitur muco quodam, quo pars interna vesicæ munita est, à crudo succo, qui cum vrina illuc peruenit. Verùm id in omnibus non contingere experientia docet. Pueri in vesica sæpè calculum habent, qui nunquam nephritim passi sunt, nisi in vtero sint passi. Nam cum lapide natos multos vidi, qui à parentibus hæreditario iure acceperunt. Ratione id posse fieri ostendo. Si lapis renum coagmentationem accepit in vesica, vt cogitur fateri, generari potest. Nam ab iisdem caussis generatur, & accrescit. Augescit ab eadem materia, ex qua fit, scilicet, à crudis, lentis, limosis succis, & à calore partis, tanquam ab efficiente caussa. At talia recrementa retinentur ad coagmentationem: Ergo & ad generationem, non in omnibus, sed in his, qui crudis, lentis, & viscosis humoribus abundant, & quibus meatus strictiores sunt, & qui diutius vrinam retinent, ob quam retentionem crassa in fundum descendunt, & subsident, quo tempore partes illæ in lapidem concrescunt. In vesica succus crudus citiùs concrescit, quàm in renibus ob minorem calorem. Minùs enim calet vesica ipsis renibus. Sanguis enim crudis succis mixtus coalescit, & liquidiores succos reddit minùs aptos, vt in lapidem vertantur. Erit calculus in vesica & in renibus, vt grando in pulmonibus, & lapis in collo, vt refert Paulus libr. 3. Lapides hi inter se differunt. Nam qui in renibus fiunt, ex arenulis simul coniunctis generantur, & figuram sumunt à renum sinu. Si enim in primo sinu retineantur, habent veluti aculeos: qui verò per vreteres redduntur, & figuram in vretere accipere videntur, quia oblongi sunt, & nucleis pinearum similes magna ex parte, si non franguntur. Lapides vesicæ calculis fluuiatilibus similes figura sunt, scilicet, rotundi ferè, vel figura lentis, non ex arenulis, sed ex materia lenta, quæ veluti laminas cæparum facit leues, magna ex parte, qui in vesica initium sumunt:

Error Fernelij.

Lapidis differ.

Verùm qui è renibus rudimentum acceperunt, in medio veluti nucleum habent, veluti ex multis arenulis compactum. Quòd si continuò è renibus arenulæ descendant, asper efficitur ob arenam muco permixtam alligatámque. Lapides pulmonum, quia à pituita resiccata fiunt, grando dicuntur, quia grandini assimilantur in duritie & substantia. Lapis è collo intestino reiectus vesicæ calculis similis est. Atqui ab abscessu redduntur, ossibus similes esse solent, colore fusco. Tales ab abscessu hepatis, matris doctissimi cuiusdam Nemausensis redditos vidimus, & abscessu intestinorum mulieris Mõtisbani, quæ mulier post varios dolores tabida erat, hæcque menstrua nunquam passa fuerat, & tamẽ peperit duodecies. Liberorum multi adhuc superstites sunt.

De mictu sanguinis. CAP. XLV.

SAnguis reiicitur vel ob assumptas cantharidas, quæ id potissimùm efficiunt, vel propter colatorij rarefactionem, aut propter ruptionem aliquarum venarum vesicæ, aut renum. Si à cantharidibus assumptis, id scietur ex relatu ęgri, aut assistentium. Vel si penem distentum habeat, & ad Venerem irritatus fuerit, vel coierit supra modum. Si propter rarefactionem venarum renum, vel colatorij, sanguis est multùm serosus. Si propter venarum ruptionem, sanguis multus & crassus reiicitur. *Curatio.* Curatur autem sanguinis missione in principio ad aduersionem, & repellentibus medicamentis & constringentibus, supra renes & vesicam appositis, vt sunt præscripta ad renum exulcerationem, vel ex magis constringentibus, vt,

℞. boli ar. vel terræ sigillatæ ℥. ß. sang. dracon. cortic. mali gran. balaust. an. ʒ. ij. aluminis ʒ. j. rof. rub. seminis myrth. an. ʒ. j. ß. puluerizentur subtilissimè & excipiantur albumine oui & aceto, applicentur supra partem. A parte inferiori dantur prę̨scripta remedia ad redundantiam mensium. Retinent sanguinem bolus armena, carabe cum albumine oui fortiter agitata, & deuorata. Quod si concretus remanserit in vesica, tunc dissoluentia sanguinem danda erunt, aliquo tempore post, & non nisi vrgeat, retinendo vrinam, aut aliud quid efficiendò. Verendum enim est, ne rursus aperiantur venæ & sanguis

guis prouocetur, nisi dentur illa quæ vtrunque præstent, vt carabe, quæ sanguinem dissoluit coagulatum, & fluentem retinet. Si propter vsum cantharidarum fluat sanguis, primùm veneno occurrendum est, tanquam caussæ, quæ nisi ablata, effectus curari non potest. Dandum igitur erit lac, quod & caussæ & symptom. prosit, si calybeatum sit. Item ol. ros. cum albumine oui intus assumendum. Clysteres refrigerantes iniiciendi, demum ad remedia fluxui sanguinis opportuna veniendum est. Deligenda illa, quæ venenis etiam resistunt, vt est terra sigillata, bolus arm. corall. tragac. & alia, quæ superius enumerata sunt ad sanguinis reiectionem, vt succus bursæ pastoris, rasuræ seu pul. ossis sepiæ.

De Vesicæ inflammatione. CAP. XLVI.

VEsica multas venas habet, & prope magnas venas sita est. Quare non minus inflammationem patitur, quàm aliæ partes internæ. Et inflammatio citissimè vertitur in gangrenam ob magnitudinem. Rarò fit, nisi præcedat magna quædam exasperatio, vel ob dolorem vehementem ab vlcere, vel à calculo, & post vsum medicamen. acrium. Quare si sentiatur tumor supra pectinem, cum febre, & vrinæ retentione, & alui excrementorum, certum est inflammationem vesicæ esse. Ad hanc sequuntur vomitus biliosi, dolor circa illam partem, & deliria. Periculosissima est, & si superueniat vlceri, periculum est de lethargo aut delirio. Quare periculo prænunciato statim mittendus est sanguis, qui multus extrahatur, si plenitudo & vires permittāt. Id fiet primùm ex basilica, deinde ex poplite, vel fiant scarificationes in interna parte coxarum. Sin paucus sanguis sit aut morbus magna ex parte iam factus, è poplite tantùm est trahendus sanguis, quæ auersio in omnibus inflammationibus factis, circa inferiorem partem ventris conuenit. Post missionem sanguinis emolliens & refrigerans clyster iniiciendus est. Partes circumuicinæ oxyrod. fouendæ, vt influxus inhibeatur. Quòd si morbus sit in principio, frigida supra partem non multùm formidanda, si refrigerent, & non multùm constringant, qualia dicentur postea. Paretur clyster ex infrigidantibus, & emollientibus excrementa, &c.

Signa. *Missio sang.* *Clyster.*

℞. mal. viol. cucur. an. M. j. prunorum, sebest. an. N. xx. quatuor semin frig. ma. ana ℥. ß. anisi ʒ. j. semin. lini, ℥. j. fiat decoctio ad ℔. j. In qua dis. mel viol cas. recẽter extra. an. ℥ ij ol vio. ℥. iiij. misce, cap manè. Si dolor vrgeat, admisceatur albumen oui fortiter agitatum, succus solani, vel plantag. vel fiat talis ad sedationem doloris.

℞. lactis ℔. j. ol. viol. ℥. iij. succi solatri ℥. ij. misce, iniiciatur frequenter.

℞. seris lactis ℔. ß. succi cucurb. vel viol. vel mal. ℥. iij. albuminis ouorum fortiter agitati ℥ ij. misce, iniiciatur tepidè. In principio vngantur partes vnguento rosa. & viol. Et partes vicinæ oxyrrh. vt renes, partes superiores ventris. Fiat tale cataplasma.

℞. radic. bismal. ℔. j. viol. M. ij. prunorum, dactyl. mund. ana N xx. coquantur in aqua cisternæ, contundantur & transmittantur per setaceum, addendo de decoctione quantum poteris. Adde farinæ hordei & ol. ros. ana ℥. ij. misce, fiat cataplasma, applicetur supra regionem vesicæ. Quòd si morbus procedit, vel dolor maior fiat, calastica addenda sunt, vt

℞. ol. amygd. dulc. viol. an. ℥ ij. ol. chamo. & de semine lini ana ℥. j. butyr. recent. & pingued. porci ana ℥. iij. misce, fiat linimentum, vng. regio vesicæ. Item præstabit vnguentum resumptiuum lotum in aqua hordei. Meatus vrinæ detergendus, vt aliquid vrinæ reddatur, & id, quód à parte inflammata exudat. Sufficit iniicere serum lactis cum pauco saccha. vel decoctum hordei cum facch. In declinatione danda sunt per os, quæ leuiter detergunt cum euulsione quatuor sem. frig. mai. quæ non sua acrimonia, sed aqua & tenui substantia vrinas mouent. Et vinum aquosum assumere possunt. Item cremorem hordei, & alia alimenta, quæ parùm nutriunt, & refrigerant, vt lactuca, viol. mal. Fructus etiam qui vrinas acres, & ventrem leniunt, vt pruna, poma, sebesten. Pira verò & quæ astringunt, fugienda, & quæ multùm detergunt, vt ficus, pass. Si euacuant ab inflammatione, vlcus curandum, & pars detergenda, vt proprio capite monstrabitur.

De inflammatione Vesicæ ex prima dictatione.

CAP. XLVII.

Huius

HVius curatio conuenit cum curatione inflammationis renum, sed minùs astringentia & refrigerantia regioni vesicæ sunt admouenda, ne accidat ischuria, quæ symptoma est valde frequens per se, & maximè molestum. Magis verò vtendum relaxantibus, & dolorem lenientibus. Hic ergo præferuntur linimenta, epith. perfusiones, cataplasmatis & emplastris: quoniam hæc suo pondere partem grauant, sic, vt ea multò difficilius dilatari queat, vnde fit, vt dolor affligat vehementius. Inclinante autem morbo, cùm iam dolor & tensio remissa sunt, cataplasmatis sine vllo incommodo vti possumus. Topica in principio conueniunt refrigerantia sine magna astrictione, vt

℞. succi viol. vel lactucæ, vel solani qr. j. ol. ros. qr. ß. agitentur simul validè. Hoc imbuti panni frequenter admoueantur, vt

℞. ol. ros. omph. ana ℥. ij. ol. viol. ℥. iij. aquæ ros. parum, fit vt suprà.

Ad sedandum dolorem.

℞. rad. mal. bismal. ana ℥. iij. viol. M ij flor. cham. melil. & viol. ana p. j. semin. papauer. albi ℥. ß. misce, fiat decoctio, qua foueatur pars affecta. Efficacius erit medicamentum, si addas farinæ seminis lini & fœnug. ana ℥. j. Post fotum fiat linimentum hoc.

℞. muc. seminis psyl. & cydon. ana ℥. j. ol. chamo. liliorum ana ℥. ij pingued. gallinæ, anser. butyr. recentis ana ℥. j. farinæ hord. ℥. ij incorporentur simul, fiat linimentum pro parte affecta. Huius loco licet vti vnguento resumptiuo. Accedente statu miscenda sunt discutientia, vt farina fabarum, orobi & similia. Poterit etiam dari decoctum suprà descriptum.

De Vesicæ Vlcere. CAP. XLVIII.

EXulceratur vesica, vel propter scabiem, vel propter vsum cantharidarum, aut propter calculum asperum, aut propter pituitam aliquã salsam, aut bilem lotio permixtam. Accidit cum inflammatione, & citra inflammationem. Si cum inflammatione curatur iisdem remediis, quibus vlcus renum cum inflammatione, nisi quòd maiorem quantitatem syr. aut aliorum remediorum sumere oportet: vt ad partem affectam peruenire possint,

Et possumus quatuor sem in. frig. mal. addere. Nam alia prouocantia vrinam non sunt ponenda, nisi sint ex numero eorum, quæ astringendo id faciant & exsiccando, vt herniaria, lingua pass. cortex mali granati, & hoc maximè post totius corporis purgationem. Si sine inflammatione sit, curatur eodẽ modo, quo vlcus renũ sine inflammatione, nisi quod magis oportet resiccare, ob partis intemperiem, quia medicamenta multùm infracta & debilitata ad partem perueniunt. Tentandum est etiam per fistulam æneam, aut syringam oblongam aliquid in vesicam iniicere, quod commodiùs fit, si æger in dorsum decumbat, cruribus sursum elatis, & digitis propellendo vsque ad perinæum Iniectiones autem fiũt ex detergentibus sine morsu, vel ex decocto hord. decocto cort. cucub. & cortic. fabar. in minori proportione, vt ex herbis leuiter detergentibus cum pauco melle ros. Decoctum præscriptum etiam iniici potest, & decoctũ gaiaci. Post detersionem addi debẽt, quæ magis resiccant, & cicatricem inducere possunt. Et ista sunt in vlcere simplici sine lapide. Nam vlcera cum lapide, non curantur nisi lapis auferatur, cuius extractio valde periculosa est propter vlcus. Cùm enim distenditur vesicę collum, periculum est, ne disrumpatur. Si vlcus iam fuerit profundum, tũc satius est vti cura palliatiua & vlceris, & lapidis, vtendo quibusdam emplasticis, & viscosis, vt lapidi inducatur quędam leuitas, quod fiet commodè vsu lactis cũ pauco amylo, aut aliis viscosis manè assumptis. Nam si leuis sit lapis, minus vexat ægrotum. Si vlcus à cantharidibus factum fuerit, & in principio neglectũ, difficiliùs curatur. Si recenter assumptæ fuerint, & fluxũ sanguinis faciant, earum acrimoniam & vim extinguere oportet multo lacte asinæ, aut alio. Deinde fluxũ sanguinis sistere, & ad vlceris curationem venire. Curatur iisdem remediis, extincto veneno, quibus suprà Peculiare autem remedium est, terram sigillatam, bolum armenã cum lacte amygd. aut cum earundem ol. vel cum lacte asinæ, vel capræ, vel vaccæ sumere. Expurgat enim venenum, & partem resiccat exulceratã sine morsu, & sanguinem constringit.

Curatio Vlcerum Vesicæ.

℞. cass. recens extractæ ℥. ij. cathol. ℥. j. pulpæ pass. & sebesten

sebesten ana ℥ ß. medullæ sem. carth. ℥. j. anisi ʒ. ij. fiat opiata cum syr. sequenti.

℞. polypodij querni ℥. iiij. agar. trocis. in melle rosa. prius infusi ℥. ß. anisi, fœniculi, an. ℥. ij. semi. seseli ʒ. iii. flor. saluiæ p. j. pass. munda. ʒ. ij ficuum dactyl. munda. an. pa. v. fiat decoctio in aqua hordei ad ℔. j. Cui adde syr. ros. laxa. ℥. iij mellis ros. collati ℥. ij. Aromat. ʒ. ij. sandalli rub. & ʒ. j. ireos. Et vna parte huius syrupi ad perfectionem cocti formetur opiata. Residuum autē capiat cum aqua beto. semel in hebdomada, in aurora cum leui custodia.

℞. conseruæ florum cicho. & capill. ven. an. ℥ ß cons. anthos & florum saluiæ an. ʒ. iij pul. diatrag. frig. & diari. simp. ana. ʒ. j. diarrh. abb. ʒ. ß. diagal. ʒ. j. cineris pellicularū castorei loti in aqua ros. ℈. ij. cineris priapi tauri loti in decoctione caudæ equinæ, & alchecangi ℥. j. zinziberis viridis ʒ. ij. cum syr. capil ven. fiat opiata, de qua capiat singulis matutinis ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum aquę betonicæ & caudę equinæ.

℞. hordei integri p. j. rad. ireos ʒ. ij. fiat decoctio in hydrom. vel in sero lactis caprini, fiat iniectio per syringam in vesicam. Augeatur vel minuatur quantitas mellis, prout videbitur. Iniectio autem manè fiat, & serò ante cibum.

℞. rad. consol. maioris ℥ iij caudæ equinæ, ceterach, agri beto. an M j ros p. j flor. anthos p. ß. fiat decoctio in hydromelite dilutiori, quàm suprà, & cum eadem decoctione fiat iniectio, qua vtatur, postquam vsus fuerit per vnam hebdomadā hydromelite. Decoctioni adde cort. cucur. ℥. j. fabarum contus. ʒ. iij. & fiat iniectio, vt prius.

℞. rad. cucurbitæ, ℥. j. blattæ bizantiæ ℥. ß. sem. alchecangi, bombacis, papa albi an. ʒ. ij quatuor semin. frig. maio. & sem. maluæ an. ʒ. iij. florum viol. & anth. an. p. j. fiat decoctio, ex qua fiat iniectio, ídque pro sedatione doloris tantùm. Si ex præcedentium vsu, vel alia caussa procatarctica excitatus fuerit.

℞. auriculæ leporis herbæ ℥. ij. ocreæ, lapidis iudaici an. ℥. ß. cineris priapi tauri & vermium terrestrium, lotorum in vino albo an. ℥. j pul. glycirrh. & gummi prunorum & cerasorum an. ʒ. ij. spicæ celticæ, scœnanthi. an. ℥.

j pul.diarrh. abb. & diamosci an.ʒ.j.ß sacch. ad pondus omnium, fiat puluis, quo vtatur mane, accipiendo cochlear vnum superbibendo parum aquæ beto. & hyss. vel incorporetur cum syrupo conseruationis corticis citri, & fiat opiata, vel syrupo de acetositate citri.

℞. pil. de hiera ʒ.ij aga. trocis. ʒ.j.ß. sarcocollæ, masticbes, zinziberis, galangæ, an. ℈. ß salis gemmæ ʒ. j. cum terebinthina incorporentur simul. Fiant pilulæ, de quibus capiat semel in hebdomada, post primum somnum, & non incipiat vti, nisi post remissionem caloris. Interea vtatur opiata.

℞. hord. integri p.j. ra. ireos & enulæ an.℥.ß rad. yrin. ℥.j herbæ auriculæ leporis ℥.ij rasuræ ligni, spinę albæ, & sem. eiusdē an.℥ j. fiat decoctio in hydro, & cum prædicta decoct. fiat iniectio, loco alterius iniectionis. Vtatur tandiu, quandiu residentia viscosa remanebit in vrina.

De ardore vrinæ. CAP. XLIX.

ARdorem vrinæ aliqui vocant, & ferè omnes, cùm inter meiendum dolor sentitur, qui multos morbos sequitur, vt lapidem vesicæ, vlcus eiusdem & renum, vel illarum partium inflammationem. Propriè hæc inflammatio glandularum, seu adenum, parastatarum, vel illarum partium exulceratio, & ob saniei acrimoniam dolorem sentiunt in extremitate penis. Sequitur coitus immodicos, vel equitationes longas, & celeres. Sed ob seminis potissimùm, aut illius serosæ substantiæ, quæ coitum præcedere solet, corruptionem, vel propter infectæ mulieris vitium quod contactu contrahitur, idque potissimùm cùm quis semen attractum retinet, & iam commotum. Quòd si ab ista caussa proueniat, missio sanguinis è poplite citissimè curat, & vsus repellentium, si in principio adhibentur, aut per clysterem infunduntur. Intus autem iniicienda sunt, quæ detergunt, cum quadam refrigeratione, cum decoctione hordei, & syr. viol. & ex aquis distillatis cum syr. ros. laxatiuo.

℞. aquæ plantag solatri an.℥. iiij. syr. ros. lax ℥.ß. misce, fiat iniectio, quæ deterget semen illud corruptum & id quod à parte inflammata resudat. Serū lactis id etiam præstat, nisi quod minus refrigerat. Cōueniet in processu ad detersionem, cui addi potest sacch. ros. tab. vel syrup.

ros.

rof.de rofis ficcis. Si auté dolor adfit, vel magna inflammatio, albumen oui fortiter agitatum, & dilutum aqua plantag. vel folatri iniiciendum, aut lac omne. Cum autem multa fanies reiicitur, tunc adiungenda funt detergentia magis, deinde veniendum ad ea, quæ detergunt, & exiccant, & eodem modo curantur, quo vlcera veficæ. Inter alia, aqua diftillationis corticis malorum granatorum, & aranciorum multum valet, aqua peculi rof. myrtill. & potifsimùm cum litharg. Coquantur in huiufmodi aquis. Poft fanguinis mifsionem, vtatur cafsia nouiter extracta cũ femine herb. vel cath. vel diafebeften. Dantur fyr. lenientes, leuiter detergentes, & refrigerantes, vt fyr. vio. cũ decocto hordei affumptus, lenit ventrem, fyr. nenuph. refrigerat, fyr. rof. laxatiuus, laxat & deterget. Optimum eft illis, tertio vel quarto quoq; die dare talia medicamenta ad deriuationem: poma cocta, pruna & febeften valent & ad ventrem mouendum, & ad humorum feruorem extinguendum. Mucilago feminis pfylij extracta cum aqua viol. vel cum decoctione prunorum, febeften, & pauco faccharo, & gly. ventrem laxat, & ardorem minuit. Extrinfecus, fotus, vel vnguenta magis penetrant, quàm emplaftra. Sed fotus, quia calidi apponuntur, periculofiores funt, fatius erit vnguentis ex refrigerantibus & reficcantibus paratis vti, vt

℞. rof. vel myrth. vel cydon. ℥. iij. aceti rof. ℥. j. vngantur renes & locus perinei, & totius pubis, vel addita cera fiat linimentum, vel ex metallicis, fuccis herbarum & aceto fiat ad formam nutriti, vt

℞. litharg. ℥. ß. cerufæ lotæ, tuthiæ an. ʒ. iij. aceti, & fucci plantag. q. f. fiat ad formam nutriti, quibus fi addatur caphura, citius penetrabit, & erit efficacius. Iniiciantur clyfteres refrigerantes, vt in mictu fang. fupradictum eft, ex fuccis & decocto herbarũ refrigerantium & conftringentiũ. Iniicienda autem parua quantitas, ne ftatim proritetur ad expulfionem, non nifi poft excrementorũ reiectionem. Quòd fi aluus effet aftricta ex decoctione mal. vio. tantùm, prunorum, & quatuor fem. frigid. maiorum paranda effet decoctio, & in ℔. j. col. caff. vel mel. viol. vel facch. rub. vel cath. cum fucco ciclæ, ol. viol. diffoluenda. Pul. præfcriptus ad exiccationem vlcerum cõ-

uenit in fine, si assumatur cum aqua caudæ equinæ, & plantaginis, vel cum albumine oui fortiter agitato. Si ardor vrinæ propter præsentiam calculi contingat, tunc quæ dolorem mitigant, iniicienda erunt, vt lac, albumẽ oui. Si ob puris è renibus aut aliunde descẽdẽtis acrimoniam, præsens remedium erit, ante vrinæ emissionem, iniicere albumẽ oui fortiter agitatum: post emissionem verò, lac. Et vtrunque obtundere sensum partis in vehementissimo dolore, vltimum erit. Nam, vt ex dissectione nouimus, sentiunt dolorem citra aliquem affectum in pene, à salsugine, aut puris acrimonia. Sed quia, quæ sensum obtundunt, frigiditate maxima meatum constringunt, optimum erit vel in decoctione relaxante, vel in oleo aliquo illa dissoluere, ne propter constrictionẽ pus retineatur, vel maiorem moram faciat in transitu, ex quo sequitur dolor vehementior. Eligantur relaxantia, quæ succum lentum habent, vt abducant viam, vt minùs vrina, vel pus partem sensibilem tangat, vt

℞. rad. bismal. aut cõsolidæ maioris ℥. j. corti. mandr. ℥. ß. misce, fiat iniectio. Capita papaueris in eadem decoctione possunt decoqui, vel opium Eadem in ol. amygd. dulc vel viol. dissolui possunt & iniici, vel ol. extractum ex sem. papaueris, vel ol. mandrag misceantur lacti, vel decoctioni supra dictæ, vel mucilag. sem. lini, vel cydon. vel psilij. Sed dilui debent mucilagines multa aqua vio. vel plantag. quò faciliùs infundi possint. Id in vehementissimo dolore faciendum est, & magna necessitate. Puluis requiei secundum nostram castigationem optimus est, in dolore vehementissimo. Ardor vrinæ frequenter fit propter vsum acrium & prouocantium vrinas, vt post cantharidas assumptas, vel propter empetri, aut laueris vsum, nasturtij, & aliorum, quæ affatim vrinam prouocant vt est potus nimius ceruisiæ recentis, quæ nimis detergendo partes, quæ sunt veluti muco abductæ, ardorem vrinæ prouocant. Illa sola assumptione albuminis oui, aut cibi viscosi, vt decocto pedum veruecis aut aliorum, facilè curatur.

De vrinæ ardore ex prima distatione. CAP. L.

ARdoris vrinæ curatio quatuor perficitur scopis. Primus est, bilis purgatio, eáque per leuiora chologa-

ga, ne

ga, ne ab acribus bilis acrimonia augeatur, qua ratione vitanda sunt etiam alimenta acria & vretica omnia etiã si frigida sint, vt quatuor sem.frig. maior. Secundus scopus est, bilis diuersio ad alias partes, quàm vrinæ. Tertius est, alteratio hepatis & renum ad frigiditatem. Quartus topicis remediis bilis acrimoniã obtundere. Primus scopus perficitur medic. benedictorũ, & lenientium vsu, vt

℞. syr. viol. ℥ j. ß aquarum end. ℥. ij. port. ℥ j. misce pro vna dosi. Continuet per v. aut vj. dies. Si fuerit ingens ardor, sic fiat.

℞. syr. de port. ℥. j syr. de acetos. citri. ℥. ß. aquarum acetos. nenuph. & end. ana ℥ j misce pro vna dosi, vt supra. Si verò sit magna inflammatio, & acrimonia, pro syr. de port. pone syr. de pap. Postea purgetur sic.

℞. myrobal citrinorum ʒ. ij. infunde in aqua decoctionis pass. factæ in aquis end. & acetosæ per noctem, demum fiat expresßio. Adde rhab. pul. ʒ. j. ß syr. ros. lax. ℥. j. fiat potio, capiat manè. Poteris vti casßia recenter mundata, aut manna granata, pro tuo iudicio. Iu huiusmodi benignis medicamentis non est opus laxatiuo. Secundus scopus fit reuellendo per frictiones moderatas in partibus semper remotioribus, superioribus, præsertim brachiorum, manuum, colli, spatularum. Nam fortis frictio inflammat. Item si corpus aptum sit ad vomitionem prouocetur vomitus, sed per leuiora, vt aqua tepida, ol. communi, & similibus. Si posßit prouocari sudor ex calore moderato, bene esset & plurimùm diuerteret. Vtile etiam est vẽtrem lenire molli clystere, & refrigerante: etiamsi lubrica sit aluus, bis in hebdomada. Potest etiam fieri per assumpta lenitio alui, vt *Assumpta*

℞. cass. recenter extractæ ℥. j. granorum berber. gr. v. cũ sacch. fiat bolus, capiat manè semel in hebdomada. Si quis abhorreat talis cass. quantitatem, fiat sic.

℞. cass. recenter extractæ ʒ. iij. diaprun. simp. ʒ ij. cum sacch. fiat bolus, capiat loco præcedentis, aut in potione cum syr. ros. lax. Tertius scopus fit, alterando membra solito calidiora, vt hepar & renes ad frigidum, ne calfaciant vrinam. Id fiet tum per admota, tum per assumpta. Per admota sic. *Admota.*

℞. aquarum en. ℥. viij. ros. & nenuph. ℥ iij. sandal. albi

& rub. & vtriusq; corall. an. ʒ j. ß. sem. acetos. & port. an. ℈. ij. Magna existente inflammatione, adde caphuræ gran. iij, spicæ nardi ℈. ß. aceti ℥ j. fiat epith. pro hepate, quod tepidè applicetur, longè à cibo, manè & serò. Quæ hepati, cordi & principibus partibus admouentur, etiamsi refrigerandi sit intentio, sunt tamen tepida actu admouenda. Ad idem fiat sacculus.

Sacculus. ℞. ros. rub. flor. nymph. viol. ana p. j. ß. end. quartam partem M. j. sandali albi, & rub. an. ʒ. ij. seminis port. endi. acetos. an. ʒ. j. spicæ nardi ℈. j. cum syndone rubra fiat sacculus in formam semilunæ. Irroretur cum aquis ros. & end. admoueatur hepati tepidè ante pastum, & cùm cœperit refrigerari, auferatur, & iterum calfiat cum dictis aquis actu calidis, & iterum applicetur. Per vnguenta idem fieri potest sic,

Vnguēta. ℞. cerati sandalini ℥. iij. ol. ros. & nenuph. an. ℥. ij. spicæ nardi ℈. ß. lauentur ceratum & ole. in qua end. fiat vnguentum, quo vngetur regio hepatis ante prandium. Cauendum, ne dum refrigerantia hepati admouemus, septũ transuersum refrigeremus, vt monet Galen. 7. meth. Ab iis enim respiratio offenditur, quam si lædi contingat, oportet ab iis refrigerantib. abstinere, & pro noxa diaphragmati & pectori illata, calfacere, ne dum vni consulimus, alteram offendamus, cauendum in his cõtrariis indicationib. Calfaciemus ergo diaphragma fotu calidorũ temperatorũ, vt decocto florũ cham. & meliloti. Aut si calidioribus opus sit, florũ stech. origan. calamenti & similium. Diaphragmate rectificato, rursus ad ea, quæ hepar refrigerant, si opus videatur, redeundum, à septo transuerso semper cauẽdo. Pro renib. refrigerãdis.

Pro renibus refrigerandis. ℞. vnguenti Gal. ℥. ij. cerati sandal. ℥. j. misce cum ol. cydon. & vnge regionem renum frigidè actu, in introitu lecti. Per assumpta sic refrigeratur hepar.

℞. sandali albi & rub. an. ʒ. j. sandali citrin. ℈. ij. tro. de camph. ʒ. j. saccha. in aqua ros. diss. quantum sufficit. fiat elect. in tab. ponderantes ʒ. ij. ß. capiat vnam per tres horas ante pastum, manè superbibendo parum aquæ end. In forma verò opiatæ sic.

℞. cons. ros. & nymphea, conse. flor. cichor. an. ℥. j. ß. seminis acetos. port. end. an. ʒ. j. omnium sandal. ʒ. j. ß. tro-

tro. de caphura ℈.iiij. cum syrup.viol.fiat opiata, capiat ad quantitatem castaneæ manè per tres horas ante cibum superbibendo parum aquæ end. Quartus scopus perficitur per ea, quæ acrimoniam in viis vrinæ relictam emendant. Vtendum igitur medicamentis mucilaginosis frigidis, tum per os assumptis, tum per syringam in vesicam immissis, vt minùs acris vrina reddatur. Lac ouillum primùm detur acetosum, extracto butyro ad ℥. iij. aut ℥ iiij. quinque horis ante pastum, vel fiat sic.

℞. seminis mal. altheæ cydon. ana ℥. j. gummi tragac. ʒ. iij. infundantur in decoctione radicis altheæ, seminis papaueris albi & alkee. fiat mucilago, de qua capiat ℥. j. ß. cum ℥. iiij. dictæ decoctionis, manè per octo aut decem dies. Post omnium præscriptorum vsum.

℞. aquæ albuminis oui diu agitati cum ol. vio. quantum sufficit. fiat syringatio. Si sit magnus ardor, loco aquæ albuminis ouorum, ponatur mucilago psilij. Potest etiam emergi virga in vase lacte pleno.

℞. ol. nenuphar. viol. & rosarum ana ℥. j. ß. misce, vngatur perineum inter testes & anum. Si perseueret ardor, fiat balneum ex foliis mal. viol. lact. floribus nenupharis. Vsus reuulsionis quatuor seminum frig. maiorum per syringationem laudatur, aut per os, addendo seminis papaueris albi parum.

De strangvria. Cap. LI.

STranguria, dysuria, ischuria, symptomata sunt supradictarum affectionum. Distinguuntur autem ita, vt strãguria vrinæ stillicidium dicatur, id est, cùm vrina stillat guttatim, & est cum quadam irritatione ad meiẽdum frequenter. Fit autẽ cum meatus vrinæ constrictus est, & non potest simul vrinã reiicere. Constringitur autem cùm vrinæ aut puris acrimoniam sentit. Tunc enim non solùm hæc pars, sed & reliquæ concidunt in sese, & contrahuntur, & hoc, cum vlcus est in pene. Fit etiam stranguria ob vrinæ acrimoniam, quæ & si pauca sit in vesica, non potest quiescere, donec multa aceruata sit. Acrimonia autẽ prouenit, vel à puris putredine, vel ob admistionẽ pituitæ salsæ, aut bilis. Has caussas distinguere oportet, vt vnicuique remedia cõueniãt. Si à pure sit, vel hepatis, vel renum, vel vesicæ est. Tunc detergentia

medicamenta iniicienda sunt,& assumenda. Detergunt serum lactis cum pauco sacch. rosſ. tab. decoctũ hordei, & alia præscripta capite de vlcere vesicæ & renũ. Optimum erit his admiscere syr. rosſ. vel de cucurb. maximè cùm vlcus valde inflammatum est. Nam vrinam mouent,& acrimoniam extinguũt. Si ob vrinæ acrimoniam fiat, ea est tenuis, flaua, & corpus biliosus, tunc oportet serosa illa & biliosa euacuare recrementa,& ad ventrem deriuare medicamentis extinguentibus flauæ bilis acrimoniam,vt sebesten,tamarindis,prunis,syr. vio.ex multis infusionibus, & syr. rosſ. laxatiuo. Deinde potiones, vel syr. refrigerantes, & extinguentes flauæ bilis acrimoniã,damus,qualis est syr.viol.de nenuph. de cucurbita, end.simpl.decoctum lactucæ, portulacæ teneræ, plantag.solani. Abstinendum ab aperientibus, & nimis detergẽtibus.Dari potest in summa acrimonia syr. iuiubinus cum pauco syr.de pap. existente magno sensu in parte.Inunctiones refrigerantes prosunt supra renes,vt ex ol.viol.nenuph.Item clysteres molles & refrigerantes.Optimum est etiam albumen oui fortiter agitatum in collum vesicæ iniicere. Si autem à pituita salsa, purganda erit pituitosis medicamẽtis & decocto hordei, & aliis leniter detergentibus euacuanda.In illa caussa tantùm cõueniunt terebinthina lota in aqua.rosſ. assumpta cũ syr. viol. & de gly.In aliis caussis acrimoniam potiùs auget,quàm minuat. Danda autem erit à ℥.j.ad ℥.ij.

De dysuria. CAP. LII.

DYsuria similis est dysenteriẹ. Nam difficulter vrina excernitur, & frequenter stimulatur æger. Fit autem hæc affectio, vel propter vsum acrium medicamentorum,vt empetri,laueris,& aliorum multùm diureticorum,quæ postquam mouerunt vrinas, vrinæ difficultatem inducunt.Fit autem hæc affectio ob frigidam intemperiem vesicæ,aut colli eiusdem. Fit etiã ob crassos,& viscidos humores infarctos,aut adhęrentes ceruici vesicæ,vel vrinæ permixtos. Si nata fuerit ex vsu acriũ medicamentorum, vtilissimum erit decoctum hordei mundati cum pauco syr. viol. aut sacch. bibere ad extinguendã acrimoniam relictam in viis vrinæ, vel lac recens mulsum,aut lac amyg. paratum cum semine papaueris,

paueris. Si autem ob pituitam viscidam & crassam è toto corpore defluentem, pilulis mitioribus erit vacuanda primùm, vt pilulis hieræ, aut elephanginis. Deinde dandi syr. attenuantes, & incidétes, detergentésque cum aquis vel decoctionibus similibus. Deinde fortioribus pilulis euacuanda est, vt cochiis, & aliis purgantibus pituitam citra aliquam astrictionem. In crastinum vtilissimum erit dare terebinthinam lotam cum vino albo ad ʒ.ij. Quòd si non facilè excernatur vrina, tunc tutò dare possumus cientia vrinam cum leui detersione, vt syr. suprà enumeratos cum decoctione fœniculi, apij, asparagi, bet. & aliarum herbarum diureticarum. Si pituita in collo vesicæ detenta id faciat, iniicienda detergentia erunt. Si est sine vlcere, detergentia iniicienda, & attenuantia. Si vlcus adsit, melicratum crudum, valdéq; dilutum, decoctum hordei, & gly. vel serum lactis cum pauco melle. Sufficiant hæc ad curationem. Quãdoque accidit dysuria propter hipposarcosim, quæ meatum claudit, & crassam pituitam retinet, tunc cathetere extrahenda est vrina, & via dilatanda, vel candela cerea, deinde carnositatẽ extenuare oportet, & minuere medicamentis appositis in extremitate candelæ.

De Ischuria. Cap. LIII.

IN totum suppressa vrina ischuria dicitur. Detinetur autem, quia vesica distenta est, quæ ita claudit meatum, vt non possit in seipsam cõtrahi, vrinámq; propellere. Huic caussæ sufficit catheter immissus in vesicam, per quem aliquid vrinæ excerni possit: deinde dilatato meatu facilè redditur, quod reliquum est in vesica. Non est etiam inutilis fotus aquæ calidæ, vel decocti maluarum cum apio, vel aliquo alio medicamento diuretico. Vesicam comprimere manè est etiam vtilissimũ. Retinetur, & à calculo paruo in meatu vrinæ contento, vel magno, & meatum occludente. Huic malo medendum est immissione fistulæ, qua in vesicã protruditur calculus & vrina redditur. Si autẽ multùm infra collũ vesicæ non est, vtile erit digitis cõprimere penem, parte inferiore, & sensim adducere ad extremũ vsq; pudendi. Aliquando ita est infarctus parti, vt neque intra, neq; extrà propelli possit. Tunc foribus dilatãtibus fouere partem

oportet & succum raphani cum pauco aceto extracti syringa iniicere, vt frangatur, vel succum limonum, aut hyperic. Quòd si hæc nõ proficiant, nouacula partẽ dissecare, & inde extrahere oportet. Si autẽ retineatur vrina à crassis, & viscidis humoribus, eodem modo curanda est, quo diximus in dysuria. Si à pure, curabitur detergẽtibus, vt suprà monstratum est. Si à sanguinis grumo, & sanguine concreto, dissoluentia sanguinem satius est per syringam iniicere, quàm per os assumere, & non nisi, (vt priùs monstratum est) postquàm coaluit vena. Carabe in retẽtione vrinæ à crassis humoribus, sanguine cõcreto, & à pure retento, aut à vesicæ imbecillitate, data cum vino, præsens est remedium. Cinis cancrorum marinorũ, vel astacorũ fluuiatilium multùm prouocat vrinam; & dari potest etiam cũ præsentia vulneris, addito gũmi prunorum aut cerasorum. Fouere regionem vesicæ in omnibus his caussis valde est vtile, aut cataplasmata apponere. Cõficiuntur autẽ ex relaxãtibus, & incidẽtibus, vt ex radicibus aperientibus, fœni. apij petro. asparag. rub. maioris, asaro, seminibus calidis maior. ex aqua & vino. In sanguinis cõcretione, si sanguis non defluat à vesica, vtile est etiam eadem decoctione fouere, vt si neque à renibus defluat. Cataplasmata fieri possunt ex residentia decoctionis, vel ex farinis lupinorũ, orobi, fabarum, cum ol. incidentibus, aperientibus, vt cum oleo amygd. ama. ol scorp. irino, vel de spica. Si vrina retineatur ob vesicæ inflammationem, aut aliquarum partium vicinarum, curanda erit inflammatio sanguinis missione, & aliis remediis propriis curandæ inflammationi, de quibus superiùs. Fieri potest cataplasma proprium sic.

℞. mal. viol. ana M. ij. rad. bismal. ℥. iij. fic. prunorum ana p. xx. Omnia simul decoquantur in aqua. Contusa in mortario per cribrum transmittantur, quibus adde ol. liliorum vel amygd. ℥. iij. axung. porci, & cuniculi, gallinæ vel anatis ana ℥. j. butyri ℥. ij. misce, fiat cataplasma, addendo parũ farinæ hordei. Non retinetur vrina, nisi inflammatio in magnum tumorem peruenerit, quo tempore medicamentis digerentibus est vtendum, aut sedantibus dolorem. Si inflammatione, & potiùs à tumore frigido fiat, magis calfacientia, & digerentia

cum

cum emollientibus miscenda erunt, & linimenta simili modo conficienda, vt quod paratur ex bdellio vel ammoniaco cum multo oleo liliorum, vel amygd. terebin. & cera, vel sic.

℞. succi apij, & fœnic. marin. recent. vel aceto conditi ℥. j. ol. scorp. ℥. iij. coquantur ad consumptionem succorum cum ℥. j. pingue. cuniculi, vel cati, postea adde asari seminis petro. cymini, ameos, seseli an. ʒ. j. spicæ celticæ, scen. ana ʒ. ij. tereb. abietis ℥. j. ceræ q. s. fiat vnguentum. Tempore inunctionis adde vini, vel aquæ vitæ parum. Si ob carunculam retineatur vrina, eam minuere oportet cathetere, & altius immittere, vt dilatet meatum. Quandoque ob debilem sensum vesicę retinetur vrina, & tunc iniectiones acres ex vsu sunt, vt irritetur vesica ad excretionem. Sunt, qui pediculos aut pulices in mentu vrinario ponant, vel pilos minutè concisos, sed mihi videtur satius immittere salem, vel ex melle immittere iniectionem, aut ex pauca hiera. Balnea in crassis viscidisque humoribus, & in calculo possunt conuenire. Dandæ sunt potiones diureticæ, quales præscripsimus cap. de calculo. Aquæ distillatæ, quia sunt magis tenuium partium, cũ vino albo celeriùs prouocant. Si à crassis & viscidis humoribus, oxymel diureticum, & similia medicamenta conuenient.

De penis exulceratione. CAP. LIIII.

PEnis varia vlcera patitur in diuersis partibus. Alia sunt interna, alia externa. Rursus externa, alia sunt in glande, alia in præputio, vel mentula. Interna, vel extremitate, vel in radice, vel in medio. Hæc facilitate, & difficultate curationis differunt, & medicamentorum formis, facultatibúsque. Quæ in externa parte sunt putrida, phagedenica, & alia. Quare inuenta forma recurrendum est ad aliarum partium vlcera, hoc tantùm addendo, quòd fortiter & sine morsu exsiccare debent hæc medicamenta. Illud genus horum vlcerum est, quòd magna ex parte à lue venerea initium sumit. Quòd si communibus & propriis resistat remediis, ad vniuersalia remedia erit confugiendum in vnguentis, vel mercurium permiscendo. Si in interna parte præputij fuerit vlcus & citra inflammationem, iisdem remediis curandum erit.

Sin cum inflammatione, vel chymosi, medicamenta diluere oportet aquis,& syringa immittere. Quòd si denudari possit, medicamentis fortiter exsiccantibus citò curabitur, vt vnguento pompholigos, & cortice mali granati, vel cerusa vsta & lota, vel aloe lota, vel atramento scriptorum. Pars facilè fert talia medicamenta insigniter resiccantia. Pannus detritus carminatus frequenter mutatus, caua vlcera curat. Quòd si putridum sit, tunc auripigmento in aqua ros. dissoluto. & plãtaginis pars curanda, ne ampliùs serpat, vel lixiuio cum pauco ægyptia. vel apostol. deinde ad mitiora veniendum. Postquam pars à putri carne mundata est, supradictis remediis curanda. Vlcera interna, quia vrina freque͂ter irritata, tardius curantur, quia medicamenta partem minùs constringunt, sine quo contactu curari non possunt. Sunt autem in inferiore penis parte, quando vrinam continere non possunt, & si retineant, multùm in reddenda vrina postea laborant. In aliquibus hæmorrhoides inflantur, dolet sphyncter ani per consensum. Intenditur penis, pus magis redditur cum vrina. quàm separatum. Si verò sit in extremo penis, sponte fluit & cum digitis premitur, vel cum cerea candela immittitur, & dolorem sentit. Tunc considerandum, recénsne sit vel antiquum. Si recens est cum quadam calfactione, tunc leuiter oportet detergere,& refrigerare, ob id iniiciuntur aquæ plantag. solatri, nenuph. myrtill. vel succi aut decoctione, vt decoctio hord. cum syr. de ros. lax. serum lactis. Deinde adduntur troci. albi rasis, vel alchermes. Iniiciatur decoctũ lithargyri, vel vnguentum pompholigos cum albumine oui. & aqua hordei, vel sero lactis. Imponuntur renibus refrigerantia, vt vrinæ ardor minuatur, vt vnguentum album Gal. sandal. nutritum album rasis,& quæ ex oleis frig. leuitérque astringentibus parantur. Si parùm bibant,& parùm meiant, citiùs curantur. Quare oportet frequenter lenire ventrem, vt eò deriuetur materia.

℞. cass. recenter extractæ ℥. iiij. tamarindorum sebesten ana ℥ ij. cath. ℥. j, cum syr. ros. lax. fiat opiata, capiat ℥. j in forma boli, vel cum decoctione hord. aut prunorum. Idem præstat diasebest. cath. syr. ros. lax. frequente assumpta. Poma cocta, pruna in prima mensa assumpta

sæpiùs

sæpius ventrem leniunt, & humores temperant. Pro vino vtatur frigida, vel decoctione hord. mund. in principio, deinde integri. In illis diuturnis vtilis est vsus decoct. gaiaci, prouocando sudorem. Euocat enim vrinam, & facit vt siccetur vlcus. Vomitus frequens non parum confert ad huius curationem. Trocisci alchecangi, cum aqua peculi rosſ. & hippur. prosunt. Non facilè curantur hæc vlcera ad lotium acre, quod nimis detergendo vlcus exasperat. Quare frequenter iniicienda sunt medicamenta. Et si dolor vexet, sedetur iniectione albuminis oui, lactis, vel cremoris hordei. Vtantur succis, & parùm humidis, vel acribus, vel diureticis.

De Phymosi. CAP. LV.

IN pene phymosis dicitur, cùm glans à præputio denudari non potest, ob præputij stricturam. Sic os vteri, quando ita constringitur, vt virilem mentulam recipere non possit, phymosis dicitur, quæ duplex est. Vel enim est à naturali constitutione, quo minus aperta sit vulua, vt ego vidi vnam in Italia, Romæ, vel ob tumorem vel cicatricem contractam, quæ naturali constitutione minùs est aperta, vel omnino clausa, nouacula aperire oportet. Quòd si aperta sit, sed non satis, tentare oportet pessis & spongia ad formam pessi formata dilatare, vel radice gentianæ, quos pessos ligare oportet filo, & in dies crassiores immittere, & partem oleo relaxare, vel decoctione fouere, vt faciliùs dilatetur. Oleum amygd. liliorum, irinum conueniunt, decoctio ex radice bismal. vel cucumeris agrest. ficubus, semin. lini, fœnugræci, & sæpe fouere. Vnguentum hoc conficitur, quia in omnibus caussis vtile erit, siue in vitiosa constitutione, & a natura, siue à cicatrice, vt,

℞. mucilag. fic. & fœnug. ana ℥. ij. styrac. myrrhæ, ammo. diss. in ol. irino ana ℥. j. ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum, vngatur pars. Pauperibus adipes ans. gallinæ, vrsi, porci, butyrum, conueniunt. Vnguenta parata ad id prosunt, vt de adipibus, pectorale, resumptiuum, dialthea, œsypus humida, pessaria ex massa emplastri diachilonis conferunt. Quo minùs adhæreant, vngatur priùs oleo amyg. dulc. vel liliorum vel inuoluatur panno raro & ligetur. Si merserint sensim, coitu dilatatur satis, præter-

quam quòd voluptas dolorem tolerare facit, nisi mentula viri crassior, & foramen tam angustum sit, vt nullo modo caput mentulæ admittat.

De priapismo. CAP. LVI.

PRiapismus morbus est mentulæ proprius. Fit autem teste Galeno, de locis affectis, & 13. meth. cùm mentula erigitur sine desiderio coeundi, ad differentiam tétigmis, quæ fit cùm homo ad coitum stipulatur. Si palpitatio accidat, dicatur Satyrismus. Fit verò priapismus ob flatus neruum cauum distendentes, aut arterias calfactas, & orificia nimis dilatata. Fit interdum his, qui coitu incaluerunt, & tunc videtur lassitudo tensiua. Fit frequentiùs ob penis vlcera, quæ cum calfactione sunt, túncque distenditur, vel quia inflammatio est in glandulis parastatis, vel quia vlcus est in summo pudendo, ad quod curandum aliqua acria ponuntur. Idem accidit iis, qui venerem sopitam in muliere volunt excitare medicamentis, siue balneo apposito. Vlcera sanguinem arteriosum, & flatulétium trahunt, quibus distenditur penis. Quare si ob copiam spirituum sanguinis & seminis id videatur fieri, secetur vena poplitis. Postea foueatur pars, & illi partes vicinæ, aqua frigida vel succo plantagin. nenuphá. vel aliorum repellentium. Si propter medicamenta venerem irritantia, abluatur aqua tepida, & foueatur posca, cessabitque affectus. Si verò ob medicamenta acria, auferatur, repellatúrque à parte illa sanguis attractus. Si ob vlcus internum, abluatur, & refrigeretur, iniecta aqua nenuph. myrthi, plantag. vel solatri. Bibant omnes aquam, parùm comedant. Quòd si post immodicum coitum id accidat, ol. ros. vel oxyrrhod. foueatur, & obābulet per loca frigida, quod in omni caussa est vtile, & aqua frigida abluere pedes, & refrigerare renes. His enim partibus refrigeratis, nunquam penis distenditur, aut erigitur. Ob id vnguento albo Galeni refrigerantur renes, perinæum, & plantæ pedum vel vnguento populeonis, vel cerato sandalino, vel vnguento albo Ras. ex cerusa, vel fiat tale,

℞. ol. nenuph. ℥. iij. cerusæ ʒ iij. aceti ℥. ij. misce, fiat vt nutritum, vel huic adde caphuræ ℈. j. agni casti ℈. ß. Vngantur partes. Si perseueret morbus, clyster mollis & refri-

& refrigerans iniiciendus erit, in quo dissoluantur succi ciclæ ℥. ij. mel. viol. butyri an. ℥. j. ol. viol. & nenuph. ana ℥. j ß. Si medicamento opus sit, detur cassia cum decoctione maluæ, & semine agni casti. Intus non est inutile dare tabulam vnam diagal. superbibendo parum aquæ endi. ad discutiendos flatus, & alia plura præscripta cap. de colica à flatibus, vel cap. de hydrope, tympanite, si ob flatus morbus fiat.

De Gonorrhea. CAP. LVII.

GOnorrhea seminis profluuium Latinis dici potest, sed id de eo, quod inuoluntariè & præter naturam fluit, noctu potissimùm, citra pudendi tentiginem aut erectionem, intelligendum venit. Fit potissimùm ob vasorum imbecillitatem, & flatuum copiam, vel ob compressionem, vel tensionem, vel succussionem membrorum, vt in conuulsione & epilepsia. Profluit interdum ob seminis aquosi, & flatulenti copiam. Cum enim tenue multùm est, à vasis contineri nequit, reiicitúrque. Communis est hic affectus, & viris, & mulieribus. Qui eo laborant, decolores fiunt, & imbecilles, sensim corpus cõtabescit, circa lumbos dolores sentiunt, curantur difficulter nisi caussa cognoscatur. Ego noui quendam nobilem, qui ab abscessu frigido, renum diu hoc morbo laborauit, & multò semper habuit deteriùs, cùm semen extinguentibus frigidis, vel calidis vteretur. Institui contrariam victus rationem, iussique biberet vinum generosum, vesceretúrque alimentis optimis exsiccantibus, non flatulentis, & curatus est. Is partes illas imbecilles habebat ex coitu frequentiore. Et ob tumorem renũ frigidum, multos humores crudos colligebat, à quibus flatus multi generabantur. Hi verò dilatabant meatus spermaticos, distendebant, & irritabant semen, quod eiaculabatur noctu, post quam eiaculationem, tam imbecillis erat, vt sese continere erectum non posset, aut ambulare, sed cogeretur in lecto decũbere, vel in cathedra cruribus eleuatis. Talibus, qui ob flatus laborant, danda sunt discutientia, & siccantia, parùm alentia, & quæ non multos flatus gignant. Curabuntur ergo tales optima victus ratione, & medicamentis bonam concoctionem facientibus. Quare illa præscribentur, quæ ad

inflationem, vel ventriculi cruditatem fuere instituta, vt pilulæ de arom. sabellinæ, ante cibum, de hiera. Ex his capiet ʒ. ß. semel in hebdomada ante prandium. Vtatur etiam sequenti opiata.

℞. confect. aro. rof ℥ j ciner intestinor. gallinæ lotorum cum aqua absynt. ʒ. ß. iridis flor. & semin. agni ʒ. ij. cum syr. conseruat. corticis citri, fiat opiata. Vtantur & pul post pastum.

℞. ciner. intestin. gallinæ vel pellicularum stomachi, ℥ j. anisi ℥ ij. galangæ ℥. ij. corall. rub. vsti & loti ℥. j agni casti ʒ. ß. sacch. candi ad tertiam partem ponderis, capiat cochlear vnum ante cœnam, vel post, non superbibendo. Manè exerceat corpus, non serò Dormiat supra matalitium factum ex lana ex foliis agni casti. Sobriè viuat, vitet cruditatem. Vtatur vino generoso, & alimentis non flatulẽtis. Fricet manè brachia. Abstineat à colloquio, & lectione impudica. Occupet animum in rebus grauibus. Hæc sunt in omnibus caussis facienda, tum in his, qui ob seminis copiam id reiiciunt, nisi quòd à generos. vino debent abstinere, & frequentius ieiunare, vtiq; pilulis. Quòd si sanguinis plethora adsit, non erit inutilis phlebotomia è brachio, frictiones, exercitia, balnea calida, & quæcunque minuere possunt bonum habitum, quæq; seminis feruorem, & acrimoniam extinguere possunt, vt flor. nymph. semẽ lact cucur. portul & olera, mal. acetos & aliæ herbæ. Fructus frigidi, vuæ suspensæ poma Vnguenta ex cerusa, & alia præscripta cap. de priapis. hic conueniunt. Accidit etiam ex lõgo decubitu, & vsu alimentorum euchymorum. Quare his minuenda sunt alimenta, aut danda, quæ minus nutriunt Porrò semen illud, quod rẽiicitur, non continetur in testibus, aut in vasis deferentibus, sed in illis additamentis positis sub osse pubis, inter rectum intestinum & vesicam. In ea enim parte, vt ostendimus in anatome, duo sunt vasa deferentia, quæ à dydimis semen præparatum recipiunt, ipsúmque perficiunt. Coeunt verò in adenibus, parastis, & ab illis pendent duæ vacuæ appendices, quæ semen iam præparatum, & confectum continent, vt tempore coitus in mentulam statim cõgregetur, & inde in vuluam eiaculetur. Id facit, vt qui aluo sunt

ſunt ſicciore, ſint libidinoſiores, & hoc morbo magis obnoxij,facítq;,vt ſi tales venere abſtineant,etiã alui excreméta retineãt,& difficulter dura reiiciãt. Facit etiam, vt ſi glandulæ ipſæ, & partes laxentur, exonerentúrve aliquantum, vel cùm meditãtur excretionem ſeminis ob mulierem præſentem,cogantur priùs aluum exonerare, quàm concumbant, facítque veſicæ tumor, vt hæ partes in meatum vrinarium non poſsint mittere ſemen,cõprimit enim à ſuperiore parte meatum. Ob id,vt vis medicaméti ad eas partes penetrare poſsit per ſedem reiectis priùs excremẽtis, ſyringa in anum iniicienda talis decoctio in parua quantitate,ſupra ventré incumbente ægro.

℞.rad. ireos ℥.j. myrtil.fol. lentiſci,& cupreſsi ana ℥.ij.roſ. rub.& ſal. ana ℥.j. ſeminis agni caſti ℥. ß.ſeminis rutæ ℥.ij,fiat decoctio in vino, iniiciatur ℔. ß. pro vice, reiectis priùs recrementis. Foueri poteſt regio pubis & perinei prædicta decoctione,vel vng.parari ſic.

℞. ol. myrtil. maſtic.irini an.℥.ij. nucis cupreſsi,myrtil.an.℥.iij.macis,garioph.agni an.ʒ.ij. ceræ q. ſ.fiat vnguentum. Tempore inunctionis,adde aceti albi parum, ad penetrationem & contractionem partis. Quòd ſi accidat ob compreſsionem, auferatur quod comprimit, vt non retineatur vrina, vel ſtercus. Quòd ſi alio tumore, curetur propriis remediis. Si mulieri accidat hæc affectio, eadem remedia erunt inſtituenda, ſed topica ſupra ventrem, vel circa renes,& maximè ad latera eo in loco in quo teſtes mulieris ſiti ſunt. Medici & ægroti gonorrheam etiam vocant, quando ob inflammationem illarum partium, reiicitur cum dolore aliquid ſeminis boni, vel corrupti, quod expurgatur. Sed id potiùs referri debet ad caput de ardore vrinæ, in quo de inflammatione illarum glandularum etiam tractauimus.

De coeundi impotentia. CAP. LVIII.

IMpotentia coeundi aliquibus accidit ob membrorum generationis imbecillitatem,quæ ab intemperie,vel à conformatione dependet. Nam qui membra frigida habent, non poſſunt alimentum ſufficiens attrahere, & in ſemen cõuertere, vel ob penis breuitatem intromittere ſemen. Vitia,quæ in conformatione ſunt, ægrè curantur potiſsimùm, quæ in defectu ſunt ſita. Quare qui inſtru-

menta vitiata, vel mutilata non habent, curandi sunt ablata caussa. Alij hoc morbi genere detinentur, propterea quod parcè comedunt, aut sufficit alimentum ad corporis nutritionem, & ad generationem. Vel si multùm comedant, alimenta sunt parui nutrimenti, vt olera, fructus, &c. Quare his, qui parùm comedunt, imperandus est cibus largior in prandio, isque sit multùm nutriens, & semen generans, vt succus carnis, testes gallorum, vel vulpis, vel carne leutrarum, castorei, polypis, ostreis, & pinearum nucleis, in lacte maceratis, dulcibus, & iis quæ cum lacte vel melle, vel saccharo parantur. In cœna parciùs comedant, & bibant. Nam qui vino sese ingurgitant, parùm ad venerem impelluntur, sed dormiunt solùm. Qui alimentis parùm alentibus aluntur, immutent victus rationem, in eam, quam nuper diximus. Si animi pathemata, sollicitudines, & curæ hominem vexent, si alicuius rei desiderium vel studium, minus potens ad venerem erit. Si partium frigiditas in caussa sit, sequenti vnguento incalescant.

℞. olei castorei, & de nuce indica ana ℥. j. olei muscatelini ℥. ß. castor. euphorbij ana ℈. ß. mosci ℈. j. aliptæ moscatæ ℥. j. ß cer æ parum, fiat vnguentum, vngantur manè plantæ pedum, & regio renum, pubis & perinei. Assumant alimenta suprà enumerata, & castaneas, dactylos, sinapi, erucam, bulbos, vel fiat opiata.

℞. testiculorum vulpis decoctorum in hydromelite ℥ j contusis adde pinearum & auellanarum infusarum in pauco lacte & melle ana ℥. ß. carnis leutræ, stercoris muris, mosci ana ʒ. ß. cum syr. cons. cortic. citri fiat opiata, vel

℞. cortic. citri, zinzib viridis ana ℥. j. cons. ering. ℥. ß. carnis leutræ & testic. vulpis, priapi tauri, vel cerui an. ʒ. iij. pul. diamosci dul. & diambræ an. ℈. j. cum melle, in quo ʒ. j. cantharid. integrarum, prius maceratarũ in lacte dissoluantur, fiat opiata, capiat ad quantitatem auellanæ superbibendo parum vini maluatici, duas horas ante cœnam, quæ pauca sit. Ad hanc rem valent radix eringiorum, pastinacę syluestris, vel satirionis, vel orchis in melle condita. Renes styncorum ad id valent, vel stynchi veri nõ adferuntur ad nos, neque qui Venetiis vulgò

ven-

venduntur, veri sunt. Nostri verò, quos Pharmacopolæ habent, sunt àquatici. At veri, sunt terrestres crocodili. Ego semel vnicum vidi duorum cubitorum.

De Mensium fluxu immodico. CAP. LIX.

VTerus multas & varias affectiones habet. Aliæ sunt communes, inflammatio, scyrrhus, cancer, intemperies. Aliæ sunt propriæ, vt suffocatio, sterilitas, præcipitatio, fluor muliebris. Primùm agendum est de fluxu immodico, retentione mensium, quia isti affectus sunt caussæ multarum affectionum. Menses dicuntur redundantes quando purgatio naturalem modum excedit, & euacuatur multus & optimus sanguis, vel post abortum, vel post partum naturalem, vel post vsum medicamentorum aperientium orificia venarum, & post pessaria acria, & corrodentia, & alias caussas, quę sanguinem mouere possunt. Fluit sanguis è venis, vt ait Gal. vel ob earum corrosionem, vel propter osculorum apertionem, aut per resudationem, διαπήδησιν vocant. Arrosio venæ fit per pessaria acria, vel alia medicamenta caustica, & acria, quæ vlcerationem, aut excoriationem excitauerant, quod deprehendetur, si antea vsæ fuerint acerrimis medicamentis. Fit aliquando arrosio à caussa interna, vt à bile, aut sanguine acri aut pituita salsa. Quare habitus corporis inspiciendus est, & recrementa reiecta. Nam si bilem & humores acres redundantes contineant, oportet primùm symptomati occurrere, deinde ad erosionem, & eius caussam venire, vt sanguinis missionem, ad reuulsionem, & sanguinis difflationem cucurbitis, ligaturis, & astringentibus supra partem impositis. Mittatur sanguis è brachio, & apertio venæ sit admodum exigua, vt longiori tempore & minori quantitate sanguis expurgetur. Nam quibus ob eam caussam fluit sanguis, tenuis est & paucus, qua de caussa non oportet multùm extrahere. Cucurbitulæ frequenter apponendæ regioni hepatis & splenis, digiti ligandi sunt. Renes & venter sequenti vnguento refrigerandi.

℞. ol. myrt. nenup. cydon, an. ℥. iij. succi plantag. vel linguæ pass. vel semperuiui ℥. ij. coquantur ad consumptionē succorum, quibus adde corall. rub. seminis plantag. myrtill. seminis berber. cerusæ, & boli arme. an. ʒ. ij.

ceræ q.s. fiat vnguentum, quo vngatur addito aceto rof. Intus sumenda debent esse incrassantia, & acrimoniam sanguinis obtundentia, vt album oui fortiter agitatum, & calfactum, tantum per se assumptum vel cum gum. traga. aut arab. Item mucilago cydoni. dissoluta in aqua peculi rof. vel plantag. Syr. de pap. iuiub. cum pauca quantitate syr. de rof. siccis. Nam sanguinis acrimoniam extinguit, & fluentem retinet. Succus bursæ pastoris impetum sanguinis retinet, à quacunque caussa. Pars affecta leuiter detergenda est, deinde emplastica frigida, quibusdam frigidis astringentibus admixta, sunt adhibenda, vt bol. arm. rubrica fabrilis, terra sigillata. Albumine oui excipiuntur, & supra partem apponuntur. Succi herbarum astringentium & refrigerantium excepti farina tritici, vel amylo, inspissatique, & parti appositi, fluxum sanguinis retinent, quibus si adiungantur astringentia, fortius repellunt, & sanguinis impetum sistunt. Hæc si non prosunt, stercus porci vsurpandum, reductum ad formam cataplasmatis, addendo pul. rof. vt fœtor minuatur. Cinis testæ ouorum tenuissimè tritæ, siccando, sanguinis fluxum impedit, à quacunque caussa. Purgandi sunt humores medicamentis post impetum sanguinis retentum rhab. myrob. vel tamarindis, sebest. & syru. rof. lax. vel cath. Si per diapedesim fluat sanguis ob eius tenuitatem, & seri copiam, oportet iisdem medicamentis euacuare, quibusdam additis aquas vacuantibus, vt brass. marina, senæ orient. decocto fumariæ, succo rof. & aliis purgantibus sine magna calfactione. Victus ratio incrassans & inspissans sit, pedibus animalium vtatur, alica. vel amylo, iusculis coctis, omnia quæ ex farina non fermentata parantur, sunt in hoc casu ex vsu. Si autem ob venarum raritatem id fiat, tunc astringentia & condensantia conueniunt, qualia sunt, quæ ex aquis myrtill. peculi rof. parantur, & aliis astringentibus, vt bolo arm. alumine, radic. bistortæ, spongia bedeg. & similibus. Infusiones facimus, cùm vena intus latitet. Si commodè remedia possint extrà adhiberi, pulueres inspissati albumine, supra partem affectam apponantur. Eadem etiam curant anastomosim. Pul. oss. sepiæ cum vino datus fluxum sanguinis retinet. Item carabe trocorum,

Victus ratio.

eorum, tro. de spodio, sang. drac. appositus aut assumptus sanguinem erumpentem à quacunque parte retinet. Sanguis exsiccatus, supra partem appositus idem præstat. Flores salicis, & omnium florum papi, telæque aranearum, extrinsecus adhibita sanguinem retinent, & coagulant. Conseruæ ros. symph. cydon. caro aliorum fructuum astringentium conditorum ad id vsurpantur, súntque ex his opiatæ vel condita.

℞. conser. ros. antiquæ ℥. ß. conser. symph. ℥. j. tro. de carabe, aut de terra sigil. ʒ. j. boli ar. ʒ. ij. sangui. drac. ʒ. ß. syr. de ros. siccis vel myrtill. q. s. fiat opiata, sic,

℞. symphiti & carnis cydon. conditorum sacch. an. ℥, j conser. ros. antiq ℥. ß. pul. oss. sep. ʒ. iij. tro. de spodio & de terra sigill. an. ʒ. j pul. diamarg. frig. & diapa. albi an. ʒ j. syr. cydon. q. s. fiat opiata, capiat ad quantitatem auellanæ superbibendo aquam burs. pastor. aut decoctionem eiusdem. Condita parantur sine syru. & ex maiori quantitate cons. & sacchar. & pauca quantitate medicamẽtorum præditorum aliqua insigni qualitate, vel odore, vel sapore, quia iis vtimur ex aqua bullita tempore sitis, vt,

℞. conser. ros. ℥. ij. pul. corall. rub. ʒ. ij. pul. marg. ℈. ij. cum sacch ros. tab. fiat conditum. Solent aliqui diamarg. & triasand. & alios pul. admiscere, sed sunt prædita nimis insigni qualitate quàm vt conueniant hic. Si à parte vlcerata sanguis fluat, sítque à parte aliquid corrodendum sandaraca, auripig. calcytis, & alia caustica cum albumine oui adhibita sanguinem retinent, & carnem putridam minuunt crustam generãdo. Si quis plura remedia velit, quærat caput de vnguentis, & de pul. in nostro lib. de formis remediorum.

De muliebri purgatione. CAP. LX.

MVlieres reddunt per vterum quædam excrementa serosa. quam purgationem muliebrem appellant, quòd illis sit peculiaris & propria In quibusdam quotidie, in aliis post mensium purgationem, nõnullis euenit inter duas purgationes tantùm. Aliquibus hoc vitium à toto corpore depẽdet, in reliquis verò ab affectibus vteri. Hęc cum vlcere vteri conuenit, ob id distinguẽda est. Distinguntur autem ex consistentia recremẽtorum red-

ditorum. Nam quas vlcus infestat, pus reddunt crassius, fœtidius, & albius. Purgatio autem muliebris est velut ichor, aut serum. Differt etiam, quod mulieres quæ vlcus in vtero habẽt, maximè si in collo fuerit, congressum viri non patiuntur, aut si patiuntur, irritatur vlcus. Quæ verò menses tales patiuntur, nullam sentiunt in coitu molestiam. Quantitate etiam differunt. Maior enim copia serosæ substantiæ emittitur, quàm puris. Purgatio itaq; mulieris serosa est, quandoq; bilis serum aut ichor, quandoque pituitæ, & frequentius quàm sanguinis. Raro fit à melanch. aut si fiat, tandem cancer excitatur in vtero. Cognoscitur autem cuius sit humoris ichor aut serũ, à colore, qualitate, & totius corporis cacoh. Nam si à bile fit, calor est subflauus, & pallidus, humor acris, quam acrimoniam mulieres potissimùm sentiunt in parte proxima externæ, & in pterigiis. Et color totus bile redundare videtur, maximè quando per consensum totius corporis fit, quod etiam ex moribus, & victus ratione deprehenditur. Nam quæ acribus vescuntur alimentis, & quæ natura sunt negotiosæ, hanc affectionem patiuntur. Sin à pituita, color totius corporis albidus est, & magna quantitas defluit, sed minus acris. Sunt autẽ otiosæ & desides, quæ hunc affectum patiuntur. A sanguine fiunt tales purgationes, sed tãtùm cùm mulieres vtero gerunt, vel quãdo suppresi sunt menses. Tunc aliquando natura loco mẽsium serosum excretũ reddit, quod vtrunque rubescit, & tale est, qualis esset aqua pauco sanguine tincta. Si corpus sit plenum sanguine atro, erit purgatio fusca, vel si cancer iam factus sit, purgatio illa non multùm differt à sanguinea; nisi quod magis fusca est. Prouenit aliquando purgatio vitio vteri tantùm, sed raro. Cognoscitur autem fieri vitio vteri, si reliquæ partes bene habeant, & præcessit retentio mensium, vel immodica purgatio, vel alia vteri affectio. Hæ affectiones difficillimè curantur, quia pars illa promptè recipit aliarum partiũ recremẽta, tum ob situm inferiorem, tum ob multitudinem venarum eò pertingentium, tum etiam propter consuetam illam naturalem purgationem. Post tales purgationes solẽt fieri vlcera in vtero, & ab vlceribus fluxus immodicus sanguinis. Si vlcera fiant, erodentia, vel virulentia à biliosa, si putri-

si putrida & sordida, à pituitosa: carchinomata, à melancho. materia erunt. Curantur autem si fiant per consensum totius corporis, aut alicuius partis. Si habitus corporis vitiosus sit, castigetur, & in suam naturalem cōstitutionem reducatur. Curato corpore ad vterum veniendum. Nam quemadmodum oculorum affectus nō perfectè curātur, nisi corpus vniuersum curatum fuerit, sic neque vterus. Igitur si purgatio muliebris à bile fiat, dāda est opera, vt medicamentis biliosis astringentibus (vt rhab. myrob. succo ros. & earum syr.) & quæ bilis acrimoniam frangunt, quæque aquam purgāt, purgētur, vt supra dictum est, de immodica purgatione, & venarum arrosione. Abstinere oportet ab omnibus aperientibus, nisi in declinatione, aut curato corpore, cùm volumus ad vrinas eos humores deriuare, fiat tale apozema.

℞. cichor. end. scariol. lupuli, fumar. ciclæ, merc. lact. borrag. ana M. j fol. brass. mar. M. ß. pass. prunorum, sebesten, ana pa. xx. senæ orient. & medullæ carth. ana ℥. ij flor. cord p. j. anisi ʒ. j. quatuor semin. frigid. mai. ana ʒ. ij. tamar. ℥. j. fiat decoctio in sero caprino vel in aqua. In ℔. j. ß. diss. succi ros. syrup. end. simp. ana ℥. iiij. sacch. parum, fiat apoz. mediæ decoctionis. Capiat in quatuor matutinis. Si mulier morosa fuerit aut delicata, aro. cum sand. rub. Finitis syr. capiat potionem sequentem.

℞. gly. ras. ℥. ß. polypod. ʒ. j myrobal. citrinorum ʒ. ij. coquantur leuiter in vna parte apoz. In quartario vno colaturæ diss. cath. ℥. j. syr. ros. lax. ℥. ij. misce, fiat potio Si ditior fuerit, adde infusionem ʒ. ij rhab. auferendo cath. aut eius dimidiam partem. Si maluerint in forma pilularum, fiant ex rhab & syr. ros. lax. Nam pilulæ quę paratæ habentur in officinis, calidiores sunt, quam vt in hac caussa cōueniant. Triphera persica magis cōuenit, rhab. syr. ros. lax. cath. diasebest. In crastinū dare oportet decoctū hordei cum syr. vio. Oportet frequenter hāc purgationem iterare, vel syr. suprà scriptū pro medicamento decoquere vsque ad perfectionē, & addere inter clarif. si diues sit, rhab. ℥. ß. Si verò pauper, augere quantitatem succi ros. vel apponere syr. ros. lax. In principio minus astringentibus est vtendum, vt corpus exactius purgetur. In processu purgationis, quæ purgāt & astringunt

magis conueniunt, quia minus deducunt recremēta ad partem affectam & partē magis corroborant & siccant. Quamobrem vsus pilul. & rhab. & myrobal frequenter macerat. in succo rof. plurimum valent, misceantur sic.

℞. rhab. electi frequentissimè irrorati succo rof. ʒ. ij. myrobal. citrinorũ, chebul. & indo infusorum in succo rof. ana ʒ. j. mastic. ß. j. spicæ ℈. ß cum syr. rof. lax. fiant pilulæ, de quibus capiat bis in hebdomada in lecti exitu, capiendo duas vel tres vel quatuor. In pilulis addi possunt & tamarindi, myrrha, crocus, cinamomum & alia quæ misceri solent, prætermittenda sunt. Spica autem ponitur, quia leuiter astringit, & exiccat, & sua tenuitate partium alia medicamenta deducit. Post has euacuationes vterum abluere oportet decocto hordei, aut lentium cum pauco sacch. vel melle, & per dies aliquot cōtinuare. Deinde supra ventrem & renes ponenda sunt emplastra constringentia, vel remedia illa quæ ex bolo arm. sistentibus sanguinem, & resiccantibus componebantur. Et ne vterus recipiat facilè huiusmodi recremēta, iniectioni addere oportet rof sicc. vel syr. rof. de rof. siccis. Ad detersionem syr. rof. lax. plurimum confert, sicut & serum. Non erit etiam inutile opiatam imperare ex frigidis & constringentibus, vt,

℞. conf. rof. antiquæ ℥. ij. conf. flor cichor. ℥. j. pul. trisan. ʒ. ij. corall. rub. vsti & loti ʒ. j. ß. cum syr. conseruationis cotoneorum & conditorum fiat opiata, capiat serò & manè. Si pituita sit & fluxus muliebris aquosus, purganda erit medicamentis pituitam purgantibus, vt ag. carth. elect. de citro sol. aut diacarth. Et materia concoquenda detergentibus & modicè calidis, vt melle rof. syru. de arthem. Post primam euacuationem syrupo de absynthio vti possumus; quēadmodum leuiter astring. quibusdam. Fiat ergo in hunc modum.

℞. pil. de hiera vel de aro. ʒ. j. ag. tro. ʒ. ij. ß. cum melle rof. fiant pilulæ, de quibus capiat tertio quoque die in exitu lecti, prima vice sex vel septem, deinde tres vel quatuor tantùm. Item

℞. mell. rof. col. ℥. ij. syr. de stechad. & de arthem. ana ℥. j. aquarum beto. hyss. absynth. ana q. j. misce, aro. cum ʒ. j. diarrh. abb. Finitis syr. capiat pil. sequentes.

℞. pil.

℞. pil. agreg. fœtidarum & cochiarum ana ℈. j. cum aqua arthem. fiant pil. capiat à primo somno.

℞. decoct. hord. ℥. iij. mell. rosſ. col. ℥. j. capiat in craſt.

℞. theriac. mediæ ætatis, vel mithrid. ʒ. j. capiat v. horis ante prandium, deinde vtatur opiata.

℞. conſ. anth. ſtechad. ana ʒ. ij. conſ. acori vulgar. colatæ ℥ j. pul. diarrh. abb. aro. roſ. vel diag. ʒ. ij. cornu cerui, corall. rub. vſti ana ʒ. iiij. conch. marinarum vſtarum & lotarum in vino ʒ. vj. cum. ſyr. conſ. cortic. citri fiat opiata, capiat manè & ſerò. Item

℞. cineris ſpongiæ prius diligentiſ. lotæ & poſt vſtionem ſimiliter lotæ in aqua pec roſ. ʒ. ij. raſ. ebor. & cornu cerui ana ʒ. ij. roſ. rub. cortic. citri ſicci ana ʒ. j. gal. cyperi ana ʒ. ß. ſacch. roſ. tab. ℥. ij. miſce fiat pul. capiat loco opiatæ ante prandium vel cœnam. In hac cauſſa quæ magis ſiccant ſunt vtiliora, quàm in fluore biliosa. Et quia hoc vitium ortum habet primum à ventric. eius habenda eſt ratio, iuuando concoctionem vnguentis modicè calidis, aſtringentibúſque, hoc modo.

℞. ol. cydo. & de abſynthio, & nardini ana ℥. ij. cyperi, galang. caryoph. an. ʒ. j. corticis & citri & comæ abſynth. & mētæ ſiccæ an. ʒ. iij. ceræ q. ſ. fiat vnguentum, quo vng. ventric. ſerò & manè. Poſſunt fieri ſacculi & emplaſtra ad eādem intētionem, & eadem ratione. In valde obeſis & frigidioribus, cerat. ſtomachicum Gal. conuenit. Vterus prædictis iniectionibus detergētibus abluendus eſt, in quibus mell. quātitatem augere oportet, & poſt exactam deterſionē erit vtēdum fumigio præſcribendo ad imprægnationem. Supra renes & ventrē topica remedia præſcripta erunt ex vſu, quibus addere poſſumus aquam calidā, vt ſi intemperies frigida & humida ſit, emēdetur emplaſtro pro matrice, & de pelle arietina. Vtile ex his vti ſtuphis, & frequēter ſudorē prouocare. Euocāt enim humiditatem, trahēdo ad cutim. Vomitus à cibo, vel ante cibum plurimùm prodeſt, & multò magis quàm alia euacuantia, & ſit auerſio in contrariam partem. Materia melancholica ſi aliquā habet acrimoniam, velut biliosa curāda eſt, niſi quòd in euacuationibus vti oportet purgantibus melanc. vt epith. cuſcuta, thymo, folliculis ſenæ, decocto mercur. & aliis purgātibus melanch. vt ſyr.

fumar. cum syr. de end. qui magis conueniunt. Nam syr. alij melăcholiam cōcoquentes calidiores sunt, quàm vt hîc conueniăt. Supra partē addi possunt metallica, quibus in carchinomate palliando vti possumus, vt vnguento ex pomph. cerusa, tuthia, antimonio, litharg. nutrito & similibus, ex his conficienda vnguenta vel emplastra cum ol. myrrh. & aceto. Si nulla sentiatur acrimonia, vsurpari possunt remedia ad pituitam præscripta, i. quæ calfaciūt & exiccant. In omnibus caussis pilulæ de bdellio conueniunt, sed quia multæ sunt descriptiones, accipienda est ea, quæ conchas venereas recipit. Hæ pilulæ exiccant omnia vlcera interna, neque laxant, sed potius constringunt. Vineæ decoctum ad fouēdas partes multùm conuenit, & in pituitoso lixiuium in principio. In processu lixiuium cum pauco alumine magis prodest. Balnea omnia naturalia ad id sūt vtilia, vel quæ arte parantur ex alumine, sale, vel calchitide, vel ex lixiuio, & decocto herbarum radic. & florum resiccantium, vt,

℞. lixiuij parati ex cineribus ilicis, vel quercus vel ficus, vel cannarum quantum sufficit ad encathismá conficiendum, in quo decoque radic. bistorti, & lapati acuti ana ℔. ij. corticis mali gra. gallarum, suberis ana ℔. j. rosſ. rub. p. ij. fiat decoctio in qua diſſ. salis communis ℔. ij. aluminis ℔. j calcyt. ℔. ß. fiat encathisma quod & valebit ad procidentiă ani & vteri. Vtantur potius encath. quàm balneo, quando cōstringendum est. Balneo autē, quādo sudor prouocandus. Et post omnia alia remedia vtatur hoc encathismate, longè à mensium purgatione, ne retineantur. Idem encathisma valet in fluxu sanguinis seroso, vel immoderato fluore & raritate venarum per diapedesim. Sit tepidum tantùm, & diutius sedeat in eo, reiectis recrementis alui & vesicæ. Potest etiam fieri lixiuium ex cineribus concharum vstarum, vel sarmentis, vel piro siluestri, vel aliis arboribus astringentibus, vt sorbo, corno, & similibus. Vtantur optima victus ratione. Abstineant ab humidis, vt iusculis, & multo potu, & ab iis quæ humorem aut serum generant. Vsus seri cum succo rosſ. & infusione, aut leui decoctione brasſ. ma. plurimùm prodest in bilioso fluore: vt vsus pilularū supra scriptarum de aromatibus vel de hiera cum pauco aga-

co agarico, vel assaieret, vel quæ conficiuntur ex myrobal. & agarico in pituitoso. Siccant enim & astringunt.

Ad menstrua alba.

℞. folior. clemat. diaphnoidis, ana M. j. herbarum vatipicri & hederæ ana M ß. fabar. integr. N. x. hord. integri leuiter torrefacti p. j rof. rub. p. ß. fiat decoct. in aqua arthem. vino rub. & aqua cister. ad ℔. ij. misce, foueatur locus, vel fiat iniectio ad vuluam, & hoc remedio sistentur menstrua alba. Proderit tamen vti suffumigio sequenti, post fotum vel iniectionem.

℞. gallæ mosca. & aliptæ mosca ana ʒ. ij. ladani, hypocist. ana ʒ. styracis, beniouin, ligni aloës, santalorum omnium ana ʒ. j. nucis mosc. macis, garyophil. ana ℈. j. mucaginis gummi tracaganthi q. s. fiant trocisci addendo modicum carbonis salicis, & post exsiccationem inungantur oleo muscatelino, vel nardi. & recipiat fumum per embotum post exactam purgationem menstruam. Deinde apponatur emplastrum sequens.

℞. emplast. pro matrice ℥. iiij. radi. bisto. musci quer. ana ʒ. iij. fiat emplast. rotundum, applicetur regioni vteri, post exactam purgationem menstruorum, vsque ad aliud tempus purgationis, quod tunc auferatur.

De mensibus retentis. CAP. LXI.

MEnses stato tempore incipiunt & desinunt secundum naturam. In aliis citius erumpunt, vt 13. anno, aliis 14. aliis non ante 20. aliquibus nunquam, vt Aristot. meminit de quadam muliere. Desinunt anno 40. in aliquibus. In aliis non ante 60. & hoc propter copiã vel defectum sanguinis. Quæ enim multo sanguine. & calido abundant, citius, frequentius, & diutius purgantur. Quæ verò crassum vel lentum, vel paucum habent sanguinem, tardius & parcius purgantur. Hæc enim purgatio non fit, quòd sanguis vitiatus sit, sed ob copiam, vt Hippocr. & alij existimarunt. Galen. de atra bile scribit eum sanguinem non solùm quantitate, sed & qualitate inutilem superfluúmque esse. Quãquã Arist. & quidam Medici in contraria sint opinione, propterea quòd sanguis per mẽses reiectus corruptus & putrefactus, aliquos affectus malos facit, ob id illi tribuunt veneni vim. Sed hoc euenit sanguini, vt sem. propter aëris alterationem *An vitiatus sanguis menstruus.*

Facilè enim extra vasa putrescit, & naturam venenosam induit. Nam eo sanguine menstruato augetur fœtus, nutritur nouem mensibus, & post natiuitatem nutritur lacte, quod ex menstruo fit sanguine. Argumento est, quòd mulieribus lactantibus supprimuntur menses, citra noxam aliquam. In aliquibus propter copiam sanguinis, & dum vterum gerunt, aliquam mensium purgationem habent. Quòd si sanguis vitiatus esset, sequeretur fœtum vitiato sanguine conformatum, & nutritum lac ex vitiato sanguine fieri, quare & ipsum vitiatũ esset. Mulieres læderentur tẽpore imprægnationis, & lactationis, ob vitiati sanguinis retentionem, quemadmodum iis, in quibus præter naturam retinentur menses, euenit. Ex his sequitur in vanum laborare, qui ante vel post tempus purgationis menses volunt prouocare. Sicut etiam in his, qui parùm habent sanguinis ob cachexiam, quæ verã & perfectam sanguinis generationem impedit. Frustra etiam mulieres cruciant, post longam sanguinis euacuationem factam per nares aut alias regiones, qui mẽses prouocare volunt, aut post diuturnum longúmque morbum, ad quẽ sequuta est atrophia. In his omnibus caussis oportet alia ratione menses prouocare, hoc est, in cachexia malum illum habitum corrigendo, vt multus sanguis postea generetur. Sic & in atrophia, & sanguinis penuria alimẽta, quæ multùm sanguinis generant, danda sunt. Neque medicamentis sunt exiccãdæ, neque sanguinis missione è poplite, vel è talo euacuandæ. Quare si multus sit sanguis in corpore, aut lentus, aut suppressus ob venarum obstructionem, aut vteri dẽsationem, obstructionémque adhibenda sunt remedia, vt quibus non fluunt menses, propterea quòd mult⁹ sanguis in partes superiores fluit, & per nares vel sputum sanguinis reiicitur. Tunc vtile erit frequenti cucurbitularum appositione supra emunctoria sanguinem circa vterũm trahere. Apponuntur sine scarificatione his, quibus non est nimius sanguis. In quibus autem multus est, scarificatio facienda est. Nam cùm sanguini patet exitus, faciliùs ad illam partem fluit, sed multus non est trahendus. Nam euacuatio sanguinis copiosa, aliam euacuationẽ impedit. Aufertur enim copia propter quam facultas expultrix illum sanguinem expellit,

Quando frustra prouocãtur menses.

Quibus caussis prouocentur.

Cucurbitulæ.

expellit, vt suprà monstratum est. Sanguinis quoq; missio ex talo, vel poplite facienda est eadem cautione. Vtile est partes illas prius fouere aqua tepida, vel decocto mal. vel lilior. vt partes illæ relaxentur, ob quod sanguis ille facilius descendit. Doloriferæ ligaturæ in coxis factæ, vel frictiones sanguinem ad partem trahunt. Sed ista non sunt facienda, nisi quo tempore solebãt menses fluere, aut in quibus nunquam fluxerunt ad finem mensis. In qua parte humores liquefacti aut rarefacti videntur aucti, linimenta ex modicè calfacientibus & relaxãtibus sunt ex vsu. Nã quæ fortiter siccant, aut calfaciunt, quomodocunque administrata, sanguinem detergendo, materiam absumunt. Relaxantur partes hoc modo. *Fotus.* *Ligatura.*

℞. axung. gallinæ, anseris, & anatis ana ℥. j. ol. amyg. amar. cham. lil. an. ℥. j. aristol. vtriusque, rad. irid & asari ana ʒ. j. ceræ nouæ quantum sufficit, fiat vnguen. Vngantur partes ventris inferioris, inguinum, & renum post fotum. Postquam partes inferiores hoc modo præparatæ sunt, optimum est illis imperare vsum pilul. de hiera & aromatib. quæ ventriculum & intestina purgant, humores attenuãt, & præparant corpus ad assumptionem syr. aperientiũ, aut acrium medicamẽtorum. Duabus autem tribúsque horis ante pastum dandæ sunt, vt in exitu lecti. Deinde syrupi incidentes, & attenuantes crassitiem sanguinis, aut humorum mixtorum in sanguine dandi sunt, vt syrup. de radicib. de arthemis. & similes. Dantur autem cum decoctione eringiorum, aut quinq; radicum aperientium vel cum decocto sabinæ, aut arthem. aut leucoij. Si multa pituita in corpore collecta fuerit, euacuanda est, multùm ante tempus purgationis mensium, & leuiter euacuanda est, ne redundantia humorum auferatur. Sed sufficit dare pilulas suprà dictas, addito agarico vel asaro aut carthamo, vel pilul. benedictas. Cum tempus mensium instare videtur, vtile est pessaria nuptis imponere, in virginibus nascalia, id est, puluerem bombace exceptum, quia illæ pessi naturam abhorrent. Conficiuntur autem ex attrahentibus, & orificia venarum aperientibus. Trahunt autem & quæ calida sunt, & tenuium partium, & quæ suapte natura laxant, vt agaricum, asarum, colocynthis, scammo. succus mercu. suc- *Vnguentum.* *Pilulæ.* *Syrup.*

cus irid. succus cucum. agrestis. Calida autem, vt piper, zinziber, cinamomum, cardamomum. Fiunt sic.

℞. pul. benedictæ aut hieræ ℥. j. cum melle decocto fiat pessarium ad formam suppositorij, & ligatum apponatur. Vel arida præscribuntur, & cum succo mercu. incorporata, panno raro inuoluta immittuntur, vel in forma vnguenti digito intra vuluam ponuntur, vt quæ conficiuntur ex fellibus & attrahentibus medicamentis.

℞. fellis hirci vel vaccæ ℥. j. asari, agar. cinam. ana ʒ. j. suc. merc. ℥. j. coquatur succus cũ pauco melle, & simul incorporata reducantur in formam vnguenti. Fortius redditur, si semen nigellæ apponatur. Fortiter enim trahit, & menses mouet. Diutius non debent hæc manere, ne vlcus excitent, & ne diutius hæreant. Abluendus est locus vino calido, in quo decoctum sit pulegium, aut matricaria. Eo tempore bene nutriantur, alimentis multùm nutrientibus, & attenuantibus. Præstantissimum ad id remedium est suc. ering. cum vino albo dare. Non, vt aliqui faciunt, prouocãdus est sudor post assumptionem horum remediorũ. Nam sudor auertit & impedit mensium purgationem, aliò deriuando materiam. Quare neque balnea, neque stuphæ conueniunt, nisi cùm sanguis crassus est, aut lentus, vt humores fundantur, sed id fieri debet citra magnam sudoris prouocationem. Neq; etiã opiatæ multùm aperientes conueniunt, quia plus resiccant, quàm iuuant. Sed in forma liquida danda sunt remedia. Talia enim faciliùs distribuuntur, & ad partem valde remotam perueniunt. Vinum hippocraticum ex vino albo, vel fuluo, & parte tenuissima cinamomi paratum adaucta dosi cinamo. est vtilissimum & iucundissimum medicamentum. Diluitur autem aqua graminis, vel asparagi, vel apij, vel petro. aut decocto eringiorum. Quo tempore vtitur topicis istis remediis, caueat à frigore, & nimia exercitatione, aut cibi repletione.

De sterilitate. Cap. LXII.

EAdem ratione curandæ sunt mulieres, quas ad conceptum facilitate volumus, euacuando medicamentis leuiter laxantibus, abstinẽdo ab opiatis resiccantibus multùm, & semen absumentibus. Sunt autem nutriendæ alimentis venerem excitantibus, quæ tardiores sunt.

Hoc tantùm remediis addere oportet, quòd eis pessaria alia conficienda sunt, post exactam vteri purgationem, os vteri interius dilatando, exterius constringendo. Dilatatur autem vterus vnguento ex adipibus suprà scripto aucta dosi rad. iridis. & additis ℥. ij. styra. ℥. j. tereb. abietis. Post vsum illius vnguenti, vtatur nascali ex fellibus hirci, vel lupi cum mosco, castoreo, & ciuetâ. Hæc enim omnia laxant, & vterum deorsum trahunt, calfaciúntque, venerem stimulant, vt & stercus murium. Exterior pars constringitur fotu parato ex radicibus, herbis, floribus, & aliis constringentibus odoratis, vt

℞. rad. bistor. quinq; fol. & cype. an. qr. j. rosf. rub. cum calcib. cortic. mali grana. & balaust. ana ℥. j. suberis ℥. ß. hederæ M. j. fiat decoctio in aqua, & pauco vino astringéte. Foueatur pars in introitu lecti. Post mensium purgationem, & vsum aliorum remediorum paulò antequã congressura sit cum viro, quia magna ex parte mulieres non concipiunt, quia semen non trahunt, aut tractum non retinent, emplastra supra vterum & renes ponenda erunt, quo tempore congressura est. His quæ non trahunt semen, emplast. ceroneum, & alia, quæ ex gummi, aliísque attrahentibus conficiuntur, erunt ex vsu. His verò quæ non retinent, emplastra constringentia vtcunque calida, quale est comitissæ, pro matrice, de pelle arietina, de mastiche, additis radicibus bistor. ℥. ij. ladani hypocisti. an. ℥. j. misce, fiat emplast. quod gestent, donec appetat tempus alterius purgationis. Eo enim tempore admouenda sunt emplastra astringentia, ne menses retineãt, nisi in quibus maior sanguinis copia fluit, quàm pro corporis habitu conueniat. Si mulier non concipiat ob salacitatem, & nimiam ad venerem propensionem, quod ob acrimoniam seminis & caliditatem fit, alenda est crassis alimentis, quæ sanguinem inspissent, & semen crassius reddant. Vsus fructuum est vtilis, vt pyrorum, pomorum, castanearum, quæ crassos humores, & crassos gignunt flatus, impetúmque illum retardant. Stuphis vtuntur mulieres humidiores, balneis verò durum habentes vterum, aut frigidum, sed his vtendum paulò antequam fluant menses. Si mulieres sint valde obesæ, extenuandæ sunt vsu medicamentorum calidorum, & inci-

dentium, & aperientium, & tenui victu diu antequam vtantur remediis supradictis. Postea illas optimis cibis, multúmque sanguiné generãtibus, oportet rursus nutrire, & imperare frictiones, cucurbitas, aliáque remedia, quibus vsi sumus ad sanguinem deorsum trahendum. In illis cõstringitur os vteri, si credimus Hippo. ab epiploo, quod ad os vsque pubis descendit. In frigidioribus ergo & humidioribus mulieribus vtile erit vti hac opiata, siue humiditas sit in toto corpore, siue in vtero tantum.

℞. conf. yring. & cort. citri ana ℥. j. conf. anth. & zinzib. conditi ana ℥. j. ß. cineris priapi tauri, & cineris vteri leporis ana ℥. ß. pul. diagal. diamosci dulc. vel diambræ an. ʒ ij pinearum & auellanarum an. ʒ iij. sacch. parum, cum syr. conseruationis cortic. citri fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem auellanæ longè à pastu, cùm ibit dormitum. Hæc opiata magis conuenit frigidis & humidis toto corpore. Nam si vterus tantùm frigidus & humidus esset, & totum corpus calidum & siccum, latius esset fumigio per embotum recepto exsiccare. Fumigium autem conficitur ex odoratis resiccantibus, & leuiter astringentibus.

℞. nucis moscatæ, macis, beniouini, styra. an. ʒ. ij. castor. ʒ. ß. aliptæ moscatæ, vel gallæ moscatæ ʒ ij. gariop. ladani puri an. ʒ. j. zinzib. cinamomi, folij, spicæ nardi an. ʒ. ij. excipiantur omnia terebinthina, & fiant trocisci, quibus fumigetur manè & serò post mensium purgationem Illis opiata vtilis erit, si augeatur dosis pinearum, & auellanarũ in lacte simul, & pauco melle mixtis, subinde remouendo lac, ne acescat, & recens infundendo. Talis reficiet corpus exsiccatum, & copiam seminis generabit. In istis opiatis adduntur multa alia exsiccantia, quæ si per se sicca assumerentur, potiùs impedirent, quàm iuuarent. Sed quia permiscentur syrupis & rebus dulcibus temperantur, conueniunt, vt rasura eboris, & cornu capræ, semen seseli, medulla seminis fraxini (linguam auis vocant) addentur & passerum cerebella, sed illa magis in cibo sunt assumenda, quàm permixtis misceantur. Nam iuuant, quod multũ seminis generent, quod non possunt facere si in pauca quantitate assumãtur. Satius erit cerebellum porcelli, & porci diligenter coctum cum pauco origa-

origano, & postea frixum in sartagine edere. Multùm enim nutrit, & semen auget. Opiata ad mulieres salaciores confici debet ex leuiter astringentibus,& copiam seminis generantibus parùm calidis,vt

℞. myrob. conditorum, embl. & cheb. an. N. ij. cortic. citri conditi cum saccharo (in aliis cum melle) ℥.j. pinearum infusarum in lacte, seminis fraxini eodem modo infusi an.℥.ß. cum syr.de pomis redolentibus fiat opiata, additis raſ. eboris & cornu capræ an. ʒ. ij. capiat ad quantitatem auellanæ. Quæ minùs propensæ sunt ad venerem,gestent ambram vel moscum,vel chirothecas odoratas & maximè noctu habeant sub puluinariis, nisi obnoxiæ sunt suffocationi vteri, Tunc enim meliùs esset illa odorata coxis alligata habere.

De fœtus retentione. CAP. LXIII.

MVlieres quædam facillimè concipiunt, & frequenter,sed fœtum retinere nō possunt, cuius rei multæ sunt caussæ. Aliæ enim os vteri minùs claudunt,& cōstringunt, & ob nimiam humiditatem relaxantur, Aliæ ob sanguinis feruorem aut copiam menses patiuntur,& fœtui adimitur alimentum. Aliæ vterum habent minùs amplum, aut quia non potest dilatari vterus pro incremento pueri,vnde reiiciunt fœtum,alię tertio,alię quarto,aliæ quinto mēse. His pro caussarum varietate remedia sunt inuenienda. Quibusdam ante conceptum, aliis post. Mulieres,quæ ob nimiam humiditatem fœtum retinere nō possunt,frequenter euacuare oportet ante cōceptum pilulis ex hiera picra,de benedicta, de aromatibus,addito zinzib.& sale gemmæ.Et post mensium purgationē,pessariis trahentibus pituitam vterum purgare, qualia sunt pessaria suprascripta, & quæ recipiunt agaricum,colocynthi.& alia pituitosa medicamenta. Deinde fumigio suprascripto exiccandum os vteri. Pars etiam interna fouenda fotu præscripto, addita ℥. j. aluminis. Applicētur emplastra suprascripta. Vtatur pul.sequenti.

℞. cineris priapi tauri ℥.j. raſ. ebor. cortic. citri sicci an.ʒ iij.coral.rub vsti & loti in aqua absynthij ʒ. iij saccha.parum,misce fiat pul. de quo capiat ʒ.j. cum pauco vino diluta aqua arthē. Aut si mauis,ex iis fac opiatam, additis myrob. exceptis syr. conseru. myrob.aut corti-

cùm citri. Vtatur victu non attenuante, nec aperiente, sed exsiccante: Si verò fœtum reiiciat, ob sanguinis acrimoniam, purgetur ante conceptum rha.myr.syr.ros. Vtatur victus ratione incrassante sanguinem, & obtundente acrimoniam. Post conceptum inungat partem renum vnguento sequenti.

℞. ol.ros. ompha.& cydon. ana ℥. iij. ceruſ. lotæ in aqua roſ. ℥.ß. radi. bistortæ & coral.rub. an.ʒ.ij.seminis berb ʒ.j. ceræ albæ q. s fiat vnguentum pro renibus. Emplastra minùs conueniunt, quia magis calfaciunt, minúsque refrigerant. Quæ nimio sanguine abundant, abortum patiuntur, quia natura grauata quantitate, aperit orificia venarum, & multum sanguinis reiicit. Deinde fœtus ob penuriam alimenti vel moritur, vel reiicitur. His ergo, quæ propter hanc caussam solent abortire, vtilissimum est sanguinem trahere ex vena cubiti interna, & vt minùs plena victus ratione vtantur, præscribere. Vngantur renes & regio vteri vnguento præscripto ad sanguinis feruorem, vt partes refrigerentur, quæ ob nimium sanguinem incalescunt. Sanguinis etiam missio in eius feruore, & acrimonia fieri potest, sed minori quantitate pro ratione habitudinis & sanguinis. Si mulier multùm sanguinis reiicere consueuerit tempore mensium, plus sanguinis trahere oportet. Quòd si multus sanguis trahendus sit, id vna vice non est faciendum, sed interpositis 10. aut 15. diebus, aut mense vno vel duobus. Et id facere oportet potissimùm 4.5.6. & 7. mense, quamuis Hippoc. à quarto mense vsque ad septimum vtero gerentes purgari posse scribat, quod in morbis acutis faciendum dixit. Neque etiam formidandum, quod inquit Hipp. mulierem abortire ob sanguinis missionem, quod est intelligendum de mulieribus habentibus parum sanguinis, aut imbecillioribus. Nam experientia constat mulieres, quæ sunt frequenter passæ abortum, hoc remedio retinuisse fœtum. Non solùm autem ad retentionem fœtus, sed etiam in his, quæ difficilè pariunt, sanguinem misi cum summa vtilitate. Nam cùm fœtus abundat multo sanguine, in magnam molem crescit, maximè his, quæ amplum vterum habẽt, & postea ob magnitudinem exire non potest. Sed

de

de difficili partu plura suo loco. Mulieribus, quæ vterum paruum habent, aut densum & constrictum, & in quibus vterus non facilè dilatatur, vtilissimum erit ante cõceptum balnea relaxantia, fotus, & linimenta præscribere, vt vterus colore balnei dilatetur, & relaxetur. Sed cùm iam vtero gestat, summa cum animaduersione, his remediis est vtendum. Nam talia laxando abortum faciunt, sed hac cautione erit vtendum. Octauo quoq; die vtatur fotu per duos dies, vel oleis, vel vnguentis, vt in hepatis affectibus facere solemus, addendo quædã leuiter astringentia. Et pessariis astringentibus os interius etiam constringemus. Fotus fient hoc modo.

℞. rad. alth. & liliorum an. ℔. ß. flor. cham. & ros. ana ℥. j fiat decoctio in aqua, tepidè foueatur pars, quæ est inter vmbilicum & os pubis. Vel fiat fotus ex oleis relaxantibus, & rarefacientibus, quæ sine tanto calore actuali, supra partem adhiberi possunt, quale est oleum lil. irinum, amygd. sesami. anethinum & similia. Axungiæ etiam id præstant, vt axungia porci non salita, gallinæ, anseris, anatis. Supradictis oleis & axungiis addere oportet parum olei mastic. vel lentiscini, quia emollit & leuiter constringit: aut parum styrac. cal. aut ladani. Manè & serò foueantur, reiectis recrementis vesicæ & intestinorum. Imperanda est quies in his omnibus caussis, maximè ante tempus illud, quo abortire solent. Abstinere etiam illas oportet à coitu, qui solet facere abortum, ob agitationem & dilatationem oris vteri. Nam dum vterus mouetur, ad noui seminis receptionem, fœtum recentem & parùm confirmatum extrà propellit.

De partus difficultate. CAP. LXIIII.

MVlieres difficillimè pariunt, aut ob aëris constitutionem præcedentem, vel præsentem, vt ob constitutionem aquiloniam, vt Hipp. docuit, vel ob magnitudinem fœtus, vel ob vteri constrictionem, vel virium imbecillitatem, vel quia fœtus non egreditur consueta forma, sed reduplicatur, ventrem primùm vel dorsum, vel alteram tantùm manum, aut tibiam foras mittendo. Caussa diligenter inuestiganda erit, & pro ratione caussæ remedia instituenda. Si mulier ob virium imbecillitatem parere non posit, reparanda est imbecillitas illa

ante tempus partus, aut si imbecillior facta fuerit, propter morbũ præcedentem, aut aliquam euacuationẽ, aut dissolutionem spirituum, aut propter aliam caussam, alenda est euchymis, & multùm nutrientibus, vt vino, succo carnis, testiculis galli, & similibus. Si autem ea imbecillitas proueniat ob longam defatigationem in ipso partu, citra insignem sanguinis euacuationem, bonum erit dare potionem cordialem ex confectione alkermes cum vino vel cum iusculo, vel parare potionem ex aliis pulueribus cordialibus, vt

℞. diamb. vel diamosci ℈.j. pul. diagal. & diarrh. abb. ana ʒ.ß. vini albi ℥.ij. aquæ bet. & melissæ, buglossæ ana ℥.ij. misce, fiat potus, capiat ventriculo vacuo, & per duas horas nihil accipiat. Si ob constitutionem aquiloniam & borealem, mittenda est in balneum relaxans, cùm appetit tempus partus. Partes inferiores pudendorum relaxandæ sunt, vel fotu, vel vnguento, vel oleis relaxantibus. Ego hoc fotu vti soleo.

℞. arist. rotundæ, vel longæ, vel clemat. vel pistolochiæ ℔.j. aut qr.j. rad. liliorum, bismal. an. qr. ß seminis lini, fœnug. an. ℥.j. fiat decoctio in aqua & ol. vel brodio pingui, adde vini albi ℔ ß. foueatur pars. Post fotum vngantur partes prædictæ.

℞. ol. amygd. dulc. vel liliorum qr. j. ping. gal. anser. anat. ana ℥.j. styrac aristoloch rad. irid. cinamo. spicæ celticæ an. ʒ.ß. ceræ nouę, citrinæ, & propoleos an. partes æquales, fiat vnguentum. Hic fotus, & hęc vnctio in omnibus causis vtilia sunt. Relaxant enim partes inferiores, & illas magis obsequentes faciunt. Sunt autem inungendæ partes perinei & caudæ. Nam eas dilatari ad meatus amplificationem oportet, non autem os pubis, quod firmiter per cartilaginem ligatum est, & per ligamentum transuersum parte inferiore positum. Sed cauda cum osse sacro articulata est, vt extra moueri posit, ad ani & vteri amplificationem. Quam ob caussam mulieres non debent inniti illa parte, sed lumbis, vel coxis, vel debent sustentari viris fortioribus per brachia. Nam cùm sedent vel decumbunt, illius osis amplificatio impeditur. Vtilissimum est etiam rectum intestinum vacuum esse omnibus recrementis. Quare si mulier non exone-

exonerarit aluum, balanis solicitanda est potiùs, quàm clystere, quia vterũ astringere posset. Sed balani acrimonia facultatem expultricem mouet, & stercus, & fœtum aliquando propellit. Si autem ob reduplicationem, oleo amygd. illita manu molliter infantem in vuluam reducere oportet muliere decumbente in dorsum, & reuoluendus est, vt in caput nascatur. Si altera tibia omissa fuerit, altera manu fœtum intra vterum oportet trudere, altera verò tibiam alteram apprehendere. Possunt etiam in pedes nasci, sine magna difficultate. Dum laborant in partu, caueant ab aëre frigido, neque siccentur nimiùm pannis multùm calidis. Quòd si vterus siccus fuerit, vtilissimum est vel ol. vel mucilag. fœnug. aut lini partem lubricam reddere, quò faciliùs partus descendat. Si ob magnitudinem fœtus difficilè pariat, relaxãdæ sunt partes. Quòd si non sufficiat amplificatio illa, vnguibus aut vno asse scissuram in inferiori parte facere oportet. Sed si fieri potest citra sphincteris lacerationem, satius est. Imperitæ enim mulieres disrumpunt sine necessitate. Sed præstaret tenui victu & missione sanguinis 7. aut 6. mense extenuare fœtum & minuere, potissimùm si mulier sit puellam paritura. Sunt enim semper obesiores fœminæ, cùm nascuntur quàm mares.

De partus difficultate caput alterum.

MVlier ob multas caussas parit difficulter. Caussæ verò referuntur vel ad fœtum, vel ad vterum, vel ad tempus, vel ad situm mulieris, vel aliqua accidentia, vel ad intestinorum & vesicæ plenitudinem, vel ad mulieris imbecillitatem, ac spirandi difficultatem. Rursus fœtus maior crassiórque partus difficultatem facit, & multò magis, si duplicatus egrediatur, si pedem vnum proferat altero replicato, vel si in brachium exeat. Hæc enim difficillimum partum faciũt. Præterea vteri & mulieris cõstitutio, vel aliarum vicinarum partium, vt vteri magna distentio, oris structura, colli vteri longitudo. Hæc enim facit, saltem, vt longiori tempore exeat fœtus. Item nimia omenti & vicinarum partium spissitudo, & obesitas. Nam Hippocr. scripsit omenti magnitudinem impedire conceptum, os vteri comprimendo. Sic & facilè partum molestat. In quibusdam enim omentum de-

ſcendit inter veſicam & vterum,ibiq; ſpiſsior fit. Stercus induratum in inteſtinis retentum, idem facit, tum etiam vrina, ſed minùs. Aëris præſens conſtitutio etiam obeſt,vel conducit parui,ſi quidem aquilonia difficilem facit, auſtrina facilem. Sicca, fœtum & mulieris corpus exiccando, difficilem facit partum. Nimis calida,vires reſoluendo: frigida, partes contrahendo. Humida omnium aptiſsima eſt. Quæ modicè calida eſt, vt Veris (quod cum Autumno faciliores partus concedat)laudatur. Ob id videndum, ne cubiculi aër frigidus aut plus æquo calidus ſit. Multùm autem referre didicimus experientia, quo ſitu donetur paritura. Nam ſi ſedeat, impeditur dilatatio caudæ. Cùm enim mulier parere vult,neceſſe eſt amplietur vuluæ foramẽ non à parte anteriore (vt aliqui falsò exiſtimant, putantes oſſa pubis, quæ cartilagine media iunguntur, & tranſuerſum ligamentum acceperunt,aperire)ſed ad oſsis ſacri cum cauda articulationem. Nam cùm os ſacrum in caudam deſinat, ita cum eo articulantur ſua ipſius oſſa inter ſe, vt reflecti poſsit cauda in partem exteriorem,& foramẽ ſic reddetur latius multò. Facta eſt autem cauda (vt id obiter annotemus) potiſsimùm ad ſuſtentandum rectum inteſtinum, & muſculos ani firmandos, quibus vtimur ad dura alui excrementa vi extrà pellenda. Hæc cauda ita erigitur in exteriora, vt viſu id diſcerni poſsit, ſi quæ parturit mulier, emaciata ſit. Itaque ſi natibus innitantur, cùm non poſsit retrocedere cauda, partus impeditur: ſi ſtent,non ſatis viribus pollent, quanquam is ſitu conuenientior ſit, modò in anteriora ſe flectant. Quare manibus contra lectum,aut mẽſam, aut aliud innitatur, ita vt ſit ſufficiens ſpatiũ pro obſtetrice ſuſceptura puerum, & ſuſtineatur à viris fortibus. Sin minùs, decumbat, ſed dorſo tantùm innitatur. Imbecillitas verò, quæ ab ætate iuuenili, vel ratione morbi eſt, partũ facit difficilem, quia robore opus eſt ad fœtum deiiciendum. Morbus pectoris, aut eius mala conformatio, quæ facit, vt diutius ſpiritum continere non poſsint, hîc maximè nocet: quoniam omnis expulſio fit, retento ſpiritu. At Aſthmatici ex diu retento ſpiritu ſuffocantur. Pectus depreſſum non multũ aëris recipit,qui neceſſarius eſt,vt

tendatur diaphragma. Ipsum enim sua tensione ventriculũ & partes vicinas sibi comprimit, & consequutione quadam inferiores ad expellēda excrementa & fœtum cum musculis ventris. Hæ sunt caussæ, quas in parituris contemplari oportet. In aliis quippe obesitas nocet, in aliis membrorũ durities, siccitásq;, vt in mulieribus, quæ iam senescentes incipiunt parere. Tales enim difficilè pariunt, quia iam obduruit, & quasi in asperam arteriam rugatum est collum vteri. Caussarum aliæ sunt in nostra potestate, aliæ non. In nobis non est, vt quæ parit, Autumno, aut Vere, aut flāte austro, pariat: sed quòd nulla sint excrementa in intestinis aut vesica retenta, quòd corpus sit crassum, infans minus obesus, vterus sit humidus, cùm puer descendit, & cauda libera sine cōpressione aliqua, & alia multa, Medicus prudens, & in rerum cognitione versatus exequi poterit, si mulier sit audiens dicto, qui cum caussis, causas poterit inuenire cōtrarias. Incipiamus itaq; à fœtus magnitudine. Ea à multis caussis prouenit, scilicet, à magnitudine parentũ, vel à copia feminis, & vteri amplitudine. Nam quę mulier parua est vtero, parum seminis accipit, & aliquando non generabit ob paruitatem, & quòd facilè non dilatatur vterus, cũ crescit infans, cogetur abortire. Sed quæ amplo sunt vtero, & facilè dilatabili, magnos infantes procreāt, si sanæ sint. Magnum vterũ habent, vt plurimùm, quæ magnæ sunt & quæ iam frequenter pepererunt, vel quibus à partu venter non fuit cōstrictus fasciis. In talibus impediatur fœtus augmentum tempore imprægnationis, post quartũ mensem. Si plethora adsit, per epicrasim, & ex interuallis mittatur sanguis, parum trahendo, & cibi copiam minuendo, vel dando imbecilliora alimenta, quæ satiant & parum nutriunt, qualia sunt olera, & potissimum spinachia, borrago, lactuca, acetosa, beta. Item poma, pruna cocta, caro salita, aut multum assa. Abstineant à iusculis, si fieri potest: sin minùs, vtātur ex semicoctis carnibus. Abstineant à multùm alentibus, vt dulcibus, carne parum assa, caseo, lacte. Edant pisces, parum dormiant, sed ita, vt seruētur vires. Cùm appetit partus, assumant prima mensa, quæ laxant, fructus & olera, quæ si nō sufficiāt, glans supponatur ex melle aut lardo, aut

Fœtus magnitudinis caussæ.

alia re salita. Regantur hoc modo. Quiescant in lecto, donec certissimum erit infantē in lucem prodire. Duo enim commoda hinc sequuntur. Primò vires conseruantur, pro tempore emissionis: secundò ab aëre vel frigido, vel sicco partes non constringuntur. Interea fiunt fotus super os pubis & partes ani ex oleo amygdalarum dulc. vel liliorum, vel decocto sequenti.

℞. mal. bismal. ana M. j. seminis lini ℥. iij. aristol. ℔. j. fiat decoctio, in aqua & ol. viol. & amygdal. de qua fiat fotus cum filtro. Post fotum vngatur sequenti vnguento.

℞. mucilaginis seminis fœnug. & lini ana ℥. ij. extrahatur cū vino albo dulci, cui adde pistoloch. aristoloc. longæ, rotundæ, & clemat. ana ʒ. j. styrac. rub. myrrhæ, stactæ, id est, styrac. liquidæ ana ℥. ß. propoleos ʒ. ij. ol. amygd. lilio. ana ℥. ij. reducantur ad formam vnguenti. Viribus prospiciatur, vt conseruentur. Si in prandio vel cœna bene comederit, nihil detur, donec concoxerit. Quòd si speretur fœtus emissio illico, abstineat omnino à cibo, assumat tantùm parum vini diluti aqua arthemisiæ, vel parum panis intincti in vino hippocratico. Et sic cōtineatur & non vexetur. Sed cùm puer incipit apparere, tunc retento spiritu conetur expellere, & innitatur capite & manibus, cruribus diductis, & adiuuet pueri motum. Puero emisso, obstetrix ourachum teneat, & si potest, eodem spiritu & conatu secundinam deiiciat. Vel vngatur interea vulua vnguento præscripto, & sinant eam quiescere paululū, si imbecillior sit, & postea conetur eiicere. Quòd si non possit, detur hæc potio.

℞. arist. myrt. piper. ana ʒ. ß. cum vino hippocratico bibat, & citissimè eiiciet. Sed de iis plura sequenti capite, nunc alias caussas perquiramus. In omnibus hæc vtilia sunt scilicet, quod præter naturam est, auferatur. Si ob vires imbecillas futurū partum timeas difficilem, vires non subitò, sed ante tempus oportet reparare remediis suprà dictis, iusculis, vino generoso, vitellis ouorum, succo carnis, ptisana parata cum vino, & aliis multum nutrientibus, & vires reficientibus. Partibus autem topica adhibenda, quæ in omni caussa conueniunt. Relaxandæ siquidem, humectandæ & emolliendæ sunt par-

tes. Si in difficultate anhelitus hoc faciendum sit, scilicet, relaxare partes, & topicis medicamentis facilitare respirationem, curare oportet, ne flatus aut pituita retenta illam molestet, & ne ventriculus multo cibo distendatur, nec adsit cruditas aliqua.

De secundinarum retentione. CAP. LXV.

FOEtus aliquando mortuus, vel secundina post partum retinetur. Si fœtus in vtero mortuus fuerit, extrahendus est, & partes relaxandæ, curandæque sunt, vt prius monstratum est, & comprimendo partes superiores ventris, & deorsum trahẽdo, fœtus reiicitur. Vel instrumentis chirurgicis aliquando necesse est partem illam, quæ fœtum retinet, dissecare, quo facilius emittatur. Danda sunt ea medicamenta, quæ proprietate occulta fœtus deiiciunt, qualia sunt à Diosc. & Gal. & aliis præscripta multa. Eadem fœtus mortuos & secundinas corpore expellunt, vt decoctũ sabinę, cinamomi, boras, tro. de myrrha, & alia multa. Si fœtus suo tempore natus est, vel quinto, vel sexto, vel septimo, vel octauo mense, & secundinæ retinentur, danda sunt ista medicamenta, vt expellantur. Quod si non reiiciatur, verẽdum est ne secundina sit adhuc vtero alligata. Id deprehẽdetur his coniecturis, quod neq; medicamentis, neq; vehementissimis illis conatibus mulieris sit reiecta: & quod ante tempus puer emissus fuerit, idq; sine doloribus magnis præcedentibus. Dolores enim, quæ præcedunt partum, fiunt, dum disrumpuntur venæ & arteriæ cotyledonibus vteri alligatæ. Itaque si dolor non præcesserit, fracta est tantum secundina, & vtero adhæret, ideo manu comprehendenda, aut vinculo, & leuiter trahenda, ne disrumpatur in partes, maximè cum diutius retenta fuerit. Quod si ita adhæreat, vt vnguibus non possit extrahi, immittantur medicamenta suppurantia, vt illam putrefaciant, & sensim expellatur à natura. Fieri enim potest, vt in ea parte putrescat, vt & vidimus puerũ putrefactum, & frustulatim reiectum, relictis magnis ossibus in vtero per lõgum tẽpus, quę post in vtero matris mortuæ reperta sunt. Vxor fuit chirurgi Monspeliensis, vocati (Ausme) qui post mortẽ, vt caussam alicuius affectus interni cognosceret, passus est illam dissecari. Quia ve-

rò odoris grauitate caput replet, stomachum putrefacta euertit, & alia inducit sæpissimè symptomata grauissima, & sæuissima, ob id necesse est per interualla iniicere ea, quæ vim habent detergendi, quod putrefactum est. Ad id valebit vnguentum basilic. in multo oleo lil. vel amygd. dissolutum, vel in decoctione sequenti.

℞. radic. mal. viol. ana ℥. ij. radic. arist. longæ vel rotundæ ℥. j. seminis lini, fœnugr. ana ℥. flor. chamo. & centaurij minoris ana P. j. frum. P. ij. fiat decoct. in aqua & ol. & in eadem dissoluatur vnguentum basilic. vng. ægyptiacum ad detersionem etiam iniici potest. Arrodit enim, & potentissimè abstergit, & sua acrimonia facultatem expultricem mouet. Periclitātur mulieres si adhæreat, & contineatur, & moriuntur, vel ob vsum medicamentorum acrium vlcus in vtero fit. Quamobrem optimum erit, antequam adhibeantur remedia, id prædicere, ad vitandam calumniam. Potio sequens sæpe danda est.

℞. sabinæ, arthemisiæ ana M. j. fiat decoctio in aqua. In ℔. ß. decoctionis adde vini albi, vel clari ℔. j. arom. ℥. j. cinamomi, & detur frequenter, si sine febre est, vel,

℞. boracis ʒ. j. capiat cum ℥. iij. vel iiij. prædictæ decoctionis, aut cum vino albo, aut detur tantundem tro. de myrrha, vel ʒ. j. carabæ, maximè si cum magno fluxu sanguinis sit. Nam vrinas mouet, secundinas deiicit, & sanguinem fluentem retinet. Decoctum vel aqua fabarum distillata, vt & aqua florum croci deterget, secūdinas pellit, & dolores illos sedat. Quare non est omittenda in hoc negotio.

De vteri phymosi. CAP. LXVI.

IN pene phymosis dicitur, quando glans denudari non potest ob structuram præputij, de qua cùm prius à nobis dictū sit, cùm de affectibus penis loqueremur, ex eo loco repetere poteris, cap. 55.

De mola. CAP. LXVII.

MOlam alij aliter definiuerunt. Gal. 14. meth. massam carnis informem, Aetius & Paulus tumorem durū in ostio, aut alia parte vteri natū existimarunt. Ego puto vtcunq; esse, fierique primùm ex semine veluti duram tunicam, & è sanguine crasso spissóque calore concreto,

creto, quæ nullam formam habet, & veluti parenchyma quoddam vtero alligatur, & sic tumor apparet, ob inuolucri duritiem, ideo durum tumorem dixerunt. Informem autem, quia nullius animalis figuram habet. Fit autem à semine & à sanguine multo crasso, spisso & concreto, quem immodicus calor cogit, & in carnis formam transfert. Nam id euenit, quando plus sanguinis menstrui influit, quàm sit necessum pro fœtus formatione. Spiritus autem genitiuus, aut qui opificis vires gerit, vt ait Galenus, non potest tantum materiæ elaborare, & ex ea fœtum formare. Nam ad fœtum vtrumque semen sufficit. Sanguis verò menstruus ad nutrienda illa semina, vel augenda trahitur. Deprehenditur autem grauitate vteri, & tentione maiore, quàm in vera impraegnatione. Sequitur mensium suppressio, decoloratio, appetentiæ deiectio, mammarum inflatio, & vt breuiter dicam, omnia quæ in vera impraegnatione solent accidere, nisi quòd grauitas corporis, decoloratio, & appetitus deiectio diutius durant. Curatio vera est sanguinem mittere, si vires mulieris ferre possint, vt adimatur alimentum. Deinde partes internæ relaxentur, & externæ etiam fotibus & vnguentis descriptis capite de fœtus difficultate: & omnia agant his contraria, quæ scripta sunt de retinendo partu, id est, fortiter corpus moueant, saltando. Vtantur aperientibus, & fœtus mortuos, aut secundinas reiicientibus, de quibus multa propriis capitibus. Fiant pilulę sequentes, de quibus frequenter vtantur manè.

℞. boracis ʒ. j. carabæ, asari, cinamomi, nigellæ rom. & vulgaris, sabinæ ana ʒ. j. galbani, assæ fœtidæ, opop. bdellij ana ℈. ij. cum melle syll. fiant pilulæ, de quibus capiat ʒ. j. duabus primis vicibus, deinde ʒ. ß. Postea bibat parum vini hippocratici, aut syrup. præscripti capitis de suppressis mensibus. Vtatur frequenter in cibis apio, aliisque herbis aperientibus, & incidentibus, vt sanguis concretus dissoluatur, eiiciatúrque. Non esset inutile cutim, si in orificio appareat, nouacula, aut alio instrumento dissecare, deinde ratione curare, qua vsi sumus in secundina adhærente, ex putrefacientibus, vel arrodentibus.

De Vteri inflatione. Cap. LXVIII.

INflatio vteri mulieribus euenit, & post partũ, aut post vsum balnei, aut stuphæ, aut mensium purgationem, aut quia flatus in toto corpore collecti sunt ob calorem imbecillem. Post partum autem, si emisso partu ventrem non comprimant, nec ab aere se tueantur. Ob id mulieres nostræ fasciis se constringunt, vt vterus in sese considat, nec recipiat aerem. Post balneum si sese aeri frigido exponant, aut post stupham, inflatio vteri satis manifesta apparet, & tactu deprehenditur. Aliquando motus est, aliquãdo quies. Et cùm mouetur huc & illuc, potissimùm sursum, suffocationem vteri facit, aliquando dolores. Aliquando si à balneo, vel stupha id accidat, sterilitatem adfert, propterea quòd partes relaxatas & calfactas aer frigidus condensat, & internam vteri regionem, & ora claudit, per quæ semen à testiculis descendit in vterum, per eius cornua. Illi autem flatus, qui ob cruditatem sensim gignuntur in vtero, vel toto corpore, minùs molestare solent. Curatur autem illa species euacuando pituitam, aut succos frigidos, & à quibus eleuantur flatus, & corroborando calorem naturalem ventriculi, & omnium partium naturalium, discutiẽdo deinde flatus genitos & collectos. Purgandæ autem erunt hoc modo.

℞.mel.rosf.col.syr.de stech.an.℥ j.syr.de arthem.ʒ.iij. aquæ absynth.arthem.apij, petro.ana qr.j. fiat syru.cum ℥ j.diagal.Finitis syrupis

℞.pil.agreg.& cochiarum an.℈.j.ag.tro.ʒ.ß.formentur pilu.cum syru.de bizan.capiat post mediam noctem cum custodia. Et quia fieri nõ potest, vt hac euacuatione omnes humiditates euacuentur, illis imperare optimum erit, vt octauo quoque die ʒ.j.pil. sequentium capiant sine custodia.

Alias de benedict. loco de bdellio.

℞.pil.de arom.de bdel.ana ʒ j. ag.trocis.ʒ.ij.castore ℈.ß.misce, fiant pilulæ vj.pro ʒ.capiat ʒ.ß. In temperaturis calidis aut tempore magis calido, oportet auferre castoreum. In crastinum medicamenti capiat ʒ.j.mythridat. antiqui, vel theriacæ antiquæ, vel de opiata sequenti.

℞.cortic.citri conditi, sacch.& conf.rad.ering. an.℥ j. confect.aro.rof.ʒ.j.ß.pul.diagal. ʒ.iij.diacym. ʒ.ß. cum

syr. conf. cort. citri fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum aquæ absynthij, mentæ, hyss. vel beth. Partes gutturis etiam, & tota ventris regio & vteri vngatur vnguento sequenti.

℞. ol. nardi aneth. & rutacei ana ℥. ij. garyoph. macis, galang. pip. spicæ vtriusque, scen. ana ʒ. j. cyper. rof. ana ʒ. ß. ceræ vel terebin. q. s. fiat vnguentum. Possunt etiam inungi cerato stom. Gal. aut apponi emplastrũ de baccis lauri supra vterum & ventrem. Olea sola etiãsi calfaciant, & constringant, minùs conueniunt, quia ventrem laxant ob lentorem. Quare optimum erit vel acetum, vel vinum maluat. illis adiungere, vt magis prosit. Acetum enim penetrare facit vim medicamentorum & partes externas ventris constringendo, flatus propellit, absumitque. Eligenda sunt itaque olea, quæ minùs relaxant, & quæ concoctricem facultatem iuuent, & flatus discutiant, qualia sunt oleum rutaceum, nardinum, de absynthio, & abrotano, vt, *Aceti vis.*

℞. ol. de absynthio & rutæ ana ℥. iij. aceti, vel vini ℥. j. vngatur tota regio ventris. Acetum supra ventrem minùs conuenit, ob id vinum tenue erit ex vsu, veluti clarum, aut album, vel aqua vitæ. Sacculi ex milio & sale torrefacti flatus absumunt, & discutiunt. Sacculi etiam, quibus admiscentur sem. cal. maiora & minora. Si autem à partu id fiat, non opus est purgatione per pilulas, aut alia medicamenta, quia sufficit purgatio illa naturalis, quæ fit per vterum, quæ si non fuerit, est prouocanda, & iuuanda pessariis attrahentibus, & cucurbitulis appositis in coxis, aut aliis remediis, præscriptis cap. de mensibus retentis. Pessaria ex benedicta & aliis flatus discutientibus sunt valde ex vsu, & constrictio ventris per fascias. Cataplasma, emplastra, & inunctiones præscriptæ sunt ex vsu, supra ventrem inferiorem apposita. Fiunt autem cataplasmata efficacissima ex stercore ouis, vel vaccæ, vel capræ, additis quibusdam flatus discutientibus, vt, *Sacculi.*

℞. stercor. vaccæ ℔. j. cymini ℥. ij. seminis apij, petro. an. ʒ. iij. mell. cocti parum, vini mal. q. s. misce, fiat cataplas. applicetur supra partem inferiorẽ ventris. Quod si suffocationem vteri faciat, succurrendum erit remediis

præscriptis cap. sequenti. Absoluta mensium purgatione optimum erit inicere clysteres, qui fiebant ad sedationem doloris colici, ex vino hippocr. vel maluat. & oleis discutientibus flatus, vt ex decocto seminũ cal.ma. Erit etiam vtilissimum dare parum de confectione aro. rof. vel de confect. cinamo. vel tabulam vnam confect. diagal. & decoquere pip. in eius iusculis, & alia, quæ dicta sunt, in colico dolore à flatibus. Si fiat à balneo, eodem modo curare oportet discutiendo flatus topicis remediis præscript. Quod si opus esset aliqua euacuatione ob cacochymiam, vel cruditatem ventriculi, dentur pil. de aro. vel de hiera simpl. In omnibus his caussis maximè conferunt pulueres flatus discutientes, & resiccantes, si post earum assumptionem, parum vini maluatici bibatur. Sumendi autem ante pastum potiùs, quàm post. Idem cucurbitula magna cum multo igne (facta prius euacuatione recrementorum alui per clysterem aut pil. aut aliter) si non adsit suffocatio vteri, supra vmbilicum adhibita plurimùm prodest. Quòd si suffocatio adesset, admoueatur inguinibus cum multo igne, vt & reuocetur, & flatus absumantur.

De Vteri suffocatione. CAP. LXIX.

VTeri suffocatio fit ob eius dilatationẽ, aut inflationem, quæ intestina & ventriculum comprimendo, septum transuersum cõprimit, & sic coarctat, vt dilatari non possit. Est enim præcipuum liberæ respirationis instrumentum. Ob id mulieres, quæ vteri suffocationem patiuntur, quasi semimortuæ, audiunt quidem & vident aliquæ, sed nõ possunt loqui, quia videlicet materia non trahitur, aut extrà mittitur sufficiens, vocem, aer, qui trahitur inspiratione, & reiicitur expiratione ob dilatationem & compressionem thoracis. Hæc affectio magnam affinitatem habet cum syncope, catalepsi, apoplexia, & epilepsia, ita vt quandoq; epilepsiam faciat. Conuenit cum his affectibus, quod repente obtumescant, & cadant, aut non possint consistere. Dissidet à syncope, pulsu. Nam in syncope & animi defectu pulsus cessat: in suffocatione vteri, pulsus remanet, sed exiguus, rarus, & languidus. In syncope sudor apparet frigidus, & color pallidus admodum est similis colori mortui: in suffocatione

tione pallidæ redduntur, sed minus. Differunt etiã propter caussas antegressas, & antecedétes. Solet enim suffocatio vteri prouenire, post largam mensiũ euacuationẽ, quia aere repletur vter⁹, vel ob seminis putrefactionẽ, & retentionem in vtero, quia cum putrescit, eleuantur multi fumi, qui postea distendunt vterum. In vtero dixi semen putrescere. Nam in vasis spermaticis nõ putrescit, sed conseruatur, vel absumitur ad nutritionem vasorum, vel quando est in maiori quantitate, facultas expultrix in vterũ reiicit inter somniãdum. Neque valet eorum ratio, qui dicunt sanguinem putrescere in venis, ergo & semẽ putrescere posse in vasis spermaticis. Non enim similia sunt. Sanguis enim putret, quia minus coctus est, & plus habet humiditatis excrementosæ & recrementorum. Semen autem coctum est perfectè & assimilatum, & ab excrementis repurgatum ac redundans, benignũ dicitur ob quantitatem, non qualitatem. Quòd autem non permisceatur semini virili, & à vulua non alteretur ad conceptum, putrescit, cùm etiam ob alia recrementa in vtero collecta. Ergo quibus semen defluxit in vteri cauitatẽ, & in ea retinetur, vt viduis, quæ defectu coitus os interius vteri clausum habent, frequenter fit suffocatio vteri. Argumento est, quod viduæ difficulter curentur ab accessione, & iis recurrit frequenter, nisi pesso, aut alia ratione, aut medicamento alio, reiiciatur semen putrefactum. Fit etiam suffocatio ob gratos odores naribus attractos, ad quos vterus natura mouetur. Et in hoc differt à syncope, quod odores grati syncopẽ potiùs sedent recreando spiritus. His suffocantur mulieres, nisi parte inferiore adhibeantur. Differt a catalepsi, quòd qui catalepsim siue comprehensionem patiuntur, quasi rigidi & refrigerati remaneant, oculis apertis, non audiunt, neque vident. Differũt ab apoplexia quòd partes resolutas non habeant, neque sensum amiserunt, quamuis obtusum habeant. Nam cùm pili extrahuntur vel punguntur, sentiunt, & manu adhibita circa collum indicãt se suffocari, quod in apoplexia non fit. Cum epilepsia conuenit, sed etiam differt quòd nõ conuellantur partes, nisi quando suffocatio vteri epilepsiã facit. Tunc enim conuelluntur, & quandoque post accessionẽ insa-

Suffoc. à gratis odoribus.

Differẽtia

niunt, & aliena loquũtur, nec ad interrogata respõdent; & tũc videtur potius mania per cõsensum vteri aut melancholia. Nam melancholia fit epilepsia, & contra: & melãcholia fieri potest per cõsensum, vt mesenterij, splenis, & aliarum partium: vnde hypochondriaca est dicta.

Communis ratio curandę suffocationis vteri est, vt ad id quod magis vrget, nempe ad suffocationẽ nos totos conuertamus, neglecta ad tempus caussa. Statim itaq; odores illos ingratos obiiciemus, ne suffocentur nimia illa cõpressione pulmonũ. Deinde pessaria & alia, quę caussam materialem auferunt præscribemus. Omnia fœtida sunt efficacissima, olfacta, aut naribus admota, vt galbanũ, assa fœtida, opoponax, bitumen, petroleum, oleum ex gagate (quod non differt multùm à petroleo. Nam & petroleũ & gagates bitumin. concreti species sunt, quare stultum est emere, quod non magis efficax est viliore) odor lucernarum extinctarum, aut fumus fœtidus, qualis eleuatur ex plumis vstis, aut corio. Item herbæ fœtidæ, odore suo ingrato, vterum deorsum pellunt, vt ruta & similes. Fumus è face, quia multus eleuatur, etiã mulieres suffocatas reuocat. Et quemadmodum fœtida sursum apposita, vterum deorsum propellunt, sic odorata vtero vel coxis alligata, deorsum trahunt. Ligaturæ dolorificæ in inferioribus partibus, cucurbitulæ inguinibus affixæ, vterũ deorsum trahunt ob ligamẽta in illis partibus affixa. Ob id non leuiter errant, qui supra vmbilicũ cucurbitulas affigunt. Nam hoc est vterũ sursum trahere, vel sursum elatũ retinere. Postquam incipiunt loqui, & melius respirare, in vterũ sunt mittenda pessaria trahentia, vt si semen aliquod corruptũ sit, ex ea parte trahatur & euacuetur. Aut si aer vel spiritus quidam sit in ea parte cõceptus, aut conclusus, is absumatur. Potissimũ autẽ ex discutientibus flatus parantur, vt ex benedicta, hiera, cymino, semine rutæ, & similibus. Tunc cucurbitula supra regionẽ vteri id est, inter os pubis & vmbilicum, magna, & cum multo igne est apponenda. Postea emplastrũ ceroneum supra eandem partẽ apponere oportet, non autem illud, quod pro matrice dicitur. Nã illud astringit, & materiã retinet. Ceroneũ verò, quia fit ex lachrymis, digerit, calfacit, & materiam absumit. Conficiendum est

Curatio. *Ab ingratis suffo. leuatur.* *Similitudo.*

est emplastrũ ad formã scuti, & in parte illa acuta apponenda sunt grana aliquot mosci. Nã pars illa acuta dum apponitur parti inferiori gratum odorẽ inspirat intra ipsum vterum,& vterũ retrahit,aut retractũ retinet. Conficiuntur etiam emplastra ex solo galbano & assa fœtida. Si autem ob flatus multos in vtero collectos fiat suffocatio vteri,id apparebit ex inflatione ventris,& curãda erit eadẽ ratione, qua curari diximus inflationẽ vteri capite hoc præcedente,aut eadem methodo, & pharmacia,qua curauimus inflationem ventris,de qua proprio capite

De Vteri procidentia. CAP. LXX.

VTerus ligatur parte inferiore duobus fortissimis ligamentis, quæ illum retinent, ne superiores partes comprimat, & ne in dextram aut sinistram contorqueatur,meatum vel cornu,vel os interius dilatans. Quod si alterum ligamentorũ relaxetur, aut contrahatur,trahitur ad partem dextram aut sinistram. Parte superiore vterus firmatur & ligatur vasis spermaticis, & venis in superiorem vteri partẽ peruenientibus. Et quia venæ & arteriæ facilè rumperentur, nisi firmarentur firmissimo aliquo vinculo, natura peritoneo muniuit, & venas & arterias, & totũ vterum .Si peritoneum relaxetur,deoluitur & decidit in partem inferiorem aliquibus magis, aliis minus.Nam quibusdam extrà apparere, aliis in collo sentitur. Quare quærendæ erunt caussæ.Nam si prociderit ob relaxationem,quę ab humiditate fit,curatur resiccantibus & astringentibus. Quòd si multùm procidit ob difficilem partum,aut propter peritonei rupturã, nõ curatur.Procidit etiã ob relaxationẽ factam ex frequenti & diuturna mora in aquis. Noui pagum in Prouincia, in quo omnes ferè mulieres, vteri procidentia laborant, & tamen concipiunt.Erunt igitur curãdæ eo ferè modo, quo & ani procidentia.Si ob humiditatem nimiam relaxatio fiat, exsiccandus est habitus corporis pil. & medicamentis,quæ facilè aluum deiiciunt & sine conatu.Nã dum magna contentione reddunt alui excrementa,procidit etiam vterus. Quare vomitio frequens multò esset vtilior,quia nõ solùm pituitam euacuaret, sed & vterum sursum attraheret. Nam siccat. Vterus in coitu deorsum mouetur,vt semen tanquam manu recipiat, sic pars ven- *Historia.*

triculi inferior ad superiorem contrahitur, & mouetur, vt id quod in fundo est, expellat. Et dum ventriculus sese contrahit, & peritoneum distenditur, vterus, & quæcunque illi alligata sunt, quadam consecutione retrahuntur, sed antequam retrahatur, oportet intestina vacua esse recrementis, item vesicam partémque extra propendentem fouere decoctione sequenti.

℞. cortic. pini ℥. ij. cortic. thur. ℥ ß. cortic. querc. ℥. iij. beto. hederæ. absyn. an. M. j. rof. rub. balaust. flo. stech. an. p. j. fiat decoctio in aqua ferrata, & vino astringente. Cũ decoctione foueatur pars, si appareat: vel immittatur syringa, vel alio instruméto in partem interiorem vteri. Deinde pessario aut baculo pannis inuoluto, leuiter & suauiter suo loco reponatur. Quòd si odores fœtidos in summitate pessi aut baculi inuoluti posueris, & odorata naribus, mouebitur faciliùs, & retrahetur in partem interiorem. Retractione facta vtẽdum est fumigio, quod partem resiccabit, & ad superiora eleuabit sic.

℞. musci arborum, siue vsneæ in clibano exsiccatæ, & collectæ in quercu, vel ilice M. ij. absynth. ℥. iij. rof. rub. ℥. j. cortic. thur. cortic. pini an. ℥. j. ß. garyoph. ladani puri & hypocist. an. ℥. j. auripig. rub. & galbani, assæ fœtidæ an. ʒ. ij. excipiantur terebinth. & fiant tro. magni, & per embotum magnum fumum recipiat, vel canali in vterum deducatur, ipsa in lectum decumbente. Nam postquam vterus repositus est suo loco, quiescendum est, in dorsúmque recumbendum partibus pudendis altius collocatis. Emplastra, cataplasmata, constringentia & resiccantia multùm supra regionem vteri, & renes ponenda, vt

℞. vsneæ M. ij. foliorum myrth. vel lentisci, vel summitatum rubi, vel quercus, vel pyri agrestis M. j. cortic. quercus mali grana. an. ℥. iiij. gallarum, spongiæ bedegaris, bistortæ & quinque folij an. ℥. ij. centaurij minoris, rof. rub. flor. anth. & stech. saluiæ an. p. j. fiat decoctio in aqua cisternæ, & aceto, qua foueatur pars cum spongiis nouis serò & mané, addendo die quinto vel sexto fomẽtationis, salis aluminis, & vitrioli an. ℥. j. Cùm cessabis à fotu, accipe residentiam decoctionis & pone in sacco, & applica supra renes & ventrem, quibus addere oportet

poli-

poligoni & herniariæ an. M. ij. Hunc fotum continuare oportet ad 40. dies. postea emplastra ex astringentibus continuè gestare. Emplastra erunt hæc pro matrice, de pelle arietina, & de mastice, addendo spongiæ bedegaris, & rad. bistortę, & pulueris herniariæ an. ℥. j. in ℥. iij. emplastri. Et frequenter pars est fouenda vteri interior fotu prædicto. Aliquando pars vna vteri relaxatur, quæ dicitur mitra, vulgò (*la landie*) & extra vterum procidit quod semel vidi, & sic curatum fuit malum.

℞. radic. bistortæ & narcisci an. ℔. j. fol. hederæ M. iiij. summitatum myrthi, consolidi, absynthij, plantag. costi, ladani, poligoni, herniariæ an. M. ij. rosi. siccarum, flor. anth. & stech. an. p. ij. matric. & arthem. an. M. j. fiat decoctio pro balneo. In vltimo adde aluminis ℔. j. salis communis ℔. ß. Radices contundantur, postea ad formā cataplasmatis reducantur & applicentur parti affectæ. Quòd si ob tensionem ligamentorum inferiorum decidat vterus, non erit inutile, inguinibus apponere vnguenta relaxantia, quale est vnguentum de apidibus vel resumpt. vel dialth. dissoluta portiuncula galbani in his, & assæ fœtidæ, vt partes relaxentur, & fœtore vnguenti vterus sursum retineatur. Dum hæc peraguntur, decumbendum est, & sobriè edendum. Abstinendum à iusculis, nisi cùm aluus proritanda erit, quia & propter decubitū, & vsum astringentium constringitur. Quare huic symptomati erit occurrendum cassia vel prunis, vel clystere detergente, & proritante leuiter facultatem. Neque sunt apponendæ maluæ, aut aliæ emollientes herbę, ne pars relaxetur. Sufficit herbam merc. & ciclæ in decoctione ponere betonicam vel arthem. vel absynth. Neq; oleum ponendum est. Nam si astringat, actionem clysteris impediet: si emolliat, partem lędet. Quamobrem satius erit citra oleū parare. Vtatur aqua cisternæ, vel ferrata cum vino. Nos sic imperamus tenuem victum, ne multa recrementa in intestinis colligant. Post curationem, abstineant à nimio coitu, saltatione, clamore. Quòd si his remediis non curabitur, non est curabilis.

De Vteri scissuris & condylomatis. CAP. LXXI.

Fiunt in vtero ragadiæ, & condylomata, & hæc aliquando simul, aliquando seorsim. Ragades propriè

sunt fissuræ quæ fiunt in collo vteri, recto intestino, & labiis. Fiunt autem scissuræ ob ariditatem, vel ob condylomatum inflationem, & inflammationem. Condylomata sunt velut hyposarcoses, quæ in illis partibus fiunt post aliquam exulcerationem, & videntur esse reduplicatæ & complicatę. Curātur verò primùm condylomata, deinde scissuræ, si simul fiant, vt fiunt magna ex parte, & quia condyloma est hyposarcosis, siue carnis additio, ablationem sui indicat, tanquam aliquid redundans à toto genere præter naturam. Sed quia condylomata sunt in vna tantùm parte, veluti verrucæ pendentes, filo ligantur, & sic alimento destitutæ decidunt, vel abscinduntur nouacula. Sanguis sinendus est aliqua ex parte fluere, vt pars leuetur sanguine crasso, attracto, ex quo fiunt cōdylomata. Cùm autem fiunt condylomata in circuitu ani totius, eminentiora & maiora sunt auferenda chirurgia: minora verò, si ferre possunt, medicamentis facilè resiccantibus, cum quadā astrictione. Vel si hæc non proficiant, arrodentibus sunt auferenda. Vnguenta huic rei opportuna erunt, ægyptiacum apostolorúmque, quia arrodunt, detergéntque. Emplastrum etiam diacalcitidos dissolutum in ol. ros. reduplicata quantitate calcitidis. Pulueres autem videntur magis conuenire ad exiccationem, qui parantur ex resiccantibus, arrodentibus & constringentibus: quia hoc caro flaccida exiccanda & constringenda est. Quòd si dura esset, & ad naturam durarum verrucarum accederet, abscisione est potiùs curāda, vel emollientibus & postea detergentibus exiccāda: vt facere solemus in scirrho. Magna ex parte caro illa est fungosa, & vrticis marinis similis hæc affectio. Ob eam caussam pulueres actu sicci, & facultate meliores sunt, vt

℞. sabinæ exiccatæ & tenuissimè pul ℥. j. hermodact. vstorum & myrtil. vstorum an. ʒ. iij. calchit. aluminis ana ij. auripig. rub. ʒ. j. reducantur in tenuissimum puluerē, qui supra partem adhibeantur. His pulueribus nonnunquam vtile est, vt in colyriis admiscere parum rad. mandragoræ, aut opij, ob sensum partis, quæ medicamenta exiccantia cum morsu, aut arrodentia difficilè fert. Pul. mercurij præcipitati idem præstare poterit, vel sublimatum in aqua rosarū, & plantaginis decoctum. Infundendo

do elichnia,& pānum lineum in ea decoctione, & supra partem adhibendo. Non esset inutile (si magna sanguinis copia appareat) prius mittere sanguinem è brachio, deinde è poplite, aut cucurbitulas in coxis, vel in natibus applicare, cum profunda scarificatione in natibus, & leui in coxis ad sanguinis deriuationem, in ea parte redundantis. Vomitus etiam conuenientissimus est, & purgatio leuis, aut lenitio ventris. Si autem rhagadiæ, quæ fiunt ob nimiam vteri siccitatem, aut propter humores acres, curandæ sunt aliis medicamentis opportunis, vt si fiant ab humoribus acribus, purgandæ sunt medicamentis præscriptis cap. de fluore muliebri à bile, & optima victus ratione acrimoniam temperare, & illas humectare cibo & potu, & illos fructus edere, qui acrimoniam humorum frangunt, vt pyra, poma, iuscula cum lactucis & plantagine. Supra partem vnguentum resiccans, vt in vlceribus applicandum, quale hoc.

℞. vnguenti pompholig. ℥. j. aluminis ʒ j. misce, vtatur, vel sic.

℞. ol. myrt. & ros. ana ℥. iij. succi plantag. & consolidæ ana ℥. ij. litharg. ℥. j. ceruss. lotæ ℥. ß. plumbi vsti & antimon. boli armeni ana ʒ. j. triturentur subtilissimè, & reducantur ad formam nutriti. Vel decoquantur succi in oleis ad succorum consumptionem, postea adde ceræ q. s. & pulueres, & fiat vnguentum. Emplastrum diuinum dissolutum in ol. ros. efficacissimum est. Item vnguentum cydonium, addendo aloës, myrrhæ, thur, mastich. ana ʒ ij. balaustiorum ʒ. ß. ol. q. s. ducantur diu in mortario plumbeo, vtantur donec integrè curatæ sint. Rhagadiæ faciliùs curantur, quàm condylomata, si multa fuerint: si pauca, abscissione faciliùs curantur, quàm rhagadiæ. Dum curantur, abstineant à coitu, & pars diligentissimè obtegatur, ne ab aëre frigido lædatur. Eadem ratione curantur, quæ fiunt in ano, nisi quòd abscissio magis est periculosa, ob venas hæmorrhoidas, quæ eo etiam tempore distenduntur, & inflantur, & ferè semper comitantur hæmorrhoidas.

De Vteri inflammatione. CAP. LXXII.

MVltùm inflammationibus obnoxius est vterus. Fit autem, cùm multus sanguis fluit ad mensiū purga-

tiones, vel post partum, retentus parit inflammationem. Retinetur autem propter aëris circunstantis frigus, aut propter frequétem cucurbitularum appositionem supra vterum Hanc inflammationẽ sequitur febris, vt in aliis inflammationibus internis, propter maximum consensum cum corde per arterias. Dolor in inguinibus & coxis sentitur, nonnunquam in lateribus, & costis, quandoque ad claviculã vsq; protenditur. Et quia ob septi transuersi compressionem, si magna est, sequitur vteri suffocatio: si minor, magna difficultas respirandi, minùs exercitati Medici pleuritidem existimãt, ignorãtes consensum vteri cum septo trãsuerso, & cum clauicula. Integitur enim peritoneo, & eo solo firmatur, ac retinetur à parte superiore. Quare si distẽdatur affatim, & in maiorem molem accrescat, distẽditur peritoneum, & hyposicota, ob illam vnionem, quæ fit in septo transuerso ex peritoneo & hyposicota. Capitis dolor potissimùm in parte capitis posteriore cernitur, retinentur excrementa alui, & vesicæ. Curatur autẽ sanguinis missione & topicis remediis Sanguis mittendus è brachio, deinde è vena poplitis, vel cucurbitæ cum scarificatione in coxis adhibendæ. Cataplasmata vel inunctiones in principio repellentes, & iniectiones. Quia iniectiones citiùs parantur, quàm cataplasmata, primùm ex oleo rosarum & myrthi, & pauco aceto parandæ sunt. Quòd si succum aliquem repellentem his addere volueris, erit efficacius medicamentum, vt succum plantaginis, summitatum vitis, semperuiui, aut aliarum herbarum frigidarum & astringentium. Aquæ loco succorum, vel cum succis vsurpantur. Vel fiat cataplasma, quod à Galeno imperatum est libro secundo ad Glauconem ad inflammationem, quod paratur ex succo semperuiui, sappa, vino austero, farina hordei, & balaustiis, vel ex cortice mali granati. Vnguentum post illa repellentia apponẽdum, quia & repellit & digerit: aut fiat tale cataplasma, quod dolorem sedabit & digeret.

℞. radic. alch. mal. violatum ana M j. flor. viol. chamomil. melil. an. p. j. fiat decoctio, contundantur herbæ, & per cribrum transmittãtur, semper aliquid decoctionis addendo his, adde farinæ hordei qr. j. seminis lini qr. ß. ol. ros. qr. j. misce, fiat cataplasma. Fit etiam cataplasma,

ſma, ex mica panis cum lacte cocti,& ol.chamo. In partem internã iniiciuntur primò quædam leuiter repellẽtia, vt aqua plantaginis, ſolatri, deinde quia aliquid reſudat à parte inflammata,his admiſcetur decoctum hordei vel parũ ſacch.roſ. tab.& infundũtur per metéchytam. Sic & ſerum lactis ad deterſionẽ, lac recens mulsũ ad doloris ſedationem. Poſtquam conſtiterit defluxio, & dolor vtcunque remiſſus,quæ potentius digerunt,ſupra partem adhibeantur,vt cataplaſmati præſcripto, addatur farina fabarum,vel fiat ex herbis vtero deſtinatis.

℞.rad.liliorum & biſmal.ana q.j.mal.M.j.arthem.vel matric.M.ß florum cham.melil.anet.ana p.j.fiat decoctio,& vt ſupra dictum eſt,contundantur,quibus poſtea adde farinæ fabarum & hordei ana q. j. pingue.porci ℥.iij. butyr. recentis ℨ.ij. ol.chamo.& liliorum ana ℥.j.ß. miſce, fiat cataplaſma. Tunc magis detergentia admiſceantur,quia id quod reſudat à parte affecta ſi retineatur,maiorem inflammationem excitat.Et quia hæc pars facilè ſcirrhum patitur (quòd caro eius denſa ſit,& defluxiones acceptas pertinaciſſimè ſeruet) diutius non eſt vtendum repellẽtibus, ne ob cõgelationem ſcirrhus fiat:& in declinatione malactica addenda ſunt, vt emolliatur, & craſſum diſcutiatur, & euacuetur. Poſt hæc remedia, emplaſtra digerentia ex lachrymis, multùm laudanda ſunt, vt quicquid eſt in parte, diſcutiant, & euacuent.Si aluus retineatur,erit molliẽda clyſteribus. Medicamenta laxantia,quę attrahuntur,danda nõ ſunt, vt quæ ad partem affectam magis trahant. Sed ſyr, viol. ex multis infuſionibus,caſſ.manna, & alia aluum leniẽtia citra vllam attractionem multùm proſunt.

De vteri ſcirrho. CAP. LXXIII.

SCirrhus inflammationes malè curatas ſequitur, vel intempeſtiuum repellentium vſum,vel conſtringentium in principio,vel in fine fortioribus remediis diſcutiẽdo,quod tenue eſt,& quod craſſum ſiccãdo. Curãdus erit ſcirrhus præſcriptis medicamẽtis pro declinatione inflammationis vteri. Et quia ſcirrhus fit ſine febre, poſſumus vti fortioribus ad partem emolliendam, vt,

℞. rad.liliorum, biſmal. & cucum. agreſtis ana q. j. mal. M.j.arthemi.vel neptæ tertiam partem M.j.fic.pa.

xx.seminis lini fœnug.an.ʒ.ij.flor.chamo. melil. ana p.j. fiat decoctio in aqua & ol.dulci, & decoctione foueatur regio vteri. Ex residentia pista & transmissa fiat catapl. quod applicetur supra partem post fotum, deinde vtatur sequenti vnguento.

℞.butyr.recent.axung.porci an.ʒ.ij.ping.galli.anatis & anseris an.ʒ.j.ß.ol.amyg.dul.& ol.lilior. an.ʒ.iij. mucil.seminis fœnug.extractæ cum vino albo ʒ.j. terebin.& ceræ q.s.fiat linimentum, quo vtatur post vsum fotus. Et post vsum istius vnguenti rursum redeat ad fotum,& iterum ad vnguentum vel fiat sequens.

℞.opop.bdell.ammon.an.ʒ.j. styrac. myrrhæ an.ʒ.ß. propoleos veræ ʒ.j.radi.irid.ʒ.j. croci ʒ.ß.dis.lachrymæ in ol.lilior.& amygd. & vino mal.& depurentur, quibus adde parum terebin.& ceræ, fiat vnguentum. Emplastra diachilon, ex gummi & ireatum partem illam induratam emolliunt. Huius partis emollitionem plurimùm iuuat fotus ex eadem decoctione, vel oleorum de lilio, amyg. de myrrha, de styrace. Hæc enim partem contingunt. Vtilissimum etiam est illis encathismate vti, ex decocto fotus præscripti, & diutius in illo sedere. Iniectio etiam clysterum emollientium & relaxãtium ex ol.plurimùm conferet In declinatione herbę digerentes poni debent in encathismate maiore quantitate, quales sunt nepetę, pulegium vtrumque, arthem.calament.flor.anth.stech. sambuci, quia hæ herbæ decoctæ in multa aqua minus siccant,& digerunt sufficienter. Radices cucum.agrest.& brion.in eodem encathis.addi possunt. Scirrhus enim fit à materia congelata, quam ob caussam medicamenta calida, & dissoluentia sunt ex vsu permixtis quibusdam humidis, & malactis, ne id, quod tenue est, discutiatur, & crassum remaneat. Radix mandrag.in vino & oleo amygdal.& axungia porci decocta & contusa partes induratas emollit, maximè si pauca quantitas opop. cum ea misceatur.

De Vteri cancro. CAP. LXXIIII.

IN partibus, quæ scirrhum patiuntur, si materia vratur, in cancrum vertitur scirrhus ob materiæ similitudinem. Fiunt enim isti duo affectus à materia melancholica, cancer ab adusta, scirrhus à crassa frigida non-

dum

dum adusta, & à pituita crassa. Cognoscimus scirrhum mutatum in cancrum, si cùm priùs esset sine dolore, ob materiæ frigiditatem siccitatémque, dolorem sentiat ob caliditatē, & humoris acrimoniam facientis cācrum. Sentitur durities in vtero, qualis erit in scirrho & citra magnam vteri molem. Cancer autem duplex est, vlceratus & non vlceratus. Non vlceratus magna ex parte fit in corpore vteri: Vlceratus in collo, vel in orificio interiori. Vterque incurabilis est, quia abscindi non potest. Cùm incipit, negligitur, quia magnam molestiam non adfert, quo tempore posset prohiberi incremētum medicamentis & optima victus ratione. Satis à nobis fit, si prohibeamus non vlcerati exulcerationem, & vlcerati incrementum. Prohibemus cancri generationem sanguinis missione è brachio, vel ex poplite, apertione hæmorrhoidarum, vt auertamus in partē proximiorem melancholicum sanguinem: frequenti purgatione, quæ non multùm calfaciat, & euacuet atram bilem, aut crassam pituitam, medicamenta, quæ capite de fluore muliebri à melancholia dicta sunt, erunt valde opportuna. Extrinsecus & intrinsecus frigidis medicamentis & astringentibus eius incrementum prohiberi potest, vt ol. ros. omph. myrrh. vel succis solatri, & plantag. cum pauco aceto. Permiscentur succi cum oleis, & fiunt embrocationes, vel vnguenta, vel excipiuntur farina, & applicantur supra partem vnguenti modo. Aquæ vel succi herbarum prædictarum iniiciuntur. Si autē exulceratio fuerit, metallicis est vtendum, & vnguento diapompholigos, emplastro de cerusa, emplastro nigro, & quæcunq; parata sunt ex antimonio, plumbo, cerusa, tuthia vel pompholige: & vt breuiter dicam, quæcūque citra morsum refrigerant, & exsiccant. Quare neque lachrymæ, neque alia medicamenta aut attrahētia, aut digerentia, admiscēda sunt, vt thus, myrrha, galbanum, assa fœtida, cinamomum, spica & huiusmodi. Sunt diligenter leuiganda, vt collyria, deinde abluenda diligentissimè, & ex illis vnguenta paranda cum succis, ol. & cera alba, vel seuo hirci. Nam aliæ axungiæ putrefaciunt. Oleum ouorum frequenter ductum & agitatum in mortario plumbeo, donec spissius reddatur, & plumbi colorem contra-

xerit, efficacissimum est medicamentum. Cinis cancrorum fluuiatilium lotus in aqua solani permixta pul. ex plumbo, vel antimonio, vlceratum cancrum curare dicitur, & creditur. Quòd si non curat, saltem mitigat, exsiccat, & depascẽtem cohibet. Nam difficillimum est partem iam induratam emollire, & pristinæ sanitati restituere. Sed metallica omnia partim repellẽdo, partim digerendo citra morsum morbum leniunt. Hæc est cura, quam vocant palliatiuam.

De Vteri Vlceribus. CAP. LXXV.

VLcera in vtero fiunt post alios morbos, vt post inflammationem, vel abscessum, vel post fluxus muliebres acres, vt post medicamenta apposita acria, vt sabinam, semen nigellæ, & alia fortiora. Fiunt & vlcera ob contagionem morbi Italici, aut propter recrementa retenta, & putrefacta circa pterygia vteri. Deprehẽduntur facilè à dolore, recrementis, & pure reiecto. Curantur ægrè, quia pars illa multa recrementa colligit, quæ vlceris consolidationem retardant. Priùs distinguere oportet vlceris naturam, quàm deprehendere poterimus ex caussis, quæ præcesserunt: ex victus ratione, & totius corporis natura, num etiam à morbo Italico factum fuerit. Quæ post abscessus frigidos fiunt, solida esse solent: quæ post inflãmationem à sanguine, & quæ post erysipelas, virulenta & depascentia fiunt, si post scirrhũ, gangrenosa: quę post morbum Italicum, disepulotica, & chyronia. Curantur autem hæc vlcera corpus euacuando, detergendo, iniectionibus, exsiccando vnguentis, vel fumigiis. Multùm autem resiccare oportet, tã ob partis naturam siccam, quàm ob recrementa, quibus pars illa abundat. Medicamenta detergentia vlcera, in quibus acrimonia, puncturæque sentiuntur, sine morsu esse debent. Optimum est in illis serũ lactis iniicere cũ pauco sacch. vel melle ros. vel decocto hordei & ros. cũ melle ros. vel cum syr. de ros. siccis, vel decoctum lentium, vel plãtag. foliorum myrrh. oleæ vel oleastri, ceterach, agrimoniæ, aut aliarum herbarum amararũ, sine magna calfactione. Quare absynth. & similes herbæ calfacientes, hac in causa conuenire non possunt. In vlceribus autem sordidis & pituitosis, iniectiones fieri possunt ex decoctione

ctione apij, absynthij, centaurij minoris, fabarum, lupinorum, orobi, quæ magis detergent. In his parum ægyptiaci dissoluimus, vel vnguenti apost. in principio, cùm vlcus obductum est multo pure & carne putrida. Sed posteaquam illa castigata, vel ablata sunt, mitioribus medicamentis agendum est ob sensum partis. Vlcere sufficienter dererso prædictis iniectionibus dissoluimus myrrham, aloem, iridem, & alia sarcotica, tro. albos Rasis, demum ad vnguenta partem siccantia est veniendum, vt ad vnguentum pompholig. de cerusa, de plumbo, & aliis metallicis insigniter resiccantibus. Si medicamentis non possunt euinci, tentandum erit fumigio partem resiccare. Faciendum autem, id est, ex sarcoticis, & fuliginem generantibus, vt lachrymis, resinísque, aliis quibusdam permistis, vt sandaraca, auripig. cortice thuris, ladano, hypocistide, vt

℞. thur. mastic. ladani puri, myrrhæ styrac. rub. ana ʒ. iij. marchas. & lapidis piritis, auripig. rub. ana ʒ. ij. excipiantur terebint. & fiat fumigium. Si vlcus post morbum Italicum fuerit factum, vel à morbo Italico dependeat, addenda erit ℥. j. cinabrij, & per embotũ fumus recipiendus. Quòd si mulier fœtorem ferre non possit, optimum erit parare aliud magis odoratum hoc modo.

℞. aliptæ mos. & gallæ mosca. ana ʒ. j. beniouin, styrac. ladani puri ana ℥. iij. mastic. thur. & cort. eiusdem, an. ℥. ß. cum musc. gum. trag. fiant troc. quibus vtatur, vt dictum est. Si autem à morbo Italico facta fuerint vlcera, vtile erit malam illam morbi qualitatẽ, in toto corpore euincere & auferre prouocando sudorem, vel stuphis, vel iniectionibus, vel vsu gaiaci, vel similibus, & vnguentis prædictis argentum viuum addere, & fumigio parato ex cinabari vti. In omnibus his vlceribus vsus stupharum est vtilissimus, quia corpus vniuersum exiccat.

De contusione testium. Cap. LXXVI.

Ex contusione sæpè testes intumescunt. Hi autem contusi subinde exsiccantur, oxycrato, vel oxyrrhodino profundantur. Si verò adsit tumor cum dolore, & sine inflammatione, sufficiet cataplasma ex farina fab. & lacte confect. ad doloris sedationem & discussionem. Si autem dolore sedato, tumor remanserit, parandum est

cataplasma ex farina fabarum & fœnug. decoctis in oxymel. Si verò ex contusione inflammatio oboriatur, curetur, vt suprà monstratum est.

De inflammatione testium & scroti. CAP. LXXVII.

INflammatio testium subitò fit ob frequẽtes venas ibidem existentes, & ob situm in parte inferiore. Fit autẽ ab ictu vel vlcere, vel ob medicamenta acria ad curationem frigidi affectus adhibita, vel ob immissam fistulam, vel ob aliud quoduis instrumentum. Itaque huic inflammationi confert missio sanguinis. Quare sanguis detrahendus est è brachio maiori copia, si vires ferant. Sequẽti die affigendæ sunt cucurbitulæ coxis cum scarificatione ad deriuationem. Si verò defluxio non constiterit, repellentibus est vtendum, vt quæ ex succis herbarum frigidarum, & astringentibus, vel earundem aquis parantur, addito aceti modico, vicinis partibus admouenda sunt. Iis autem addere possumus repellentia crassa, vt bolum arm. cortic. mali gran. & similia, vt meliùs fluxio inhibeatur, postea cataplasmatis ex repellentibus & discutientibus confectis vti, quæ parantur ex succis semperuiui, vel plantaginis, vel solani, & farina hordei, cortice mali gran. rosis, & huiusmodi. Fiat igitur cataplasma in sequenti modo.

℞. suc. plant. vel solani ℔. j. farin. hord. ℔. ß. ros. rub. cort. mali gra. an. ℥. j. ol. ros. ℥. iiij. fiat catapl. Solanum & plantago, quia ob frigiditatem repellunt, & quodammodo siccant, magis conueniunt. Lithargyrum nutritum in ol. ros. & aceto vel suc. plãtag. digerit, & refrigerat. Si dolor oboriatur, mitigandus est iis quæ maiorem vim relaxandi non habent. Pars enim ob copiam humoris, vel recrementorum facilè putrescit. Fiat igitur sic.

℞. mal. viol. solani ana M. j. furf. p. ij. decoq. in sapa, & parti applicentur. Si verò mitigandus est dolor inflammationis vergentis ad suppurationem, humidioribus vtendum.

℞. mal. rad. bismal. ana M. j. farin. frum. qr. j. farinæ fœnug. & semi. lini an. ℥. ij. olei viol. ping. porci an. qr. j decoq. & contusa per cribrum transmittantur, & fiat cataplas. Si hisce remediis parùm profeceris, cataplas. ex foliis hiosquiami vtendum erit. Decoquantur ergo folia hios-

hiosquiami sub cinerib. & contusa excipiantur axungia porci reducantúrque ad formam cataplas. Dolorem sedat, & inflammationem maturat. Fit autem cataplasma sedans dolorem ex farina hord. & lacte. Si tumor resoluatur, quod cognoscitur cum minuitur, fiat cataplas. ex farina orizæ, vel cinerum, vel orobi cũ oxymel. vel sapa vel vino, & applicetur, vel emplastrum ex chalcit. reductum in formam cerati cum ol. antiquo vel aneth. vel rutac. vel irino. Si vero discuti non possit, sed suppuretur, vbi suppuratus fuerit, tunc cuti ferro discissa, pus excernatur, vlceríque, vt in omnibus aliis sordidis moris est, medeatur. Quod si durities adsit, ea quoque est emollienda sensim malacticis. Difficile emolliuntur scirrhi testium, & carnosa hernia. Pars enim interna laxa est, ob id facile recipit excrementa & recepta retinet inuolucris illis, quibus testes integuntur. Ea autem materia congelatione indurata maximo cum negotio emolliri potest, & euacuari. Emolliunt fotus ex oleis amygd. dul. lil. olei dulci decoctis, vel in sapa, butyro recenti, vel axung. porci non antiqua exceptis. Post emollientium vsum digerentibus vti conuenit. Digerunt ol. amygd. amar. irin. antiq. dulce, rutac. aneth. Possumus admouere in eundem vsum emplastrum ceroneum, emplastrum filij Zachariæ Vnguenta dialtheæ, & martiatum, si cum oleo amygdal. & viol. applicentur, conuenire poterunt. Quod si horum omnium vsu longo tumor induratus emolliri nõ possit, tentandũ est sequens cataplasma mirabile.

℞. rad. mandrag. recentis ℔. ß. hiosquiami & alchec. ana M. j. decoq. in sapa, & per cribrum simul contusa mittantur, quibus adde rad. panac. ℥. ij. Opoponacis loco rad. panac. quem in decoctione macerare, liquare, deinde miscere oportet, & fiat ad formam emplastri, addendo ceræ parum, vel ad formam cataplas. addẽdo styrac. ℥. ß. Si post huius cataplas. vsum durus tumor permanserit, de eius cura desperandum, nisi per abscissionem, vel castrationem testis auferatur.

De herniis. CAP. LXXVIII.

HErnia seu ramex Latinis, *cele* Grecis, ruptura & crepatura à Barbaris dicitur; *cele* nomen est commune

inflammationibus arteriæ, vmbilici, scroti, & inguinis, sed varias propter affectiones materiæ, siue partis accipit appellationes. Si enim in aspera arteria fiat tumor, vt plerisque accidit ex potu aquæ ex liquefactis niuibus, quæ Alpinis & aliis montanis in vsu est, *bruncocele* Græcis, gutturis hernia Gallis dicitur. Quando verò vmbilici ligatura laxatur, *homphacocele* Græcis dicitur. Quòd si intestinum supra inguina exeat, Bubonocelem Græci, Ramicem inguinis Latini appellant. Mulieribus sæpè accidit cùm laxatur foramen illud, per quod ligamentũ vteri ad internam inguinis partẽ descendit, aut disrumpitur peritoneum, propter fœtus magnitudinẽ, aut multitudinem, vt in his, quæ duos aut tres pariunt, accidit aliquando. Cùm verò intestinum in scrotum infrà delapsum est, intestini ramex, Grȩcè, *entorocele*, dicitur. Proinde si rupto peritoneo, omentum duntaxat in scrotũ descẽderit, *epiplocele* Græcis, omẽti ramex Latinis dicitur. Si verò flatus, vel aqua huius affectus sunt caussæ, ab his nomen accipit hernia, vt si aquosus humor in parte aliqua corporis implicatus in scrotum colligitur, *hydrocele*, hernia aquosa dicitur. Talis hydropicis circa hydrocelim apparet. Quòd si flatus hunc affectum gignit, *pneumatocele*, id est, hernia venti, vel flatulenta vocatur. Sunt & aliæ duæ species, quarum vna *sarcocele* Græcis, carnosa hernia dicitur: Altera k*ersocele*, id est, varicosa dicitur. Aliquando etiam complicantur hi affectus, vt aqua cum spiritu descendit, aut simul cum omento intestinum delabitur, & Græcis nomine composito dicitur *epiplocele*. Idẽ de aliis est iudicium, vtriusque appellationis nomina coniungentes. Distinguuntur à ruptionibus relaxationes. Rupturæ enim in lateribus ilij fiunt post ictum, aut saltum vehementem corpus contorquendo, nec in his apparet magnus tumor in principio, sed progressu temporis. Magis enim ac magis peritoneum disrumpitur, & tumor immensæ magnitudinis, & in summa cute eminet, quòd, scilicet, intestina extra peritoneum dilabantur, & à sola cute sustineantur. Has consequitur dolor pungens, & quasi lacerans. Relaxationes autem tantùm eueniunt circa foramen, per quod vasa, & musculi cremasteres ad testes descendunt. Præterea distinguntur

tur ab inuicem relaxationes. In aliquibus magnus & inæqualis tumor:in aliquibus crescens & decrescens citra dolorem apparet. *Epiplocele* dignoscitur à tumore paruo, qui magis in osse pubis fit, quàm in scroto. Tumor autem permanens est, nec minuitur, sed semper perseuerat, siue ieiunet, siue huc & illuc corpus moueatur, aut quouis modo collocetur. Si verò retineatur spiritus non adeo increscit, tactu inæqualis, mollis & lubricus sentitur, *enterocele* augetur vel minuitur ratione materiæ collectæ. Intestinum, ægro quiescente, aut resupinato, rursum retrahitur & in loco permanet, aliquando pars altera in scroto residet. Tumore, vel cibi satietate crescit, frigore contrahitur. Intestinum clamore relaxatur, scrotum relucet, & multùm distentum apparet, & magis in vna, quàm in altera parte. Aliquando tactu discernuntur excrementa indurata. Cùm autem remouetur intestinum, & ad inguen retruditur, sentitur flatulentum murmur. Species hæc est omnium periculosissima, potissimùm si reduci non possit intestinum, & excrementa adeo sint indurata, vt excerni nequeant. Tunc enim per os redduntur, vt in iliaca passione. Ad horum autem euacuationem clysteres iniiciendi non sunt. Nam distendunt, & grauant scrotum, & sæpissimè reddi non possunt. *Sarcocele* deprehéditur à tumore rotundo, oblongo, duro, formam testiculi referente, & qui lōgo tempore pedetentim increuit. Inter autem hanc speciem, & herniam, *entrocele* dictam, hoc discrimen intercedit, quòd in *entrocele* tumor mollior & repētè oboritur. *hydrocele* autem distinguitur, si vitium est, inter membranam erythroidem, & dactroidem, vel extrà. Quibus erythroides tunica humore distenta est testiculus rotundus apparet, & tensus ob aquosum humorem ibi collectum. Aut si humor in scroto sit coaceruatus, intumescit scrotum, nec vllæ rugæ apparēt, & splendet, vesicæ inflatæ quodammodo similis. Est enim tumor cum grauitate & cachexia, & iis notis à *pneumatocele* distinguitur. In vtroque enim scrotum distenditur, & leuis est, in aquosa autem contrà.

Cæterùm herniæ aliæ curantur, aliæ autem difficulter, aliæ verò nullam admittunt curationem, vt carnosa,

quæ si sit insignis, nullomodo potest curari, sed castratione testis auferẽdus est. *Kersocele* curationem item non admittit, verùm non est molesta, vt *epiplocele*. Omẽti ramex difficilè curari potest. Vix enim reperiri potest ob tenuitatem, & mollitiem omentum, & cedit impellenti, si reducatur. Constringenda erit pars laxa frigidis & cõstringentibus, quibus etiam vtimur in intestinorum ramice. In vtraque specie imperanda est inedia, si multitudo recrementorum impediat, quò minùs reponi possit aut omentum, aut intestinum. Quòd si vacuanda sint recrementa in ramice omenti, iniiciatur clyster. In intestinorũ verò ramice aluus blandè sollicitetur. Si verò flatus, & tormina adsint, inunctiones ex ol. rutaceo circa vmbilicum factæ erunt ex vsu, & harum loco apponendus erit sacculus ex millio, cumino, & sale confectus. Quòd si ob flatus reductioni minimè obtemperet intestinum, fotu magis relaxante vtendum erit. Cruribus itaque elatis & diductis intestinum sensim reducatur, atque reductum statim idoneis ligamentis, vel subligaculo retineatur, & super subligaculum detersa prius parte à fomentatione relaxante foueatur pars decocto sequẽte cum spongia noua calidissimè & frequenter, potissimùm post intestini reductionem, donec pars quodammodo contrahi videatur. Huic autem decoctioni, si flatus ventrem, & alias partes distendant, addantur flatus discutientia sine relaxatione. Paretur decoctio sic.

℞. rad bistort. & rad. pentaph. rubiæ ma. & chelidon. ma. an. qr. ß rad narcis. qr. j. herniar. polig. & hippur an. M j. cumini, nasturt. torrefacti ana ℥. j. flor. stech. & anthos ana p. j. flor. roris cẽtaurij min. an. p. ij. fiat decoctio in aqua & vino astringente, vel lixiuio, qua foueatur pars, & in principio calidissimè.

Post eius autem vsum admouenda sunt contra rupturam emplastra, siue de pelle arietina, vel fiat tale.

℞. mass. emplastra diacal. vel pro matric. vel comitissæ ℥. ij. radic. bistor. & narcissi ana ℥. ß blattæ bizant. sang. drac. sarcocol. alumi. ana ʒ. iij. malaxentur omnia simul oleo cydo. & fiat emplastrum, quod in pelle arietis impositum admoueatur. Vel sic.

℞. mastich. sarcoco. sang drac. blattæ bizant. cortic. thur.

thur aloes, boli arm. gypsi, galla. psid. an. ʒ. ij. Ictiocol. & taurocollæ, diss. in aceto an. ℥. ij. malaxentur & fiat emplastrum. Vel addendo picis derasæ à nauibus ℥. ij. colophoniæ ℥. j. malaxentur cum ol. cydon. & reducantur ad formam cerati. Vel excipiantur decocto pellis arietinæ, vel bullitæ. Vel fiat decoctio ex fragmentis pellium prædictarum vel pergameni. Colæ enim satis reddunt, & eorum decoctũ prædicto magis siccat. Sunt qui magnetem his vnguentis admiscent, & limaturam calybis deuoranda dant, vt sic à magnete calybis trahatur, & per consequens iotestina. Verùm illa mihi parùm prodesse videntur, nec iuuare possunt, nisi siccando, si assumatur, vel premendo partem ob pondus, si admoueantur Sic enim parte depressa intestinum descendens, nec in altum nec foras erumpere potest. Lithargyrum, scoria ferri, corallum, & alia grauia eadem ratione prodesse possunt. Quare his etiam vti poterimus. Dantur & potiones resiccantes & constringentes ad eundem affectum. Sed hæ parum meo iudicio prosunt, nisi quia vniuersum corporis habitum siccant. In relaxatione autem constringentia: in fractura verò, desiccantia, constringentia & neruos consolidantia vsurpanda. Verùm quia peritoneum est in perpetuo motu, ob epigastrij & musculorum motionem, & adeo tenue est, vt ruptum adduci non posit. Vulneris autem labra nisi adducantur, nunquam coalescere potest vulnus. Quare hæc curatio videtur difficilis. Si quis tamen hanc tentare velit, vtatur sequentibus.

℞. radic. bistort. narcissi an. ℥. j. radic. consol. ma. & mino. quinque folij, & rub. ma ana ℥. ß. hippuri. polyg. an M j ß sebesten N. x. dacty. pa iiij. myrob. cheb. indor. citrinorum an. ʒ. j. seminis anisi & nasturt. ana ʒ. ij. flor. ros. anth. & cyper. an. p. j. fiat decoctio in vino & aqua, & in ℔. ij. dissol. mell. ros. & sacch. an. partes æquales, fiat syrup. aromati. cùm ʒ. ij. diagal. capiat manè reiectis recrementis quinque horis ante pastum, ℥. iiij. Ad idem pilulæ illæ de bdellio valẽt, & ex conchiliis veneris, vel fiat opiata sequens.

℞. cons. ros. antiquæ, & symphiti ana ℥. j. conseruæ flor. saluię & acori vulgaris colatæ an. ℥. ß. tro. de carabe vel de spodio, vel de bolo ʒ. iij. blattæ bizantiæ vstæ &

lotæ in aqua caudæ equinæ ʒ.ij. cum syr. cydon. fiat opiata, capiat ad quantitatem nucis, superbibendo parum vini rubri. Pulueres resiccantes ex corall. rub. vsto priapo tauri vel cerui præscripti cap. de paralysi sunt efficacissimi. Interea æger vtatur alimentis crassis viscosis, vel constringentibus.

Ad Aquosum ramicem, qui hydrocele dicitur.

CAP. LXXIX.

HYdrocele vel est aquæ intercutis symptoma, vel est affectus scroti. Si sit cum ventris tumore, danda est opera, vt aqua, quæ in peritoneo continetur, frequentibus euacuationibus absumi possit. Frustra enim aquam in scroto contentam topicis remediis absumere tentamus, non euacuato priùs peritoneo. Quòd si aqua in scroto collecta sit, facilè ex totius scroti tumore & magnitudine dignosci poterit. Si in altero testiũ, vel vtroque tumor appareat, ab humore inter daratõ & erytroidem collecto alter testium aut ambo tumeant. Ad eius autem humoris euacuationem fiat fotus sequens.

℞. lixiuij barbitonsoris ℔. iiij in quibus decoque cumini ℥.ij. ceterach, vel petroselini, apij an. ℥. ß. salis ℔. j. foueatur pars. Si imbecilliora videantur, adde sulphuris ℥.ß foueatur manè & sero, postea admoueatur sequens cataplasma.

℞. sterco. capræ ℥. iij. cochlearum contusarum cum testis ℥.ij. sulphuris ℥.j. misce, fiat cataplasma, applicetur, & sæpe remoueatur. Cæterùm vti poteris remediis præscriptis cap. de ascite ad hepatis corroborationem, & aquarum consumptionem. Proderit etiam vsus pul. confecti cineribus, quem cap. de paralysi, & multis aliis locis præscripsimus. Portò si hæc parùm prodesse videãtur, pungatur tumor.

De Ventoso ramice. CAP. LXXX.

VEntosus ramex cum hydrope & citra hydropem accidit. Si cum hydrope fiat, curetur hydrops, & ventosus ramex curabitur. Si sine hydrope eueniat, vtatur topicis remediis, & euacuato corpore à pituitosis humoribus, & corroborantibus facultatem ventriculi concoctricem, quod fiet remediis scriptis ad ventriculi & vteri inflationem, & ad ascitem. Poterit etiam vti fotu

præ-

præſcripto in aquoſo ramice. Aquam enim abſumit, & flatus diſcutit. Fit autem accommodatior, ſi paratur ex lixiuio, vel vino, & aceto, vel vino aſtringente, adiectis ſeminibus flatus diſcutientibus, vt

℞. cumini, baccarum lauri, ſeſeli, rutæ an. ℥. j. fiat decoctio in vino leuiter aſtringente, & lixiuio, foueatur pars, vel fiat ſequens cataplaſma.

℞. ſtercor. vaccæ ℔. ij. ſulphur. & cumini an. ℥. ij. miſce, & addito pauco melle fiat cataplaſma, applicetur ſcroto, vel fiat ex farinis ſic.

℞. farinæ fabarum ℔. j. decoquito in vino, addendo cumini, apij, petro. an. ʒ. iii. fiat cataplaſma, applicetur parti affectæ. Emplaſtrum de baccis lauri, vel de meliloto idem præſtare poterit.

De articulorum affectibus, & primùm de arthritide.

CAP. LXXXI.

ARthritis, articularis morbus ab articulis dicitur, à Barbaris gutta, quòd exiſtiment eſſe defluxionem guttatim factam. Sed cùm dicimus articularem morbum, intelligimus articulorũ dolorem, vt differat ab eluxatione, quæ eſt etiam articulorum morbus, in quo quanquam grauis ſit dolor, non propriè articulorum dolor, ſed arthritis dicitur. Quòd ſi ab ictu, vel eluxatione fiat defluxio, tunc articulorũ dolores huic morbo ſuperueniſſe dicemus, eritque hic priùs tollendus, poſtea ad eluxationem veniendum. Eſt enim eluxatio morbus articulorum, ſed in ſitu. Et quia proprium nomen non habet, vtemur hîc nomine generis, niſi in articulorum doloribus. Sed cùm articulus ſit oſsium connexio per ligamenta, non in omni coniunctione articulorum eſt dolor, vt in ea, quæ per ſymphiſim fit, ſed tantùm in ea quæ per diarthroſim, aut ſynarthroſim. Verùm in hac rarò fit: fit tamen in pedio, in illa carpi aut metacarpij de articulatione, quæ eſt per ſynarthroſim. Cùm enim in iſtis fit, magis fit per decubitũ, quàm defluxum & cum tumore, vt etiam chiragram vocauerunt œdematoſum illum tumorem metacarpij, per abuſum etiam tumores & dolores, qui per defluxum fiunt. Dolores articulorũ fiunt à recrementis partium ſenſim defluxis. Qui à recrementis ſenſim collectis fit, magis per morbum Italicum quàm

Eluxatio quid.

Articulus quid.

alio modo fieri experti sumus. Altera per defluxionem excremẽtorum fit,& illam naturalem vocãt, quasi quòd naturalis sit, vel ob victus rationem prauam contractam à parentibus,vel quòd non sit contracta,neque à morbo Italico relicta. Articulorum dolor, qui per defluxionem fit,cum maiore tumore fit. Altera & maximè si à morbo Italico sit,fit sine tumore, sed cũ dolore totius periostij. Dolor capitis vel pręsens est,vel omoplatarum,vel sterni, etiamsi nulla exulceratio intra vel extra cutim excitata fuerit, quod nonnullos decipit. Fiunt tales in pituitosis incipiẽdo,vel in aliis post bubones venereos repercussos,vel intra versos,vel post intempestiuum remediorum vsum,& vini, statim post sudationẽ. Leuantur multùm exiccantibus. Excitatur noctu & mutatione temporum,& maximè in austrina constitutione, & modico lecti calore. Quæ fit per defluxionem, vel à parentibus, vel à victus ratione inordinata, & ferè semper ob crapulam. A parentibus enim tantùm accipitur dispositio, cui si non accedat mala victus ratio ad materiam multam producendam, non fit. At frequens crapula cruditates multas & excrementorum redundantiam facit. Et per motus inordinatos statim à cibo in articulos decũbunt, vel attrahuntur. Demittuntur autẽ,cùm facultas expultrix grauata vel qualitate,vel quantitate irritatur. Tunc enim à partibus internis ad membra ignobiliora demittit per defluxionem. Est autem veluti fluuiorum inundatio extra alueum,cùm ob frequentes pluuias non potest excipere copiam aquæ quæ inundat & partes vicinas occupat, sic defluxiones fiunt. Sed illæ defluxiones aliquando per hyposcymata fiunt in morbis, & natura per illos abscessus morbos facit, & in coxendice, vel aliis articulis imbecillioribus firmatur morbus. Defluit aliquando materia ab vna parte, aliquando ab alia, vt in alia recipiatur, & postea in aliam defluit per venas. Sed aliquando intra tunicas tendonũ à capite per foramen nucæ effluit pituita, quæ per coanam, vel nares, vel per palatũ expurgari debuerat. Defluxionem talem præcedit capitis grauitas & ceruicis, aliquando frigus, vel horrorem paruũ facit. Cùm incipit fluere illa pituitosa materia: etiãsi pituitosa appareat, leuis tamen rubor in superficie

ficie apparet, & huiusmodi materia in membris laxis recipitur, & distendens dolores internos, sed non multùm vehementes facit. Pars œdemate laborare videtur, post doloris mitigationem, ante verò, œdemate erysipelatoso. Fit à venis magnis & ab hepate, quādo copia grauātur magnæ venæ, quæque continere non possunt, neque capere, ad partes externas mittunt, & per emunctoria ad partes perueniūt, neque dolorē faciunt, neq; in musculis ob eorum laxitatem, sed in articulis ob partis astrictionem, & constrictionem retinētur, partes sensiles distendunt, & ligamenta, vnde dolor excitatur.

Ligamentorum duo genera.

Ligamenta duplicia sunt. Alia enim sensu prædita sunt manifesto: alià verò nullum omnino sensum habere deprehenduntur. Quæ à media ossis parte oriuntur, insensibilia sunt, vt quæ tibiam cum coxa coniungunt, & femur cum coxendice. Talia cùm ossis cartilagine nascantur, & à cartilagine, chondrosyndesmi appellantur, insēsibilia esse oportet, de quibus nolo intelligere. Alia sunt, quæ à periostio membrana fiunt, & membranosa sunt, talia sentiunt. Nam si periostium sensibile sit, cur insensibilis erit illa membrana, quæ duo ossium extrema retinet? In illis grauis est dolor. Tendones etiam dolent, vt per anatomen cognouimus eorum, qui hoc morbo sunt conflictati. Inter tendonem & ligamētum, quod tendonem integit, colligitur materia, quæ sic indurata est, vt planè appareat crustracea illa, quæ à parietibus vel pellib. abraditur. Talis materia ob asperitatem non nisi cū maiorem dolorem excitat, & illa ligamenta sentiūt, quæ à periostio nascuntur, resolui à parte tenui exiccatur, & in gypseam materiam vertitur. Nō sunt audiendi, qui putant omnem articularem morbū fieri per defluxionem à capite, vel per spinalem medullam. Nam illa, quæ est in capite collecta videtur esse illa, quæ in cerebri ventriculis colligitur, & per infundibulum expurgatur, vel per os vertebrarum, vel per mediam substantiam spinalis medullæ. Talis defluxio intra venas non fit. Non potest enim illa materia, quæ à venis in partes externas descendit, rursum subire venas, & ingredi, nisi illa, quæ in ventriculum defluxerit, quæ per intestina

Discrimē ligamentorum.

Sententia reiicitur.

descendit, & venis mesaraicis trahitur. Sed illa si trahitur, rursus coquitur, vel per ventrem effluens, facit fluxum cerebralem. Quare manifestum est talem per venas defluere. Sed cùm talis materia effugiat coctionem, defluit etiam ante magnũ dolorem in parte excitatum, & si excitauerit, venæ tumidiores apparent, & ex illo tumore præsentiunt & prædicunt dolorem futurum. Quare illa falsa est & noua opinio. Non nego etiam talem fieri aliquando, sed non semper. Neq; etiam nego illam cerebralem ob dolorem magnum defluxionem per venas à partibus concitare, quando dolor iam maior est, & ferè omnis dolor articulorum est cum rubore, quod certissimum argumentũ est defluxionem fieri, vt in inflammatione à sanguine per venas, vel materia sanguini permixta. Nullus alius humor in corpore rubens est, à capite in articulos talis nõ defluit. Quare verior est eorum opinio, quòd à plenitudine & redundantia venarum fiant defluxiones in articulos, vel recremẽtis aliarum partiũ, vt cerebri. Quomodo febres continuæ soluerẽtur in articulorum dolores, si materia non esset intra venas? Talibus & febres continuæ soluuntur hoc modo. Quare per venas defluxio fit. Hæc necessaria sunt, quia in morbis, qui fiunt per defluxionem, habenda est ratio partis mittentis, & partis recipientis, & eius quod mittitur, vt si à capite defluant omnes morbi articulares, in omnibus caput euacuandum, corroborandum, & siccandum pituitam euacuando, quæ maximè redundat in capite, quæ omnia in ea, quæ fit à sanguinea materia vel biliosa, conuenire non possunt, & vt huic malo verè occurramus, distinguere oportet, primùm si à capite fluat, quod ex signis priùs traditis cognoscitur: Vel si à venis magnis internis, quod cognoscitur, si citra dolorẽ capitis, vel grauitatem, dolor aliquam partem occupat, sed cum febricula, vel aliqua inæqualitate fit, & pars citò intumescit, rubet, dolet, ab vna parte in aliam mouetur. Si biliosa, citiùs ab vna parte in aliam mutatur. Est cum maiore ardore partis, & dolor acutior est, citra magnum tumorem. In principio color à rubeo flauet, & omnia, quæ in erysipelate esse solent, insunt. Si à sanguine, maior tumor & rubor, & extenditur vsque ad partem carnosam vicinam.

Signa à magnis venis.

Si pi-

Si pituitosa sit materia, œdematis naturam habet, nisi quod non magnus dolor adest, sed tumor & impotentia diutius partem occupat. Sed tales defluxiones syncera non sunt, quæ per defluxionem, vt illæ, quæ per decubitum. In caussa est, quòd à venis subitò defluit materia, in quibus omnes humores sunt permixti Quare præsentem materiam & prædominantem inspicere oportet, & ab ea remedia colligenda. Curari debet, vt aliarum partium inflammationes & tumores. Quòd si ægrotantes paterentur, vel Medici tentarent, citius à morbo ægri liberarentur, & nō modò à præsenti occasione, sed ab aliis seruarētur. Verùm toti sunt in doloris mitigatione, qui dolor symptoma est, non morbus, & bene se curatos putant, si dolor mitigetur, cùm tamen remaneat intemperies, & partis relaxatio. Nos ob id partiemur huius morbi curam in præcautionem, & curationem. Præcautio debetur futuro morbo, & principio morbi, ad incremētum inhibendum, quæ est tota in abscisione caussarum, quæ possunt morbū facere, vt in ablatione plethoræ, cacochymiæ, in corroboratione partiū, obstructione viarū, per quas fit defluxio. In plethora, sanguinis missio facienda, quæ breui morbū factura est. Quòd si magna nō sit, neque tempus instet paroxysmi, tunc diæta tenui, frictionibus aliisque paruis euacuationibus auferetur sensim plethora Euacuationes istæ debent fieri cū auersione ab illa parte, quæ frequentiùs & primùm illo morbo occupatur, vt si pedes, è brachio, si brachia è poplite. Si à cacochymia purgationū optima est vomitio, & maximè si à pituita fiat, siue per defluxionem, siue per decubitum. Frictio in opposita parte fieri debet, & non in laborante. Purgatio medicamento conuenienti, quod sit humoribus purgandis determinatū, & quod non exagitet multùm humores, qualia sunt illa, quæ neq; calida, neque multùm tenuia sunt, sed quæ astrictionē aliquam in partibus relinquunt, ne materia fluat, qualia sunt inter simplicia, rhab myrobal. pil. de agarico sine gummi, vel cum myrob. & quæ ex turbith. cum myrob. componuntur. Cùm volumus præcauere, non est vtendum (vt faciunt neoterici Medici) fortiter attrahentibus materiam in venis contentam, non in articulis. Quare illa

Curatio.

Curatio plethoræ.

Curatio cacochymiæ.

sufficiũt, quæ sunt enumerata, & dando illas pilulas quæ myrob. recipiunt ab Arabibus paratas, & illas vituperare, quæ lachrymas, & semina aperiẽtia multa recipiunt. Talia enim dari debent, cùm partes obsessæ sunt illis humoribus, cùm constitit defluxio. Alio tempore concitant & mouent, quo fit vt frequentissimè videantur post vsum horum medicamẽtorum in dolorem incidere, qui vtantur pilulis aromaticis maioribus & minoribus. Purgandi sunt hoc primùm ecprocotico medicamento, vt qui calido morbo corripi solent, cath. cass. syr. ros. lax ad ℥. j. Deinde concoquenda est materia vel maturanda determinatis, vt quæ non extenuant, calfaciũt, & aperiunt, sed tenuitatem & acrimoniam minuunt sua moderata frigiditate, si morbus calidus est, vt si biliosus æger, biliosa corripiatur. Syr. viol. cum decoctione sebesten vtilissimus erit. Temperabit enim sanguis acrimoniam, & leniet ventrem. Quòd si placet decoctionem parare ad syrupum diluendum, paretur vt vidimus in libro de remediorum formulis ex cichor. end. lact. & aliis frigidis, vel ex multis istarum herbarum, vt,

Curatio arthrit. à calido morbo.

℞. cichor. scariol. cucurb. lact. ana M. j fiat decoctio in ℔. j. ß dissol. syr. viol. ℥. vj. misce pro tribus dosibus, vel ex syr. de succo end. simplic. Si verò apozema, quod leniat & alteret, fiat hoc modo ex supradictis herbis, & fructibus bilis acrimoniam extinguentibus, vt,

℞. cichor. end. lact. scariol. borrag. ana M. j. prunorum, sebest. tamarindorum ana ℥. j. anisi ℥. ß. fiat decoctio. In ℔. j. ß. diss. syr. vio. & rosarum lax. ana ℥. iij. misce pro tribus dosibus. Finitis syr. detur potio sequens,

℞. rhab. infusi, & fortiter expressi ʒ. ij. syr. ros. lax. ℥. ij. cath. ℥. misce, si velit in forma boli, fiat sic.

℞. cath. & tripheræ persicæ ana ℥. ß. rhab. pul. & irrorati ʒ. j. capiat manè. In hac causa in forma pilularum minus conueniunt. Quòd si morsus sit æger, fiat sic.

℞. elect. de succo ros. solut. rhab. an ʒ. ß cum syr. ros. solut. fiant pilulæ, capiat post mediam noctem cum custodia. Si vna euacuatione non sit sufficienter euacuatus, reiteretur, priusquam veniat tempus accessionis. Nam accessionis tempore non est mouẽdum corpus euacuatione narrata nisi leuissima, vel fortissima vtẽdum, quia

humorum redundãtiam affatim euacuat,& defluxiones consistere facit. Oportet necessariò vel leuissimo medicamento ad constringendum dato,vel triphera persica, quæ leuissimè euacuat,citra agitationem humorum vti. Quare non irritatur defluxio. Si materia sanguinea sit, sanguinis missio à parte opposita facienda ad diuersionem,& multus sanguis trahendus,si vires,ætas, tempus, magnitudo morbi suadeant. Cùm incipit aliquem occupare, sanguinis missione morbus curandus. Sanguis inflãmatur & in bilem vertitur , & serũ acrius redditur. Poterunt quæ serosa purgant & bilem præscribi , vt syr. ad arcendam putredinem humorum,vel incendium accommodari. Quare quæ superiùs dictá sunt , dabuntur eodem modo & ordine. Cõueniunt & in vniuersalibus, & in particularibus remedia magna ex parte. Quare de illis nõ agemus. Dolor à materia calida semper defluit, siue fiat incipiendo , siue post dolores à materia frigida similiter. Quare semper repellendũ à principio, nisi cũ fit post morbum per crisim. Fit enim aliquando & liberat, modò non sint acerbissimi dolores, qui ægrotãtem iugularent ob virium resolutionem. Repellentia verò supra partẽ tumidam adhiberi non debent,sed mitigantia & refrigerantia , vt vocant. Nam in ea parte humor fluẽs dolorem facit, qui in medio musculi inter descendẽdum non faciebat,ob partium structuram, & sensum: vasa sunt magis constricta,neque tã liberè partes ob dolorem dilatari possunt. At ãstringẽtia illa dilatationem impedirent, & constrictionem augerent. Quare ab illis est abstinendum,nisi tempore sanitatis,quia illa partem corroborare possunt,& laxitatẽ castigare. Verùm paulò altius versus emunctorium , & in parte interna magis quàm externa. In eo enim loco sunt plura vasa, maiora & magis denudata. Illa enim materiæ transitum prohibent. Quare si multa esset plethora , prius inanita esse vasa oportet,ne corpus lædatur,vel statim euacuare redundantiam. Illa enim esse possunt communia , quæ ex circuitu partium inflammatarum , vel in fluxu sanguinis apponuntur, vt puluis constrictiuus aceto exceptus, vel albumine ouorum fortiter agitatorum , vel aquæ astringentes,addito pauco aceto, vt sunt prunellorum,

Curatio à materia sãguinea.

Topica.

peculi rosarum myrtil. Vel cataplasmata ex fructibus acerbis, vel ex palmulis immaturis, ex oliuis immaturis, cotoneis, piris agrestibus, sorbis, carnis decoctis in aceto, & contusis, quibus adde aliquid panis albi, vel farinæ lentium ad maiorem adhærentiam sic.

℞. palmularum vel prunorum agrestium, vel cotoneorum N.xx. medullæ panis ℔ j. decoquantur in aceto, & contundantur, & per cribrum mittantur, fiat cataplasma, cui aliquando, ne arescat citiùs, adde olei rosf. omphac. ℥ iij. vel aliud ol. ex astringentibus applicetur. Nihil prohibet puluerem astringentium addere, vt rosf. balaustiorum, vel gal. vel bistortæ ad ℥. iij. Alia commodissimè supra partem adhibenda sunt ante hæc mitiora, vel quæ ex rebus frigidis multum ponderantibus, quæ non tam ob frigiditatem & astrictionẽ, sed & pondere suo concidere faciunt vasa, & ligatura intercipiũt materiæ descensum. Quare bolus armen. cum litharg. aut cerusa conueniunt, fiátque hóc modo.

℞. litharg. auri ℥ iij. cum succo cydo. vel alterius fructus, vel plantæ & aceto, fiat vt nutritum, applicetur supra dictas partes, addendo parum ol. rosf. Ex vnguentis pauca in officinis parata habemus, quæ id per se præstare possint, ob oleorum & pinguedinũ copiam. Vnguentum rosf. populeonis parũ astrictionis habet, vt refrigerationis ob ol. viol. quod recipit, & axungiam porci. Ob id melius illa ponere super partẽ affectam. Sandalinum lotũ in aceto, & succo astringente magis conuenit. Sunt tamen multa, quæ parùm conueniunt, vt spica & alia, quæ hepati determinata sunt. Si quis eo vti voluerit, augeat boli quantitatem, addat lithargyrum. Vnguentum pompholigos, quia graue & frigidum, non satis astringens. Quare bolum, vel gallas, vel radicem bistortæ addere oportet. Verùm bolus armena id præstare potest, & minimo emitur pretio. Hæc apponenda est, donec constiterit defluxio. Hęc enim in illa parte maximè duo commoda præstat, influentem humorem inhibendo, & quod in parte est, per partem euacuat digerẽdo, & exiccando, & nõ retrocedit, vt dolorem in illa parte excitet. est enim vtile his, in quibus morbus articulorum sic notabilis vnam partem relinquit, vt alteram accipiat.

In quibus neque mouetur, neque per defluxionem fit, inutile est vti repellentibus. Supra partem dolentem refrenantia dicta, vel sedantia dolorem cum quadam refrigeratione parua, vel cum relaxatione moderata imponenda. Parantur aliqua ex lacte, alia ex oleis & succis, vel aquis stillatis & cataplasmatis, vt,

℞. ol. ros. omph. & aquæ viol. vel solani an. ℥. ij. agitentur, & panni intingantur, & sępè mutentur, vel sic,

℞. ol. viola ℥. iiij. decoctionis mal. & viol. ana ℥ ij. agitentur. Verùm possunt parari ex stillatitiis & mucilaginibus, vt sic

℞. mucilag. seminis psilij, confectæ cum aqua plãtag. vt solani, vel succi semperuiui q. s. applicetur. Diluere oportet, ne ob emplasticam vim perspirationẽ impediat. Alij tantùm succos herbarum cum aqua ponunt. Nam quæ spissa sunt vel grauia, vel emplastica, sæpè dolorem augent, prohibendo perspiratum, vt

℞. succi semperuiui, & lysimach. ana ℥. iiij. aquæ end. mal. lact. ana ℥. iij. panni temperentur & admoueantur in vehementi dolore. Ex medulla cass. fistulæ dissol. in aqua viol. & oleo vio. fiat linimentum, vel cataplasma micæ panis sic,

℞. micæ panis medij ℔. j. temperetur in lacte ouillo, vel bubulo, & contundantur & reducãtur in formam cataplasm. Vel vt vulgus Medicorum facit, decoquuntur, & fit cataplasma, addendo vitella ouorum N. ij. croci parũ. Verùm crocus poni non debet, nisi quando opium, vel hiosquiamus, vel mãdragora in medicamentis ponitur. Et quanquam astringens sit, calorem tamen habet maiorem, quàm pepticum sit. Lac coctum minùs refrigerat, & magis acre est. Lac igitur vaccinum vel ouillum, quia plus habet butyri, eò magis dolorem sedat: quò plus habent seri, minùs. Ex herbis contusis & farina, cũ hoc non profecerit, & crassior materia remanserit, concoquenda & digerenda

℞. radic. mal. altheæ ana qr. j. fol. viol & mal. ana M. flor. cichor viol. melil. ana ℥. iij. fiat decoctio in iure intestinorum, & contundãtur, quibus adde vitella ouorum N. iiij. farinæ lini, fœnug. ana ℥ iij. axung. porci ℔. ß. ol. cham, melil. an. iij. fiat cataplas. applicetur, & frequenter

admoueatur,& mutentur remedia. Post remedium calidum,frigidum, vel minùs calidum applicentur, & sic vicissim mutentur. Illa calida videntur fluxionem concitare,ob id moderatè adhibenda erunt,qualia sunt olea digerentia,vel cataplasmata. Oleum amygd.amar chamo. item axung.calidæ anatis,anseris,vrsi. Fit cataplasma ex farinis,vt

℞.farinæ fab. & fœnug ana ℥.iiij. aquæ mal.vel decoctionis mal.q.s.fiat decoctio,quibus adde ol anethi & arini an.℥.ij axung.gallinæ & anatis an.℥.iij.fiat cataplasma,vel decoquantur in oxymel.& non remoueatur,donec exiccatum fuerit.

℞.farinæ fœnug. ℔.j. decoquantur in oxymel. & fiat cataplasma. Emplastra incerati consistentia applicentur post ferociam, & doloris vehementiam, & non priùs. Emplastra sunt diachil.& diachalcit.dissol.in oleo lilio. vel amygd.vt chamo.vel aneth.vel rutac.& applicentur. Hæc sufficiunt pro materia calida, sed si huic permixta sit pituita,remedia posteriora citiùs erunt adhibenda,& resiccantia esse magis oportet,& minùs laxantia. Quare emplastrum diachalcit. magis conuenit. Item diuinum & oxycroceum emplastrum, & quæcunque in sequentibus dicentur. Si dolor sit à materia frigida non subitò nec affatim fit, neque vehementes sunt dolores, tumores laxi sunt, & diutius durant in vna parte, nec sic de vna parte in partem mouentur, sed illam partem, quam occuparunt, diutius obsideant. & illius partis robur deiiciunt, & actionem impediunt. Quia etiam si dolor sedatus sit, pars illa, cui impacta est, minor facta inflammatos tendones vel compressos adhuc retinet aliqua in parte, sic vt dolorem faciat in motu, & membra ob tumorem flecti non possint, & cùm tentant mouere, dolorem sentiunt. Fit hoc in senibus magis, quàm in iuuenibus, & post neglectam prioris materiæ resolutionem, Pars reddita imbecillior excrementa non repellit, quæ non bene concoxit. Et sic morbus calidus compositus fit ex calido & frigido. Fit in iuuenibus crapulosis, qui passi sunt morbum Italicum, vel qui ob natationem in aqua frigida, partes plus iusto refrigerarunt. Fit in mulieribus post amissam mensium purgationem ante tempus,

Signa materia frigida.

Qui sint huic morbo obnoxij.

pus. Fit maximè post membrorum defatigationem, vel humectationem, & potissimùm qui à morbo Italico id morbi genus contraxerunt. Quare eos à pedum ablutione, nisi in lixiuio arcere oportet à natatione & cursu. Vomere debent frequenter, vt pituita ventriculi purgetur: humectantibus & pituitosis abstineant. Frequentiùs verò in principio euacuari debent. Ego multos ab hoc morbo vindicaui, vel potione aquæ, in quibus per defluxionem fiebat, & frequenti vomitu, vel purgatione per aluum. Debent illi capere pilulas de hiera, & agarico vel elephang cum agarico vel assaieret, ad vnam singulis matutinis, vel duas in hebdomada, vel tres semel Hac ratione prouocabitur bona actio, impeditur recrementorum prouentus, & diuertit defluxionem in articulos. Quòd si faciliùs ista operentur, nos euacuare bis vel ter vniuersali euacuatione oportet. Nam istæ paruæ euacuationes in magna copia excrementorum non sufficiunt. Fiat ergo sic.

℞. mass. pilul. de hiera simpl. ℨ.j. cap. manè. Deinde vtatur sæpe sequentibus.

℞. mel. ros col. ℥.iiij. syr de stec. ℥.iij. decoctionis bero. vel anthos. vel gaiaci ℔. j. fiat syr aro cum ℨ. ij diarrh. abb cap. quatuor matutinis, quibus finitis capiat ℨ. iij. elect. diacarth. vel de citro sol cum ℨ j. elect. de succo rosarum. Vel fiat potus cum ℨ. iij. indi maior. & ℥. j. syr. ros. lax. cum aqua betonicæ, vel decoctionis polyp. Vel cap. ℈. iiij. pilul. imperialium vel ℨ. j. fœtidarum, vel ℨ. j. sine quibus, vel arthriticarum. In crastinum cap. ℨ. j. ther. recentis. Quòd si velit corpus humidius resiccare, cap ℨ. j. singulis matutinis pul. sequentis.

℞. cineris priapi tauri, & cranij hominis ana ℨ. iij. galangæ ℨ. j sacchari candi ℨ iij. misce, cap. manè. Deinde reuertatur ad vsum pilularum præscriptarum, vel capiat ℨ. ß sequentium.

℞. aga. tro. & rhab. ana ℨ. j. rad aristoloch. & quinque fol ana ℈. j. galang. garyophil. spicæ nardi, scœnanth ana ℈. ß malaxentur cum succo bras. vel ros fiant pil de quibus cap. semel in hebdomada ℨ. ß vel singulis diebus pilulas duas. Si accessionis tempus instet, abstineat ab omnibus medicamentis, sobriè viuat, corpus non agiter,

Si per defluxionem fiat, ne humores conturbentur & moueantur, defensiuo vti oportet, sin minus vtatur, priusquam tempus accedat, lixiuio cum sale, vel sulphure, quod potest abscindere paruã humorum quantitatem, præmissa purgatione, & victus ratione. Si ergo sit mixta materia in principio, ne dolor humores conciret ad defluxionem, defensiuum paratum paulò supra partẽ affectam adhibeatur, & supra partem, quę dolorem mitigare possunt. Deinde ad materiam frigidam coquendam & ad digerendam veniendum, ad quod præstandum, quæ in declinatione morbi calidi sunt dicta, vsurpari possũt, & quæ sequuntur in materia frigida, & flatulenta, vt,

℞. sterc. vaccæ ℔. ij. mell. communis ℥. ij. fiat catapl. Si ferre potest, ad maiorem discussionem adde cumini parum, vel fiat sic,

℞. sterc. vaccæ ℔. j. far. fab. furfur. ana qr. j. cumini & seminis fœnugræ. ana ℥. j. excipiant oxymel. & applicentur supra partes intumescentes. Vel excipiantur ad dolores magis sedandos. Si dolor sit à materia frigida, fiat tale quod sequitur.

℞. farinæ fab. ℥. iiij. decoquantur in decoctione ranarum in oleo facta & vino, & reduc. ad formam cataplas. Si dolor non infestet, adde salis p. ij ad consumptionem, vel fiat cum stercore capræ. Vel si à materia frigida spissa, quæ durum tumorem nõ laxum facit, tunc ad oleum & vnguenta veniendum.

℞. vnguenti mart. dialth. an. ℥. ij. butyr. recent. tereb. an. ℥. j. ol. lil. amyg. & lumbr. an. ℥. j. fiat vnguentũ, vel sic,

℞. mucilag. semin. alth. semin. lini, & fœnug. ana ℥. j. ol. lini, & cherini, axungiæ porci, taxi, vel vrsi ana ℥. ij. croci ʒ. ß. fiat vnguentum, vel sic,

℞. ol. lumbricorum, liliorum, aneth & rutæ ana ℥. iij. vini albi, & sapæ ana ℥. iij. ranarum communium N. 30. salis ℥. j. decoquantur ad ossium separationem, & vini consumptionem. facta forti expressione, adde tereb. croci parum, fiat linimentum quo vngantur partes rigidæ & tensæ. Ad idem.

℞. asellorum & vermium ana ℔. ß. decoquantur in sapa ad dissolutionem, quibus adde axung. hirci & veruecis an. ℥. iiij. vel decoquito simul, & reducantur ad formam

mam lini, quo vngantur partes. Oleum hepatis ranarũ, & gallinarum idẽ præstat. Et ad dolores sedãdos oleum, in quo decoquitur torpedo, dolorem mitigat. Quòd si aliis adiungatur, efficacius erit. Ex herbarum succis sic,

℞. succi ebuli ℔. j. succi hederæ ℥. ij. ol. antiquissimi vel rutac. ℔. j. decoquantur, quibus adde styrac. castor. an. ʒ. iij. opopa. ammo. an. ℥. ß. dissoluantur in ol. & misceantur addendo parum ceræ, fiat linimentum, quo vngantur partes. Deinde applicentur emplastra diachil. cum ℥. j. sulphur pro ℔. vel diachalc. aucta dosi chalcitidis. Emplastrum diuinum additur cum sale, malaxetur cum oleo turac. vel irino, vel laurino, vel multum digerentibus. In his qui ob morbum Italicum patiuntur tales dolores, emplastrum de ranis, aucta dosi euphorbij, & mercur. magis conuenit, vt emplastrum ex sulphure vel sulphur. addendo emplastrum diachalcitis vel diachilon. Et si sic bis aut ter tractentur, curantur & morbum euadunt, & possunt conseruari, si lixiuio sequenti vtantur post paroxysmum.

℞. cineris cruris equi, vel cerui, vel asini ℔. j. aquæ fabrorum ℔. iiij. fiat lixiuium, abluat pedes & manus bis in hebdomada. Firmat pedes, & absumit excrementa, & vt fortiùs faciat. adde salis communis qr. j. vel in lixiuio communi ℔. ß. salis. Paretur ex cineribus quercus vel hermodactyl. Vtilis est frequens vsus theriacæ post vomitionem, vel vacuationem leuem post pilulas factam, vel decoctionem polypodij. Eos, qui per defluxionem morbo corripiuntur, iuuat: Antiquæ verò vsus, si à morbo Italico, & citra defluxionem fiat, superbibendo parum vini diluti aqua betonicæ, vel arthemis. Si à morbo Italico & citra defluxionem fiat, curetur, vt dicetur de morbo Italico. Qui gonagra laborant adhibito caustico parti internæ poplitis vindicantur, defluxione acri, vesicatorio adhibito super partem, euacuatur materia acris, qua euacuata dolor sedatur. Aliqui cùm inceperunt hoc morbo laborare, frequenter in aqua frigida natauerunt, & sic euaserunt morbum, roboratis partibus, & vasis constrictis & repulsis humoribus ad partes internas. Si ob laxitatem & humorum tenuitatem fiat, prodest in principio. Quòd si morbus tantùm accreue-

rit, vt partes imbecilliores reddiderit, inutilia sunt remedia hæc vniuersalia, sola mitigātia dolorem, sunt ex vsu.

Nonnulla ad huius morbi curationem & præcautionem experta in medicina facienda.

AD præcautionem morbi articularis & nephritici doloris fugere cruditatem necesse est, & si fiat, castigetur frequenti vomitione. Nam sola vomitio hos duos morbos maximè præcauet. Prouocetur ergo vomitio manè, si facilè vomat: sin minùs, post longam comessationem à prandio. In crastinum capiat pilulas duas ante cibum ex pilulis sequentibus.

℞. rhab. & agarici tro. an. ℨ. ij. cinamomi, spicæ nardi & celticæ asari, mastich. myrrhæ, an. ℈ ß. aloes ℥. ß. terebinthinæ ℨ. iij incorporentur terebinthina & formentur pilul. vj. pro ℨ. capiat in crastinum vomitionis, vel etiam sine vomitione, tempore non supra modum calido, semel in hebdomada post primum somnum capiat ℨ. j. Alio verò tempore calido loco pilularum vtatur opiata sequenti.

℞. cass. ℥. ij. cath. ℥. j. tartari ℥. ß senæ oriental. ℨ. iij. zinzib. & rad. penthab an. ℨ. j. anisi ℨ. ij seminis rutæ ℈. j. cum syr. rос. lax fiat opiata, capiat semel in hebdomada ad quantitatem nucis horis duabus ante cibum. In crastinum opiatæ capiat ℨ. ß theriacæ cum ℨ. j. terebint. abietis 3. horis ante cibum.

℞. ocymi seminis, alkecangi rutæ, seseli, asari, herniar. siccæ, corall. rub. lapidis iudaici an. ℨ. j cineris capitis muris, & astragali leporis an. ℨ iij. radic. pentaph. & rub. maior. ab ℨ. j. spicæ celticæ ℨ. ß. excipiantur terebinthina, & fiant pil. 5. pro ℨ. Capiat in declinatione morbi articularis, ac etiam in declinatione morbi nephritici, & post purgationem corporis per tres dies capiendo prima die 6. in secunda 4. in tertia 2. & superbibat aquæ beton ℥. iij cum pauco vino albo.

Pro fortissimo dolore nephritico & articulari fit remedium, vt sequitur.

℞. pul. suprà dictarum pilularum & ℨ. iij castor. croci ana ℈. j. opij scrupul. ß. incorporentur cum syrup. de stechade, & fiat ad formam opiatæ spissæ, de qua capiat

piat ad quantitatem paruæ fabæ longè à pastu.

Si morbus articularis ob largam sanguinis missionem à qua corpus alioquin pituitosum, frigidum redditum est, curandus est optima victus ratione, & medicamentis laxantibus imbecillioribus & acopis. Quòd si quid à Medico prætermissum sit, id erit faciendum. Vtatur ergo pilulis sequentibus.

℞. acaciæ qr. j. spong. bedeg ℥. iiij peculi rof. cuspid. glandium: pediculorum, vuarum, quas vulgò vocant (*grappes de raisins*) ℥. ij seminis vuarum, rof. rub. boli arm. ana ℥. iij. incorporentur cum omph. & pauco aceto, addendo albuminis ouorum fortiter agitatorum q. s. ad excipiendum, misce. Applicet in emunctorio partis dolentis, dum sentiet humorem ad partem irruere. Serò aut manè capiet vnam aut 2. aut 3. pilul. ex sequentibus, quæ non laxant, sed solùm fluxionem cohibent.

℞. boli arm. terræ sigillatæ an. ʒ ij. rof. mastich. cortic. thur. bedeg. ras. dentis apri. an. ʒ. iij. opij. ʒ. j. styrac. myrrhæ an. ʒ. ß cum syrup. de pap. fiant pilulæ vij. pro ʒ. capiat, vt dictum est. Semel in mense capiat ʒ. j. pilularum sequentium, quæ impediunt multam humoris collectionem in corpore, ob quorum copiam & tenuitatem oritur hic morbus.

℞. agar ʒ. ij rhab. ʒ. j. ß. myro. chebul. cydoni. an. ʒ. ß. mastich. ℈ spicæ nardi, & radi pentaph. an. ℈. j cum syr. rof. lax. fiant pilulæ vj. pro ʒ capiat longè à paroxysmo. Et si multùm non mouerunt ventrem, vtiles tamen erunt alia ratione. Frequentissimè tamen illis vtatur. Deinde syr. & aliis infra scriptis Sed approbarem frequentem vomitionem à cibo & corporis quietem. Nam dolentibus, dolorem inducere non debemus, sed eum potiùs acopis sedare. Verùm vbi corpus fuerit purgatum & lassitudo curata, tum exercitio leui & frictione partes erunt corroborandæ.

℞ rhab. myro. citrin. chebul. an. ʒ. ß. ag. tro. ʒ. ij. myrrhæ. mastich. an. ℈. j. spicæ nardi, cubeb. an. ʒ. ß. cum tereb. fiant pilulæ, quibus vtatur duabus aut tribus horis ante prandium, post vsum vomitionis. Quòd si ad vomitum non sit propensior, assuescat, assumpto cibo ad satietatem, pinguibus vel butyro rācido vti. & inunctio-

ne facta ex oleo amygd. & lilio. supra ventriculum, aliméta reiicere. Vel loco harum pilularum capiat ʒ.j.pil. de hiera simpl. Deinde vtatur syr. sequentibus bis vel ter in anno.

℞. mel. ros. col. ℥. iij. syr. de stech. ℥. j. decoctionis arthetica & beton. ℔. j. fiat syr. ar. ʒ. ij. diagal. Et finitis syr. capiat pilulas sequentes.

℞. mass. pill. sine quibus, & imper. ana ʒ. ß, cum syr. de stechade, fiant pilulæ.

℞. pyretri contusi ʒ. iij. decoq. in oxymel. & vtantur manè masticando ʒ. j. per tres dies, 4. aut 5. priusquam vtatur theriaca singulis matutinis spuendo. Deinde aqua frigida & modico aceto rosato os abluant, vbi cessare voluerint à masticando. Post quatuor dies accipiet manè theriaces nostræ mediæ ætatis ℥. j addendo cineris astrastragali leporis ℈. ß.

℞. cons. acori vulg. ʒ. ij. cons. anth. stechad. ana ℥. ß. zinzib. conditi ʒ. iij. confection. aro. ros. diagal. an. ℥. ß. corall. rub. vsti & loti, cranij hominis vsti & loti an. ʒ. ij. cum syr. conser. cort. citri fiat opiata, de qua capiat singulis matutinis superbibendo parum aquæ absynthij.

℞. cineris crur. cerui ℥. ij. astrag. lepor. ℥. j. anisi ʒ. j. pul. diagal. ʒ. ij. sacch. candi ʒ. iij fiat pul. capiat post pastum nihil superbibendo. Si dolores sint citra defluxionem, vngantur partes sequenti linimento.

℞. ol. scorpionum, ol. lumbric. an. ℥. iij axun anat. anser. butyr. an. ʒ. ij. terebinth. lotæ in aqua vitæ ℥. j. ß. ceræ parum, fiat linimentum, vngatur.

℞. terebinth. ℥. iiij. ol. vulpini & hircini an. ℥. ij. croci, myrrhæ, & mastichis ana ʒ. iij. ceræ nouæ, mucilag. seminis fœnug. ana ℥. ij. Liquescat cera cum oleis: deinde misceatur turbit. Tertio loco odorata: vltimo, mucilago, & reducantur ad formam linimenti.

Si morbus per defluxionem fiat in articulos, in principio multis medicamentis laxantibus ægrum mouere non oportet, sed quietem imperare, & statim dare oportet theriacæ recentis ʒ. j. cum pauco bolo armena puluerisato. Prope emunctoria, per quæ fluxio fit, sequens medicamentum ad repellendum imponendum.

℞. radic. bistortæ ℥. ij. gall. nucis cupress. an. ℥. j. ros. ℥. ß. bo-

ß. boli arm. ℥.ij. fiat pul. excipiantur aceto & albumine ouorũ, applicetur, vt dictum est. Leuiter astringatur pars interna coxæ, addito scilicet, asplenio: supra partem, quę incipit dolere, apponant oleum ros. perfectum. Quòd si nõ posit inhiberi fluor, & dolor augeatur omni tempore, dolori sedando erit incumbendũ, deinde quod remanet, in parte, emplastris erit discutiendum. Ad sedationem doloris, vtile erit cataplasma paratum ex pane syncomisto macerato in lacte ouillo, & nõ decocto, quibus adiungi poterunt vitelli ouorum fortiter agitatorum, pariter cas nouiter extracta cum fumo decoctionis mal. & olei chamomill. apponatur ad formam linimenti. Si materia pituitosa appareat, vel in declinatione, applicẽtur supra partem panni intincti in sequenti lacte.

℞. lactis vaccæ ℔. ij. sulph. ℥. ij. misce, vtatur, deinde applicetur supra partem, & non remoueatur, donec discussum fuerit, quod in parte collectum est.

℞. fœnug. contus. ℔. ß. decoq. in oxymel. & apponatur parti. Post curationem ad partium corroborationẽ, & maiorem discusionem, ponatur supra partem affectam emplastrum sequens, quod diu gestet.

℞. mass. emplastri diachillonis ℔. j. sulph. irid. aristol. an. ℥. j. ß calcitis ℥. ß. malaxentur cum oleo rutac. & reducantur ad formam cerati.

De Coxendico dolore. CAP. LXXXII.

COxendicus dolor morbus est articularis, à coxendice nomẽ accepit. Est ab articulorum dolore aliqua ex parte diuersus, tum quia particula non apparet ob profunditatem situs doloris, qui intus est, tum quia fit in aliquibus, qui nunquam articulorum dolores pasi sunt. Alios noui articulorum dolore vexatos, qui coxendicis dolore postea vel ante vexabãtur. Quare puto dolorem illum verè coxendicũ esse à recremẽtis illius partis coaceruatis, vel in eam tantùm partem defluxis, & sentitur in parte tantùm coxæ profunda, & cùm mouentur, non autem si quiescant, dolẽt. Fit autem ob eluxationem, diffectionem ligamenti, quod à periostio nascitur, non in cõdrosyndesmo, quod à capite femoris insensili nascitur. Sunt, qui in equitatione, alij in ascensu magnorũ equorum, vel ob ephippij longitudinem, dolorẽ sentiunt, dis-

tenduntur enim. Ergo talem dolorem frequenter sentiunt, sed descẽsu curantur, & alio situ. Mulieres à partu, & cùm vtero gerũt, solent dolorem in parte interna inguinis sentire, quem mulieres, vt vulgus Medicorum coxendicum putant esse ob anatomes imperitiam. Nõ nouerunt ligamenta vteri ad internam partem descẽdere, quæ si à flatu, vel ob vteri retractionẽ in alteram partẽ, vel superiorem distendatur, dolor sentitur. Sed hac nota solent distingui, quòd mulieres hæ in anteriore parte magis, quàm in posteriore dolorẽ sentiunt, & ferè semper dolent, etiamsi crus non moueatur. Adde quòd mulieribus accidit post refrigerationem à partu, vel ob contortionẽ vteri, aut flatus, aut alios affectus, qui fiunt sine mulieris perturbatione. Nam mulieres, quæ vteri suffocatione laborant, hãc tentionẽ non sentiunt, quia mens occupata est, & in illis non est sensus, vel quia diu ea non durat. De curatione eius dictum est. Curatur enim, vt inflatio vteri. Redeamus ad coxendicum vterum. Est enim alius, qui fit à materia calida alius à frigida & sæpius. Calida vehemẽtiores dolores facit, frigida verò diuturniores. A calida, celerius, interdiu magis, quàm noctu fiunt. A frigida verò minus vehemẽtes, sed diuturniores morbi. Fit in pituitosis constitutionibus post multas equitationes à cibo, & inordinatos motus, & post saltus. Aliquando morbus Italicus in ea parte firmatur. Amittitur hic morbus frequenti vomitione. Aliquando à cibo vomere est vtile, aut manè. si facilè vomat. Aliquando à cibo amittetur potione aquæ, vsu clysterum, & tenuissimis euacuationibus per clysteres factis, vel per medicamenta non multùm cõturbantia, maximè si à bile vel defluxione fit. Curatur autem vomitione imprimis, euacuatione, digestione humoris collecti. vomitio excitatur multis remediis, vt aqua tepida, decoctione raphani, seminis atriplicis, & aliis, verùm commodiùs decocto seminis, vel radicis asari. Nam præterquam quod excitat vomitum, dolorem coxẽdicum curat, quod ego in multis fœlicissimo cum successu sum expertus Et quia hellebori modo purgat, præparanda sunt corpora & eligenda, quæ ad vomitum sunt apta. Nam quibus fluit sanguis à pulmone, qui difficilè respirant, qui pulmones vel pectus

Dolor inguinis mulieris prægnantis.

Curatio huius affectus.

Curatio doloris coxendicis. Experientia.

pectus strictum habent, tales omnes à vomitione abstinere debent. Clysteribus alui excrementa euacuanda sunt. Verùm qui nullo negotio, vel citra periculum vomere possunt, oportet seminis vel radicis asari decoctū sumere tepidū ad ℥. iiij. post cibos pingues & liquidos, eósque diuersos. Quod faciēdum duobus vel tribus diebus, deinde intestina abluenda sequenti clystere ad materiæ euacuationem, & doloris omnis mitigationem.

℞. mal. bismal. cum rad. betæ, mercur. ana M. j. caul. & chamepyt. ana M. ß. seminis lini ℥. ij. seminis anisi, & rutæ ana ℥. ß fiat decoctio. In col. ℔. j. diss. benedictæ ℥. j. mel. ros. ℥ iij. ol. chamo. & lil. ana ℥. ij. fiat clyster. Hic in principio siue à materia frigida, siue calida sit, clysteribus vtendum erit. Nam clysteres ad euacuationē materiæ communis vel coniunctæ parantur, hoc tamen obseruato, quòd calidioribus in frigida, frigidioribus in calida vtēdum sit. Clystere reddito, si dolor sit à materia calida, vel si sit vehementissimus, vel corpus plus æquo plenum videatur, fiat missio sanguinis è brachio ad diuersionem, deinde à poplite ad deriuationem. Quare si ad deriuationem tantùm fiat, sufficit parum sanguinis attrahere, ne ad partem affectam humores superiorum partium deturbentur, vel trahentur cum morsu, & inanientur venæ partium vicinarum, quæ cùm multo abundant sanguine, non trahunt. Quòd si maior copia trahatur, venæque superiorum partium multo sanguine abūdant, affectus ad partes affluit. Quòd si non consistat defluxio, tunc à poplite est sanguis detrahendus. Quòd si missus fuerit à brachio, cucurbita internæ parti coxæ affixa cum scarificatione, sed in vehementissimo dolore dixi quòd multò præstantius est remedium dolorū, qui fiunt à defluxione humorum, quàm sanguinis larga missio, quam Gal. dixit ad syncopem, quod periculosum est. Supra partem digerentia & relaxantia sunt apponenda, nunquam repellentia, nisi ad vasa per quæ fit defluxio, apponantur, alioqui non præstāt vtilitatem. Quare cùm defluxio per interiorem partem iuncturæ fiat, tunc eadem ratione relaxantia non nocent, quia apposita supra partes carnosas non relaxantia vasa, vnde maior fluxio fit, sed partes vicinæ relaxandæ sunt, vt inguina, ne ma-

teria ad habitum corporis trahatur, quia ad illas partes attracta, emplastris aut vnguentis discutitur ac euincitur. Et ob id metasyncritica, quæ ab alio trahunt, poni debent quæ potenter discutiunt digerúntq; In materia calida sufficiet addere relaxantia moderata, vt ol. chamo. amyg. amar. aneth. vnguentũ resumptiuum, de axungia & dialthea. Quòd si diuturnior sit, ad materiam frigidam præscribuntur. Addenda erunt in declinationẽ medicamenta laxantia, vt electuarium de succo ros. cum citro sol. diaph. in forma boli, vel in decoctione prunorum vel dactyl. vel tamarindorum, vel polypo. quercini sic.

℞. cath ℥. j. diaph. ʒ. j. misce, fiat bolus cum pauco sacch. capiat manè pro minoratiuo. Additur diaphenicum, si sanguis missus non fuerit, vel elect. de succo ros. ad irritandam facultatem excretricem, ne fiat agitatio, sine euacuatione, vel dissol. in aqua end. Et loco harum confectionum diagrediatarum, adde syr. ros. lax. ℥. j De inde dentur syr. ad alterationẽ vel maturationem. Possumus vti maturantibus post factam minorationem per missionem sanguinis, vel purgationem. Quia omnis materia, quæ facit dolorem, vel defluit, vel turget, quam vacuare licet in principio, & quia tota vacuari non potest, maturatur, vel mitior redditur, vel crassior, ne tam facilè defluat ad partem affectam. Vel si ob acrimoniam dolorem inferat, minuetur caliditate illa minuta vel acrimonia. Sed illi syr. deligendi sunt, vt diximus, qui refrigerant sine apertione, vt syr. end. simpl. viol. & decoctiones ex herbis similibus.

℞. syr. viol de iuiubis ana ℥. iij decoctionis end. ℔. j. misce pro tribus dosibus. Si dolor vehementissimus esset, non erit præter rationem, & ad materiæ castigationem, & doloris mitigationem noctu dare syr. de papa. ad ℥. j. cum decocto viol. & lact. Si materia magis ob tenuitatem, quàm ob acrimoniam dolorem inferat, syrup. de ros. siccis, myrtill. cum decoctione end. cichor. conueniunt, quia exiccant & defluxionem retinent. Vel fiat talis decoctio, vt sequitur.

℞. lactucæ, end cichor. viol. ana M. j. prunorum, iuiubarum. sebest. ana N. x seminis mal. pap. albi ana ʒ. ij. flor. nenuph. ros. viol. an. p. j. fiat decoctio. In ℔. j. ß. diss. sacch.

facch.q.f. fiat fyr.aro. cum 3.j. fandali albi. Tertio quoque die detur clyster prescriptus. Quòd fi corpus abundet recrementis, nec defluat materia, femper iniecto precedenti clyftere detur medicamentum laxans in tali forma, quam volent.

℞.rhab.electi 3.ij.infunde in aqua end.vel artheticæ & pauco vino albo, exprimatur fortiter, expreffioni adde fyr rof.lax.℥.ij.fiat potus. Si pilulas maluerit, dentur agreg.fine quibus, vel è quinque generibus myrob. Abftineat ab aureis, de hermodactyl.& aliis quæ recipiunt lachrymas. Poft euacuationem abfolutam, dentur cochlearia tria fyrup.de papauere ad fiftendam humorum agitationem; quibus in fine adde calidiora, vt trahant ad ambitum. In clyfteribus adde iberidem, fiue nafturtium fylueftre, & in cataplafmatis. Nam vna aut altera applicatione dolorem coxendicum foluit.

Si à materia frigida fiat, abftinẽdum à fanguinis miffione è brachio: in poplite tamen, fi dolor fit vehementiffimus. Nam dolor vehemẽtiffimus fanguinem & humores facit fluere. Quare permittitur ad eorũ humorũ deriuationẽ fanguinis miffio è poplite, vel talo, vel cucurbitarũ applicatio. Vomitus frequẽter irritandus, quia pituitofa facilius vomitus ob pituitæ copiam. Manè igitur detur decoctum afari, vel florũ geniftæ, vel feminis eiufdem. Detur clyfter prefcriptus, cui adde decoctionis ag.& afari ana 3.iij.cum decoctione polypodij, paff. vel yuæ arthetice. Vel dẽtur pilule de cucurbita, de turbith, & cochiæ, de ag. Hec dentur in vehementiffimo dolore. Quòd fi mitior fit defluxio, purgetur & materia concoquatur fyr. detergentibus, & non multùm attenuantibus, vel aperientibus, de quibus dictum eft de morbo articulari. Mel. fyr.rof.de gly.de ftechad.in pauca quantitate, fyr.cõfer corti.citri, mel.anthof. conuenit. Deinde purgetur pilulis fœtidis, de fagap. & hermodact. & aliis paratis ex lachrymis, & colocynth. turbith, & aliis fortioribus medicamentis pituitofis. Sunt olea calida, vt aneth.rutac.de cofto, vulpinum, lumbricorũ, de tereb. in aqua vitæ. Vnguenta calida, vt martiatum, aragon.de althea & œfypus humida, vt axũgiæ ferpentis, vrfi gallinarum, anatis, vulpis, liquefactarũ iu vino maluatico, tem-

pore inunctionis adde aquam vitæ. Item sinapismi, vesicatoria, emplastra digerentia, vt de meliloto oxycroceũ. Vesicatoria in fine, si alia non prosunt. Item cauteria super partem antiqui adhibebant. Cataplasma, quod ex iberide vel nasturtio factum est. & multum prodest, vt,

℞. iberidis, vel cardamiæ, vel nasturtij terrestris, vel aquatici ℥. ij decoquantur in vino, cui adde farinæ lupinorum, & lolij ana ℥. ij. iridi, costi ana ℥. j. flor. chamo. melil. ana M. j. axungiæ porci ablutæ & liquatæ in vino decies ℔. j. ol. de vermibus, & vulpini ana ℥. iiij. misce, fiat cataplasma, applicetur supra nates, & vtatur etiam supra emunctoria.

℞. rad. bismal. cucum. brion irid. ana q. j. enulæ campan. & hermodactyl. ana q. ß. incidantur & decoq. cum iberidis & nasturtij vel rutæ ana M. ij. ß. rutæ agrestis ℥. j. florum, aoth. stechad. saluiæ ana p. j. sum. thymi ℥. iij. decoquantur, vt artis est, & contundantur, quibus adde axungiæ serpentis, & gallinę ana q. j. ol. tereb. ℥. iij. ol. de spica ℥. ij. farinæ lupinorũ, fœn & lini an. ℥ iij. misce, fiat cataplasma, adde de decoctione quantum sufficit, vel,

℞. vnguenti martiat. & arago. ana ℥. iiij. succi enulæ camp. & iberidis ana ℥. ij. euphorb, castorei ana ℥. ß. ol. lumbricorum, nucum, rutæ ana ℥. iij. misce, fiat linimentum, quo vngantur partes inguinum, sedis, & ossis sacri. Inunctio ex oleo de thymo, vel de sabina, & quæ paruo precio emi possunt, vel oleo de spica, quod non minus efficax est ob tenuem substantiã, & tenuem præparationem, vel extractionẽ, quam recipit. Emplastra enumerata efficaciora redduntur, si in istis olea malaxẽtur, vel de sulphure apponimus, sed cantharides id subitò præstant ficubus exceptæ & reductæ in formam cataplasmatis. In hac affectione topica remedia debent non solùm apponi in sede, & in emunctorio, vt faciliùs per eam partẽ vis medicamenti penetret ad partes affectas. Clysteres detergentes multùm prosunt ob consensum, quem habet intestinum rectum cum periostio, venis, neruis, & illius iuncturæ ligamentis. Ego vno clystere curaui dolorem coxendicum breuissimo tempore, qui sic habet.

℞. mal radic. & bismal. cardamiæ vel nasturt. vel erysumi ana M. j. seminis lini, fœn. ana ℥. j. seminis seseli,

rutæ agrestis ana ℥. ß. flor. chamo. centaurij minoris, stechad. aneth. ana p. j. ag. asari ana ℥. ß. fiat decoctio, ad ℔. ij. dis. tereb. abietis ℥. j. ol. rutacei, anet. an. ℥. iij. vin. mal. ℥. ij misce, fiat clyster. Si aluus sit astricta, adde quæ laxãt vt hieram, benedictam & similes cõpositiones. Residentia contũdatur & reducatur ad formã cataplasmatis Adde axungiæ porci antiquæ, mellis cõmunis an. ℔. j. applicetur supra partẽ in vehemẽtissimo dolore. Theriacã recentem, vel mithrydatium, vel compositionem Philonij dare ad ʒ. j. cum vino est vtile, vt asyncritã, vel similes compositiones siccantes & obtundentes sensum sistendo defluxionem iuuant, sedando dolorem, qui fluxiones excitat & auget. Hæc satis de coxendico dolore.

De dolore omoplatæ. CAP. LXXXIII.

DOlor omoplatæ, qui diu durat, si non est à morbo Italico, curatur iisdem topicis remediis. Quòd si dolor ortum habeat à lue Italica, morbi curationem adhibere oportet, sed primùm, vt citiùs mitigetur, purgato corpore inũctione instituere oportet, quæ humorem auertit à parte sudãdo. Et ne hoc remediũ dolorem adferat, pro remedio primum inungere oportet partes lõginquas, vt brachia & alterã tibiam tantùm, deinde spinam cum prædictis. Post tertiam inunctionem ad partẽ affectam veniemus vngendo partem. Et quia post alias partes eam inungemus diutius, vt quicquid in parte est, discutiatur, vel emplastrum sequens post corporis detersionem applicemus.

℞. massæ emplastri de ranis ℔. ß. arg. viui ℥. ij. euph. castor. iridis ana ℥. ß. malaxentur cum ol. de spica & applicentur supra coxendicem, vel omoplatam. Si doleat illa interna, vtatur decoctione chinæ, vel gaiaci, vt suo loco dicemus. Si dolor fiat ob eluxationẽ, reponatur, si fieri possunt, & curetur, vt eluxatio, & postea apponatur remedium ad confirmationem partis. Ferant sandalum altius in pede, vt sensim extendatur crus breuius.

De Exanthematis. CAP. LXXXIIII.

EXanthemata hîc appellamus, quod Plinius Pabulas, nostri variolas vocant, cum morbillis magna cognatione coniuncta, quæ ἐκθύματα vocantur. Quo nomine puto etiam variolas dici, vt apud Hipp. iij. epid. Magna

ἐξανθήματα euenisse, quem locum Gal. exponens, dicit tumores in cute sponte efflorescentes à crassis humoribus genitis. Addit, quòd tenues humores potiùs exulcerãt, quàm tumorem faciant. Crassi cutim in tumorem attollũt. Morbilli verò è tenui sanguine fiunt. Non me latet exãthemata dici aliquas maculas rubras in febribus synochis, & pestilentibus apparentes. Quare nomen vagum necesse est esse. Quare ad horũ distinctionem exãthema pustula dicitur ad differẽtiam macularum. Fiunt auté à sanguine pituitoso, ob id difficilè erumpunt. Pueris accidunt tumores albi apparentes cum rubore in circuitu. Quare pituitæ eruptiones rectè Plinius papulas appellauit. Nec id impedit, quod aliqui dicunt à sanguine menstruo fieri, vel semine. Verùm cũ semen melius elaboratum sit, meliùs dicemus à sanguine menstruo fieri, qui pituitosus est, & puerorum aptum alimẽtum. Auget suspicionẽ, quod fiant à sanguine mẽstruo, quod semel tantùm accidãt. Duplex genus cõstituitur, quædam lata, quæ non admodũ prutiunt, quę à crassiore materia, & minùs acri, variolæ à Barbaris dicuntur (nostri, *petite Verolle.*) Alterũ à tenuiori materia, òb id altius eleuatur. Ob id sublimia appellantur, à Barbaris morbilli, quasi parui morbi Epidemius est morb. & contagiosus, qui à Rasi pestis dicitur morbus epidemicus contagiosus, & maximè exitialis, idq; non semper, sed aliquãdo pestem præcedit, vel sequitur. Et potissimùm in aëris constitutione humida & calida, in qua si diu perseueret, solet fieri pestis. Hæc lues pauca est, ob id non nisi post aliquot annos erumpere solet, sed intus latet, donec externa illa aëris caliditas hanc materiam ad cutim attraxerit, & aliquẽ putrefactionis gradũ generauerit, & ebullitionem, ob quam febris accenditur, à facultate expultrice foras propulsarit, in qua tumores parui efflorescunt, dicti, quod turgentium gemmarum modo ad florem in plantis tumeãt. Hic morbus in cute fit externarũ & internarum partium. Tanguntur, vt in aurium interna parte, & trachiæ arteriæ, ob quæ rauci & aphoni fiunt, dum laborant, & tũc grauior est, sed illis accidit, qui calidiore aëre nõ cõtinentur. Aër enim impedit quo minus humor ille attenuetur, discutiatur, & in fumum abeat. Tum in

aliis partibus internis, in quibus fierẽt, nisi natura discuteret, etiamsi in loco calido continerentur, vt aduenire videmus in his, qui bene reguntur. Quòd si à crassis humoribus cuti (vt quidam scripsit) impactis fierent, non in aliis partibus à cute euenirent, & statim apparerent, non post iiij. vel v. vel vij. diem. Neque in tali morbo sequeretur ventris fluxio, vt in quibus accidit, nec corrumperentur membra, vt videmus euenisse 1557. Monspessuli in filio hospitis (*d. sgeneraux*) in quo morbus corrupit ligamenta iuncturarum, & extremitatem ossium. Fit ergo à sanguine menstruo, qui à constitutione temporis malitiam accepit. Fit per excretionem, & quia natura conatur coquere, separare, depelleréque quod molestat, nō prima die, sed post quartum diem. Et quia tota materia non expellitur, non cessat febris, vt neque in aliis terminationibus morborum, qui iudicantur per abscessus: quia materia cōclusa in abscessibus putrescit, & effumat, febrem accēsam retinet. Satis de eius caussa & generatione. Nūc de signis & curatione. Cognoscitur ex cōstitutione, quæ præcessit, austrina calida & humida, multos simul inuadit pueros. Primùm febricitant cum dolore dorsi & capitis, pandiculationes & oscitationes crebrę ob conatum expellentis facultatis. Spirādi difficultas ob venæ magnę tumorem ad infrà, tussis inanis, item punctiones & lassitudines toto corpore, facies rubra, & tumida, in qua incipiunt maculæ rubræ vel pustulę, in aliquibus tam densæ, vt sese contangāt. In aliis paucæ, quia meliori sanguine præditi sunt, & minus pleni. Fiunt albæ & rumpūtur, & sanies vel pus fluit, & crusta fit & coalescit. In aliquibus herpetis modo cuticulam summam tantùm occupat, & in aliis nullum vestigium remanet. Talia ex tenuiori materia fiunt. In aliis vestigia & cicatric. manifestè apparēt, vnde faciei defœdatio accidit. In aliis fit, quia non aperiuntur, & sanies illa crassior corrodit cutem subiectam, facit vestigium, quia pueri frangunt vnguibus ante maturationem, & sic faciunt, vt cutis defœdetur ob violentam tractationem. Quare nec nimium retardare, nec nimium festinare oportet in eorum apertione. *Signa.*

CVRATIO.

Curatur clementer purgātibus medicamentis, vt cass,

cath.syr.rosf.lax. Deinde si hic morbus fiat in iuuenibus, in quibus ob virium robur & ætatem licet mittere sanguinem, à missione sanguinis incipiūt, sed hoc in primo vel secundo die tantùm, non à basilica, sed potiùs à vena extremarum partium, vt à saluatella, vt euacuando iuuemus naturam & euacuemus à partibus, in quibus magis redundat humor noxius. Si non liceat mittere sanguinem, vtilissimum est paruas cucurbit. supra externas carnosas apponere cum leui scarificatione, deinde si quis vnguento resumpt. vel. ol. amyg. dulc. corpus inungat ad ignem, multùm iuuabit, vel aqua calida sola, vel in qua flores cham. & melil. vel mal. decoxerint, præstātissimū. Hoc didici ex Hipp. verbis 7. Epid. partic. 2. Aph. 13. vbi ita scripsit: Pustulæ latæ non admodum pruriginosæ, quales Simo habebat, in hyeme, qui dum ad ignem vngeretur, vel calida lauaretur, iuuabatur. Vomitus nō proderant, quòd si calidis fouisset, illi profuisset. Ex hoc aph. discimus curationem præcipuam esse euacuationē per cutem. Quia quò natura vergit, per loca conferentia. Quod in com. Gal. his verbis docet, Humores ad cutim procumbentes per illam essent euacuandi, quandoquidem longa minùs via est: horum rursus ad interna reuulsio, vt per vomitum vel per aluum materia vacuetur, & sic quod de medicamentis supra scripsimus, istis pugnare existimetur, quæ sequuntur Gal. verba subiiciam, quibus docet aliquando esse purgādum. Putabis inquit, forsan me asserere nūquam in talibus purgationem esse ex vsu, quæ per aluum fit. Ego verò non id dico. Nam in curatoriis libr. edoctus es, iis purgationes esse opportunas, in quibus multa sit humorum affluentia. Etenim nisi quod prius in ipsis redundat, aut sang. missione, aut purgatione detraxerit quispiam, voluerit solùm fouere, & vsu calidorum medicamētorum discutere, plus sanè attrahet, quàm per cutim euacuetur. Veruntamen humorum cuti impactorum curatio prorsus fotu calidorum medicamentorum perficitur. Nam indicio sunt humores, quibus illæ constant, satis crassi & frigidi. Sufficiunt ad præparationem, quæ à nobis sunt instituta; quia hoc facimus, priusquam erumpant, quo tempore maximè febris vrget, quanquam Galenus interpretatur ἐξανθήματα,

vehementi aliquo calido fouere ἰξιπνέχοντα, vehementer calfacientia. Hoc non esse faciendum, quia hoc non hyeme, in Simone ob cutis densitatem, & temporis frigiditatem, spissitudinémque, & humorum delitescentium copiam faciebat. Quare in calido contineatur, & in cubiculo clauso calido, inuoluatur pannis rubris aut integatur. Hoc enim mouet sanguinem, & Gal. in lib. de figuratione empyrica docuit. Et quò faciliùs humor erumpat, iuuanda est natura assumptis potionibus, quæ ad cutim moueant, & humorem attenuent: tale est vsu receptum, quod ex radicibus aperientibus, & ficubus paratur, quæ ad cutim pellunt, vt

℞. radic. gram. aspar. fœnic. ana ℥. iiij. liquir. ras ℥. ß. fol. acetos. M. j. fic. N. xx flor. cor. p. j. fiat decoctio. In ℔. j dissol. syrup. acetos. simpl. vel limon. ℥. iiij sacch. parum, fiat syr. aro. & capiat serò & manè ℥ iiij. donec tota facta sit expulsio.

Quibus partes muniantur.

Verùm priusquam ista fiant, oportet repellentibus aliquas partes munire, ne illis fluant. Nam solent partes illas corrumpere, vt oculos, vnde accidit multos cæcos fieri ob talem morbum. Quare croco in aqua ros. diss. palpebras illinunt semel practici. Verùm id frequenter faciendum, & in oculum mittendo palpebræ nihil mali patiũtur, verùm internæ partes. Quare in oculũ mittere oportet, illud magis conuenit, quod digerat & repellat. Si enim solum repellens apponatur materia, iam defluxit, firmatur, tota retinetur, & oculum corrumpit. Os quoque & asperam arteriam præseruare oportet gargarismate leuiter repellente, & detergente, fiat hoc modo.

℞. aquæ ros. & peculi an. ℥. iiij. hord. mund ℥. j gly. ℥. ß. fiat decoctio in aqua diss. vini mali gran. ℥. iij. abluat frequenter os, & gargariset. Teneat in ore sacch. ros. in aqua frig. immissum, donec facta sit expulsio, qua facta ad tumores curam conuertere oportet. Possumus eorum maturationem iuuare leuiter inungendo, pingued. porci liquefacta, penna inungendo faciem, & cùm ad maturationem peruenerunt, acu pungendi. Nihil refert siue sit aurum, siue ferrum, modò acu ex ære non pungantur. Post crustarum casum corio porci salito fricare cutim,

oportet. Quòd si inæqualis sit cutis, in parte etiam illa inæqualis durat. Vel frequenter faciē lauare decoctione hord. integri, & mal. deinde nouacula radere, quasi barbam, deinde vnguēto albo Raſ. totam faciem inungere, vel vnguento citri. Faciunt iſta vnguēta, vt minùs appareant maculæ, quod efficacius præſtat inunctio ex pinguedine aſini. Minùs volunt foueri calidis, quia materia calidior, & acrior: ſed citiùs aperiendi, ne cutim arrodant. Ablatio illa ex decoctione hord. facienda, & illinitio ex ceruſa, litharg. apponenda poſt deterſionem. Hæc pro cognitione & curatione latorum exanthematum.

De ſciſſuris. CAP. LXXXV.

SCiſſuræ fiunt cùm cutis aut externa pars carnoſa diuiditur, & finditur, vt cutis vētris in vtero gerentibus & in hydropicis quibuſdam, in vola manus & planta pedis, in diuiſione digitorum, in palpebris, & labiis, præputio & ano ac ſede prouenientibus fiunt ſciſſuræ ob cutis tenſionem à plenitudine, vt in vtero gerētibus & hydropicis in manuū ac pedum vola à morbo Ital. ob retētionem ſeri bilioſi retenti ſub tendine. Ab eadem cauſſa in diuiſione & radice digitorum inter digitos in palpebris à ſiccitate in frigida & ſicca conſtitutione, in his qui frigidiore & aridiore ſunt temperatura, in minoribus ob frigus conſtringens. In præputio, ob bilioſum ſerum.

℞. ouorum vitellos N. ij. frigantur in ſartagine cum ſeuo hirc. donec diſſ. deinde in mortario conteratur, adde ol. roſ. vel myrtil. parùm ſarcocol vel maſtic. vel gummi torrefacti tenuiſſimè puluer iſando & miſcendo, fiat vnguentum, vngantur labra. Idem faciendum in podice & ano. Verùm quandoque ſunt carnis excreſcentię. Quę cauſticis ſunt minuendæ, carnem deinde, ſiccantibus & aſtringentibus ſiccandæ, & ad cicatricem ducēdæ. Quomodo minuenda ſit caro illa podicis, dictum eſt cap. de ragadiis ani Si à morbo Italico ſit, curare oportet tot remediis ad mor. Ital. determinatis, & fortiter exiccantibus, vt illa tota materia abſumatur, curationem ex libro noſtro de morbo Italico quære. Fiunt etiam poſt ſudationem imperfectam, & ante, & nōnunquam ſine morbo Italico, vt nec parallela. Præcauentur, mitigantur & curantur prohibendo, ne cauſſa effectum ſuum admittat,

tat, vt si à frigore & siccitate fiat in labiis, pomata, & quæ partes calfaciet & humectabit, curabit & prohibebit. Si à caliditate & siccitate, mucago gummi tragac. vel cydoni. extracta cum aqua viol. vel mal. curare oportet. Si ob astrictionem, laxando cutim ol. amyg. vel lilio. vel butyr. vel axung. galli anser. anatis porci. Factæ istæ scissuræ ad curationem siccari desiderant, quia est solutio vnitatis, & vlcus leue. Verùm, quæ in palpebris vel in præputio, vel in auribus, siccari magis desiderant, tum ob solutionem vnitatis, tum ob temperaturæ conseruationem. Ergo in illis partibus vnguenta ex malacticis, vel ex pompholige, ex lithargyro, axungia, addito seuo arietinis, vel hirci. Si verò in labiis fiat, vel in ano, vel in podice, seuum dissolutum cum ol. rosa. & cera sufficiet, mastich. addita vel terebinth. Vel paretur vnguentum ex vitello oui indurato, & oleo.

De scabie quæ psora Græcis dicitur. CAP. LXXXVI.

Scabies Latinis, Græcè ψώρα dicitur, quæ non multùm ab Alopecia Græcorum differt. Scabiei multæ sunt differentiæ, vt vulgus vocat. Est pruriginosa scabies, in qua pustulæ paruæ sunt, sed materia salsa & acris est. Alia est, in qua pustulæ maiores & albæ, & ad suppurationem veniunt; sed illa serosa est, & pituitosa, ob id minùs pruriunt. Est alia differentia, quæ latas pustulas habet, & in circuitu rubescunt, & sunt veluti paruæ inflammationes cuticulæ, ad differentiam furunculorum, qui in carne fiunt, & ex sanguine crasso. Est quarta species, quæ malum mortuum dicitur. Est scabies à sanguine melancholico à crusta multa, quæ fit in tibiis, & difficilius curatur, curata recrudescit. Vnicuique instituenda sunt remedia vniuersalia & topica. Vniuersalia ad materiæ antecedentis euacuationem serosæ substantiæ, pituitosæ, vel melancholicæ aut sanguineæ præscribi debent. Si enim sint serosi humores à bile, pruritum faciunt & veluti pustulas aquosas, quales fieri solent in herpete miliari. Sunt autem remedia ad illa serosa recrementa, syru. ros. laxatiuus, syr. de fumar. simpl. serum lactis, vel apozema ex serosa purgantibus vel alterantibus humorem & mundificantibus serosa recrementa, vt

℞. cass. nouiter extractæ ℥. j cum saccharo fiat bolus.

Ad idem valet diaprun. simpl. vel diasebest. ad ℥. j. vel syr. rosarum laxat. ab ℥. j. ad ℥. ij. cum decoctione lapati acuti, vel acetos. vel cum sero lactis. Si frequenter his vtamur, poterit purgari: si verò vno tantùm apozemate, diutius erit vtendum. Nam cùm materia sit in venis magnis & paruis, oportet sæpius & diutius purgare, vt non solùm, quod in primis venis est, vacuetur, sed quod sanguine permixtum est.

℞. rad. lapa. ac. ℥. ß. cichor. end. borrag. bugloss. ciclæ merc. scab. fumar. an. M. j. prun sebest. an. N. 20 tamar. ℥. j. sen. orien. ℥ iij. flor. cord. an. p. j. fiat decoctio in aqua end. fumar. & aqua fontis, vel in sero capri. & in ℔. ij. col. diss. syr. de fum. compos. ℥. iij. sacch. parum, fiat syr. mediæ coctionis, vtatur quinque dosib. Vltimæ dosi adde robustis gr. vj. diagrid. nobilioribus infusionem ʒ. ij. rhab. Aliis robustiorib. ʒ. ij. de succo ros. vel confect. hamech. Vtatur optima victus ratione, quæ cacochymiam bilis emendet. Si videatur non satis corpus purgatum, rursus purgetur modo præcedenti, interpositis tamen paucis diebus, deinde vtatur balneo sequenti.

℞. rad. elenij & lapa. acu. ℔. j. ciclæ, parietar. & saponariæ ana M ij. florum anth chamom. an. p. j. fiat decoctio pro bal. cui adde salis ℔. iiij. natet, & si non curetur, vtatur sequenti vnguento.

℞. vnguenti enulati ℥. iiij. litharg. ℥. j. cerus. lotæ ℥. ß. chalcit. ʒ ij. arg. viui extincti in suc. limonum ℥. ij. misce, vngantur volæ manuum, Vel sic.

℞. resinæ ℥. iiij. terebint. lotæ in aqua ros. ʒ. ij. cerus. lotæ in aqua fumi ℥. j. litharg. loti in aceto ℥. ß. arg. viui ℥. iij succi limonum, vel aranc. ℥. ij. misce ad formam nutriti, fiat vnguentum.

Si pituita salsa morbum faciat in senibus, purganda erit pituita hoc modo.

℞. syrup ros. ℥. ij. mellis ros. ℥. ß. aquę bugloss. & capil. ven. an ℥. j. beth ℥. iij. misce.

℞. radic. elen. & liquir ras. ana ℥. ij. beton. bugloss. borrag. merc. herbarum capil. an. M. j. fumar. ciclæ fol. brass. marinæ ana M. ß seminis carth. ℥. iij. florum anth. & bugloss. an. p. j. hordei & cicer. rub. an. p. ß. fiat decoctio in duabus partibus aquæ fontis, & vna absynth. ad ℔. ij.

℔.ij.quibus diss.mellis rosati ℥.iij.syr.ros.lax.℥.v.sacchari quantum sufficit,fiat syru.coll.& arom.ʒ.j.diarrh.abb. cap.quinque matutinis. Finitis syrupis dentur ʒ.iij. diacarthami vel de citro solutiui, & dissolue in vna parte decoctionis,vel detur ℥.ß. in decoctione mercurialis, & ℥.ij. syrupi rosati laxatiui. Fortiora vsurpare oportet in omnibus affectibus, qui sunt in habitu corporis,vel mitioribus frequenter vtendum est,postea vngantur partes affectæ sequenti vnguento.

℞.vnguenti enulati ℥. iiij. terebint. ℥.ij. arg. viui ℥.j. styr.ij. misce, vngantur manus sero, cùm ibit dormitum. Si à materia melancholica vel ex assatis humoribus fiat,purgetur sic.

℞.cath.℥.ij diaphe.ʒ.j. dissol.in decoctione mer.& ℥. j. syr.ros.laxatiui.

℞.bugl & liquir.an ℥.j.radic.enulæ ℥.ß. pass. mundatarum & prunorum,sebest.an.N.xx.anisi ʒ.iij polypodij quer. ℥. iij. seminis carth. senæ orientalis, summitatum thymi an.℥. ij. chamom. bugloss. & borrag.an.p.j. tamarind.elect.℥.ij.fiat decoctio.℔.ij col.diss.syr. viol. & ros. laxatiui an.℥.iij.syr. de fumo ℥.vj. misce,arom.cum ʒ.ij. diarrh.abb. capiat quinque matutinis.

℞.confect.hamech.ʒ.ij.diaph. ʒ. ij. diss. in vna parte decoctionis vel in decoctione merc. cum ℥.j. syr.ros.lax. fiat potio.In crastinum medicamenti cap. ʒ j. theriacæ electæ.

℞.vng.nutriti ʒ.ij. litharg.℥.j. ceruss. lotæ in aqua ℥.j. ß.arg.viui ℥.iij. terebint.℥ j.ß.ol.ros. ℥.iij,succi lap.acu. & succi limonum an.℥ ij. misce,vngantur partes.

℞. ceruss. lotæ lithar.an ℥.ij. plumbi vsti & loti, antimonij an ʒ.ij.calchitis ʒ.iij. vnguenti pompholig. ℥.iij. arg.viui ℥.iiij.ol.ros.& irini an.℥.ij.succi plantag.lap. ac. & limonum an ℥.j.incorp. argentum viuum cum ℥. iiij. axung. porci,deinde misceatur aliis. Si ad lepram venerit, vtatur vnguento nostro libro de formis composito ex ol.nucum & tartaro, quod in fine apponemus. Hoc vnguentum, quod manè apponemus, est commune omnibus,& simplicissimum.Fit autem sic.

℞.olei ros.℥.iiij.sulphur.viui ℥. j. succi limonum ℥.ij. resinæ pini ℥.iij. misce, vngatur vola manuum.

Vnguentum extractum ex Formis remediorum ad psoram, lychenes & huiusmodi vitia.

℞.ol.de iunipero ℥ ij.ol.nuc.℥ j.tartari vini alb.℥.j.vitrio.salis communis,sulphur. an.℥. iij. terebinth.lotæ in succo limonũ ℥.j.lithar.℥.j ß ceræ parum,fiat vnguentũ. Si morbus fuerit contumax,adde arg. viu. ʒ. ij sublimati ʒ.ij. & erit efficacius. Applicetur post purgationem & balnei vsum, vt mollescant crustæ,& citiùs penetret, vel

℞.ol.de iunipero ℥ iij. ol. lucernarum & nucum an. ℥.ij.tartari vini albi nouiss.pul. ℥.j.ß. vitrioli, salis communis an. ʒ.iij.litharg.auri ℥.iiij. incorpor.simul,quibus adde succi plantag & limonum ana ℥.iij.aceti squill.℥.j. incorp. simul & fiat nutritum.

De Elephantiasi. CAP. LXXXVII.

MOrbus hic si extra dispositionem sit, non curatur. Nam vt cancer particularis non curatur, sic nec elephas,qui vniuersalis cancer dictus est ab antiquis.Cur nõ curetur,in caussã sunt permulta. Primũ qui hoc morbo laborant,vel nõ conuenientibus,vel nõ opportunis& suo tẽpore remediis vtuntur.Solent enim Medicos cõsulere,cùm iam morbus à dispositione ad habitum transit, quo tẽpore partiũ substantia læsa est & absumpta. Tunc certè morbus incurabilis est tum quia materia in partes remotas recepta est,& ita inueterata & incuneata,vt sibi reddiderit carnem similem , quæ materia medicamentis laxantibus euacuari ampliùs nõ potest: tũ quia digerentibus & aliis propriis remediis propter crassitiẽ & distantiã non potest discuti.Adde quòd intẽperies illa sicca emẽdari nõ potest vt in aliis à siccitate morbis.Hoc autem ob humidiorũ remediorum imbecillem agendi vim,tum ob magnam partium siccatarum resistentiã. Adde quòd calor imbecillus est, qui actionẽ digerit, & partes sicciores redditæ,dẽsiores factæ sunt, quam ob caussam vis medicamentorũ penetrare nõ potest, sine qua morbus educi non potest.Curatur,cùm est in dispositione victus ratione, & medicamentis Victus ratio debet esse euchyma & humida semper. aliquãdo frigida, vt cum ab adustione bilis fiat: Minùs autem , si ab atra bile,vel pituita assata. Commendant quæ sanguinem temperant,quæ crassitiẽ dissipent,& dilutiorem reddant.Laudantur pisces aliqui

Curatio.

Victus ratio.

saxa-

saxatiles,& qui carne sunt media, qui crassa carne & nitrosa, mali, vt polypus, sepia, loligines. Ex crustaceis locustæ, astachi, & cōchilia, ostrea, scebulæ dulces laudantur. Permittuntur pectines & petunculi, quia dulces & succum faciunt minimè nitrosum aut salsum. Olera etiam, quæ sunt humida, vt lact. borrago, spinachia, intybus domesticus commendantur. Vituperantur caules & beta, & aliæ herbę odoratæ. Fructus humidi, vt pepones, cucumeres, cucurbitæ, nō sunt reiiciendi. Legumina omnia & salita & acuta, omnino fugienda, salsamenta etiam, quæ linguam pungunt. Instituta bona victus ratione humectante imperantur otium, quies, & somnus, & quæcunque humectare & saginare corpus solent. Nimia corporis motio, & frequens vsus fructuum, balneorúmq; morbum citius producere faciunt. Quare omnia hæc moderatè facere oportet. Purgetur leuiter medicamentis ecprocoticis, vt cassia, cath. diasebesten, diapruno, syr. rof. lax. In crastinum, si ætas permittat, trahatur sanguis, primùm ex duabus tibiis, deinde ex brachio. Quòd si sanguis crassus & ater, trahatur ad vires diuersis horis. Quòd si tenuis, sistendus. Item si membra incipiant lædi, non inutile erit è venis, quæ sunt inter annularem & paruum digitum. Item è venis frontis, sed hoc est faciendum post corporis purgationē, vt sanguis ater euacuetur, qui immediatè morbū facit & fouet. Sanguis enim in habitu corporis per harum venarum extremitatem euacuatur, vt in quartana venam aperire, quæ est inter annularem & paruum digitū, oportet sæpe in processu febris, quia quasi materiam coniunctam euacuant, sic certè in his. Quare & cucurbitulas, & sanguisugas laudo post internarum partium rectificationem, & humorum euacuationem. Dato igitur minoratiuo mittatur sanguis è venis maioribus, deinde coquatur humor syr. sequenti, & postea euacuentur excrementa.

℞. radic. bugl. borrag. an. ℥. ij. radic. glyc. ℥. j. radi. graminis, aspar. cortic. radic. capp. & tamarisci, populi, si obstructio, vel tumor in splene appareat, vel à melancholia crassa fiat. Si à sanguine vel bilis assatione fiat, prætermittatur: sed adde herbarum capill. bugloss. borrag. viol. lentic. aquæ cichor. endi. lactucæ ana M. j.

pass. mundatarum ℥.ij. qua. semi.frigid. maiorum ana ʒ. ij.anisi ʒ.j.fiat decoctio in aqua hordei ad ℔. ij. in quib. diss.syr.viol.de fumo.simplic.vel de cucurbita ℔. j. fiat syr.aromat.cum ʒ.ij. triasand. capiat in sex dosibus. Interea tertio quoque die iniiciatur clyster sequens.

℞.merc. borrag.ciclæ an.M.j. anisi ℥. ß. seminis melon.cucurb. ana ʒ.ij. florum cham viol. borrag.ana p.j. fiat decoctio ad ℔. j. ß. diss mell.viol. lohot de cass. an. ℥. ij.succi merc.℥.j. ß ol.viol.℥.ij. misce, fiat clyster, Curandum est, vt die præcedente medicamentum, clyster iniiciatur,quò medicamentum faciliùs & citiùs ad intestina descendat,& à corpore egrediatur.Medicamentum purgans in forma humida minùs siccat,deinde in forma boli.Quòd si non licet facere aliter,in forma pul.vel pilularum quæ siccant.In for.liquida parabitur sic.

℞.radic.bugloss.gly.raf. ana ℥. j. polypod. querc. recentis ℥.ij.pass xxx. prunorum,sebest.an.nu.xx. senæ orientalis ℥.iij summit.thymi epith. cuscutæ an.ʒj.anisi ℥. ß. florum cord.an p.j.fiat decoctio & in qr.j.col.diss.cōfect.hamech.ʒ.iij syr.rof lax. ℥.ij. misce, fiat potio, capiat manè. In crastinum rursus capiat de eadem decoctione in syr. redacta perfectè coctum cum decoctione borrag. & mercurialis.

℞. decoctionis præcedentis lib. 1.facch.q.s.fiant syr. addendo syru rof.lax. de fumo terræ an. ℥.vj. capiat, in crastinum medicamenti ℥. iiij. vt diximus, cum decoctione mercu. & borrag. Et hoc debet esse cōmune præceptū in omnibus morbis, qui fiunt à melancholia, vel quorum materia est in habitu, vt duobus vel tribus diebus continuis euacuetur. Primum medicamētum excrementa ventriculi & intestinorum deterget: secundum materiam trahit & euacuat: tertium retentum euacuat & morbum eradicat. Habenda erit ratio materiæ, vt si à sanguine assato, vel à pituita, vel à bile, addenda erunt medicamenta, quæ materiam euacuant antè dictam, siue dentur pilulæ, siue pulueres, siue syr. Si bolum æger desiderat, paretur ex confectione hamech, vel diaph.vel indo maiore,addendo pul.diasenæ solutiui,vt

℞.diaph.ʒ.ij. confect.hamech.ʒ.iij.cum ʒ.j.pul. diasenæ & sacch,fiat bolus.

GVLIEL-



GVLIELMI RONDELETII DOCTORIS MEDICI, ET MEDICINÆ IN SCHOLA MONSPELLIENSI PROFESSORIS

Regij & Cancellarij, ad citò & facilè omnes morbos cognoscendos optimo ordine descripta Methodus.

PRÆFATIO.



TOTA medici cognitio in his duobus sita est, scilicet in corporum cognitione, & remediorum. Corpora vel sana sunt, vel ægra, vel neutra. Necessariò enim tertia constitutio ponenda est ei, qui vult rectè corporis affectibus occurrere. Nam qui neutram habent dispositionem, inculpati sanè non sunt, neq; læsas habent manifestè actiones, quod est de morbi essentia. Quare cùm neque ægra neque sana sunt, ideo neutra sunt & dicuntur. Illa sunt, quæ parata sunt ad morbos, & iamiam à sanitate labi incipiunt. Nunquam enim aliquis transiit ab exacta sanitate in morbum, nisi per mediam constitutionem, quæ neutralitas decidentiæ in scholis dicitur. Nec contrà à morbo ad perfectam sanitatem deuenit aliquis immediatè. A crisi laudata febris sanè cessat, nondum tamen verè sanus euadit æger. Nam ad vitam necessariis muniis nondum fungi potest, non tamen æger dicendus est, cùm materia morbi victa sit, & cocta per aliquam excretionem vacuata. Is cui materia à parte in partem delabitur, neque euacuatus, neque à morbo liberatus, neque sanus: at ille cui per conuenientem regionem materia euacuata fuit, à morbo liberatus censetur. Hæc vltima constitutio in scholis neutralitas conualescentiæ dicitur. Hæc autem medicus conside-

rat, vt sana conseruet, ægra curet, in neutra verò decidentiæ, futurum morbum prouidentia præcaueat: in neutra conualescentiæ dispositione, vires ἀναληπτικὴ reficiat, atque foueat.

CAPVT I.

CORpora sana facilè dignoscuntur ex constitutione secundum naturam ad faciendas actiones idonea, neutra nō tam facilè, ægra facillimè, cùm statim ac muniis ad vitam necessariis fungi nequeat aliquis, ægrotum dicimus. Laborant autem vel partes aliquæ, vel omnes simul partes similares in temperatura, nulla existente in instrumentis morbi specie: vel instrumentis morbi accidunt, sine manifesta intemperie, vt & solutio continui, vel contigui sine intemperie manifesta, non tamen absque vitio figuræ. Hæc autem sunt in morbis cognoscenda.

Quid in medicamentis aduertendum. CAP. II.

Alimenta remedia sunt. ALtera medici consideratio est circa remedia quæ sunt alimenta & medicamenta: Medicamenta vt ferrum, ignis. Alimenta enim remedia extenso vocabulo dicuntur, quòd & sanis resarciant deperditam substātiam, & quòd vim immutandi corpus habeant aliquam in principio, quódq; à calore vincantur, ob id dici possunt & contraria, & conferentia. Horum cognitio valde necessaria est: Nam nisi quis dextrè vtatur, non sunt remedia, sed lędunt & non conferunt. At nemo his dextrè vti potest ignotis viribus, id est quantitate, vsu, occasione, forma: de quibus omnibus abundè alio loco diximus. Quare de corporum morbis, & caussarum cognitione hoc loco tantùm agemus. *Alimentorum cognitio necessaria est.*

Quod Medico non sufficiat illa vniuersalis cognitio corporum sanorum, ægrorum, & neutrorum. CAP. III.

IDiotæ perfectè sanos & manifestè ægros rudi quadam cognitione etiam agnoscunt, quæ medico necessaria quidē est, vt sit inuestigationis velut carcer, ad exactam & singularem morborum cognitionem. At non sufficit ob singularem ægri, & peculiarem naturam ἰδιοσυγκρασίαν morborum. Non enim curatur morbus, sed hic morbus non curatur in homine, sed in Callia & Socrate

ob

ob subiectum particulare, quod indiuidua quadam proprietate dotatum est. Morbus alius est non in specie, sed in magnitudine, vehementia, paruitate, ac remissione, aut in magis, aut minùs periclitando. Ob hoc non solùm in curandis morbis contrarietatem remediorum inuenire oportet, sed & iustam quantitatem, quæ à morbi magnitudine, tempore, loco, & consuetudine indicatur. Quemadmodum enim non sufficit communem phlegmones curationem, ex morbi essentia cognouisse, sed ex varietate partium, insita facultate, & sensu (Nam & ob partium temperamentum & situm, medicamentorum copia augetur aut minuitur, indicationes secundas sumere oportet ad perfectam morbi curationem:) sic ad perfectam morbi cognitionem necessaria est morbi cuiusque particularis proprietas, vt ea cognita iustam quantitatem, & conferentis remedij speciem inueniamus: quod non solùm contrarium esse debet, sed est parti affectæ accommodatum, secundum indicationes particulares, quas suprà enumerauimus.

Morbus alius non in specie.

Quod sit faciliùs in principio morbum curare quàm auctum aut perfectè factum. CAP. IIII.

MOrbi cùm futuri sunt vel incipiunt, in dispositione quadam tantùm sunt. Qui verò facti sunt, in habitu sunt: At qui augentur, mediam naturam obtinent. Ergo minori negotio futuros morbos inhibebimus, & inchoatos curabimus, quàm qui in ἕξει. Dispositio enim est quæ facilè aufertur, habitus verò qui difficilè. Possumus enim præscribere medicamenta leuia, quibus assumptis non solùm futurus præcauebitur, sed etiam inceptus destinetur, quòd non facilè fit in factis. Sic nonnunquam aliquis medicinæ peritus poterit hecticam incipientem balneis curare, vel epithematis supra pectus appositis, vel alimentis refrigerantibus, & humectantibus: Marasmum verò quia est morbus iam confirmatus, nunquam possemus, alioqui hominem reddere immortalẽ, vel in plures annos vitam producere. Quæso quis non posset ophthalmiam incipientem sanguine misso, & vsu repellentium & astringentium (si plethoricum non sit corpus vniuersum, neque cerebrum) vno vel altero die curare, vt fecit Gal. Quòd si iamiam mul-

ta decubuerit materia, hæc non possunt sufficere, sed per partem, quicquid influxit, vacuare oportet, quod statim fieri non potest, nisi natura concoxerit, quæ non nisi tẽpore concoquit. Vt ergo id possimus facere, oportet non solùm morbos factos, sed futuros quoque præcidere, atque incipientes, & maximè acutos, vel peracutos intercipere, in quibus eadem die medicari oportet, saltem intra diem tertium, aut primo, si fieri potest, aut etiam eadem hora, quia ex Hipp. tardare periculosum est, neque expectanda concoctio, quia sæpè nulla fit, aut antequam fiat æger moritur: quod fieri non potest, si neque caussam, neque morbũ statim agnoscas. His autẽ ignoratis, neque victus rationem, neque medicamenta morbo congrua præscribere poteris, quæ recta ratione præscripta morbos in dispositione curare solent. Solent enim peracuti esse, quia inflammatio est in interna, vel putredo magna est in magnis vasis. Ad inflãmationem curandam non sufficit euacuatio à quauis parte, sed per cõuenientem regionem & κατ' ἴξιν facere oportet, & id in principio, quia reuulsio in principio tantùm fieri debet. Quòd si non agnoscat incipientẽ morbum, id non poterit exequi medicus, tùm quòd si medicamentum phlebotomiæ loco præscribat, non leuiter peccabit. Est etiam faciliùs morbis futuris occurrere, quàm inceptos, vel factos, aut increscentes curare. Nam faciliùs est caussas illas auferre è corpore, cùm adhuc validus est æger, quàm iam fractis viribus. Quis non videt sana corpora esse fortiora, & vim medicamenti vehementioris perferre faciliùs? Quare faciliùs erit illos noxios humores, quia pauciores & minùs sunt permixti, euacuare, quàm post longum tempus ob dictam caussam. His accedit quòd remedia, quæ caussis auferendis apta sunt, morbos frequenter augent, vt ferè omnia cathartica, quæ data ad pituitæ euacuationem in febribus pituitosis, febris calorem augent, vt cholagoga in biliosis. Primò nocent, quamuis secundò vtilitatem experiamur. Quæ astringendo repellunt in inflammationibus, iuuãt initio: sed vbi dolor est ingens, illum intendunt, neque illis vti est bonum. Erit ergo præstantius & vtilius, vt repellentibus, & aliis medicinis vtamur in neu-

Caussa morbi, & morbus cognoscendus.

tralitate

tractate decidentiæ, aut saltem primo morbi insultu. Est enim præstantius & vtilius morbos incipientes nouisse, quàm iam factos. Nam quid proderit marasmum nouisse, aut elephãtiam factam, aut Cancrum exulceratum, aut scirrhum exquisitum (id etiam plebeij norunt) neque iam curationem recipiunt, quod vt prædicemus cognitu est necessariũ, vel ne Empyricorum more tales curandos suspiciamus, & sanitatem polliceamur.

Quod non sit facilè morbos cognoscere, & quæ eorum cognitionem obscurent. CAP. V.

PRæstantius quidem est futuros præuidere morbos quàm factos cognoscere: verùm id cuiuis non licet: quia morbi cùm inchoantur, herbis nascentibus similes sunt, quæ non nisi ab exercitatissimis discernuntur. Pauci enim Lactucas à Betis primò distingũt, sic certè morbi aliqui adeò inter se sunt similes, vt sit difficillimum illos ab inuicem distinguere. Pauci febrem spuriam duplicem, à quotidiana distingunt: inflammationem lateris à Peripneumonia, & iis maximè qui pulmones costis alligatos habent: aut hepatis inflãmationem à pleuritide partis dextræ: item febres continuas vix à se inuicem distingunt. Huius rei caussa est materiæ similitudo, affectiones eædem vel similia accidentia, partium vicinitas, aut continuitas, vel situs, vel consensus, vel morborum multorum concursus, & symptomatum vehemẽtia, quæ morbos occultat. Morbi enim cùm ab eadem materia antecedẽte fiunt, hoc nos solet decipere, vt in febre, synoco non putri, & putri videre est. Sunt enim difficiles cognitu, vt exactè distinguantur, eandem habentes materiam, quæ in venis iisdem consistit, accidentia ferè eadem, & exitus idem: ob id valdè exercitatum in morbis cognoscẽdis oportet esse medicum, qui duas has febres distinguere voluerit, quæ sola acrimonia caloris à putredine nata distinguntur, vt postea monstrabimus. Febris tertianæ & ardẽtis eadem est materia: ob id in vtraque tertio quoque die fiunt exacerbationes: situ tamen differunt, quòd ardentis materia putrescat in venis cordi & ventriculo proximis: quò fit vt præter alia accidentia, quæ solent comitari febres biliosas, sitis inextinguibilis, linguæ nigredo, & ariditas eis accidat, qui

Similitudo opposita.

Quibus distinguitur feb. putris à non putri synoche.

Ardentis à tertiana distinctio. ardente laborant, & illis notis à tertiana continua differt. Tussis, difficilis respiratio in pulmonum affectibus, & aliis quæ thoracem infestant, huiusmodi affectionum confusionem faciunt. Vicinitas renum & coli inuolutio nephriticum dolorem cum colico confundit: continuitas extremitatis penis cum vesica horum affectus confundit. Parùm cauti medici morbum esse in ea parte, ex doloris sensu colligunt, decepti quòd sensus maior sit in vesicæ extremo, quàm in reliqua parte: quia partes extremæ magis sentiunt quàm internæ: quod probatur exemplo morborum, qui in extremitatibus fiunt, vel hac ratione, quia nerui in extremitatibus coniungũtur, virtus autem coniuncta, fortior est seipsa dispersa. At huiusmodi affectus distinguntur partis reiectione. Nam extrema parte exulcerata pus eiicitur sine lotio: quòd si interna sit affecta, semper cum lotio exit. Dolor qui ad clauiculam ascẽdit, multos decepit quotidie in hepatis inflammatione, & dextræ partis pleuritide distinguenda. Morborum diuersæ & variæ species cognitionem nostram impediunt, & maximè qui inter se similes multùm sunt. Quamobrem operosa est omnino nostra cognitio: diuersitas enim parit confusionem. Si vnicus esset morbus, ab omnibus facilè & breui cognosci posset, si duo, nõdum esset difficilè: cùm plures sunt, iam promptum non est: verùm in tanta morborum & symptomatum confusione & varietate, quis potest negare vnum exactè cognosci morbum? Solet & symptomatum vehementium concursus, morbi cognitionem obtenebrare: eorum quippe magnitudo obscurat, vt maius lumen officit minori.

Distinctio affectionis vesicæ, & penis.

Quò certò cognoscere poterit, & futurum præuidere morbum prudens medicus. CAP. VI.

FVturorum morborum duæ sunt species: Alij enim paulò post, alij post lõgum tempus fieri solent. Horum aliqui cognoscuntur, alij nullo modo cognoscuntur. Non enim cognoscuntur qui causas aliquas habent fortuitas, non necessarias, vel communes multis, multas & tardas, quæ interuenientibus multis mediis suum effectum producere solent, & hi à prudẽtibus, & caussas cognoscentibus prænoscuntur. Qui paulò post euenire

nire solent, dispositiones euidentes, & occasiones manifestas habent, & necessarias vnius effectus caussas: quare non est difficilis eorum cognitio: omnia enim futura ex caussarum præcognitione deprehenduntur. At caussæ morborum aliæ sunt internæ, aliç externæ. Caussa externa non necessariò effectum producit, nisi interna moueat in morbis materialibus: interna autem multò certiùs. Calor enim solis, vel cursus, vel calidum alimẽtum, non semper febrem accẽdit, nisi accedat corporis dispositio, quæ facit vt leuis caussa multùm possit, vt qui obstructionem habent, & cacochymia laborant, facillimè in febres à caussa externa incidunt. Id autẽ ratione etiam physica colligimus. Nam caussæ omnes suum effectum producunt, si dispositio corporis, & mora sufficiens concurrant. Caussç verò internæ præsertem statim morbum suscitare solent: vt si putredo in humoribus facta sit, febrem dicere possumus: si humorũ crudorum copia, obstructionem: & obstructionibus putredinem, febrem, icterum, & alia ad has cõsequentia. Dent igitur operam studiosi, qui volunt futuros præcognoscere morbos, & illis occurrere, vt caussas cùm externas, tũ internas, quæ corpus nostrum immutare solent, calleant. Item dispositiones, & quam vim efficientes caussæ habeant, quantum in hoc vel in illo corpore efficere, vel quantum vires resistere possint. Hac ratione cùm penuriam tritici, & bonorum alimentorum, corruptorum verò copiam præuidemus, & morbos ex corruptione humorum & pestem prædicimus, iuxta illud Græcorum, μετὰ λιμὸν ὁ λοιμός: facit enim vt diu asseruata corruptáque alimenta edantur, legumina, & herbæ, & alia quæ laudata non sunt, vnde oritur cacochymia, quæ malorum mater est, hinc pestis oritur. Ex insignibus temporum mutationibus, & victus ratione multum immutata, morbos præsagire possumus. Magnæ item & incompositæ & intempestiuæ corporum mutationes morbos excitant, & ciborum vsus incommodus. Ob id à carniprinio statim morbi fieri incipiunt, tum ob saltationes, tum ob frequenter factas comessationes, & à pascate ob piscium, leguminum, & herbarum vsum, morbos expectamus futuros, ad quorum præcautionem iam dictis cibis quadragesimlibus addimus

Caussarũ morb. duo genera.

Dispositio[...]

piperum specierum genera, & quæcunque vim aromaticam calfacientem, concoquentem & discutientem habent. Legumina enim, pisces, & similia, flatus & cruditates gignunt, ventrémque distendunt, & ad articulos prolapsa, articulares inferunt morbos. Quamobrem non incommodè, vt lepidè dicebat, qui Aphor. Hipp. cuius initium est, Mutationes temporum pariunt morbos, & cõstitutiones, addere censebat, vulgi nimium tempore obseruato & abusu, quod Martinalia, Regalia, & huiusmodi Bacchanalia præter carniprinium solet celebrare. Item annus fertilis multis fructibus hortariis abundans, multos excitat morbos, aut quia annus fertilis esse solet, quum præcedens fuit humidus, vel etiam præsens constitutio humida est & pluuiosa. Ob frequentes verò pluuias humidius redditur corpus, & catarrhis aptum, & morbis qui ex putredine oriuntur. Talis fuit annus 1556. cùm hæc scriberem. Hoc quidam referunt ad fructuum multitudinem, ex quibus febres, putredines, & fluxus ventris fiunt, verùm hic annus fuit multùm insalubris, ante fructuum aduentum. Quare potiùs ad constitutionem humidam, quæ præcessit, hæc sunt referenda. Ex fructibus fiunt morbi circa autumnum: at eo anno morbi initio æstatis grassati sunt. Annus siccus magna ex parte salubrior est, quòd pauciores pariat morbos. Verùm qui eo tempore fiunt, breuiores & acutiores sunt. Quo anno frequẽtiora sũt pyra, cotonea, mespila, nuces & astringentia alia, fiunt dysenteriæ multæ, & alij fluxus ventris, & febres, quod à me frequenter est obseruatum. Huius rei ratio est, quòd qui talibus sæpè vtuntur, aluus est astricta, & meatus interni, quibus excrementa ad intestina solent expurgari, obstructi sunt, túncq. excrementa per aliquod tempus retinentur in corpore, multáque asseruantur, & acrimoniã acquirunt, vel putrescunt, quæ postea magno impetu fluentem diarrhæam, & dysenteriam efficiunt: cùm putrescunt, varias & difficiles febres excitant. Ex caussis internis præsentibus affectũ futurum præcognoscere possumus, vt si plethora ad vasa sit, vel ruptionem, si saltatio aut cursus, aut clamor, aut exsufflatio magna fiat, vel febres ex inflammato sanguine, vel in aliqua parte inflammatio gignitur, & in ea parte quæ imbe-

imbecillior erit, morb⁹ firmabitur, aut si alioqui ad hãc confluant humores, vt apoplexiam prædiximus iis, qui meracioris vini vsu caput replent. Ex plethora ad vires, febres, ex putredine sanguinis, vel internæ inflammationes, quibus ad summam est repletio, contingunt. Ex cacochymia bilis biliosas febres, tumores ex bile, pruritus, flatus ventris prædiximus. Febres quidem, si cutis densetur, & nimis corpus moueatur. Si crassior est humor, scabies tumorésque fiunt, potissimùm verò iis qui stuphis, balneis calidis & astringentibus, id est exiccãtibus, & immodicis exercitationibus vsi, humorem ad cutim traxerunt, & non euacuauerũt. Ad horum cognitionem plurimùm victus præcedentis rationem agnouisse iuuat. Ex colore item & sensu exacto vel hebeti prænoscere possumus, an in cute futuri sint morbi ex humoris corruptione. Tales enim sunt succi in nobis, qualia fuerint alimenta & tales morbos gignere solent, vt si bilis, biliosi fiunt: si pituita pituitosi: ὑδέρικος in toto corpore hydrops hydrocele, ascites ex recrementis serosi fiunt, vt & fluxus sanguinis. In hydropicis color indicat humoris dominium, nisi intrò confugerint humores. Et ex iis, quæ sponte reiiciuntur, humores in corpore redundãtes colligere oportet: plus enim eius humoris solet euacuari, cuius maior est copia in nobis. Ex sensu verò sic colligimus, si vlcerosa lassitudo, si pruritus præsentiatur, biliosum vel salsum esse humorẽ significat. Si refrigeratio aut stupor, pituitã: si palpitatio, flatum prædominantem indicant. Si cutis inæqualitas, ariditas cum obscuritate, quæ non ex adustione solis facta sit, melancholiam. Et quia permulti morbi, & multa symptomata, vt ex cruditatibus, sic ex aliis morbis & symptomatis præcedentibus fiunt, ad eorum præcognitionem scire oportet quæ symptomata mutuò sese consequuntur, & quæ symptomata aliquas partes affectas consequi solent. Nam ex his partes affectas licet deprehendere: vt tussis sequitur omnes thoracis affectus: atrophia, affectus partium nutritioni dicatarum, vel affectus partium principum, aut principibus subseruientium, vt pulmonum. Ad vlcera pulmonum sequitur hydrops, vt ad hepatis quoque, lienis, & mesenterij affectus. Ad calidas cerebri

affectiones, sequitur motio inordinata totius corporis, vt ad frigidas, quies, & ad humidas, somnus, & ad siccas, vigiliæ superperfluæ.

Ad scotomiam sequitur epilepsia, vel apoplexia, si multo sanguine plenum sit corpus. A longo aurium tinnitu, sequitur surditas. A lachrymis frequentibus, sequitur ægylops, & alij oculorum affectus.

A sanguinis sputo, phthisis A fluxu ventris in phthisi & marasmo, mors. A febre erratica, quartana. A diarrhæa biliosa, dysenteria, quia intestina redundant pituita ad sui conseruationem, ne excrementa attingant partes internas. Diarrhæa biliosa superueniens pituitam colliquat, & internam substãtiam arrodit, vlcúsque infert. A dysenteria, tenasmus. Ab hepatica dysenteria, hydrops. A fluxu ventris in hydrope, mors. A pleuritide non purgata, peripneumonia, empyeuma. A Peripneumonia quæ pleuritidẽ sequitur, mors. A pleuritide & peripneumonia habitis, fluxus ventris superueniens lethalis, nisi primis diebus accidat, & vacuetur materia quæ solebat morbum facere. Ab empyeumate non purgato intra 40. dies, phthisis. A punctura neruorum & tendinum, spasmus. Ad mensium suppressionem, & hæmorrhoidũ retentionem, aut earum immodicum fluxum, cachexia & hydrops superuenire solent. Itẽ sputum sanguinis in naturis biliosis maximè quotiescũq; pleuritis fit in partib. inferioribus, & in costis infimis, faciliùs curatur & meliùs, & sæpissimè fluxu ventris, sputũ sanguinis a dosi grauitate præsignificatur in eo, qui per interualla eum solet reiicere, maximè si tussi arida, vel vehementi infestetur. Ex mœrore & tristitia si diu perseuerent, etiamsi sit à caussa manifesta, melancholia tandem inducitur. Sãguinis verò sputum sanari vult Gal. sanguinis missione è vena basilica, cui aduersatur ratio optima. Incisa enim brachij vena, sanguinis maior copia attrahitur ad partem affectam. Quare meliùs est venam malleoli tũdere. Nam sic fit paulatim humorũ reuocatio à parte affecta, neque maior fit euacuatio, quàm necesse. A frequẽtibus crapulis & ebrietatibus capitis morbos, neruorũ cõuulsiones & resolutiones colligimus. Ex cruditatib. & motionibus à cibo, obstructiones prædicuntur, in corporis habitu,

Curatio sputi sang.

habitu, palpitationes. Ex pruritu scabies futura, quando materia pauca est. Ex frequenti argenti viui attrectatione tremor. Ex plumbi frequenti fusione, aphonia. Ex assiduitate circa fornaces præcipuè alchymistarum, rubedo oculorum. Ex Scirrho hepatis, aut alterius visceris, hydrops. A longo fluxu muliebri, vlcus in vtero. Ab vlcere penis malè curato, ὑστεροφήμωσις. Sunt aliæ morborum prædictiones quæ ex multis Hipp aphorif. colligi possunt. Pleuritis post longam febr. aut cacochymia superueniens, magna ex parte lethalis. Erit ergo facilè studioso, qui accidentia partes affectas consequentia tenet, & morbos sese mutuò cōsequentes, & ex causis morbificis præsentibus, futuros præcognoscere, & de euentu prædicere, & illis occurrere, eorum generationem impedire, eorum incrementum retardare, ἀκμὴν δ' ἐπὶ temperare, & exitum, qualis futurus est, præsignificare.

Methodus cognoscendi morbum incipientem, & quàm sit difficile. CAP. VII.

MOrbi cùm inchoantur, & vt plantæ nunc nascentes, vix cognoscuntur, nec nisi ab exercitato, peritóque medico, vt superiùs admonuimus, admodum difficile sanè est morbum iamiam incipientem deprehendere. Nam morbi solent dignosci ex suis pathognomonicis signis, & assidētibus: at illa obscura sunt ob eorum paruitatem, vt ipse morbus. Quare eorū beneficio vix morbum deprehendas Quomodo enim id nobis aliquid indicare potest, quod adhuc non sentitur? Quare non est mirum si non deprehēdatur, cùm sint, vel Hipp. teste, omnia circa principium imbecilliora, in statu verò vehementiora: si imbecilliora, minùs etiam sentiuntur. *Apho. 30. lib. 2.* Verùm alteram subesse caussam existimo, cur statim & facilè non dignoscantur, quia morbi quorum materia est furiosa, multi fiunt, & nondum firmati sunt, sed nunc hanc, nunc illam partem impetunt. Quare nos aliquando pleuritidem, ob illam à parte in partem mutationem fieri videmus, aliquando peripneumoniam, si rubent genæ, taléfque morbi per aposchyt. fieri dicuntur. Ob id est difficile nondum firmatum morbum deprehendere ob mobilitatem, vt Gal. 2. ad Glauc. voluit, sicque multi medici decipiuntur in morborum distinctione, qui fiunt

per defluxiones, & præcipuè quando materia iam breui concoquitur. Sed quia materia quæ fluit ab vna parte in aliam, & diu asseruata est in aliqua parte, iam ferè concocta, & ferè putrida est, ob id citiùs putrescit, quando fluit in vnam vel alteram partem. Accidit autem aliquando vt morbus non deprehendatur, propter alterius morbi admistionem. Etenim qui biliosus primò apparet, tandem pituitosus euadit, euicta scilicet bile, aut euacuata, permanente pituita, vt in articulari morbo frequẽter euenire videmus, & febribus spuriis. Quamobrem haud ineptè herbis nascentibus assimilantur. Sunt enim ex plantis quæ alia folia habent cùm erumpunt, alia cùm caules emiserunt, vt phu nascẽs lata habet folia perinde ac Elaphoboscus: deinde ita inciduntur, vt folia Smyrnij imitentur. Coriandrum perinde lato per initium est folio, vt apium, demum finditur, vt fœniculus. Multæ febres à sanguine mediocri excitatæ, in febres biliosas vertuntur, ob id morosa est omnino ac difficilis morborum exacta cognitio. Et danda est opera, vt omnia etiam minima attentè perpendamus, colligamúsque, & reuocemus in memoriam quæ præteriere, vt tanquam ex vnguibus leonem coniectemus. Dignoscũtur autem eadem ratione, qua futuros dicimus præcognosci. Quare in memoriam reuocare oportet quæ dicta sunt, scilicet caussas internas, & externas, quæ præcesserunt, & morbos excitare natæ sunt, vt præcedentem, tum præsentem, vitę ægrotantis institutum, sexum, morbos in eo tempore, vel in eo loco grassantes, vel qui grassati sunt. Item est æger rogandus, vel astantes de omnibus quæ præcesserunt, tum ex hisce quæ aliqua ex parte apparent, tu ipse tacitus considerare debes, vt ex illis omnibus aliquam morbi occasionem inuenias, vel aliquod accidens, ex quo possis colligere, vnde inuestigationis initium sumere valeas. Quòd si fortè inter narrandum, aut alio modo aliquam caussam ex morbificis te inuenire contingat, quid possit ipsa & quos morbos parere, considerandum tibi erit. Quòd si morbi alicuius suspicio nasci videatur, ex eius caussæ contemplatione, oportet quod factum est, referre ad illam caussam, & diligenter videre, si illius caussæ effectus esse hic possit per

Methodus cognoscendi morbos.

resolutionem inuestigatione facta: vel si symptoma aliquod reluceat, etiam videndum est cuius morbi, aut partis esse soleat symptoma. Id verò per resolutionem quæritur à symptomate ad omnes suas causas, quæ vel erunt morbi, vel alia symptomata. Illius verò symptomatis caussam quærere immediatam non cessabimus, quoad in morbi vel partis affectæ cognitionem hoc velut manu ducente deueniamus. Neq; erit statim inclamãdum *heureca heureca*, sed illius affectus notas omnes comprehensas æstimare oportet, an huic morbo incipienti conueniant. Quòd si talia pathognomonica sint, quantumuis debilia, bene sperare debemus, & quo certiores simus, oportet illam cognitionem ab oculis nostris seponere, & alium morbum huic similem, vel qui à cõmuni caussa fieri poterat, nobis proponere, & eadem ratione examinare, si ea quæ apparent, vel quæ à nobis concepta sunt, simili huic morbo conueniant, vel cui plus, cuíque meliùs conueniant. Quòd si primum meliùs repræsentant, primum esse putabimus, si secundum, secundum: hoc modo certi erimus in nostra cognitione. Neque nos pudere debet nostræ tarditatis: Nam sat citò, si sat benè. Inuenta enim morbi essentia, vel parte affecta, tutò exequitur, citóque omnia peragenda. Si in principio hæc omnia fecerimus, per totum morbi decursum certi erimus: si à principio errâueris, nihil rectè perficies. Grauis quippe error fit tandem, qui primùm leuissimus erat. Si qui pecuniam dant, recipiúntve, bis aut ter numerum suum referunt ad calculum, ne quis error contingat, quantò magis id pro vita hominis cunctantiùs facere debet Medicus? Præcedentis regulæ exercitationem demus. Fingamus nos ab aliquo vocatos ægroto. Primum à quo tempore ægrotare cœperit, quærere oportet, vt cognoscamus num sit incipiẽs nunc primum, vel iam nonnihil præcesserit. Si præcesserit, iam symptomata aliqua apparuerunt quæ in morbi cognitionem nos ducent. Si dicat eodem die incepisse morbum, quid fecerit eadem die, vel quæ præcesserint, interrogare oportet, num exercuerit supra modum corpus, aut comessatus sit, aut in victus ratione fecerit aliquam mutationem. Quòd si dicat exercuisse corpus in sole, potasse merum, alimenta

Qua methodo ſtẽdum morbo inueſtigando.

calefacientia, aut bilem generantia comederit, & constitutio aeris præcedentis calida & sicca fuerit, vel ipse calidus sit, calidum statim esse morbum putamus, cùm id singula præcedentia polliceantur. Corpus enim calfacere nata sunt. Quòd si ea parte anni, vel tertianæ intermittentes, vel continuæ grassentur, certè talem suspicabimur morbum: hęc enim non solum morbum esse significant, sed & morbi generationem, vnde morbi biliosi ideam animo concipimus. Quare si calidus sit valde ad nostrum contactum, si amarorem sentiat, si bilis aliquid euomuerit, aut deiecerit, si capite doleat, atque an omnia hæc, vel plurima adsint, inspiciendum est. Biliosę enim febris suspicionem facilè præbent. Quamobrem si biliosam febrem semel esse coniecerimus, sic deinceps procedemus, considerantes exercitationem quæ præcessit, si vehementior & in sole fuerit, si error, qui commissus fuit in victus ratione bilem generare, vel genitam accendere potuerit. Quòd si caussæ illæ valentes fuerint, corpus biliosum, rarum, & ad febrem dipositum, hoc potuisse gigni facilius credemus. Verum quia vel continuam, vel intermittentem febrem producere possunt, notas intermittentis & continuæ, huic morbo incipienti, nobísque incognito comparabimus. Primùm si cum rigore inceperit, rogabimus, quandiu durauerit prima accessio. Quòd si vel quinque, vel octo, vel duodecim horas durasse referunt, atque postea sudasse, & febrem ex eo in infebricitationem desiisse, tertianã intermittentem pronunciabimus. Si non desierit post 24. horas, etiam si sudauerit, nec aliquam remissionem senserit, continuam esse dices, etiamsi cum rigore inceperit. Solent nonnunquam aliquæ febres cum quadam inæqualitate & rigore, quamuis sint continuæ, incipere, quanquam ab Hip. dictum sit, Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. Quod sanè verum est si de insigni rigore, qui verus est rigor, dictum intelligatur. Ad nouam percunctationem redire oportet, vt cognoscamus ex quo genere febris continuæ sit. Nam synochos vel *synecis*, id est, cõtinua vel continens. Fiunt enim à sanguine, & aliis humoribus in venis putrescentibus febres continuæ. Quòd si continua sit à sanguine, verè continua

Tertianæ intermittẽtis indicia

Aphor. 63. lib. 4.

Noua percunctatio.

Continuæ febris signa.

nua illa est semper sui similis, & æqualis. Nam vel semper increscendo procedit, vel in eodem esse videtur, vel semper decrescit. Quòd si æger vel astantes fateantur, vt adhuc simus certiores, notas redundantis sanguinis inquirimus, vt si sit in vere & plethora appareat, si multum dormiat, si victus ratione multùm nutriente vsus fuerit, sanguineam esse febrem colliges. Neque verò hîc est insistendum. Nam cùm duplex sit febris à sanguine, alia ex putrefacto, alia ex inflammato, has distinguere oportet, quod potissimum hæc signa docebunt. Vel fit somnus à sanguine irrigante cerebri substantiam. Quare somnus longus magnam irrigationem indicat, quæ fit à multo sanguine. Si calor mitis fuerit, & plethora magis ad vasa, quàm ad vires, febrem ab inflammato sanguine certò affirmabimus. Quod si calor acris fuerit, & plethora magis ad vires, quàm ad vasa, & minùs dormiant, plus sitiant, putrefactum esse sanguinem, qui febrem excitauit, coniiciemus, prædicemúsque delirium maius, & ad septimum vel vltra se extensuram. Si verò à sanguine inflammato excitetur, quarto vel quinto, vel ad summum septimo die soluetur, nisi in aliam transeat. Quòd si non ex sanguine fieri ex notis cognouerimus, ex continentibus esse coniiciemus, scilicet quotidianam tertianam, vel quartanam continentes, quia fumi, qui eleuantur in cerebro ab humore putrido acriores sunt, & ideo vigilias inducunt, quas febres eadem methodo, eadem die cognosces, si consideres an multa bile abundet corpus, an sit æstas, an tertio quoq; die exacerbationem sentiat, calor acris & mordax sit, cum quadam cutis ariditate, vrinæ valdè flauę. Sed quia à bile duæ febres continuæ fiunt, considerare oportet num ardens sit, vel tertiana tantùm continua Sitis inexhausta, linguæ nigredo, & ariditas maximus circa vētriculum æstus, separat continuam ab ardente. Distinguntur enim febres & materia & loco, ex quo pēdet mali origo. Quare si hęc appareant, ardentem febrem, non continuam esse tertianam dicemus. Adde quòd hæ febres sunt frequentiores quàm vel quotidianæ, vel quartanæ continuæ. Quartana enim continua rarissimè fit, ob materiæ penuriā, nec nisi post intermittētes malè cu-

Sanguinis redundantis signa.

Signa corrupti sanguinis.

Quæ nota separent contin. ab ardente.

ratas, irritatas, aut exacerbatas, vel in pestilenti statu ob carbunculos venenatos grassantes. Quare optimè coniiciemus, si non sit tertiana, vel ardens, quotidianam, vel quartanam esse continentẽ, & illam potiùs quàm hanc quia frequentior esse solet. Id etiam ex accessionibus quotidianis circa noctem fieri solitis, & calore febrili minùs acri, & siti (nisi fuerit à pituita salsa) coniectabimus. Nam hîc maior est sitis, quàm in alia. Et ea est, quam Hipp. lib. 4. acutorum, ardentem appellauit, ex pituita salsam genitam, siti minùs vrgente à quotidiana continua significabitur. Iam vide quomodo ex caussarum calorificarum cognitione calorem in ægrotante præter naturam deprehendemus: quod fuit initium nostræ cognitionis dicendum. Nam bilem ex his caussis colligimus ex bile morbum biliosum. Et ex propriis cuiusque morbi biliosi notis speciem specialissimam febris. Ex accidentibus partium propriis breuiùs & citiùs ad affectarum partium cognitionem, & morbi dignotionẽ peruenimus. Vt si æger de *anorexia* queratur, oris vẽtriculi affectum esse dicimus, cùm illi proprium symptoma sit, vt pulmonibus inflammatis, maxillarum rubedo, fluxus sanguinis tenuis, & aquosi, similis loturæ carnium hepatis imbecillitatem significet. Vt certior fiat coniectura in ægrotis, alia quædam inuestigamus quæ faciunt ne decipiamur. Quare diligenter inquirimus num ea, quæ has coniecturas minùs certas facere possunt, fiant, vt si difficillimè respiret, aut si febris per fluxum sanguinis narium debet terminari, priusquã sanguis effluat, tota facies rubet, vnde ex eo signo pulmones laborare non est colligendũ, sed quotus sit dies, obseruandum, vt cognoscamus an instet crisis, an paulò post futura sit: vel si ægri sanitatis tempore facies sit rubicunda. Quòd si hæc non adsint, certissima erit nostra coniectura, & rubedo faciei Peripneumoniam indicabit, non hæmorrhagiam præsignificabit, si cum ea rubedine æger vix respiret, expuátque spumosa, pituitosa vel colorata ex bile, dolorem grauem in pectore sentiat vel puncturam in altero latere. Solent enim, qui etiam peripneumonia laborant (vt per dissectionem nouimus) sentire punctoriũ dolorem per consensum membranæ succin-

Accidẽtibus partes affectas cognoscimus.

Exemplũ singulorũ.

Signa peripneumoniæ.

ſuccingentis coſtas, vel in quibus hominibus pulmones membranis alligati ſunt. Nam alias liberi videtur. Fluxus ille ſanguinis diluti ſignum erit imbecillitatis hepatis, vt prædiximus, niſi fortè ab hæmorrhoidibus fluxerit. Nam corpora cachexia laborantia, ſanguine aquoſo abundant, quem per hæmorrhoidas reiiciunt. Quare diligenter erit diſtinguendum, num ab hepate, vel ab hæmorrhoidibus fluat. Id facillimum erit factu, ſi quis ſedem inſpiciat, vel balneum immittat, vt exploret an venæ ſedis turgeant, non enim illinc alioqui fluit ſanguis. Tumor & grauitas hepatis & color faciei non omnino illaudatus ab affectu hepatis eſſe fluxum illum ſanguinis oſtendit. Appetentia deiecta ob pituitæ dulcis redundantiam apparet, vel quia in principio paſtus vinum meracius æger aſſumpſit, quod famem ſoluere ſolet, vel iuſculis pinguibus, dulcibúſque eſt vſus. Quòd ſi hæc non affuerint, vitio oris ventriculi deiecta erit appetentia, vel calidæ intemperaturæ. Ergo ſi æger tuſſiat, à tuſſi inueſtigationis initium ſumemus, inueſtigabimúſque, ratione cuius affectus, vel partis hoc fiat. Agnoſcitur autem ex aliis accidentibus adiunctis, vt ſi tuſſiat & febricitet, & reſpirationis difficultatem ſentiat, & patiatur, ſputum reddat coloratum, ſi dolorem punctorium habeat, latus pati inflammationem dicemus: Peripneumoniam verò ſi rubeant maxillæ, vel difficilius reſpiret. Ex vno ſymptomate aliud cognoſcimus, & ex vno in aliud deuenimus, vt ex vno morbo in alium, vt ſi Atrophiam videamus corporis, illius ſymptomatis cauſſam inueſtigamus, diſtributionémque alimenti impeditam, vel alimentorum prauam confectionem ex eo arguimus. Impeditæ diſtributionis cauſſa poteſt eſſe gibbæ hepatis obſtructio, quam ex hepatis grauitate poſt ſecundã cõcoctionem, ſeu in trãſitu alimentorũ notabis: Vel intemperies in ſignis cordis, vel aliarum partium, quæ nutritioni ſunt deſtinatæ, vt ventriculi huiuſce rei cauſſa. Hinc manifeſtiſſimum eſt ex vno ſymptomate vel ex vna occaſione nos reſoluẽdo, poſſe inuenire partẽ affectam, & morbum ipſum, & hãc rationẽ in omnibus affectionibus ſeruare oportet vt citò & certò morbũ morbíque cauſſas cognoſcamus,

Signa imbecillitatis hepatis.

Indicia fluxus ſang. ab hepate.

Appetentia deiecta. Cauſa inappetentia.

A tuſſi morbi inueſtigatio.

Pleuritid. ſigna & peripneumonia.

Atrophia.

Obſtructio hepatis.

Nunc verò inuestigare oportet quomodo à genere communi ad speciem specialissimam venire possimus. Est enim facilè febrem cognoscere, difficillimum hanc ab illa dignoscere. Tamen hoc primum curare debemus, vt ad certum genus affectionum referamus.

Quomodo genus morbi inueniri queat. CAP. VIII.

AFfectuum multitudo vna est ex causis difficultatis cognoscendorum morborum. Facit enim confusioné multitudo, vt superiùs demonstratum fuit. Quare imprimis illa est auferenda aliqua ratione, vt facilior sit generis inuestigatio. Nam quemadmodum grana milij, vel papaueris nigri non facilè dignoscũtur in magno aceruo ex fabis, tritico, eruis, ciceribus, & reliquis simul confusis (occultantur quippe à multitudine aliorum.) Sic sane multi morbi ob aliorum mixtionem, & plurimorum symptomatum concursum, & confunduntur, & occultantur. Quare siquis velit parua illa semina inuenire, primùm auferat fabas, cicera, triticum, & alia maiora, quibus ablatis minima promptius deprehenduntur, ex eorum figura, magnitudine, colore, & cæteris. Eadem viâ parui morbi, aliorum multitudine semotâ, faciliùs deprehenduntur Ob id illum quasi infinitum morborum & symptomatum numerum redigere oportet ad summa quædam genera, quæ, quò magis vniuersalia sunt, eò nobis faciliùs occurrunt, & ab his descendendo ad vltimam speciem per differentias deuenimus. Sit igitur genus generalissimum affectus præter naturam: in quo genere & caussæ, & morbi, & symptomata comprehenduntur, & veluti tabella quadam picta habere oportet, quòd quicquid præter naturam accidit in corpore, vel est intemperies, mala conformatio, aut solutio continuitatis. Qualitas mutata retentum aliquod, reiectum, dolor, tumor, functio læsa, adnatum & vitium cutis. Nos paucioribus contenti esse possemus. Nam dolorem ad actionem læsam referendam esse dicere possumus, vel plura addere. Verùm ne ad paucitatem methodus esset difficilior, vel ob confusam multitudinem obscurior, his tantùm contenti esse voluimus. Et quòd symptomata complexi sumus, id factum est de industria, quia multi morbi, nomine symptomatũ significantur.

Similitudo.

Affectus præter naturam genus summum.

ficantur. Illa rationem causæ habent, alia symptomata producendo. Huius methodi vsus talis erit sic ratiocinando. Laborat aliquis: ergo affectus vnus est, ex iis quæ præter naturam dicti sunt, ratione cuius malè afficitur. Affectus verò hic, non vt in Philosophia, affectio Aristoteli, sed generaliùs pro dispositione, functione læsa, morbo incipiente, vel qualitate, & pro omnibus rebus quæ nostri corpori accidere possunt, sumitur. Oportet nos ad aliquem horum affectuum reducere morbum, id facere nequimus, nisi substractione aliorum generum. Quare si omnia vno excepto, ablata sint, quod reliquum est oportet hunc esse affectum de quo æger conqueritur. Substractio verò sic fiet interrogando ægrum vel astantes, si præsentes fuerint, vel eum, qui nos consulit: & debemus ab eo affectu incipere, qui manifestior est, vel ægro, vel astantibus, vt num dolore aliquo afficiatur æger. Nam si mente constet, non potest hunc ignorare. Quod si neget, adesse dolorem credendum est, & ad aliud magis manifestum genus veniendum est. Si dicat se dolere, eo modo progredi oportet, donec ad imam speciem doloris, & partem affectam venerimus. Hoc verò docebimus cap. seq. Rursum interrogandum si aliquid immodicè excernat, ei assentienti credẽdum, & quod reiectum est, considerandum, vt affectus speciem inueniamus: id etiam suo loco docebitur. De huius contrario statim quæremus, nunquid sit retentum, quod solebat effluere. Si annuat, quale sit, inuestigamus. Nam id sæpius morborum est causa. Tumor quia facilè sensu deprehenditur, de hoc nobis facilè constabit interrogãtibus, potissimùm cùm externus fuerit: At internum vulgus latet. Ob id rursus erit interrogandum an grauitatem, vel duritiam sentiant. Illis enim duabus notis tumores, qui ad insignem magnitudinem non peruenerũt, deprehendi possunt. Sed de eorũ cognitione postea. Quòd si aliquis ex his reperiatur, in hoc sistẽdum, nec erit opus aliorũ tumorũ inquisitione. Post tumorem, de adnatis percũctabimur, deinde ad solutionem continuitatis deueniemus, quia & ipsa euidens est. Deinceps cutis vitia considerabimus, quæ sanè visui conspicua erunt, vt si fuerit Scabies, Vitiligo, &c.

Methodi vsus.

De intemperie deinceps rogandus erit, num sentiat caliditatem, vel frigus in aliqua parte, aut toto corpore. Quòd si negat, ad aliud genus est descendendum, quod adhuc in qualitate sit, vt ad colorem, oris saporem, & alia quæ secundæ qualitates dicuntur. Quòd si nullum ex iis, necesse est malam esse confirmationem, aut actionem læsam. Hæc enim duo sunt reliqua: functio læsa dicitur, si malè videat, audiat, sentiat, gustet, ratiocinetur, concoquat, & alia vitæ munia perperam exerceat, quæ ab ægroto facilè resciemus. Quædam etiam ariolabimur. Si mala est conformatio, erit inuestiganda illius species, vt si fuerit vitiata figura, magnitudo, numerus aut coniunctio. Id erit faciendum quando neque ex vrina, neque ex alia occasione, aliquod initium inuestigationis possumus habere. Nam si morbus aliquis grassetur, ab eo inuestigationem inchoabimus, aut saltem ab eo aliquam suspicionem habebimus.

Functio læsa.

Conformatio mala.

De doloris specie inuenienda & parte affecta.

CAP. IX.

QVia dolor tristis sensus ab ægrotis facilè sentitur, nisi mens laboret, optimum erit è dolore inuestigationis initium sumere. Sed vt partem affectam methodo inueniamus, prudenter interrogare ægrotum oportet, vel eum, qui nos adit consultandi gratia, num doluerit, quia fieri potest, vt cessarit post excitatam inflammationem, vel quia lassitudo spontanea morbos præcedere solet, vel dolor in aliqua parte sentiebatur, postea non sentitur, vt in Pleuritide, cùm in Peripneumoniam mutatur, aut cùm superuenit Phrenitis aut Paraphrenitis. Si respondeat toto corpore dolere, aut doluisse, corporis lassitudinem, seu corporis defatigationem indicat. Sed vt certiores simus, num sit lassitudo spontanea, & lassitudinis speciem cognoscamus, rursus illum interrogare oportet, si præcesserit cursus, aut saltus, vel motio aliqua immodica, quæ sufficiat ad faciendum lassitudinem seu corporis defatigationem. Ex iis vbi præcesserint, colligimus non spontaneam esse lassitudinem. Et quia lassitudinum spontanearum tres sunt species, vt quæ infestat inueniamus, interrogare oportet num sentiat membra fracta, vel cæsa verberi-

Laßitudinum tres species.

bus. Quòd si annuat, sensiuam lassitudinem esse oportet: si neget, sciendum est an puncturam in cute sentiat. Nam exulceratoriæ indicium est, aut conuulneratoriæ. Quòd si vtrunque sentiat cum tensione & calore, inflammatoriam esse dicemus. Quare talem affectionem esse noscemus, & futuram prænunciabimus, & materiæ antecedentis naturam. Tensiua enim morbos à plenitudine indicat: Vulneratoria, à cacochymia. Iam si quis iis indiciis adiungat aëris constitutionem præsentem, & quæ præcessit, & quæ futura est, particularem naturam ægrotantis (qui biliosus est, potiùs corripietur lassitudine vlceratoria, quàm tensiua, aut phlegmonode) morbos peculiariter grassantes, & notas illorum morborum, de quibus suspicionem habemus, morbum præsentem, vel futurum certò præcognoscemus. Quòd si æger in toto corpore, sed magis circa omoplatas, pectus, circa tempora, & aures, vel artuum iuncturas sine tumore sentiat dolorem, de morbo Italico suspicandum est, quia hæ partes in eo morbo sæpius dolent. Quòd si huius morbi materia frigida sit, & hæ partes, quia frigidæ, à frigido facilè læduntur, neque tamen statim ferenda est sententia, quàm priùs intellexeris, rem habuisse cum muliere immunda, & alia signa adiunxeris. Si verò æger respondeat se non dolere toto corpore, particulatim quærat an caput doleat, an ventriculus, an latus, renes, omoplatæ vel aliæ quædam partes. Frequentiùs enim dolent capite & ventriculo, quia in multis morbis hi dolores fiunt. Quòd si respondeat, caput, vel aliam partem dolere, iam sciendum est, num per consensum an primariò id accidat: vt si caput doleat per consensum ventriculi, vteri, aut aliarum partium. Si in clauicula dolorem sentiant morbo in latere existente, aut hepate, aut liene, aut alio viscere. Scimus autem dolorem fieri secundariò & per consensum, cùm morbi alicuius notæ in aliqua parte affecta apparuerint, vt si primùm dolere cœperit stomachus, si nausea præcesserit, acidus ructus, vel nidorulentus, &c. per consensum ventriculi hunc esse affectum credimus ob cruditatem. Quòd si vomat, & à vomitu dolor remittatur, vel à cibo per consensum ventriculi,

Morbi gallici indicia.

Morbus per consensum ventric. quò discernitur.

hæc fieri credemus. A cibo, qui fit dolor à caussa calida, vel morbo Italico, remittitur, non tamen qui fit ab hac lue, fit per consensum ventriculi, sed ob distentionem membranarum cerebri, aut pericranij. Per consensum semper aliqua pars laborat, quæ alicuius alterius partis sequitur affectum, quem ex iis quæ præcesserunt, & notis cuiusque partis deprehendemus. Et illę peculiariter solent per consensum laborare partes, quæ cum primariò laborantibus natura consensum particularē habent, vt vterus cum posteriore parte capitis, ventriculus cum capite, vterus cum inguinibus, & mammis, iecur autem cum clauicula & dorso, & costis mendosis, circa partem dextram: Nam ipsum est in dextris, idque per membranam succingentem costas, quæ & diaphragma constituit, & cum peritonęo iungitur, quibus duabus tunicis omnia inuestiuntur viscera. Extremum mentulę cum vesica habet consortium, & intestina cum ventriculo, nerui omnes cum cerebro, rectum intestinum cum vtero, & collo vesicæ, & contra. Quæcunque enim similem substantiam habent vel continuitate, vel venis, arteriis, & neruis simul iunguntur, ea particularem consensum, vel consortium habere dicuntur. Cùm inuestigando iam inuenerimus ægrotum aliqua parte laborare, interrogare oportet an interna, an externa magis doleant. Præterea doló:ne punctorio an tensiuo, an graui, vel pulsatorio. Et quia ægri hæc non intelligunt, sunt interrogādi per periphrasim, quę doloris proprietatem exprimit, vt si suspicemur dolorem esse punctorium, vt in doloribus capitis, & laterum fieri solet, quæremus nū sentiant se veluti acu, aut stylo pungi, si annuat, doloris speciem habes, & partem affectam. Est enim membranarum dolor talis. Si dolorem tensiuum esse putamus, quærimus an velut distentionem quasi pars foret rumpenda, sentiat, idque cum grauitate fit, vel leuitate. Illud verò repletionem humoris, & ab ea distentionem significat: hoc est flatibus aut spirituosa substantia fieri ostēdit. Si dolor sit pulsatorius, sentiat arterias circa illā partem multùm pulsantes, quia cōprimuntur. Quòd si pars comprimatur, dolorē leuari ex molli cōpressione sentiunt. Grauem dolorem patiuntur cùm veluti pōdus

Quæ partes dicuntur per cōsensum laborare.

An dolor internus vel externus.

Grauitas cum tēsione quid, aut leuitas.

ſentiunt: Pars etiam quæ laborat, ſpeciem doloris indicat. Nam ſi pars exactè non ſentit, vt ſola ambiente tunica, huic grauis eſt dolor, ſi membrana doleat, punctorius. Si locus arteriis compoſitus, & pauca carne, multis conſtitutis membranis, quæ ſpatio anguſtiori coercentur, vt in temporibus videre eſt, pulſatorius ferè fit dolor omnis, idque potiſſimùm accidit, partibus exteriùs laborantibus. Quòd ſi externam partem laborare dicat æger, ea erit tangenda, vt tumorem deprehendamus, ſi quis ſit, calorem etiam & frigus. Quòd ſi tumor appareat, videndum eſt num rubeat, caleat, pulſet, quæ phlegmones notæ ſunt. Si plus caleat, minus tumeat, minúſque rubeat, eryſipelas cenſendus tumor talis. Sin multum intumeſcat, nihil aut parum doleat, tumor ſit laxus, albúſque œdema eſt. Si durus & ſine dolore, ſcirrhus. Si durus & cum dolore punctorio, cancer. Sed hęc omnia exactiùs in tumorum diſtinctione docebuntur. Si dolor fuerit cum calore, aut frigore partis, ſed ſine tumore, intemperiem quandam, eámque ingentem admodum eſſe dicimus: atque is dolor ſi diu perſeuerer, inflammationem aut abſceſſum expectare oportet. Si internam partem dolere dicat æger, vt ſciamus num ſit cum inflammatione, aut ſine inflammatione, interrogandus eſt num ſitiat, & caleat toto corpore. Siccitas tamen non poteſt vehementes inferre dolores (neq. enim affatim fit, quod requiritur in dolore excitando vehementi) humiditas etiam non niſi ob copiam. Quare propria caliditas aut frigiditas habent dolorem. Id ſi fateatur, febrem adeſſe oportet, & ex conſequenti inflammationem: ſiquidem materia à longinquo trahitur. Nam ſi à proxima parte, fit abſceſſus, & omnem tumorem calidum ſignificat. Quare ſtatim notas illius affectus proponere oportet: vt probemus noſtram coniecturam, vt ſi in latere ſupra vel infra coſtas mendoſas ſit is dolor, tunc quærenda erit doloris ſpecies. Si ſit punctorius, pleuritidem ſignificat: ſi grauis, hepatis, vel lienis inflammationem, quum febris adeſt: ſine febre ſcirrhum eſſe oſtendit. Id verò eſt cùm dolor infra coſtas ſentitur. Cũ ſupra mendoſas, & difficillima eſt reſpiratio, & tuſſis adeſt, ſciendũ rurſus an grauis dolor eſt, an punctorius. is

Pars affecta ſpeciem indicat.

Phlegmones ſigna.

Oedematis & ſcirrhi intẽp. ſigna.

Philo. 4. meteoron.

enim certò pleuritidem, ille peripneumoniam mõstrat. Grauis dolor cum situ partis, sedem affectam, & morbi genus perpetuò indicat, vt si fuerit circa renes grauitas cum febre, in renibus inflammationem esse coniicimus. Si circa dextram partem, & cum tussicula inani, & aliquantula respirationis difficultate: iecinoris affectum declarat. Si in sinistra hoc sentiatur, ferè ad renum regionem, & ad inferiorem partem ventriculi splenis morbus erit. Si circa regionem vesicę, cum aliqua retentione vrinæ, vesicæ inflammationem. Si circa vmbilicum cum vomitu fœtido, & alui astrictione, gracilium intestinorum inflammationem significat. Id enim accidit collo vteri inflammato, sed absque grauitate. Si inter vmbilicum & thoracem, quasi ad partem posteriorem vergens cum vomitione, & nausea, vel cardiogmo, vel syncope, oris ventriculi superioris inflammatio est. Quòd si dolor in anteriore quoque parte sit, ventriculi ipsius. Si dolor à parte posteriore, & renum regione ad partem anteriorem vergens, fuerit acutus, & vehemens, calculus in vreteribus est impactus, vel delabitur, vel etiam pituita viscosa, vel pus affatim tenditur. Si à sinistro ad dextrum per superiorem partem ventris dolor moueatur, colicus est iudicandus. Si dolor in capite sit, & febris adsit, interrogare oportet, si cum febre incœperit, vel paulò pòst: si incœperit & perduret vsque ad statum, aliquam internam partem affici significat, & futurum delirium ostendit. Si non durauerit, aut fortior tandem sit factus, vel incœperit post tertium aut quartum diem, earum dierum numerum scire oportet. Nam si morbus et acutus, æger iuuenis, facies rubicunda, fluxum sanguinis narium significat, vtilem quidem si præcesserint signa concoctionis, neque peripneumonia sit vel lethargus. Quòd si sit peripneumonia pituitosa, & non præcesserint signa coctionis, malum erit, quippe experientia est obseruatum in lethargo & peripneumonia pituitosa esse noxiam hæmorrhagiam è naribus, vt Galenus 3. Cris. annotauit. Quia non purgatur hac euacuatione materia efficiens peripneumoniam pituitosam, vel lethargum, sed vires tantùm deiiciuntur. Si caput doleat, & facies non rubeat, nec venæ turgeant circa collum, frontem & faciem,

Inflãmationis intestinorum gracilium signa.

Ventriculi oris superioris inflãmatio.

De distinctione doloris capitis.

Quibus noxia hæmorrhagia.

ciem, sed tremat labrum inferius, & erosio circa ventriculum sentiatur, aut tensio, aut inflammatio, crisim per vomitum præsignificat. Si hæc, die crisim præcedente, appareant, vt si quando caput laboret, totum corpus commouetur & labrum inferius, expectanda est crisis per fluxum sanguinis narium, si tunc materia in capite cõtineatur. Si doleat caput sine febre, interrogare oportet an totum corpus, an pars tantùm laboret. Si vna duntaxat, an sit dextra, vel sinistra, & superior vel inferior, atque interna an externa, item an continuò infestet, an identidem repetat. Si frequenter accidat siue cum vomitu, siue absque vomitu, cùm hoc fiat statis temporibus, hemicranæus dolor appellatur. Si anterior pars capitis doleat, cephalalgea dicitur libr. de Locis affectis. Cùm est à multo tempore dolor, cephalea dicitur. Doloris caussam ex iis quæ diximus, facilè erit inuenire; vt si tensiuus fuerit absque grauitate, ex vaporibus est: si vehemens & punctorius, ab humorum acrimonia est, vt fit in collo vesicæ, quod exactè sentit, non verò in vesica, licet membranosa sit, quia minùs sentit. Si cum grauitate & pulsatione est plenitudo, quo tempore soleat potissimũ infestare, scire oportet. Nam si noctu doleat, & cum insigni refrigeratione partiũ externarum, si magis circa tempora, & aures cum frequenti sputione, cum dolore sterni & omoplatrum, certissimum est morbi Ital. doloré esse. Quare interrogare oportet, nũ aliquando sit passus hunc morbum, vt sciamus num morbus sit incipiens, vel recidiuus tantum. Quòd si fateatur, morbi cognitionem habemus. Si constanter neget, aut quia ignorat, aut quia celare vult, occasionem morbi, aut ea quæ præcesserunt inuestigare oportet, vt si tumores venerei præcesserint, vel parastatarum inflammatio, quæ vulgò dicitur *pissechaude* fiátque à semine acri accumulato & putrescente in Parastatis, vnde ægri purulenta deiiciunt, dolorem Hispanicum esse certissimum est. Aut si post humectationem pedum, capitis dolor recruduerit cum aliis prædictis signis, recidiui morbi notæ sunt. Quòd si morbus antiquatus sit, inspicere oportet, si circa caput tumores appareant, qui aliquando sua sponte discutiuntur, aliquando perseuerant. Possunt enim

Vomitus indicia.

Hemicra. & cephal. signa.

Caussas doloris capitis inueniendi ratio.

Morbi Italici certissima signa.

Hispanic. morbus.

ſine tumore dolores caput tentare, ſicut articulos, quòd huius morbi maximum eſt ſignum. Fiunt enim dolores in aliis morbis in ipſis articulis, ſed non ſine tumore. Si ſentiat hircitatem, & quaſi erectionem pilorum, morbum iam firmatum eſſe certum eſt. Quòd ſi tumores in tibiis, vel in ſterno, vel fronte, vel brachio, cubito, femore, vel ſint tumores ſcirrhoſi, inueteratum morbum eſſe oſtendunt. Si remediis conuenientibus adhibitis, hæc non curentur, etiam ſi negent, morbus tamen eſt Hiſpanicus, cùm ea certiſſima ſint indicia. Si doleant vẽtre ſine retentione aut immutatione vrinę, & alui excrementorum præceſſerit cohibitio, ex his colicus dolor ſignificabitur. Quòd ſi contra immutetur, aut retineatur vrina, fluentibus alui fecibus, & dolor in hypochondria dextro vel ſiniſtro ad illa magis ſentiatur, aut etiam à parte poſteriore ad interiorem vergat, nephriticus eſt. Si doleat mulier circa coxam, aut inguina, interroganda eſt num enixa fuerit, aut paſſa abortum, aut immodicè fluxerint menſes, vel recenti ſint. Ex his arguimus non eſſe coxendicum dolorem, ſed in vteri ligamentis vitium conſiſtere. Quòd ſi hæc non præceſſerint, ſitque dolor magis in interna parte quàm in externa, & antica magis, quàm in poſtica, dolor coxendicus eſſe poteſt. Articulorum dolores partem affectam, & ipſum affectum indicant, ſed cùm ſint aliqui per defluxionem facti, alij tantùm per decubitum humorum, ſcire oportet num per defluxionem, vel per decubitum fiant. Qui ſenſim fit ſine magno tumore ab inſigni frigiditate, & à recrementis ſenſim in parte imbecilli collectis qualis eſt qui fit à morbo Ital. per decubitum fit. Qui cum magno tumore & affatim, per defluxionem bilis, vel pituitæ tenuis, vel amborum permixtorum, vel ſanguinis, vel melancholiæ, ſi Paulo Æginetæ credimus. A ſanguine quidem fieri poteſt, ſed à melancholia rariſſimè. Nam quemadmodum pleuritis non fit niſi raró à melancholia (vt docet Hipp.) Qui acidum eructant, raró pleuritide corripiuntur: ſic neque articularis morbus. Eſt enim humor craſſior, quàm poſſit affatim defluere, aut in tam denſis partibus recipi. Adde quòd melancholicus ſuccus ſine dolore tumorem facit, & aliquãdo ſine ſenſu, vt in ſcirrhis

Colici morbi & nephritici ſigna.

Vitium ligament. vteri.

Doloris per decubitum vel per defluxionẽ facti ſigna.

rhis apparet, idque vel quia stuporem inducit sua frigiditate, vel sua siccitate, ἀναισθησίαν partis aufert, vel sua crassitie obstructionem partis facit. Quare non videtur Pauli sententia satis certa & euidens. Dignoscitur autem doloris materia à tumoris magnitudine, & doloris proprietate, necnon à victus ratione, quæ præcessit. A bile fit subitò, & subitò dissoluitur sine magno tumore, & cum maxima caloris acrimonia, & vt breuiter dicam, quæ in erysipelate apparent, omnia spectantur hîc. Iuuenibus magis quàm senibus, viris magis quàm mulieribus accidere solet, eúmque frequẽter natatione in aqua frigida, & aquæ potu curaui. A pituita verò fieri certissimum est, sed non sola: facit enim tumores indolentes, & laxos, qualis non est Articularis morbus. Sed si quando à pituita fit, intellige fieri permixta bile, vel fece, vel spiritu, à quibus dolores fiunt in parte sensili. Quare non œdemati simplici, qui laxus est, & indolens, sed erysipelatodi, argumento est, quod vbi ea quæ præter pituitam sunt, ob suam tenuitatem discussa fuerint, rubor & dolor abeunt, remanente tumore laxo in dolente, cum impotentia membri. & tandem pituita, quæ remansit, crassescente, tophi fiunt, siue nodi. Tumores articulis facti ab humorum crassiori parte, à calculis loco differunt, vnde nephritici sæpè euadunt podagrici, & contrà. Qui laborant colico dolore à caussa frigida, sitiunt aliquando propter clamationes. Quare quærendum, num sentiant caliditatem in toto corpore: quòd si fateantur, huic dolori interno coniungitur febris. Costæ omnes habent duas membranas, vnam propriam Præcostum vocant, alteram communem, qua costæ omnes integuntur. Si igitur patitur æger inflammationem in ea communi, non potest decumbere in latus affectum, quia humor impactus facit distentionem, & inde dolorem excitat: Quòd si inflammetur membrana propria, idem non accidit, neque dolet æger in latus affectum decumbens. Dolor punctorius proprius quidem est membranis affectus, non tamen omnibus, sed his quæ alligantur ossibus, aut ea inuoluunt. Si enim ossibus non alligetur, vt videre est in membrana inuoluẽte iecur, pulmones, cor, & vesicam, &c. hoc punctorio dolore non vexantur.

Tumoris à bile indicium.

Costarum duplex mẽbrana.

De tumorum cognitione, & specierum inuestigatione.

CAPVT. X.

POst dolores, hîc de tumore nobis agendum est, non quòd oporteat in inuestigatione morbi necessariò hunc ordinem sequi, nisi quãdo nullius alterius generis suspicionem habemus. Nam si de intẽperie suspicemur, de hac scito quod nõ est dolor. Id enim est primũ quod quærendum statim sciscitamur, & reliquis omissis, ipsius caussam & speciem perquirimus. Eadem ratione de soluta vnitate, retento, reiecto & aliis, semper ab eo exorsi, de quo suspicio est. Sed tumorem dolori subiunximus in tractatione; quia dolorum comites esse solent, imò necessariò sequũtur, si hîc diuturni fuerint. Et quia sensus, tumores eos, qui externi sunt, statim deprehendit, cùm nihil aliud quidquam sint, quàm quod apparet, de tumore externo nemo dubitabit. Quare de hoc tantùm, si quid rogemus, speciem quęrimus. De interno verò quærimus an sit, quid sit. & ægroto non credimus perinde ac in externo. Non enim possunt ægroti semper internum deprehendere, sed præstantis est medici eum cum tegmyriis & propriis notis dignoscere posse. Quare si æger dolorem passus sit, aut patiatur, vel ex alto ceciderit, vel fuste percussus fuerit, tunc num tumor externus aliquis inde factus sit, non immeritò rogabimus: neganti vel asseueranti credendum est Nos tamen ex caussarum natura etiam futurum prædicere possumus. Si est tumor, de magnitudine & paruitate quærendum Item sitne vnus an plures, cum dolore vel sine dolore, affatim ac sensim magnus euaserit, durus vel mollis, tensus seu renitens, an tactui cedens cum pulsatione, vel sine pulsu. Iam si magnum esse respondeat & vnicum, affatímque factum dolorificúmq; inflammationẽ esse colligere possumus, cuius rei vt certiores fiamus, an rubeat, caleat, renitatur, & pulset, deinceps inquirimus. Nam sic verè & certò inflammatio dici debet, faciet etiam ad ampliorem cognitionem, partis affectæ dignotio. Nam in omni parte iam dicta omnia euenire nequeunt, vnde loci natura affectus quoq; nomẽ indicabit, vt si in occulto adsint rubor, dolórque, Ophthalmiã esse dicemus. Neq; enim pulsat aut renititur. Si tumor in toto capite appareat, sítque carnosus

Tumores interni.

Ratio inuestigãdi tumores.

Loci natura nomẽ affectus indicat.

sus, mollis & laxus, Hydrocephalea dicitur, & videtur esse affectus illius partis capitis, quæ pilis integitur. Morbus est peculiaris pueris & mulieribus propter humiditatem. Fiunt alij tumores in capite, qui Talparia dicuntur, quia ad instar aggerum, quos faciunt Talpæ, apparent. Tumores multi per morbum Italicum accidunt ob ossis corruptionem in morbo antiquato. In minus antiquato fiunt etiam, sed sine aliqua ossis labe, quippe à vaporibus frigidissimis, & humidissimis, iique frequenter locum mutant qui fiunt à pituita, aut flatibus. Aliquando à pituita parti infixa vehementissimi dolores excitãtur, qui noctu magis infestant, & calidissimis iuuantur. Ob id ad ignem semper habere caput cupiunt Nam vehemẽs tum caliditas, tum siccitas eos dolores leuat, mediocris excitat. Si faciem dicat tumere, de colore oportet interrogare. Si enim rubea sit, & sine magno tumore, & cum feruore, Erysipelas affectus est. Nam solet frequenter huic parti accidere. Si magnus fuerit tumor, & sine rubore, Catarrhũ vocãt. Ob id num dens doluerit, interrogare oportet. Si enim talis dolor præcesserit, pituitæ defluxio est, & tumor Oedematodes potius cẽsendus est Si tota facies multùm tumeat, & rubicunda sit, vera inflammatio est. Si huic accedat obscuritas, & vesiculæ fient Phligtenis similes, Carbũculum esse dicimus. Si in collo tumor fuerit vnicus, anginam esse certum est. Si plures sint tumores duriq;, Strophulas esse putamus. Si post morbum acutum protractum, tumor circa aures appareat, dicitur Parotis affectio. Si in mento & alijs partibus circumuicinis sine inflãmatione & duritie tumor videatur, si in locis degat æger montuosis, & niuosis, vbi fieri solent Broncochellæ, talem affectum esse dicimus. Si in alis tumor est post morbum acutũ, neque grassetur pestis, bubo est criticus Si in eadem parte duri appareant tumores etiã Strumæ dicũtur. Hoc enim medicis omnibus nondũ vulgò receptum est vt omniũ quauis in parte glandularum Scirrhos Strumarum nomine significẽt, vt inflammationes communi bubonis appellatione explicant Si in pectore tumores fiant, vel in sterno, vel supra costas multas, vel vnã tãtùm, sic erit distinguendũ. Cùm supra sternum aut vnã costã fiunt, atque sensim accidũt,

Hydrocephal. *Talparia.* *Tumorum faciei distinctio.* *Erysipelas* *Catarrhus & eum cognoscendi modus.* *Inflãmatio.* *Carbunculus.* *Angina.* *Strophula.* *Parotis.* *Broncochella.* *Bubo criticus.* *Tumores pectoris,* *Morbi Italici.*

de morbo Italico suſpicandū eſt. Quare ad alia ſigna recurrere oportet, quò certiores fiamus multis conueniētibus. Vni quippe tantùm confidere non eſt tutum Rarò autem ſic fiunt tumores ſine morbo Italico, niſi ex fractura aut laxatis ſterni vinculis, vnde gibboſitas anterior accidit. Sunt ferè hi tumores abſque dolore Si ſupra nothas coſta fiat tumor, Pleuritis externa, vel abſceſſus, vel Rupia dicendus affectus eſt. Quare ſi fiat repente, Pleuritis externa eſt: ſi ſenſim & ſine magno dolore, & quadam circumſcriptione, Lupia erit Si cum dolore, abſceſſus. Mammis tumore affectis debemus interrogare an ſit magnus, an paruus, ruber calidúſne: nā ſic erit inflammatio partis. Quòd ſi tumor non fuerit magnus, iterum quærendum eſt an cum duritie, vel ſine duritie: ſi durities ſenſim facta ſit, & poſt menſium retentionē, & cum dolore punctorio liueſcat, aut obſcurior ſit pars, de Cancro ſuſpicio habenda eſt. Quòd ſi lactāti tumor durus factus ſit, Scirrhum glandularum, vel caſeationē eſſe coniicere oportet. Sed in Scirrho nullus eſt dolor: in caſeatione dolor eſt ſimilis inflammatione. Circa ventrem tumores fiunt, vel in toto vētre & erit Hydrops: vel in aliqua parte, vt inter vmbilicum & Xiphoidē, in quo frequentiſſimè decipiuntur medici. Nam ventriculi tumorem, potiſsimum oris ventriculi eſſe credunt: verùm ſitus, durities, grauitas, & quæ conſequuntur hepatis affectionem, vt cachexia, iecinoris tumorem indicāt. Quòd ſi cum febre & dolore eſt inflammatio; ſi durities eſt ſimul cum febre, & dolore, Scirrhoſam inflammationem denotat, potiſsimùm ſi ante febrem Scirrhū perſenſerint. Tumores autē vētriculi magis paulò ſupra vmbilicum, & cum inflatione, ac tenſione potiùs, quàm cum duritie eſſe ſolent. Splenis tumor in parte ſiniſtra multùm infra coſtas ſentitur, ſi fuerit maximus: ſi minor eſt, ſub coſtis mendoſis & inferioribus percipitur. Fiunt tumores in muſculis epigaſtrij, qui hoc nomine diſcernūtur, quod muſculi figuram quandam retineant, cui inſunt. Sunt magna ex parte abſceſſus, vel Scirrhi, & magis ſub vmbilico, quàm ſuperiori parte, vel quia humores facilius decumbunt in inferiorē, vel quia venę inferioris partis oriuntur è venis ortis à ramis venarum, ex quibus venæ colli vteri oriun-

Pleuritis externa. *Lupia abſceſſus.* *Cancer. Mamm.* *Scirrh. caſea.* *Tumor iecinor.* *Tumor ventris.* *Splenis tumor.* *Epigaſtrij.*

oriuntur, quæ crasſiorem & magis melancholicum ſanguinē continent. Ob id virginibus, & viduis iſti tumores frequentiores fiunt, & magis fiunt in medio ventre, ſcirrhi verò ſupra aponeuroſes muſculorum, abſceſſus verò magis ad latera vergunt, & inter muſculos obliquos, vel inter tranſuerſum & obliquū aſcendentem. Si tumor in vmbilico appareat, omphacocele dicetur. Si verò in alia parte ventris inferioris, vel ſuperioris non durus tumor fiat, aliquando apparens, aliquando latitans, peritonei ruptura eſt, atq; ſi in ventre virorum inferiori talis appareat, etiam relaxatio peritonei eſſe poterit citra ruptionem, circa foramen, per quod in ſcrotum deſcendunt vaſa ſpermatica, elongātio in modum crumenæ cum ſuis cōtentis epiploo, ſcilicet, vel inteſtinis, vel vtriſque. Et ſi inferius prorumpat, ſecundum quod magis vel minus fiet lapſus, diuerſam ſedem conſtituet. Vbi enim ad pubem tantùm perueniat, Bubonocelem facit: quieſcentibus ægris vix apparet; poſt ſaltum autem & deambulationem conſpicua eſt. Nec eſt prætermittendum talem etiam à rupto aliquo epigaſtrij muſculo fieri aliquando poſſe: verùm ſi ſupra dicta elongatio, ad ſcrotum vſque producatur, enterocele appellabitur, quæ omnes etiam à ruptione contingere poſſunt. Diſcernuntur autem ſecundum cauſſas, vt ſi à ruptione ſint ea, quæ tumorem faciunt, nulla in ſcroto propius tactui occurrunt: Si ab elongatione cum maiore renitentia, & tanquam in ſecundo vaſe ſentiuntur, quæ vbi in ventrem recipiuntur, tumor ceſſat, hácque nota diſcernuntur hæ duæ herniarum ſpecies à reliquis, quæ in ſcroto conſpiciuntur, quæ etiam à talibus cauſsis originem non habent, ſuntq́ue hę pneumocele, hydrocele, ſarcocele, & circocele. Pneumocele leuitate perſpicuitatéq; ab hydrocele diſtinguitur. Sarcocele tumore & duritie teſtis dignoſcitur. Circocele tumorum diuerſitate & paruitate in epidydimo & vaſis ſpermaticis ab aliis herniis diſtinguitur, nec non in ſcroto inflammatio eſſe poteſt. Diſcernuntur autem omnes alij tumores ab inflammatione, quòd huic propria ſit rubedo, calor, pulſus, renixus, &c. Fiunt & multi tumores ſcirrhoſi, qui, vt ſupra dictum eſt, cheradum nomine, cùm multi fuerint, explicari poſſunt. Fit etiam

Periton. ruptura an relaxatio.

Diſcrimē à cauſsis.

De herniis.

Phyma, Phigethlon & aliæ glandularum inflammationes circa eam partem. Tumor peculiaris mentulæ est Priapismus: est autem tensio mentulæ continua. Solet iis accidere, quibus sunt vlcera in extremo penis, vel propter tensiuam lassitudinem illius partis, & frequentem coitum cum virginibus. Fiunt quoque tumores ob vlcera tibiæ, vel pedis circa inguina, sed qui ob vlcera pedis dolentia fiunt tantum, communi nomine Bubones dicuntur, qui verò ex coitu accidunt, venerei peculiariter nominantur, & hi solent esse prænuncij morbi Italici. Fiunt verò per statum pestilentem tumores in inguinibus, & aliis emunctoriis ob carbũculos partium externarum: raro aut nunquam sine carbunculo. Aliquando prius accidit carbunculus, quàm manifestè Bubo appareat. Fiunt tumores circa perineum iis, qui vlcera patiũtur in parte interna, & magna ex parte in abscessum vertuntur, vel in scirrhum. Fit etiam tumor durus in penis superiore parte. In coxa tumores quoq; fiunt & scirrhi in morbo Italico. Circa genu dolor est articulorum, cum inflãmatione, vel Erysipelate, Oedemate, aut Scirrho. Sed plurimum in genu magna Oedemata, & tumores aquosi fiunt vel flatuosi. Sub genu fit frequentiùs Aneurisma, quàm alia parte, ob arteriæ tensionem ruptione facta, & sanguine illo arterioso partes illas laxas replẽte, sine coloris immutatione. Cognoscitur autẽ, quia primo statim die pulsat, quod nulli alteri tumori accidere potest. Quare dolor maximus pulsatorius huic erit peculiaris, si ab ortu insit, pars etiam renitatur in dicto iam loco Et brachiis etiam, & vlnis fit tumor Peponi similis sine pulsu, & sine calore, & caloris mutatione: qui tumor nullum obtinuit nomẽ, sed similitudine quadam venæ Aneurisma, vel scissura dici potest, nonnulli carcinomata vocant, si aperiantur, fluxu sanguinis moriũtur. Qui primò erũpit, concretus apparet & fœtidus: reliquus autem sisti non potest tam magna apertione facta. Circa genu aut infrà, aut suprà solent tumores venarum apparere. Qui varicosi dicuntur, illi facilè dignoscũtur colore ob flatuũ copiã, & tumorũ mollitiem. Apparent enim veluti oliuæ in quibusdam locis venarum. In aliis etiam partibus fiunt varices, sed in his frequẽtius. In tota tibia fiunt

Priapismus. *Bubones.* *Aneurisma.* *Varices.*

Fiunt duo genera tumorum valde similia, quorum alterum Oedematodes est, & accidit iis, qui aqua intercute laborant. Pars enim tumet & pallet, si digito comprimatur, cædit, & impressi digiti vestigium retinet. Tales apparent in Hydropicis & Phthisicis ad finē, atque omnibus cachexia laborantibus. Alter verò est tumor carnosus, & hic propriè est hydropis species, quæ Anasarca dicitur. Quare author introductorij, hydropis quatuor species constituit. Differt enim Hyposarca seu Anasarca à Leucophlegmatia, quòd in hac Oedematosi tumores fiāt: in illa verò non est admodum mollis tumor sine coloris naturalis immutatione. vt in polysarchia, nisi quòd paulò durior est. Solet esse sine dolore & sine rubore aut inflāmatione. Accidit mulierib. iunioribus post mēsiū suppressionē, & sanguinis missione atque inedia potiùs curantur, quàm aliis remediis. Accidit & iuuenibus nonnunquā, sed in quibusdam magis ad Oedematis tumorem accidit, quādo corpus pituitosum est, in aliis verò ad scirrhi naturam. vt in melancholicis. in bene temperatis Polysarchia peculiaris esse videtur. Quibusdam morbus hæreditarius est. Quidā Elephātiasim Arabum esse crediderunt: in illis tandem fiunt exulcerationes, vel accidunt iis, qui vlcera pedum patiuntur. Circa pedes fit Podagra, & hoc nomine tantùm differt à communi articulorum dolore, quòd magis à materia crassa fieri credatur: quanquam nominis ratio videatur significare omnem articularē morbum, qui pedibus accidit ex quauis materia, verùm impropriè Podagra dicitur, & sine magno dolore, & diutissimè partem occupat: quia ex crasso humore est. Fiunt tumores pręter naturam in mediis ossibus digitorū, propter quos ossa putrent, & decidunt. Accidūt pueris & puellis frequētissimè, aliquando & à morbo Italico. vel ob quādam cacoetheian sanguinis Hūc tumorē aliqui appellātur nomine Cheradū, sed id absurdum est. Cherados enim affectus sunt & scirrhi glandularum: potiùs est Melicheris, quia saniem mellis similem reddūt vnde nomen habent. Omnibus partibus accidunt tumores pręter naturam, quos magnitudine, & paruitate, calore, colore, mollitie, & generationis modo distinguimus. Nam si in aliqua parte, & corpore pletho-

De Oedemate.

De Anasarca & aliis speciebus.

De articulari morbo.

De inflãmatione. rico tumor affatim fiat, cum vehementi dolore, tensione, rubore, & calore, inflammationem esse dicimus. Si omnia hæc appareant, nisi quòd liuidus sit color, & Phligtenis similes pustulæ aliquot sint, & crusta cineritia, & nigricans, Carbũculi affectio est. Quòd si in emunctorio illius partis tumor sequatur, sitq; status pestilens, Antrax est, qui vulgò appellatur Antrax epidemicus, vel Carbo, seu pestis, & si potiùs sit symptoma, quàm morbus pestẽ indicans in eo loco. Si autem tumor fuerit minor, in cute magìs quàm in carne, & cũ maximo feruore, & flammeo colore, vel ex flauo rubescente, qui tactus albescit, refugiente sanguine, & statim recurrente, verum erit. Erysipelas phlegmonosum. Si tumor magnus, laxus, sine dolore, & rubore, & punctione fiat, Oedema dicitur simplex & exquisitum. Nam si rubeat modicè, & nonnihil doleat, Oedema phlegmonodes, aut phlegmone Oedematodes censendus est affectus, ab eo nomine sumpto, quod in morbi cõplicatione superius est, cognomine verò seu epitheto, ab eo quod est minus. Si à pituita nõ naturali fiat tumor, pro humoris diuersitate, diuersi quoq; tumores erunt. Aquosior tumorem facit hidatodem. Si magis spumosa sit, & flatulentia inflationẽ facit, quæ rarò est sine aqua. Si crassior sit & viscidior, scirrhum (vt vocant) album facit. Si magis resiccata fuerit, & ossibus hæreat, Exostosis dicetur. Quòd si æqualis fuerit duorum humorum defluxio, Erysipelas phlegmonodes aut Scirrhus Oedema, & sic de aliis à Gal. dicitur, lib. 2. ad Glauc. quod nullibi tam exactè distinxerat. Possunt verò omnes tumores ex naturalibus facti humoribus inuicem cõmisceri, vnde & scirrhus cum aliis tumoribus, non tãtùm renitens, vt in simplici inflãmatione fieri solet: Si syncerus fuerit, cum duritie & sine dolore est: si exquisitus, sine sensu. Et hac nota Cancri à Scirrhis distingũtur. Nam Cancri dolẽt & sentiunt. Est verò aliud sentire, & aliud dolere. Sentit Oedema, si tangas, nõ tamen dolet. At ex atro humore factus, aut pituita exactè indurata, neq; sentit neq; dolet. Hoc enim necesse est, ne dolere quidẽ, si non sentiat. Sentire verò potest, & dolorem non pati. Cancer igitur ob feruorem sentiet. Non dolet tamen Oedema ob frigiditatem, quia stuporem inducit adiu-

Margin notes: *Carbunculus.* — *Erysipelas. Oedema.* — *Cancri & Scirrhi distinctio.*

adiuuante nimia humiditate partem laxante. Scirrhus autem & præ frigiditate, & præ siccitate sensum partis aufert. Omnes ferè tumores à melancholia, sunt rotundi, & cum glandulis accidunt inæquales, & longo temporis tracti fiunt. Cancer est semper minor scirrho circa principium, sed tandem maximus euadit, vt scirrhus quoque si hoc patiatur membri mollities Venæ distẽtæ & varicosæ magna ex parte hos affectus comitãtur, nec minùs Scirrhum, quàm Cancrum. De his igitur singulis est cautè interrogandum, & obseruatione diligenti est inquirendum. Tumor quidem durus, sed paruus fit in partib. carne denudatis, vt circa pedes & manus, & in genere neruoso, ganglion vocant eum tumorem, nostri nodum à nodis cordarum, facta similitudine. Huiusce tumoris duas annotaui differentias: altera est cum dolore, altera doloris expers & supra tẽdonem fit, vel ligamentum: illa verò supra neruum, qui ne vel leuissimum cõtactum ferre potest, neq; frigus sentire sine molestia. Vnde fit, vt is dolor vehementissimus sentiatur. Huiusmodi tumorem præter naturã vidi in vxore D. Bochernis nostræ reip. à secretis. Is tumor erat in eo neruo, qui ad pedem descendit. Fiunt & alij tumores, qui verò abscessus sunt, vt partibus carnosis minùs duri, quorum materia seuo concreto similis est, appellãtur verò Steatomata. Alij sunt parui & molles, vt Puls, & Ateromata dicuntur. Hi omnes facta apertione & faciliùs & distinctiùs cognoscũtur, aliàs non nisi à diuturnitate & paruitate & maiore & minore mollitie, tales esse cõiiciemus. Quòd si maiores sint, & duritiem illam, quæ in musculis sentitur, habuerint, Admata vel Lupia dicũtur. Minores tumores sunt, qui ab humoribus non naturalibus excitari solẽt, si Carbunculũ excipias, qui non à propria circumscriptione, sed à partis natura, quam afficit, excitato ingenti dolore, magnitudinẽ habet. Fit maximè mollis. Discernitur is ab inflammatione, vt superiùs quoque dictum est, colore liuido, Phlegtenis, crusta, cutis vstione aliqua in parte. Pestilens Carbo ab alio differt, quod pestilẽs habeat magna ex parte, imò ferè semper (nisi mors præoccupet) in emunctoriis tumorẽ, è directo partis affectæ Carbone. Differt etiã symptomatum vehementia,

Nodus cũ differẽtiis.

Abscessus.

Steatomata.

Ateromata.

Lupia.

Carbo pestilens.

& malitia: ob id peracutus morbus est. Habet magna ex parte cordis iactitationem, & lypothimiam ob materiæ venenositatem, & est contagiosus: non epidemius autem, contagiosus non est. Magna ex parte à caussa procatarctica excitatur iis, qui pelles tractant, vt laniis, & coriariis, & qui morticinia tractant. Fit in facie illis frequẽtiùs, quàm aliis partibus; quia manibus sæpius illam partem attingunt, quod indicat manum minùs aptam esse ad patiendum omnibus aliis partibus corporis. Nam quancũque attigerint sic infectæ manus, ipsæ illæsæ virus dãt, & cõmunicant, faciésque vt plurimùm hoc patiatur, tum præ mollitie, tum quod magis ad manũ sit. Ex his manifestum fit, interrogandum est de vitæ instituto, & de morbis populariter grassantibus. Hac enim ratione epidemicũ à nõ epidemico poterimus discernere, iisque quoque addemus regionũ differentias. Nam ex hac morbi quoq; species innotescit, vt olim, si Plinio credimus, Galliæ Narbonensi familiaris erat, quemadmodum hodie montanis regionibus Cancer, aut Elephas, potissimũ in quibus montuosis regionibus solẽt homines vesci leguminibus salitis & ad fumũ exiccatis carnibus tum piscibus, & vino generoso aliunde allato, alliis, cæpis, porris, sinapi, &c. Venatores quoque facilè iis plectuntur morbis, qui carne ceruina, & aliis huiusmodi ferè nutriuntur. Solẽt enim hi morbi regionales (Topicos fortè rectè dicemus) ob alimenta gigni, vt qui frequenter vescuntur fungis, aut cerasis, Angina infestari solent: qui persicis, lippitudine: qui ficubus, scabie & Phthiriasi & viscerum tumore: qui nucibus, amygdalis, auellanis & pineis, Cephalalgea & vẽtriculi dolore, & subuersione: qui caseo, & lacte vel pane azymo, Nephritide. Qui aquã bibũt per argillam fluentem, omni obstructione & frequentissimè calculo infestantur: qui aquam lutosam, iisdem quoque malis infestãtur: qui aquis salsis & nitrosis, Dysenteria: qui aqua ex puteo profũdissimo, colico infestari solent: qui aqua niuosa, Broncocele: qui cisternarum aqua vtuntur, obstructioni & alui constipationi obnoxij sunt, ob astringendi vim, quam acquirunt à rubrica fabrili, ex qua magna ex parte picatæ sunt, ídque potissimum si recens factæ sint. In veteribus autem ob frequen-

Carbo non pestil. & quib. accidit.

Qui morbi quæ alimenta sequuntur.

frequentem ablutionem minus ineſt periculi. Idem patiuntur, qui aquam bibunt per canales fictiles fluentem. Sed quæ per plumbeos fluit, iuxta Gal. opinionem, ob cerusam, quæ in ipſis generatur, Dysenteriam inducit, quod tamen experientia falſum comperi. Monſpeſſuli enim frequentes ſunt ciſternę in quas per plumbeos tubos aqua influit, quo in loco minus ſolent graſſari Dysenteriæ, quàm alibi totius Galliæ Narbonenſis, etiam vbi nullæ ſunt ciſternæ, præterquàm quòd Ceruſa, niſi acetum adſit, poſſit generari: Obſtructioni verò & alui conſtipationi obnoxij, qui aquam canales fictiles vertentem bibunt, idque potiſſimùm ſi non ita dudũ extructa fuerit ciſterna. Qui ceruiſia ex pomis & pyris & aliis fructibus potione vtuntur, Oedematis, colicis dolorib. & aliis omnibus malis ex pituita & flatibus ægrotant, frequẽtiſſimè quoque ex iis leproſi fiunt. Minus rubentem, ſed magis tumentem faciem habent. Vnde leproſi albi dicuntur. Tales ſunt in Flandria & Normania. Solus reſtat herpes, qui magis ad vitia cutis, quàm tumores referendus eſt. Nam ſine magno tumore fit, quia ſolius cutis, vel cuticulæ affectus videtur. Apparet enim velut à ſole exuſta cuticula, & frequentiſſimè ab inſolatione maiore fit Ex rubro flaueſcit pars, ſentit ardorem, &, ſi tangas, ex ſiccitate aſperior ſentitur. Eſt Herpes ſimpliciter dictus, qui parùm ab Eryſipelate differt, & fortè non alia ratione differunt, niſi quòd à flaua bile excrementitia fiat magis, quàm à naturali Herpes. Eryſipelas verò contra, ſi materia paulo craſſior & acrior fuerit, nõ ſolùm cuticulam offendit, ſed etiam cutem exulcerabit. Et quia non ſolùm ſerpit, ſed & cutem abſumit, Eſtiomenos dicitur. Si in parte affecta parui tumores milio ſimiles, ſero citrino pleni, phligtenis minores ſuſcitentur, Herpes miliaris dicitur. Hic affectus perpetuò comites habet veſiculas, ſed nõ eodem ſemper loco, quippe cùm ſedem mutet ſerpendo. Iis euaneſcentibus alij eiuſdem farinæ excitantur, vulgo dicunt (*Vne Dertre*) Fiunt iis tumoribus ſimiles, qui Latinis Sudamina, Græcis Hydrea, aliis Papulæ ſudorum dicuntur. Sunt autem minus flauæ, & magis albeſcunt, frequentiores & aliquando in tota facie, vel in toto corpore. Fiunt autem

Aqua canalium plumbeorum.

De herpet.

Sudamina.

cum quis sudare incipiens, frigido aëri se exponat. Sunt aliquando cum pruritu si minores fuerint. Nam maiores absque pruri esse solent. Fiunt etiã tales humores à pediculis (vulgò Cirocis) dictis in quib. futura est scabies. Si autẽ hi tumores multò maiores & bullis similes excitatis ab igne, vel aqua feruenti, Phligtenæ dicũtur, potissimnm si in tibiis fiãt, à seroso humore collecto inter cutem & cuticulam. Si rumpantur, crustam faciunt, & in quibusdam crusta nigra est, sed sine inflammatione & dolore, atque ea ratione differt à paruis Carbũculis & Phligtenis in carbunculo apparentibus. Variolæ & morbilli à supradictis affectibus facillimè distinguntur, quòd epidemici morbi sunt, nec vnquam erumpunt nisi febre præcedente, & frequentius in iuuentute, aut adolescentia (quæ primam omnium ætatum continet) fiunt. Hunc affectum pestem Rases appellat communi appellatione, peculiari autem elogio Papulas pituitosas nominauit. Apparent in cute tumores duri, vt Thymus, Verruca, Acrocordon, & Condylomata, Claui, & Paronychia. Verùm Condylomata frequentius fiunt circa sedem & vterum, quàm in aliis partibus. Claui verò intra digitos pedis calli, sub planta pedis, verrucæ in digitis manuum, Acrocordon in aliis quibusdam partibus. Thymus frequentiùs in glande & in ano fit, & in præputio. Refert figuram capitulorum thymi, vel flores thymi. Est enim asper tumor, oblongus & subrubẽs. Condyloma eiusdem figuræ est, sed æqualis & sine asperitate apparet. Horum duæ sunt differentiæ: altera est carnosa calore candida, & sine dolore, sed cum quadam inæqualitate: altera dicitur maligna ob dolorem. Est enim cum maiori scabricie & inæqualitate, & cum liuiditate quadam, & facilè degenerat in Cancrum ob similitudinem. Verrucæ ab omnibus facilè dignoscũtur, differúntque sic, quòd Acrocordon velut pendet tenui filo. Myrmecia est ampla radice, & capite minùs lato, dolorem si tangatur, sentit, saltem veluti formicæ vellicantis speciem præbet. Paronychia ab vnguibus dicitur. Nam ad illorum radicem tumor est. In summitatibus digitorum fiunt tumores inflammationi similes, qui citissimè os putrefaciunt, & postea carnem quandam su-

Variola.

Alij tumores.

Claui.

Acrocordon.

Thymus.

Condyloma.

Verruca.

Myrmecia.

Paronychia.

perfluam ingenerant, quam fortè antiqui pterigion appellauerũt, à carne illa superaddita. Quare plura de hoc dicemus capite de adnatis. A caussis procatarcticis fiunt tumores ob sanguinẽ effusum in quauis corporis parte hũc affectum *euchymomà* vel *euchymosin* vocant. Aliquãdo sine magno tumore is est, & tunc potiùs vibices siue liuores dicuntur, de quibus cap. de vitiis cur. plura dicemus. Tumores in oculis fiunt, quorũ alij peculiares sunt, alij aliis partibus communes, vt inflammatio coniunctinæ, quæ à parte sumpto nomine ophthalmia dicitur, alioqui toti corpori communis affectio. Condolyma aliquando ex coniunctina propendet: ego vnum aliquando vidi, quod superabat oui magnitudinem. Fit propter corneæ erosionem. Vuæ procidentia, quæ tumorem refert, & pro magnitudine sua nomen diuersum accipit. Nam quum admodum exigua est, & quasi muscæ capitis formam repræsentat, *myocephalos* à Græcis dictus est tumor: vbi accreuerit ad acini vuæ magnitudinem *ephyloma* dicitur. Si magis adhuc increscat, & sub palpebras contineri nequeat, *mylon* Græcis est. Quòd si obduruerit clauis dicitur, ob similitudinem, quam habet cum clauo reliquas partes afficiente. Totus oculus intumescit per hunc affectum cum vehementissimo dolore pulsatorio, atque feruore. Videtur esse inflammatio flatulenta, quæ in cæcitatem desinit, fitque post vehementissimos capitis dolores. Nullum verum nomen proprium adhuc habet. Si absque dolore fuerit, dicetur oculi inflatio, quæ si in vuea tunica fiat, rumpitur illa rugositas iridis, & sequitur pupillæ dilatio, mydriasis vocata, quæ & à caussa procatarctica & percussione fieri solet. In palpebris superioribus tumores fiunt, qui si duri sint, hordeoli, ab hordei figura, vel magnitudine dicuntur: intus latitant nec prodeunt foris, de genere scirrhorum sunt. Quòd si tota palpebra intumuerit, & cum perspicuitate, inflatio dicitur Græcis *ephysimon*. Si absque perspicuitate, à superfluis vigiliis excitatur, œdematodes tumor est. Fit etiam in his, qui cachexia, & cruditate laborant. Accidit enim vt intumescant iis oculi, vnde nobis sæpius signum est futuri hydropis. In cãto maiore oculorum tumor fit, qui ægilops dicitur, & est abscessus in ea parte, qui si

Tumores oculorum.

Palpebrarum tumores.

Ægylops.

rumpatur in partem internã, & diutius saniem retineat, fit fistula lachrymalis vulgò dicta. Hanc si digito, manè potissimùm, premas partem, cum lachrymis pus effluere videbis. Si verò magis ad medium ossis nasi descendat, per nares sanies effluet, si digito premas citra ossis perforationem. Id autem fit ob foramen in ea parte positum ad neruorum distributionem in partem internam. Materia enim illic colligitur inter os & cutem, & non inter ossa, quæ ethmoidea vocant. Nam cùm prementibus digitis à parte externa non cedant, qui illic effluet pus digitis prementibus? A cute exteriùs pressa facilè effluet pus per illud foramen in narium capacitatem. In interna narium parte in carne illa laxa, à defluxione pituitæ flatulentæ fit tumor, qui cùm paruus est, parum conspicuus est, minimum offendit respirationem: si maior totam capacitatem internam occupat, & verè polypus est. Nam similis est polypo, & substantia, & colore, & figura. Tumor enim est globosus, vt polypi venter, substantia dura, qualis polyporum, & sepiarum caro. Color intus candidus est superficie, identidem colores mutat, vt polypus, priusquam indurescat: maior fit in singulis lunarum coniunctionibus, & decrescit aliis temporibus, sed quum magnus iam obduruerit, eandem semper retinet magnitudinem. Si caro illa accrescat in circuitu naris, & ab acrimonia humoris vlceretur, ozena morbus erit, à similitudine polypi, qui ab odore, ozitis quoque dictus est. Verùm admodũ differunt, cùm ozitis polypus moscum bene redoleat: ozena verò morbus tetrum inspiret odorem. In ore tumores fiunt cum inflammatione, aut sine ea. Nomen verò illis est varium à diuersis partibus. Si fiat in genis, peculiare nomen malum non est sortitus, sed inflammatio dicitur. Fit ex catarrho, & citissimè suppuratur ob anhelitum, & loci temporum cum humiditate. Si tumor in gargareone ab eadẽ defluxione fiat, longus sit, tantùm relaxatio vuulæ, dicitur columella seu parua columna. Si verò sit rotunda, & globosa pars extrema crassior multò quàm radix, vuula Græcis *staphyloma* dicitur. Si in glandulis, quæ vtrinque ad radicem linguæ sitæ sunt, fiant inflammationes *antiades* dicuntur. Si in adiacentibus partibus, aut

Polypus.

Ozena.

Tumores oris.

Staphyloma.

Antiades

aut in isthmo fiant tumores, dicuntur *paristmia.* Glandulæ vero ad linguæ radicem ob morbum Italicum potissimum induruerunt, defluxionibus longo tempore neglectis, dici possunt hi tumores *cerades* internæ, si exulcerentur, caussa frequētis expuitionis sunt. Fit tumor sub lingua cum inflammatione, & sine inflammatione. Cum inflammatione est morb. *batrachos* ranula dicitur Si absque inflammatione fuerit, videtur esse inflatio. Fit similis tumor in lateribus ad radicem dentium, qui cùm ferro adaperitur, pituitam mucosam reddit, nullum nomē obtinuit, frequenter fit iis, qui morbum Italicum passi sunt, atque recrudescit frequentissimè morbus nisi candenti ferro vratur, & excitetur, non potest esse parocilis. Nam ex Aetij sententia parocilis est phlegmone, & in carne gingiuarum fit, vnde hoc morbi genus nomen esse puto, ex morbo Italico pituitoso natum, nisi quis velit dicere inflammationem tantùm esse, verùm inflatio sine pituitosa materia est, hic autem tumor, vt diximus, pituitam (non solùm flatū) viscidam habet. In toto corpore fiunt latæ pustulæ per scabiem, quæ ciussimè ad suppurationem sponte sua perueniunt. Hactenus de tumoribus externis, qui tactu & visu deprehendi possunt.

Paristmia *Cerades.*

Interni vero tumores, de quibus iam tempestiuum est agere, ratione magis quàm sensu dignoscuntur, quò fit vt ægrotis super hac re minùs fidendum sit. Hi sunt vel magni vel parui: si magni, possunt etiam tactu deprehendi: si parui, articulosis tantùm coniecturis.

De tumor. internis.

Magni & in ventre inferiore sub septo transuerso, aut sub alia parte molli, quæ prementibus cedat digitis, sensu deprehendi possunt: idque potissimùm, si regio multum vi morbi intumuerit, aut saltem non fuerit distenta flatibus, vel aqua, vt in hydrope, pars quæ eleuatur in tumorem præter naturam, tactu deprehenditur; discernitur verò ex situ partis, figura, &c. Nam si iecur scirrho, aut alio tumore infestetur, tractata parte dextri hypochondrij, vel sinistri, vt superiùs quoque admonuimus, tumor apparet. A figura autem, quod veluti semicirculum efformet. Splenis verò tumores magis in sinistra, quàm dextra parte fiunt, & potiùs ad mediam ventris regionem, quàm in superiore sentiuntur. Intestinorum

Quo pacto discernuntur tumores.

tumores in parte vétris inferiore aut media regione fiūt cum magna inæqualitate, prout essent multi tumores. In collo inferiore fiunt máximè scirrhi, qui figura ementiuntur spherulas precarias. Si in superiore ventre figuram ferè rotundam sentias, mobilem vteri tumorem esse dicemus. Si duo tumores ex vtraque parte aut altera tantùm, ídque in muliere, testiculorum inflatio est. In viris semine abundantibus tumores fiunt parastatarum, qui sensibus deprehenduntur in quibusdam post seminis longam retentionem. In aliis intus magis latent & feces retinent Indicio est, quòd post concubitum minus apparent in aliquibus, alij reddunt excrementa alui faciliùs. Quòd si non licet partes has attrectare, vel ob tumorum prauitatem, aut ventris crassitiem, tensionémque, astantes vel ægrotos interrogare oportet, num grauitatem aliquam, vel pondus, aut difficultatem, vel impedimentum aliquod sentiant, vt si in hepate tumorem incipientem, aut incipientes obstructiones esse suspicemur. Si tumor magnus rotundus in medio paulò supra pubem, vesicæ tumorem, si cum febre inflammationem esse, si sine febre ob retentionem vrinæ esse iudicandum est Rogabimus si sentiat dolorem ad clauiculam, vel circa partem posteriorem dorsi ad omoplatas. Si in respirando dolorem sentiat, & post tres vel quatuor horas à sumpto cibo grauitatem sentiat, aut si non potest ferre tantam cibi quantitatem, quantam ferre erat solitus, si per ascensum graduum aut equitationem sentiat grauitatem, & magis dextra quàm sinistra parte, si melius dormiat eo latere iacens, quàm opposito etiam vacuo ventriculo: Si excrementa alui immutata fuerint, aut vrina magis tenuis, hæc omnia tumores hepatis etiam incipiētes, nobis certò prænunciant.

Vteri & parast. tumores.

Vesica.

Quæ arguunt hepatis tumores.

Considerato situ eadem ferè symptomata reperias in tumore lienis, minor tamen fit anhelandi difficultas, quia magis alligatur mesenterio, quàm septo transuerso, neque tussiculam facit inanem, vt solet hepatis tumor facere. Color faciei & totius corporis fœdior, hepatis obstructiones, & tumores significat. Subniger verò ex flauo nigrescens, splenis vitio accidit. Si cum febre sit, interrogare oportet scirrhum phlegmonodé, aut erysi-

Quæ splenis.

erysipelatodem esse, aut si non præcesserint, inflammationem, vel erysipelas Febris species, quæ necessariò sequitur, has inflammationes discernit, & eos affectus. Nam quæ vitio hepatis accidit, synochos putris est, & alui excrementa erunt liquida, putrida, sanguinolentáque, & singultus fiet, vt dixit in Aph Si verò erysipelas, excrementa alui vitiosa, qualia in diarrhæa erunt. Febris autem causus fiet. Et hæc febris distinctio tumores calidos à frigidis discernit. Inflammationes verò splenis comitatur febris quartana continua: Vesicæ & vteri inflammationes febres continuas, sed minùs acutas. Ferè semper omnium partium internarum inflammationes naturam febrium synocharum imitantur, quòd illæ à sanguine fieri dicantur, vt inflammationes. Pulmonum verò inflammationes pituitosas, aut biliosas febres habent qui ex pituita, aut bile esse solent. Sunt & aliquando febres confusæ, vt si febris materia confusa sit permixta. Deprehenduntur verò circa tactum tumores omnes interni, thoracis quidem ex dolore vel grauitate, cum difficultate anhelitus & tussi inani, nisi quando est inflammatio, à qua semper aliquid resudat: & hac ratione tubercula cruda ab inflammationibus discernentur, vel febre. Cruda enim tubercula nisi ad suppurationem veniant, febrem non faciunt, neque sputum mutant, nisi post eruptionem. Difficultatem anhelandi faciunt, & tussiculam inanem, & circa partem grauitatem & tensionem potiùs quàm dolorem. Si in spina dorsi est tumor, gibbositatem, vel cauitatem facit processu temporis, & si longus fuerit, multas vertebras ad intus trahit: si verò breuis vnam aut alteram tantùm, & fiet potius cauitas laxato ad intra vinculo. Contingit aliquando circa pericardium tumores, & inflammationes fieri. Si crudus tumor vel tuberculum fuerit, palpitationem vel tussiculam facit: si verò inflammatio, eadem symptomata erunt, quæ in peripneumonia, & hac nota discernuntur, quòd minori anhelandi difficultate laborent, & minùs leuantur frequenti & multa expuitione. Æstus maximus & febris maxima in tali affectione esse solet. Nos hanc affectionem deprehendimus in nobili & generoso viro, cuius cor erat obductum seroso humore

Inflāmationes hepatis.

Quibus deprehenduntur tumores thoracis.

verso in saniem quandam, ob partis illius inflammationem. Et ne decipiaris, sentiunt quoque dolorem in lateribus hyposocota membrana consentienti. Ipsi pericardio rarissimus est hic affectus, & à quo pauci euadunt, quem nemo adhuc, quod sciam annotauit. A palpitatione, quam fecit humor crudus in pericardio, non multò post apparet atrophia, & corporis cõsumptio, ex cordis passione diaphragmatis inflammationem sequitur febris continua, vehemens delirium, maxima anhelandi difficultas, pectoris coarctatio & dolor à xyphoide & renum regione descendens in colli parte interna. Fiunt musculis stomacho subiectis inflammationes, ad quas sequitur deglutionis impedimentum, & colli flexio difficilis. Si verò in musculis laryngis, & summitate trachiæ fiant tumores, difficultas in deglutiendo quidem erit, sed magis in respirando.

Palpitatio

Anginæ multas species efficiunt huius partis inflammationes, quæ si post morbum acutum fiant, lethales esse solent. In parte capitis interna fiunt tumores & calidi, & frigidi, vt phrenitis & lethargus. Illa magis in anteriore parte esse solet, & comites habet vigilias, deliria, motiones turbulentas. Ad lethargum verò contraria sequuntur, & cataphora, in multis hebetudo. Fiunt per morbum Ital. velut calli in superficie cerebri, ad quem sequetur menyngum tensio, & dolor. In vulneribus duræ menyngis fit tumor, à Græcis μυκητὴν dicitur. Est verò caro flaccida potius & fungosa à multitudine sanguinis facta. Illam carnem vulneratæ menyngis signum esse certò putamus. Hæc de tumoribus dicta sufficiant. Iam ad reiecta transeundum.

Lethargus & phrenitis.

De reiectis. CAP. XI.

QVia nihil est, quod certiùs & citiùs partem affectam vel affectionis caussam demonstret, quàm quod è corpore reiicitur, de eo, quia hæc & morbi quoque cognitionem ostendit, priùs est agendum quàm de retento. Reiicitur autem è corpore, quod non erat reiiciendum, vel non quale, neque per qualem regionẽ debebat, vel non tempore conuenienti, vel non tantùm. Quare sic erit interrogandus æger, an reiiciat nunc, vel prius reiecerit præter consuetudinem, vel aliquid consuetum

ſuetum immodicè, aut cum difficultate. Dico reiecit, quia plebei homines, propter aliquod reiectum magis ſe putant laborare, aut imbecilliores reddi, quàm alia cauſſa. Multùm enim reiectiones formidant non conſuetas. Interrogabimus num conſueta ſit reiectio, an larga, & ſi adhuc reiiciat, & quale ſit. Quòd ſi dicat id fuiſſe, ſciſcitandum, & quid reiiciat, vt per nares, os, vterum, veſicam, per os vteri. Etenim per omnes has regiones contingit ſemper aliquid reiici. Quòd ſi regionem indicarit, quale illud ſit, quærendum, vtrum aliquod recremētum vel humor aliquis, vel aliquid de ſubſtantia partis, vel ingenitum in nobis, vt vermes: ob id interrogabimus num liquidum ſit, vel ſolidum: ſi liquidum, an ſanguis, vel ſanguinolentum aliquod aut purulentum, vel vrina, chylus, bilis, pituita, vel atra bilis, ſaliua, vel ſudor, lachrymæ vel ſemen. Primò de ſanguine percunctandum, quia magis terrentur, & frequentiùs de hoc cōſulunt medicos. Deinde de reiecto per fluxum ventris. Si ergo ſanguis reiicitur, per quam regionem id fiat, ſcire oportet, & quo tempore, & reiiciendi modum, colorem, conſiſtentiam, quantitatem. Nam non omnis ſanguis reiectus, neque omni tempore neque per omnem regionem malus eſt, modò non fluat immodicè. Reiectio enim ſanguinis poſt partum, & tempore menſium laudatur: Atque ea, quæ fit à naribus per criſim in Synochis febribus & aliis, modò non ſit ſuperfluus. Hæmorrhagia è naribus poſt capitis dolorem commendatur, iuxta illud Hippo. Caput dolenti, ſi pus vel ſanguis per nares effluxerit, liberatur.

Hæmorrhagia laudabilis.

Quare ſi ſanguinis reiectio critica fuerit, priuſquam illam probemus vel vituperemus, ſcire oportet morbi ſpeciem, ætatem, & ægroti naturam. Non enim in omni morbo acuto criſis facta per ſanguinis profuſionem è naribus laudanda eſt, vt in lethargo & Perypneumonia diximus in ſuperioribus ex Galen. non conuenire: quia vtraque affectio à frigido humore fieri dicitur. Quòd ſi Perypneumonia à bile fiat, quod eſt rariſsimum, vituperanda non erit huiuſmodi criſis. In iuuentute laudatur ferè ſemper omnis criſis per hæmorrhagiam è naribus: In ſenioribus vituperari ſolet. In puellis, quibus

Quibus il laudabilis hæmorrhagia & quibus laudabilis.

nondum eruperunt menses, aut quibus suppressi sunt, aut hæmorrhoides suppressæ, & retentæ, reiectio sanguinis maior etiam laudatur. In aliis mala, & futuræ hydropisis, & cachexiæ signũ est. Si è naribus fluat per casum vel percussionem, venam aliquam in cerebro fractam esse indicat. Si talia non præcesserint, sanguinis reiecti quantitas est consideranda. Nam si in parua quantitate, & frequenter sine capitis calfactione, vel corporis agitatione, aut externa occasione, inspiciendæ sunt nares, vel interrogãdum an crustas auferat. Quòd si verum sit, & fateatur, vlcus, seu erosionem esse oportet in narium parte interna id etiã in leprosis euenire solet Quare vt vlcus illarum partium sine inspectione agnoscamus, interrogãdus, num aliquando illis sanguis è naribus fluat. Quòd si reiectum fuerit per aures, magnam cerebri cõcussionem significat. Si per os reiectũ fuisse sanguinem dicat, vt partem, à qua fluit, & deprehendamus, quantum & quomodo sit reiectum, quærimus, an vomitu, an tussi, an sola expuitione. Nam si parum sanguinis & sine tussi, sola expuitione reiiciet, è gingiuis, vel aliquo oris vlcere erit. Quòd si eadem quantitas leui tussi reiecta fuerit, sanguis tenuis, & adhuc floridus, è trachia arteria redditur. Si verò cum inspiratione narium & leui tussicula sanguis ater sit recrementis variis permixtus, è cerebro in arteriam fluxisse sanguinem suspicamur, & ob id interrogandum an priùs sanguis è naribus fluxerit, aut tale quidpiam reiectum sit: sed permixtum variis recrementis. Varia recrementa hîc appello, cùm alia sint indurata, alia inspissata, aliqua alba, alia flauescentia, qualia esse solent, quæ per nares reiiciuntur. Quòd si nõ præcesserit fluxus sanguinis, ætas florens sit, morbo acuto laboret, appareant signa alia futuræ crisis, per nares sanguis erupturus est. Solet etiam post balnea, insolationes, & alias capitis calfactiones effluere, quare de illis occasionibus interrogare oportet. Quòd si cum tussi, sanguinem hunc reiici sciamus, de calore est interrogandum, necnon de consistentia. vt distinguamus num è thorace vel pectore reiiciatur. Nam si dixerit sanguinem esse tenuem, splendidum, spumosissimque, è pulmonibus reiicitur: Si verò sanguis crassior sit & nigrior;

Reiectio sanguinis per os.

grior: doleátque thoracis pars aliqua ſine Pleuritide, è thorace fluxerit, vel ob retentionem menſium aut hæmorrhoidum, ſi cum febre reiiciatur, ſeroſus vel flaueſcens fuerit, & pituitæ permixtus, aut inflammationem pulmonis, aut coſtarum eſſe oportet, ſi id in principio appareat. Quòd ſi ſanguis craſsior redditus ſit, cũ febre & dolore punctorio etiam, ex Pleuritide eſt, in qua ſanguinem mittere eſt periculoſum, teſte Hipp. in epi. At ſi vulneratus fuerit æger in aliqua thoracis, vel dorſi parte, vulnus ad interna penetraſſe eſt neceſſe. Si verò vomitione reiectus fuerit, è ventriculo eſt. Quòd ſi concretus eſt & præceſſerit hæmorrhagia è naribus, illinc per œſophagum in ventriculũ deſcendiſſe dicemus. Quòd ſi non fluxerit è naribus, præceſſerit autem ſaltatio, aut immodica corporis agitatio, biberit aquas frigidas, ſanguinem in ventriculo concretum eſſe dicemus, quã noſtri affectionem vulgò (*morfondeure*) vocant. Illis tutò dari, quę ſanguinem diſſoluunt, poſſunt; aut non cócreſcere ſinunt. Fluit etiam in ventriculum per caſum, vel percuſsionem. Si autẽ paucus ſanguis chylo vel puri admixtus vomitu reiiciatur, arroſionem ventriculi, vel medicamentis venenoſis, vel alimentis acerrimis eſſe ſuſpicamur. Quare ab illis ſciſcitamur num dolorẽ ſentiant in aliqua parte ventriculi, maximè cùm meracius bibunt, vel poſcam vel acrius aliquod. Si per ſedem ſanguinem reiiciat, vt diſcernamus an ab hepate, an à venis meſaraicis, vel ab inteſtinis, vel hæmorrhoidibus fluat, de colore, conſiſtentia, admixtione, cum aliis recremẽtis interrogandum. Primùm num è venis ſedis proiiciatur, quærendum. Id verò ex tumore venarum externarum quæ illic ſunt, deprehendemus: internas autem ex pondere circa ſedem, difficultate egerendi, & clyſteres aut glandes, aut etiam peſſaria immittendi, & quòd ſanguis aliis recrementis non ſit permixtus, ſed quòd fluat ante vel poſt, vel ſimul, aut ſeparatus, ſeroſus & tenuis aliquando eſt, ſed ater frequentius, tenuis & ſplendidus ob ſeri admixtionẽ. Si verò ab hæmorrhoidibus certò ſciamus hunc fluere, quæremus iam vtrum per ſanitatem id ſolitus ſit pati, & difficulter alui recrementa reddere. Quòd ſi mulier fuerit & cum difficultate pepererit, aut

Inflammationis pulmonis ſignum.

Pleuritid.

Concretionis ſang. ſignum.

Arroſionis vẽtric.

Fluxionis hæmorrho. occasiones.

cachexia laboret) hæ solent esse fluentium hæmorrhoidarum occasiones) tunc omnino colligemus sanguinem ex hæmorrhoidibus fluere. Si verò paucus pituitæ permixtus sit, & cum frequente cupiditate deiiciendi, à recto intestino est, maximè si Dysenteria præcesserit.

Profluuij sang. ab intestinis sig.

Si autem sine frequenti cupiditate deiiciendi, sed & cum difficultate, & dolore, & parùm recrementis permisceatur, & citò post d lorem reiiciat, dolor sentiatur circa os pubis, aut in lateribus ventris, è regione ventriculi, in colo vlcus esse significat, & ab ea parte sanguinem perfluere. Si verò maior recrementorum permixtio fuerit, dolor circa vmbilicum, & non sic statim à dolore reiiciatur, à superioribus intestinis propter vlcus fluit: potissimùm si in minori quantitate, vt post flauæ bilis, & mucorum, pinguedinis, & ramentorum reiectionem, quæ solent Dysenteriam præcedere. Si autem maior sanguinis quantitas reiiciatur, ab hepate reiici est necesse.

Profluuij sang. ab hepate.

Reiicitur autem vel aquosus, vel crassus & ater ab hepate. Si, vt bitumen, sanguis nigrescat, & splendescat, appellatur impropriè Dysenteria. Vulgus medicorum appellat fluxum lotiuum, in quo sanguis dilutior redditur. Alter affectus, in quo sanguis fluit crassus, nomine caret. Fluit autem ille sanguis per fluxum lotiuum è venis mesaraicis, & ramis venæ portæ, quæ sanguinem rudem & imperfectum, multo sero permixtum continere solent. Si ab hepate crassior est, magísque concrescit, & nigrior apparet. Quare interrogare oportet num æger in otio degat, multis cibis sanguinem gignentibus vtatur, aut mutilatus fuerit, aut sanguinis suppressio aliqua facta sit. Ista autem præscire oportet, vt sciamus num ob Dysenteriam à felle nigro accidat. Quòd si illæ caussæ non præcesserint, sentiat verò æger tormina ventris, Dysenteriam esse oportet, quæ lethalis, si à felle nigro inceperit. Aliquando redduntur nigra, liquidáque Gal μέλανα vocat, sine Dysenteria & cum vtilitate, vt in fine febrium quartanarum, in morbis aliis melancholicis, & in statu pestilenti omnes euaserunt, quibus fluxerint illa excrementa nigra. Dysenteria autem à felle nigro incipiens semper lethalis est. Fluxus ille, in quo sanguis bitumini iudaico similis excernitur

nitur otiosis &comedentibus aliquando magna ex parte vtilis est. Si per sedem vel vomitum reddiderint sanguinem post vulnus inflictum, ad intestina vel ventriculum penetrasse significat. Si cum chylo & alimentis ad ventriculum penetrasse coniicimus. Si cum stercore ad crassa intestina: si cum chylo iam flauescentem ad gracilia intestina. Sanguis per vulnera redditus semper venas aut arterias læsas esse significat cum saltu ex arteria: si tenuis & sine saltu, ex ramis venæ portæ fluit. Si crassus & sine saltu, ex aliis venis fluit. Per penem reiici solet sanguis è renibus, aut vesica, aut collo vesicæ. Redditur autem vrinæ permixtus, vel ab ea distinctus: si sine vrina, immissa fistula ænea fuerit, aut iuncus, aut aliud instrumentum, ad hanc rem aptum & idoneum, vel iniecerit acre medicamentum, vlceratum esse penem suspicabimur. Si nihil eorum præcesserit, & cum vrina reddatur ille sanguis, statímque subsideat, è vesica fluere dicemus. Si autem post longum tempus subsideat & multus sit, è renibus fluit, & potissimum si cantharidas assumpserit, atque doloré circa lũbos persentiat. Mulieri si defecerint mẽses, idem potest accidere: è vasis spermaticis potest fluere post immoderatum coitum: Si verò ex pudendo muliebri sanguis reddatur, à supradictis locis, vel ab vtero fluat, necesse est. Quòd si sensim & sine aliquo sensu egrediatur, non à vesica, sed à collo vteri, vel ab vtero ipso fluere necesse est. Si ab vtero, minorem quantitatem reddunt, nisi pepererint. Si à collo, maiorem copiam excernunt, & etiamsi non pepererint, vel post difficilem partum aut post virginis corruptionem. Si ab vtero fluat, animaduertendum est, an grauida sit mulier. Quòd si multus sanguis egrediatur, aut abortum patitur, aut patietur, aut fœtus est imbecillior. Si iterum gerat, & sanguis fuerit paucus, serosus magis quàm sanguineus fluxus, & tempore, quo purgari consueuerat, minùs formidandum, maximè si huic affectioni sit consueta: quod si retineatur, citiùs abortum patietur. Si post abortum sanguis fluat, interrogare oportet, quorum est mensis. Nam quò maior fœtus fuerit, eò maiorem sanguinis fluxum esse oportet. Si mulier, quæ peperit, fluxum sanguinis patiatur, interrogare opor-

A vulnere locus colligitur ex sang.

Profluuij sang. à pene.

A pudẽdo muliebri.

A collo vteri vel ab vtero fluxio.

ter si lactet, aut lactare velit. Si noluerit lactare, permittendus est ille fluxus, vt à mammis euertatur. Quod si lactanti superfluat, citius compescendus. Si mulier post partũ, vel sine partu, hunc fluxum sanguinis patiatur, vlcus est suspicandum. Quare propter quam occasionem fluat, scire oportet, & quomodo in principio fluxerit. Nam si à partu id acciderit, vel post virginis corruptionem, vulnus præcessisse oportet. Si verò post menses albos per διάβρωσιν, quare vlcus adesse oportet, potissimùm si multum sanguinis reddatur, & concrescat, sentiátque veluti puncturas, ab arrosione sanguis fluit: quare vlcus esse necessariò dicemus. Si cum tumore duro sanguis ater & fœtidus est, cancrum esse significat. Si autem sanguis paucus est, & is serosus reddatur, & cachexia laboret, per diapedesim sanguis fluere putatur. Si autẽ multus sanguis & aliquando concretus fluit, multo præcedente vulnere, aut sine fluxu menstruali per anastomosim fluit. Per oculos sanguinem reiiciunt post vulnus vel serosum sanguinem ob cachexiam per diapedesim: is sub cute colligitur verius quàm effluat. Id fit in coniunctiua vt per suffusionem, quod color rubens satis indicat. Suffusionem etiam hîc intelligimus, quæ à sanguine est. Per poros cutis etiam sudor quidam serosus sanguineus reiectus fluit aliquando visus à nobis in studioso quodam. Is ab omnibus corporis partibus sanguinem serosum resudabat, ob venarum raritatem, & sanguinis tenuitatem. Si reddatur ex tibia, vel ex brachio, oportet venas esse dilatatas, vt in varicibus solet accidere, & cancris, in quibus ob illam sanguinis circa partem retenti copiam, vel ob flatus, fit crepatura, apertio venarum: ab vlceribus & vulneribus id frequentissimè accidit: in vulneribus statim quidem ab initio: in vlceribus autem phagedenicis ob venarum erosionem, & tandem etiam post carnis generationem. Est enim adhuc tenera & sanguinea: ob id facilè ab illa sanguis effluit.

Serosi sãg. per sudorẽ reiectio.

Aiunt sanguinem reddi per vrinam ex cantharidarum appositione, quod nunquam euenire cognoui, quanuis ventri apposuerim, permixtas tamen aliis medicamentis. Solæ quidem & per se vlcera & corrosiones faciunt, sed in parte externa tantùm, cùm illic apponuntur. Non enim

Canthar. dubia opinio.

enim vis earum ad profunda sic penetrare potest, vt sanguis reddatur per vesicam.

De puris reiectione. CAP. XII.

IAm de pure nobis agendum est. Pus effluit per omnes eas partes & regiones per quas fluit sanguis, nisi per cutem. Densior enim est, quàm possit hac parte fluere. Semper ab vlcere, abscessu, aut inflammatione interna resudat, ab externa effluit. A qua parte fluat aut resudet eadem & methodo erit inuestigandum, qua prius cognouimus, à qua parte sanguis efflueret, & præter illa quæ de sanguine profluente diximus, nos scire oportet, an ab inflammatione, an ab vlcere fluat. Ob id præsciẽdum an doluerit pars externa, vel interna, febricitaritne, & alia præcesserint, quæ de tumoribus internis diximus. Tunc enim ab inflammatione puri aliquid proportione respondens resudare dicemus. Quòd si dolor statim sedatus, mitior febris statim reddita fuerit, rigor aliquis præcesserit, sudor effluxerit affatim, & magna quãtitas, leuata fuerit pars grauitate, ruptionis signum est ab vlcere, vel abscessu rupto pus effluere significatur. Apparẽt aliquibus in partibus aliquæ notæ ruptionis abscessuũ, vt in thorace facta sit ruptio, & magna sit puris quantitas, difficultas anhelandi maior erit, & tussis assidua & febricula. Si verò in vesica ruptio fiat, vel recipiatur frequẽter, suppressio vrinæ sequitur, maximè si vacua vesica accidat. Tunc enim suam retinet crassitiem, qua obstruit. At si in semiplenam vesicam vrina descendat, ita diluitur, vt non obstruere possit, sed vniuersa cum vrina reddatur puris materia. Pus è renibus cum vrina reiectum reiicitur, sanguinolentum aliquando, & exactè vrinæ permixtum, quòd & si resideat, semper vrinam turbatam reddit, & non nisi post longum tempus residet. Et quò certiores simus, num à renibus reiiciatur, an aliunde interrogare oportet num senserit dolorem à longo tempore fixum, circa regionem renum. Et si aliquando reiecerit calculos, aut passus fuerit dolorem grauẽ cum febre: quòd si fateatur febrem sensisse priùs, & dolorem renum grauem inflammationem præcessisse, aut abscessum à quo vlcus, oportet. Si calculum reiecerit, & dolorem senserit, præcesseritque san-

Ruptionis signum ab vlcere.

Puris è renibus reiectio.

guinis reiectio, exulcerationem significat, à qua pus effluit. De quãtitate etiam interrogare oportet, num multùm subsideat, & valde viscidum, vel spissum. Solet enim multitudo puris à partibus carnosis, & præditis multo sanguine effluere, viscidum crassúmque à partibus internis ob internarum partium caliditatem, quod diutius coquendo & alterando crassius semper redditur, vel à partibus neruosis, quia crasso & pituitoso sanguine nutriuntur. Si verò respõdeat parum puris residere, & quasi mediocriter permixtum, è meatibus vrinæ defluere coniiciemus, tum maximè si dolorem illum clamosum ob calculi descensum senserit prius, calculus asper redditus fuerit & cum pauco sang. Si respondeat pus citò subsidere, & viscidum, vel muco permixtum, & nullam inflammationem senserit circa lumbos, ab vlcere vesicæ descendere affirmabimus, & potissimùm si squammæ aliquæ non carnosæ partes redditæ fuerint. Grauitas circa pubem, vesicæ affectionem significat. Vt autem distinguamus exulcerationem penis à supradictis exulcerationibus, sciscitari oportet si pus spontè profluat sine vrina, aut cùm incipit vrinam reddere. Si post vrinam redditam, maiorem dolorem sentiat, vlcerationem in penè certò sciemus. Nil enim à renibus aut vesica redditur, nisi permixtum vrinæ, & ob vlceris detersionem ab vrina factam, magis sentiunt post redditam vrinam, quàm in principio. Si pus album, lene, & æquale sit, paucum, minimè viscosum, ab vlcere penis profluit. Si viscidum aliquid cum pure reddatur, Parastatarum inflammationem præcessisse, & vlcus significatur. In illis inflammationibus & exulcerationibus semper aliquid seminis simul reddi necesse est. Per sedem verò inferiorem si dicant pus reiectum, interrogare oportet, vt sciamus num ab hæmorrhoidibus exulceratis, vel ab vlcere recti intestini, vel coli, vel mesenterij, vel ab hepate, vel splene reiectum sit. Si pus illud separatum ab alui recrementis, vel permixtum sit reiectum, si cum dolore ventris, vel torminibus, si secretum reddatur, vel potiùs detergendo podicem, vel si præcesserit Tenasmus, aut permisceatur sanguini à fistula, vel vlcere hæmorrhoidum reiectum esse intelligemus. Si leuiter permi-

Puris è Vesica reiect.

Puris per sedem reiectio.

permixtum recrementis duris, cum Tenasmo, à recto intestino. Si cum torminibus, & vehemẽter permixtum, à colo & superioribus intestinis vlceratis fluit. Si per paroxysmos & nõ semper, à vomica interna. Cùm verò præcesserit hepatis aut splenis inflammatio, ab illis abscessu tentatis reiicitur. Si cùm dolore circa vmbilicum recrementis permixtum reddatur, à mesenterio reiici sciemus, & potissimum si nulla tumoris in hepate, vel splene circunscriptio apparuerit.

De bilis reiectione. CAP. XIII.

QVod flauum est, vel ex flauo rubescens, vel colore ęruginoso, vel Isaridis colore è corpore reiectum, biliosum est. Quare cùm reiicitur aliquid, quod neque sanguis, neque pituita, vel nigra bilis, neque serum biliosum est. Quare videre oportet, à qua parte reiectum sit, an per os, an per nares, per sedem, vesicam, vel vterum. Et cùm bilis diuersa sit colore, consistentiáque distinguatur, de colore & coloris gradu & consistẽtia eos rogare oportet, si nobis nõ liceat videre quomodo per illam regionem sit redditum illud. Si per os redditum dicat æger, rogare oportet si vomitu, vel tussi. Quòd si cum tussi reiecerit, & adsit febris, dolor acutus, vel punctorius, Pleuritis à bile est. Si anhelandi difficultas, & rubedo maxillarum, & malarum, pectoris grauitas, tussis Peripneumonia est. In his solet esse sputum flauum, vel subflauum, & spumosum, & paucum. Quòd si vomitu reiectum sit flauum, vel viride, vel cæruleum est: Si flauum & amarum, flaua bilis è folliculo fellis in ventriculum fluxit, ob obstructionem intestinorum, vel ob insignem attractionem ventriculi, post vomitionem pituitæ, aut cibi. Rursus rogare oportet, si rigor præcesserit, vel sequutus fuerit. Quare si rigor sequitur, sine vel cum febre, si multa & continua per vomitionem & ventrem fluat, choleram morbum esse suspicabimur, maximè si præcesserint alimenta, quæ hunc morbum generare apta sunt, vt peponum liberalis copia, olera multa acria, & amygdalæ multæ tempore calido, ab eo qui ventriculum habet calidum. Si verò viridis, æruginosa, vel porracea bilis est, quæ non potest sine magna assatione fieri, vel ex comestione porrorum, alliorum, & olerum,

Peripneumoniæ signa.

Choleræ morbi signa.

quæ talem ſuccum in ventriculo generant. Si colore cœruleo, Iſaridis bilis reiecta eſt. Per aluum verò ſine medicamento, vel Diarrhea eſt, vel principium Dyſenteriæ. Si cum torminibus, & pituitoſis recrementis, aut ramentis, aut ſanguine exeat, Dyſenteriam eſſe affirmabimus: Diarrheam verò ſi ſine morſu & eroſione, & cum ſeroſis aliis multis excrementis, illa billioſa reiecta ſemper cum aliis miſceantur recrementis. Adde quòd bilis ſyncera non eſt, quæ ex partibus profluit internis. Per veſicā multa cum vrina expurgatur. Per vterum cum aliis recrementis: ſic per nares & pulmonem. Quare ſufficit videre, ſi flaueſcant, & ſi admodum amara non ſentiantur. Quæ reiiciuntur per nares excrementa amara, expelluntur è capite, & illa pituitam quandam mixtam habent, quæ illam craſſiorem facit. Si verò per vomitionem, vel ſedem crocea & vitellis ouorum ſimilis colore, & conſiſtentia reddatur, vitellinam eſſe dicemus. Quare ſi cum febre ſit, longitudinem morbi cognoſcimus: quòd ſi non licet videre, dicemus nos conſultantibus, vt ob oculos ponant humoris Ideam, vt cognoſcatur, nóſque certiores reddant. Si rogatus æger de reiecto, dicat nigrum reiectum fuiſſe, oportet vel per vomitum, vel vētrem, vel vterum, rarò per ſputum. Si per vterum, vel ſanguis eſt refrigeratus, ergo & coagulatus: vel nigrum & liquidum quoddam reiicitur, & fœtidum, & paucum. Quòd ſi tale ſit, Cancri vlcerati in vtero ſuſpicionem habemus. Quare de duritie partis, & de dolore pungente, & acri oportet interrogare: quòd ſi hæc adſint, certius eſt vlcus eſſe cancroſum in vtero. Si ſputum nigrum, ex melancholia Pleuritis eſt, ſi cum aliis ſignis ſit. Si ſanguis niger ob aſſationem, vel extinctionem caloris naturalis, quod mortem proximam neceſſariò ſignificat. Si per vomitum, nigrum quid reiicitur, tum melancholiam, quæ in ventriculum fluxit, è ramis venæ portæ ſignificat. Si per ſedem quid nigrum reiicitur, adinſtar bituminis Iudaici, Dyſenteriam illam impropriè dictam, quæ mutilatis, vel otioſis, vel iis, qui alimentis multùm alentibus vtuntur, ſolet accidere, vel eſſe oportet, vel cancrum inteſtinorum. Iam de pituitæ reiectione nobis agendum.

Dyſenteriæ ſigna.

Diarrhea ſigna.

De pituitæ reiectione. CAP. XIIII.

QVia frequentissimè in morbis pituita reiicitur, ęgrũ sciscitari oportet, nũ aliquid albũ reiecerit. Quòd si ita euenisse respondeat, an per nares, an per os, an per oculos, per sedem per vterum, vel per vesicam, denuò petendum. Nam per omnes istos meatus pituitam excernere contingit. Porrò de reiectionis modo, de coloris gradu, aut de sapore, de consistentia, de mistione, vt dē aliis reiectis superiùs dictum est, vt cùm materiam morborũ, tum partes affectas, & morbos ipsos per reiecta cognoscamus. Non enim est vna pituitæ differentia, sed plures, quæ pro natura eius diuersa, diuersos morbos, & diuersa symptomata procreant. Consistentia nanque alia est aquea, & potiùs serosa, quæ per oculos in lachrymarum fluxu, & per nares in coriza defluit. Alia autem crassior est, quæ saliua dicitur, per os reiecta, magis adhuc crassa est, & viscida quæ similis albumini ouorum fortiter agitatorum vomitione è ventriculo reiicitur, in ipso ventriculo per cruditatem genita aut per defluxionem è cerebro factam, vel è pulmone. In catarrho crudo est illa insuper species superioribus crassior, albuminibus ouorũ nõ agitatis haud absimilis, sapore dulci vel insipido quæ à ventriculo, quo appetentiam deiiciebat, reiicitur. Quare de appetentia interrogare oportet, an auctam post reiectionem sentiat magis, quàm antea. Crassissima porrò omnium illa est, quæ per sedem reiicitur, vitro liquefacto similis, quæque dolores diuturnos coli vni parti affixos ingenerare solet: ob id an dolor ventris pręcesserit, si sensum similem adfert, ac si terebello intestina perforarentur, sciscitandum est. Quòd si ita contigerit, doloris solutionem expectare oportet.

Pituita varia cõsistentia.

De saporis qualitate.

ALiqua planè insipida est, quæ morbos pituitosos mitiores facit & magna ex parte consistentia tenui & aquosa est atque vt plurimùm spumosa ob flatum permixtum, quare dolores & inflationes maiores facit. Alia est sapore dulci in ventriculo genita, quæ, vt diximus, satietatem facit. Alia salsa, quæ sitim in ventriculo excitat, exulcerationem verò & excoriationem in illis partibus, per quas frequenter redditur, dolores, vt circa

ſedem in tenaſmo, in veſica, aut pene cũ vrina redditur: in pulmonibus & trachia arteria, ſi per tuſſim, in naribus, ſi è cerebro per nares reddatur. Acida verò redditur quę ſi in ventriculo eſt, *boulimon* facit, in inteſtinis dolores acerbiſſimos, mitiores tamen, quàm qui à vitreo humore, qui etiam acidus eſt, excitantur.

De colore pituita.

QVanquam omnis pituita alba ſit, alia tamen magis, alia minùs alba apparet. Spumoſa enim ob aërem admixtum ſemper candidiſſima apparet. Acida minùs eſt, & vitrea, & aquea. Vitrea vitri fuſi colorem & conſiſtentiam imitatur. Porrò quæ in pulmone diutiùs retenta eſt, vel in naribus, flauior eſt ob longam coctu- ram & alterationem. Et quia vomitione pituita plerunque reiicitur, de eo reiectionis modo primùm interrogare oportet, quo tempore. ſi manè cum nauſea reddatur, ventriculũ pituita plenum ſignificat, vel ob cruditates, vel ob cerebri defluxiones. Si verò poſt cibum, cruditates ſignificat, & pituitæ ſpumoſæ & lienis redundantiam. Sed ſi alio tempore excreta ſit, ſuſpicio alterius affectionis exoritur. Quapropter ſi cum frigore reddita ſit, idque abſque vehementi dolore, febris initium ſignificat, pituitoſæ nempe aut permixtæ, aut compoſitæ. At ſi nullus dolor, nec febris aderant initio, nephriticũ, vel colicum, vel cœliacum dolorem, & affectum protendit, quos ſic diſcernere oportet. Vbi enim anteriore parte ventris magis infeſtat, comitémque habet recrementorũ retentionem, colici doloris certiſſimum indicium eſt. At ſi lumbos potiſſimùm occupare videatur, ſequatúrque ſtatim, vel præceſſerit vrinæ mutatio, nephriticum affirmare poſſumus, ſiue cœliacum affectum cùm animi defectionem, tum fluxum ventris adfert. Hæc de pituitæ per vomitionem reiectione. Per ſedem etiam illa reiicitur, ídque nonnunquam cum alui fluore, aut ſine fluore. Quæ ſine fluore eſt reiecta, ſed pauca & cum dolore podicis, magnóque conatu reiicitur, tenaſmus eſt. Quæ verò cum fluore etiam ſpumoſa apparet, per defluxionem à capite deſcendere creditur, vbi potiſſimùm per multos menſes perſeuerauerit. At cùm tota alba eſt

De vomitione pituita.

Colici doloris certiſsimum ſignum.

Nephritici vel cœliaci ſignum.

deiectio, chylique speciem referens, dyarrhæa esse indicatur, quæ è venarū mesenterij obstructione prouenit. *Diarrhæa indicium.*

Pituitæ reiectio per vrinam.

SOlet quemadmodum per superiora loca, sic per vesicam pituita reddi, variarúmque affectionum notas demonstrare. Nam quæ dum excernitur, nullum doloris sensum, aut in pene, aut in renibus infert, & in fundo excreta crassioris farinæ instar residet, crudus succus esse dicitur, qui renum aut articulorum dolorem, aut calculum, vel morbi, qui adest, longitudinem, vel etiam corporis consumptionem minatur. At si alia cum dolore magno conatu reddatur, quæ viscida sit, & parùm permixta, talis in exulceratione renum, aut in vesicæ calculo tantùm emitti creditur. Ea autem quæ salsa est, propter insignem detergendi vim, quam talia obtinere solent, dolorem maiorem secum adfert. Quòd si pituitam æger, qui antea asthmate laborabat, emittit, morbi commutationem, & transmutationem expectare oportet. Tot ergo modis per vesicam pituita effluit.

De pituitæ reiectione per vterum.

PEr vterum verò mulieres quandoque illam expurgant, præsertim pituitosæ, & in otio degentes post mensium purgationē, quę aut serosa & tenuis, aut crassa existit. Si tenuis & in magna quātitate fluat, menses illos qui albi dicuntur, excitat. Si autem crassa & viscida, quia lubricum vterum facit, aut abortui obnoxias aut omnino steriles reddit mulieres. Sed si etiam simul salsa sit, salaciores, & tandem exulcerationem in vtero parit, licet frequenter accidat vtero exulcerationem patiēte pituitam defluere, quod omnibus aliis ferè partibus corporis exulceratis commune esse videtur. Sunt & aliæ partes, per quas frequenter pituita expellitur, vt per os, in quo saliua dicitur, colligitúrq; vel defluxionem, vel exulcerationem, aut columellæ relaxationem. Dein per nares, in quibus calfacto capite, aut refrigerato multa & acris, quemadmodum in coriza (gallicè, roupie) solet distillare. Postremò per oculos tenuis & aquosa, vbi lachrymæ nomen assumit, in quos decumbit, vel propter mœrorem, aut cerebri calfactionem, vel obstructionem, aut ipsorum oculorum exulcerationem, aut carnis [illegible]

maioris consumptionem, aut eiusdem arrosionem: denique propter rei acris odorem, fumúmve: quod eis accidere solet, qui circa fornaces alchymistarũ versantur. Talis autem affectum tantùm oculorum denotat.

De seminis reiectione. CAP. XV.

SEmen benignioris alimenti excrementum est, quod ad speciei conseruationem seruatur, cui natura difficiliorem exeundi viam instituit, ne ex eius fluore immodico, corpus citò contabesceret. Seminis reiectio alia est secundùm naturam, alia præter naturam: illa secundùm naturam dicitur esse, quæ distento pene fit & post confricationem in coitu factam. Præter naturam effluit semen, aut cum mentulæ erectione, aut sine erectione. Posterioris itaque tantùm habenda est ratio nobis, vt morborum & symptomatum, quorum illa significatio est, caussas deprehendere possimus. Vt autem ad id sine negotio perueniamus, primùm scire oportet, an quod per penem eiectum est, album vel viscidum, vel spumosum fuerit: subinde oportet eius à quo fluit ætatem, corporis habitum faciei colorem contemplari, à quibus tandem ad profusionis eius caussam deducimur. Quod igitur ad ætatem pertinet, non omnis talem profusionem fert. Pueritia enim ideo seminis excernendi impotens est, quòd illius materia in corporis nutricationem, & incrementum vertitur. Vltima verò senectus ob alimenti defectum. Ideò iuuenibus, vel ætate consistentibus, vel iis qui venerem nunquam experti sunt accidere potest, vt semen sponte effluat, ob illius exuperantiam, vel vasorum relaxationem, & imbecillitatem in iis, qui immodicè venerem exercuerunt. A corporis habitu etiã indicia quædam petuntur. Quando enim in corpore quadrato fit, & succis pleno, ob seminis abundantiam exiliisse credi potest. Contrà quæ quandoque in macilento, & extenuato, colorémque pallidum habente corpore, seminis emissio fit, consumptionis & huius corporis emaciationis caussa esse meritò videri potest. Et vt certiùs de hac re pronunciare liceat, deiectionis seminis modus, tempus, & quantitas diligenter perpendenda sunt. Ad modum refertur distento pene, vel sensim seminis euacuatio facta, quæ indicio esse potest vim expultricem

tricẽ ab aliquo illarum partium vlcere irritatam, vel ob colloquia lasciua stimulatã, vel ob vasorum plenitudinẽ commotam ad eius reiectionem fuisse. Tẽpus verò profusionis seminis est cùm noctu, vel interdiu fit. Noctu autem inter dormiendum per insomnia libidinis, aut in attenta rei venereæ cogitatione, semen affatim procidit. Effluentis autem huius caussa est, seminis vel exuperantia, vel flatuum copia, aut acrimonia naturam proritans. Quòd autem vnaquæque istarum caussarum per se id effecerit, suis propriis notis deprehendemus. Tum enim huius effluuij caussam in solam seminis redundantiam non ineptè reiiciemus, cùm, qui illud patitur, in ætate florens vitam otiosam egisse videbitur, cui ciborum & alimentorum multùm nutrientium adiunxerit vsum, vel ipsum veneris vsum, vel aliquantisper intermiserit exercitium, à quo tamen nihil periculi imminet. At si ille potiùs ex vitæ intemperãtia cruditates multas collegisse, vel vigiliis intempestiuis, & ex fructuũ crudorum, & olerum, & similium flatus generantium immoderato vsu collegisse videatur, vt si abstemius sit, iam non dubitandum, quin propter flatuum copiam seminis profusionem hãc patiatur. Qui si medicamentis semen extinguentibus frequenti assumptione, eam sistere speramus, multo tamen vehementiùs prouocauerimus, minùs mirandum erit, cùm omnium talium medicamentorum genus summæ frigiditatis sit particeps, ratione cuius intemperiem, quæ illud profluuium excitabat, auxerimus. Si verò nihil eorum, quę dicta sunt, adfuerit, quin potiùs in sene eruperit illud seminis profluuium, quod longo vsu acrium eduliorum, (cuiusmodi sunt omnia piperata, sinapi, & legumina) vesci consuetus sit, non aliunde sanè, quàm ex seminis acrimonia, & salsugine, huius affectus scaturiginem emanasse credendum est, licet rarissimè ab illa caussa contingat. Aliam autẽ præter caussas enumeratas seminis immoderatè, & intempestiuè effluentis recentiores practici cõstituerunt, speciémque quandã resolutionis partium spermaticarum fecerunt, quod quomodo rationi consentaneum est, non video. Nam cùm beneficio musculorum nõ retineatur semen, neq; sint huic vsui deputati aliqui nerui, resolutio pro

Error nonnullorum de intempestiuo seminis profluuio.

priè vocanda non est. Sed quemadmodum vetriculi relaxatione vomitus prouocatur, sic etiam è vasis spermaticis ob imbecillitatem virtutis retentricis, aut propter expultricis irritationem, semen præter naturam procidere aliquando posse non negandum est. Decidit autem semen è parastatis, & vesiculis illis appensis, sensímque in pene colligitur, vnde postea affatim prosilire necesse est, nisi ob sectionem paruorum illorum musculorum penis exitu arceatur, vel ob penis curuaturam in meatu retineatur, donec cum vrina excludatur. Tale seminis effluuium in quodam nobili obseruare nobis aliquando contigit, qui illud patiebatur ob musculorum illorum penis incisionem. Nam cùm antea laborasset ingentis magnitudinis in vesica calculo, qui sua magnitudine vulnus ad podicem vsque extenderat, vnde factum est vt ex tanta musculorum laceratione, musculi etiam orti ab osse coxigis vnà cum neruo cauo penem constituente per transuersum secti essent, vnus autem paruorum penis musculorum tandem eandem læsionem subiret, altero sano remanente, ex quo secuta est mentulæ contorsio, inde seminis retentio in pene, cuius rei ciendi nulla alia ratio erat, quàm compressa digitis perinæi regione.

Receptac. seminis.

Seminis profluuiũ malum.

Malum quidẽ est seminis profusio, mulieribus perinde atque viris commune: caussa est, quòd aliquando extra vterũ, aliquando intra vterum profunditur. Si extra nullius periculi metus terret, nisi supra modũ fluat, idémq; sequatur corporis cõsumptio. Verùm cùm è vasis spermaticis per cornua in sinus vteri descendit, in eóque retinetur, multorum grauissimorum morborum & symptomatũ fit caussa. Horrores enim, furores, manias, melancholias, conuulsiones, vteríque præfocationes parit, eò quòd in vtero corrumpatur, & labem malignam contrahat. Quòd si in copiosum flatulentúmque spiritum resoluatur, inflationem, quam vocant, vteri excitat. Effluuij autem istius caussæ eædem sunt, quæ in viris, scilicet exuperantia seminis, acrimonia, exulceratio, & partium spermaticarum imbecillitas, & aliæ, quæ superiùs sunt enumeratæ. Retineri autem potissimùm solet semen in viduis, virginibus, & vestalibus. Quare de illis affectibus dum conqueretur mulier aliqua, vt in proprij

Symptomata seminis effluuij.

morbi notionem deueniamus, de omnibus, quæ antea dicta sunt, diligenter est inquirendum, nec prætermittenda victus ratio consueta, ætas conditio vitæ vt vidua ne an nupta sit. Quòd autem è vasis spermaticis semen profusum, & in vtero retentum ista symptomata procrearit, ostendunt istorum curationes: quiescunt enim statim, & prorsus desinunt, vbi reserato interiore ore vteri semen omnino effluxerit. Inuasit hoc seculo ex lue venerea aliud quoddã vitium seminis profusioni, & gonorrheæ finitimum. In quo humor, qui redditur, puris similitudinẽ refert, quod cum à diuersis caussis procreetur, diligenter inquirendæ sunt, vt de affectu rectiùs statuamus. Proinde videndum an illud puri simile, cum vrina effundatur, & exiliat, aut nõ, an etiã cum sensu doloris. Si enim cum sensu doloris, & penis erectione fundatur, inflammationem in parastatis esse indicamus, quæ ea potissimùm in parte excitatur iis, qui rem veneream cum muliere infecta habuerint. Postquam enim vsum venereum confecerunt, eiaculato enim in vterum semine, partes spermaticæ in eo opere calfactæ, & propter seminis profusionem inanitæ, halitum quendam tetrum & fœdum ex vtero elatum in se recipiunt, quo tempore in malignum virus facessit, quod deinde cõtagione aliũ quemuis contaminat, tandémque putredinem contrahit, & inflammationem excitat, sed in parastatis potiùs, eò quòd locus ille humidior sit, & magis fistulosus. Fit autem inflammatio interdum in eadem parte, sed alia de caussa quàm in ipso venereo opere multum seminis è vesiculis post longam successionem attractum collegerunt, nec foras eiaculare potuerunt. Quare semen adhuc feruens & nonnihil acrimoniæ retinens inflammationem accendit, quæ ex continua puris effusione internoscitur pudendíque perpetuo madore, & erectione, interdum etiam ex hæmorrhoidum inflatione. Solent enim hæc omnia inflammationem illarum partium comitari, propter consensum, qui peni est cum recto intestino. Interdum autem propter inflammationem vlcus, vel scissuræ ex eadem caussa, circa easdem partes proueniunt. Sed hæc ex propriis affectuum signis difficile fuerit internoscere. In inflammatione enim

A lue Venerea.

Inflãmatio parastata.

maior vrinæ ardor, maior item puris tenuitas. In vlcere verò maior puris quantitas, minor ardor, sensus verò non minor. At in scissuris solus est ardor vrinæ, absque vlla puris emissione.

De ramento. CAP. XVI.

RAmenta vel substantiæ aliquæ concretæ, & corporeæ, è corpore reiiciuntur, & sunt vel de substantia membrorum, vel aliquid ex humoribus concretum, & generatum: quare quid sit, rogare oportet, & per quam regionem, & quò excretionis modo, & reuocare in memoriam membri, vnde manat, substantiam, ad quam debemus conferre, vt sciamus si talis sit. Si quid de substantia vel per tussim reiecta ramenta, aut tunicæ, sunt ramenta tunicæ internæ trachiæ arteriæ, vel quid bronchiarum, vel partes squammis similes, quæ arteriam in pulmonibus componunt, vt nos in anatome diximus, & in tractatu de piscibus agentes de trachia arteria. Quare si calculi adsint, instar granorum hordei, ex pituita calculum è pulmonibus, vel grandinem dicemus. Si pellicula magna, à trachia arteria: si verò squammæ siue partes sint asperæ arteriæ, indicant partem affectam. Sic ab intestinis ramenta, pingue aliquod calculi, vel pituita indurata, illa deprehenduntur ab intestinis descendere. Vt verò cognoscamus an à ventriculo, an per sedem reddantur, & in eo vlcus sit, an præcesserit venenum, videndum est. Per mentulam ramenta carnosa, vel furfuracea reiiciunt: quòd si carnosa, à vesica non sunt, sed à renibus: si furfuracea, à vesica. Calculus ex arenis multis cōpactus, & rubens, præcedente dolore nephritico, reiicitur è renibus. Si verò durus, & multis tunicis vestitus, è vesica redditur. E naribus reiicitur pituita indurata, vel crusta, vel pellicula interna narium. Si crusta, facilè è duritie cognoscitur, & ferè quid sanguinis apparet, si ante vlceris curationem reddatur. Si verò pellicula, plus sanguinis redditur.

De viuo reiecto. CAP. XVII.

REiiciuntur animalia viua è corpore, vt vermes, pediculi. Vermes in ventriculo gignuntur, & intestinis, in vesica, dentibus, vt aliquibus placet, in vlceribus. In vrina natantes monstrauit D. Griffius. Reiiciuntur

tur vermes, Elumites dicti, vermibus terrestribus similes è ventriculo per os, & nares. Ab intestinis per sedem similes vermibus casei reiiciuntur, & circa anum pruritum faciunt, tales infiniti redduntur. Tinea vermis duorum cubitorum per sedem & os reiicitur. Est autem albus multis suis partibus veluti seminibus cucurbitę comparatus, in lateribus serratus, capite paruo & longo, & cauda breui. Illa, quæ reiiciuntur, vt semina cucurbitæ, sunt partes huius. Cùm essem in castris Parpinianis, vxor alicuius militis post vsum alliorum reiecit vnum duorum cubitorum, quem siccatum seruaui: scolopendriam in corporis scissuris refert, sine oculis, aut aliquibus partibus distinctus erat. Appellatur Tinea, quòd veluti Tinea marina albus est & longus, & latus, à latitudine dicitur. Omnes alij rotundi sunt: hic latus & tenuis. Inter viua animalia corpore reiecta molam referunt, at falso informis massa sanguinis veluti adnatum, & falsum quod dicunt ambulare & volare. Quòd si viuũ aliquod reiiciatur, vt aliquibus in locis solent facere mulieres, quæ cùm bibissent aquam, in qua erat semen Echini, Echinos pepererunt. Quare rogare oportet, quam figuram referant illa animalia. Audiui mulierem aliquid lepori simile reddidisse, sed rarò ea accidunt: ob id non possumus iudicare de illis nisi aspectu. Argenterius medicus doctissimus asseruit se vidisse cum vrina reiectum draconem cum alis Pediculi reiiciuntur, quòd ex relaxatione, & victus præcedente ratione intelligere oportet, vt si vsus fuerit multis ficubus, carne viperarum, vel tenuibus alimentis, si in temperatura calida & humida, & parum frequenter mutet vestes, ille pediculari morbo afficietur. Quòd si scalpat manum, aut aliam partẽ frequenter, & adsint vesiculæ aqua plenæ, apparet ipsarum pruritus caussam esse. Reiiciuntur fœtus suo tempore, & secundum naturam nono mense, & in caput primùm nascitur. Præter naturam autem si ante septimum mensem, in quo viuere contingit fœtum, & si in pedes nascatur, si in brachium vnum, vel duo, vel in ventrem, si in dorsum, quod minùs periculosum. Dignoscitur vnius mensis esse, si non perfectè discretus: duorũ mensium, si paruus, & omnes partes discretas habeat, & albas: trium

Tinea.

Mola inter viua falso refertur.

Pediculi.

Partus.

ſi incipiunt partes rubere, quatuor, quòd maior ſit, & manifeſtè incipiant carnoſæ apparere. Septimo perfectus eſt, ſed nondum ad conſumptionem peruenit abſolutam, item clamat: & ſtatim oculos aperit, & claudit. Octauo abſolutus eſt, ſed ægrotare videtur. Nono perfectus & benè carnoſus, modò mater fluxu ſanguinis, aut alio morbo longo non laborarit, aut oleribus, & fructibus per tempus imprægnationis ſe nutriuerit. Computare oportet vel à tempore fluxus ſanguinis abſoluti, vel ab hebdomada, qua debent erumpere, & per alium menſem mulierem ſe ſicciorem inueniſſe, ſemen retinuiſſe, & arctiorem vuluam ab eo tempore concepiſſe. Quòd ſi hæc non accidunt, addenda ſunt alia ſigna conceptionis, ſi ſe aliter affectam cognouerit, in ſiti, in appetentia, in aliis corporis affectibus, ſi nulla occaſionis retinendi menſes præceſſerit. Si vrina bene cocta ſit, ſi in fundo hypoſtaſis inſtar bombacis flocculi, item ex tumore ventris circa vterum primùm & ſenſim in ſuperioribus. Quòd ſi mulier primùm inflata fuerit, & ſuperuenerint menſes decolorati, vel inordinati, illam potiùs laborare ob defectum menſium vel alio morbo credendum eſt: quod accidit his mulieribus quæ nunquam pepererunt, & ſupra modum cupiunt concipere. Puellis verò & iis quæ non admodum cupiunt, & dicunt ſe ſentire quandam motionem ſine magna grauitate, concepiſſe credendum eſt, neque etiam his quæ aliquando conceperunt, & cupiunt concipere. Nam qui aliquid cupit, facilè decipitur, & ſibi inſomnia fingunt, & ſibi imponunt qui amant, quod in multis experti ſumus etiam principum vxoribus: neque etiam annoſis mulieribus, quæ iuniorem maritum elegerunt. Solent tales fingere ſe concepiſſe, ne ſteriles maritis videantur, vel quæ malè à marito tractantur. Reiicitur à mulieribus ob humorem luxuriantem in vtero veluti adnatum quoddam, quod ſi accreſceret, in molam degeneraret, quod mulieres putant formicas eſſe. Sed cùm fœtus nondum conformatus eſt, intus apparent veſicæ tres ſemine plenæ: quare non eſt illis credendum, neque probare, ſi aceto non diſſoluatur. Nam ſi caro illa diſſoluitur, ſed ſolus ſanguis concretus, vt iſta diſcernantur, diligen-

Sign. conceptionis.

Morbus à menſ. defectu.

Amor imponit.

Mola.

ligenter est aduertendum, & sunt interrogandæ, & frequẽter palpandę. Nam illæ mulieres medicis imponunt sæpe, vt illæ quibus supprimuntur menses morbo: sed quia menstruum sanguinem in nutritionem absumunt, illas interrogare oportet, si partes aliæ, quàm mammæ & venter increscant. Quòd si fateantur, est copia carnis potiùs, quàm imprægnatio. Non erit inutile dare melicratum, cùm it dormitum: si tormina patiatur, concepit, vt admonet Hipp 5. aphor. *Conceptionis exper.*

De sudoris excretione. CAP. XVIII.

SVdor qui è corpore manat, humorum carnis exuperantiam, sicuti vrinæ excretio, venarum & arteriarum plenitudinẽ demonstrat Est enim sudor excrementum carnis affatim redditum, & redundante alimento, vel cibi vehiculo Quare vrinæ & sudoris eadem planè est materia, quãquam inter hæc illud intersit discrimen, quòd à renibus secernitur vrina, & in vesicam detruditur, vt ex ea deiiciatur. Sudor verò per poros cutis foras erumpit: quare diligenter est obseruandus, an aliquid boni vel mali significet, vt ex eo partium vel totius corporis affectiones deprehendamus. An etiam à toto corpore emanarit, vel à parte aliqua tantùm, calidúsve an frigidus, quibúsve signis præcedentibus, aut euacuationis, & in qua aëris, & temporis constitutione. De sudoris etiam colore non minùs est inquirendum, odore, sapore, consistentia, an tenuis, an crassus, an viscidus, acris, mitis, multus, paucus, quomodo æger illum tolerauerit, an sano, vel ægro acciderit. Rursus si ægro, an acuto, vel mitiori morbo laboranti. Deinde an vno & eodem tempore multos vel paucos ægros infestauerit. Postremò quota die morbi eruperit. Quòd si ab vna tantùm parte sudor emanasse visus sit, morbum in ea firmatum esse indicio est, Hippo. testimonio pronuntiantis ibi morbum esse, vbi sudor apparet Id quod intelligimus, si non multus effluxerit, morbúsque acutus, aut febris non existat. Morituris enim à morbo acuto, solet in fronte sudor & in ceruice prodire, nullo tamen proprio in illa parte existente affectu. Id quod propter partis sudorem facilè promptisiméque emittentis naturam, tum accidit vt frigidus, vel parùm calidus exeat. Si verò ab vniuerso

Sudoris & vrinæ eadem materia.

Apho. 38. & 42. lib. 4.

corpore effluxiſſe certum ſit, tum ſcire oportet an rigor præceſſerit & febris continua fuerit, eóque ita exiſtente morbi ſolutio expectanda eſt, modò ille ſudor morbi die ſeptimo exierit, præcedentibus ſignis coctionis. At ſi ſexto die, vel mortem, vel recidiuam denuntiat. Cùm autem ſudor à toto corpore prodit in febre quæ non eſt cõtinua, quam præceſsit frigus, vel rigor, vel horror, de genere intermittentium eſſe oportet, cuius acceſsionis remiſsio, & finis per ſudorem ſignificatur. At in quacunque febre, febrem ſudor non ſoluit, longitudinem eius, aut periculoſum exitum minatur. Poſtremò cùm ſudor ſic apparet, non eſt inutile ab ægro ſciſcitari, an vniuerſalis euacuatio anteceſſerit: tales enim ſalutares eſſe ſolent, qui tempeſtiuam aliquam ſolutionem, purgationem vel ſanguinis miſſionem, vel coctionem ſequuntur. Quod ſi nil horum priùs apparuerit, naturam grauari feroſorum humorum multitudine indicat. Sequitur, vt qui ſudor in morbis eruperit, calidus frigidúſve fuerit intelligatur, eò quòd qui calidus eſt, ex ſe nihil plerunq. mali adducat: qui verò frigidus, ſemper aliquid poſt ſe mali trahat: vnde in morbo acuto mortem, in mitiore verò morbi longitudinẽ declarat, licet de ſudore in acceſsionibus febrium intermittentium erumpente, non ita iudicandum ſit, qui plerunque frigidus eſt, eò quod corpus refrigeratum erat, ex quo nihil mali ab eo expectandum eſt. Quòd verò ad eum ſudorem attinet, qui cum animi defectione accidit (quem antiqui ſudorem non madorem appellauerunt) non mirum ſi frigidus exiſtat, cùm corporis ipſius partes externæ, ob ſanguinis & ſpirituum circa cor retractionem, refrigeratæ ſint: ſed tamen periculi nunquam expers eſt, è cuius fortaſſe genere eſt ſudor ille diaphoreticus à barbaris dictus, ſed epidemicus & peſtilens, qui aliquando in Anglia primũ, poſtea in Germania crudeliter graſſatus eſt anno 1529. adeo vt non ſolùm è plebe, verùm etiã è nobilibus multos ſuſtulerit, idque medicorũ quorundam, vt credi poteſt, errore, & conſilio, qui fortaſſe cenſebant non eſſe ſupprimendum ante 24. horas, quòd exiſtimarent tali euacuatione corpus à morbo liberari: cùm ea via non ſit multùm opportuna ad venarum & arteriarum plenitudinem

Sudor Anglicus.

tudinem vacuandam, non debuerunt vltra prouocare sudorem, nec etiam statim supprimere. Verùm si caussa illius fuisset illis cognita, alio repetè diuertere vel reuocare per vrinæ regionem debuissent. Essentiam autem istius morbi locus, qui primùm affectus, & rabiem istam sésit, satis declarabat, regio scilicet illa, in qua homines perpetuò in hypocaustis degunt, multóque carniũ esu se ingurgitant, & alimentis piperatis continuò vtuntur. Quare factum est, vt continua hypocaustorum æstuatione, meatuum cutis relaxatio consequeretur, quæ sudoris promptissima, & potentissima caussa esse solet, cuius materia in humorum exuperantia consistebat, quam frequens alimentorum multùm nutrientium, & piperatorum vsus collegerat. Sunt enim reuera multùm edaces Angli: multáque carne opplere se solent, vnde prouerbio locum dederunt (*Il est saoul comme vn Angloys*) & non minùs sunt in potu incontinentes, qui liberaliùs vinis generosis vtantur, vel zitho, quæ corpus maximè replent, vnde sudoris materia, quæ ex eo cùm tantâ suppeteret, nec caussa efficiés deesset, calor videlicet hypocaustorum, quo humores è corporis centro in superficiem & cutim alliciebantur, non mirum si Angli ex cæteris nationibus cũ Germanis soli illud malũ passi sint: quanquam hoc non sine admiratione sit, quod ante illa tempora auditum, & visum nunquam inter eos fuerat: vnde illud caussam in aliquam aëris constitutionem referre oportuit, propter quã accidit, vt ea regio, & eo solùm tempore, tali morbo vexari cœperit. Quemadmodum & hisce postremis téporibus, anno videlicet, 1557. non solùm hanc nostram regioné Monspelliensem, sed ferè totam Europam morbus quidam epidemicus nouus inuasit à nostris dictus (*la coqueluche*) quæ tantùm pituitosa defluxio esse videbatur, primùm fauces occupans, deinde in pulmones decumbens, ita vt quorũ natura vergebat ad phthisim, phthisici eo tempore euaserint, mortuique sint hoc anno 1559. Quibus tamen non in pulmones, sed in costas defluxit, speciem quandam Pleuritidis excitauit, quæ magis medicamentis, quàm sanguinis missione curari visa est. Eodem etiam anno pabulæ quædam in pueris eruperunt ob aëris te-

Zithi vsus corpus maximè replet.

Coqueluche.

piditatem, & in quibusdam illorum ea apparuerunt, quæ ab Hippocrat. 1. epidem. recitantur. Vnde puerum in nostra vicinia videre contingit, in quo, ob humiditatis excessum, omnium iuncturarum corporis facta est eluxatio, sequutáque est omnium ossium putrefactio. Ex quo concludimus præcedere debuisse aliquam aeris constitutionem, quæ talium morborum caussa extiterit. Iam reliqua persequenda in sudoris cõsideratione signa, quę illum antecesserunt, quę medico consideranda diximus, de quibus tamen non est interrogandus æger, qui coctionis signa, aut alia nec cognoscere, nec obseruare solet. Quare de iis, solius medici est iudicium facere. Non eadem autem est ratio diei, in quo sudor apparet, si acutus sit morbus.

Multùm enim interest quotus ille à principio sit, & à prima morbi inuasione cognoscere, cùm ex sudoribus ij tantùm censeantur optimi, qui in acuto morbo die oriuntur decretorio, & morbum soluunt: qui verò id efficere non valent, inutiles. Quare salutares absolutè dicuntur, qui in 3. 5. 7. 11. 14. 17. 20. incidunt. Sub qua etiam aëris constitutione sudor prodeat, non parùm refert obseruare. Nam si æstas sit veri similis, sudores copiosos oportet expectare, nec magis negligenda coloris, qui in sudore conspectus est, obseruatio. Qui enim flauum colorem refert, flauæ bilis exuperantiam, in carne eius, qui eo colore affectus est, testatur. Atqui magis rubescit aut venarum nimiùm relaxatarum, vel osculorum illarũ patentiorum, aut sanguinis vltra modum serosi indicium est. Talem sudorem in quodam medicinæ studioso conspicere contigit anno 1547. Sapor qui in sudore ab ægro sentitur, suas habet notas. Nam si multam in eo salsuginem renunciet, quæ excedat naturalem, (parua enim salsedine præditus esse dicitur naturalis sudor, quemadmodum serum) sanguinem vehementer aduri, & adassari à magno calore iudicare possumus. At si amarum sentiat, copiosioris bilis admixtionem: si dulcem, serosum esse sanguinem: si verò insipidum, plus ichoris pituitæ, quàm bilis obtinere affirmabimus. Iam de sudoris odore agendum. Sanorum & bene temperatorum corporum sudorem bene olentem esse

Sudor salutaris.

Constitutio.

Color sudoris.

Sapor.

Odor.

esse quidam contendunt, vt de Alexandri corpore historiæ testantur, qui gratum spirabat odorem. Sunt alij, qui si non bene oleant, malè tamen olere nolunt. Eorum verò, qui succorum vitio laborant, vel leprosorum, & impudicorum hominum sudorem, hircum olere non dubium est. Quapropter cùm talis sudor è toto corpore erumpit, testis cacochymiæ, & dispositionis cuiusdam ad putredinem, quæ in magnis venis existit. Sed cùm tantùm ex alis emanat, parùm mali portendit, minùs verò, cùm ex solis pedibus. Omni autem sudori id communiter accidit, vt cùm refrigeratur, malum odorem statim acquirat, indicio sunt, qui sudantes pectus denudant, id quod ea ratione fieri puto, quòd sudor, quandiu calidus est, regitur adhuc à calore naturali, refrigeratus verò destituitur. Quare putrilaginem quandam facilè suscipit, & simul odorem prauum, quem priùs non reddebat. In sudoris consistentia diligenter perspiciendum est, an tenuis potiùs, quàm crassus sit. Qui enim talis est, nisi propter constrictionem, & cutis densitatem tenuis exeat, tenuium in corpore humorum multitudinem declarat. Contrariam verò significationem crassus obtinet, vtpote qui meatuum amplitudinem, vel humorum crassitiem testatur. Visciditas insuper sudori inest quandoque, sed ea succorum in corpore eodem modo affectorum dominium, aut materiæ sudoris paucitatem demonstrat. Sudor potest esse acer, aut mordax, aut mitis. Cùm mitis & blandus, nisi in sano homine sit, fel à sanguine, aut spirituum inflammatione accensæ indicium est. Quando verò acrimoniam obtinet, eámque primo occursu refert, & in progressu retinet, febrem biliosam ex putredine accensam consequitur. Sicut ille pituitosam putridam significat, qui in principio mitis est, in progressu verò acrimoniam assumit. Talis enim sudor humoris genus, qui hanc protulit, extulit, adeo vt illud verè dici possit: Quemadmodum animi mores corporis temperaturam comitantur, sic morborum mores corporis & humorum in eo contentorum qualitates, & naturam sequuntur. Quantitas sudorum modò se offert c[illegible]siderandа idque in sano aut ægro. In sano enim si multus effusus sit post

Consistentia.

Visciditas.

Mitis sudor.

Acer.

Quãtitas.

somnum,tamen copiosiore vti alimento,aut purgatione indigere, scripsit Hippoc.Aphor.8.lib.2. Quare cùm vnum deest, alterum adesse significat. Qui verò ægrotanti, & acuto morbo laboranti in magna copia accidit, si præcedentibus coctionis & die critico morbi cõtingat, solutionem morbi integram expectare iubet. At qui initio morbi, vel ante crisim, vel concoctionem prosilierit, magnam humorum plenitudinem in corpore, & simul morbi longitudinem, cùm vires sint robustæ: cùm verò exolutæ, mortem prænuntiat. Alio modo pauco sudoris quantitas se habet, quæ quidem paruum esse adhuc vitium in quantitate humorum indicabit,nisi propter morbi cruditatem,aut materię crassitiem, vel meatuum cutis constructionem, & obstructionem perueniat. Non solùm necessaria est sudoris quantitatis consideratio, sed quomodo illam ferat æger, subinde prospiciendum Quoniam vacuatio, quæ per sudores fit, quando copiosior est,vires admodũ prosternere solet. Solùm ergò vtilis & secundum naturam habenda est, quæ leuare ægrum videtur,& quę expurgata aluo post crisim, vel post aliquã coctionem succedit, quæque iam vacuata morbi materia crassiore, reliquam tenuem per corporis summa dissipat. Quæ verò vel morbi initio, vel quouis alio tempore, vel ante coctionem, vel ante crisim exierit, irrita est,& cui nulla morbi solutio fida committi potest, sed potius mortem, aut morbi productionem adfert. Iam locus postulat,vt de sudore qui tantùm sanos inuadit,dicamus, cui hoc peculiare est, vt calfacto, vel æstuanti corpori succedat. Quapropter cùm sanus aliquis absque caussa aliqua euidenti, & procatarctica in sudores per totum corpus inducitur, certissimum indicium est, vitium in quantitate humorum illum pati,aut multo vti alimento vel purgatione indigere. Quòd si non totum corpus,sed aliqua tantùm pars soleat illo sudore frequenter diffluere, affectũ quendam esse in ea, vel fuisse credẽdum est, cuius rei fidem faciunt partes,illæ quæ olim vulnus,aut abscessum sunt passæ,ex quibus sudor leui de caussa emanare solet, vt accidit iis qui parotidibus, aut abscessu, vel tumore circa inferiorem maxillam sanati sunt, debiliore ex

De sudore sanorum.

co affectu reddita illis ea parte, adeo vt in masticãdo cibo maiore cũ labore functionem suam semper obeat,& ob id sudorẽ semper mittere frequẽtius cõspicitur. Sunt tamen, quibus circa faciem, vel ceruicem magis quàm ex alia parte peculiariter sudor exudet, quod equidem illis accidere propter summã respirãdi difficultatẽ putarem, qua ratione vẽtriculus eodẽ modo affici solet, cũ in chylo conficiendo & concoquendo laborat. Idẽ de articulis & omnibus aliis partibus iudiciũ ferendum, quę postquã imbecilliores factæ sunt ex aliquo affectu, maiorem excremẽtorum prouentum semper producant, vnde minus expeditè functiones suas peragunt: quæ caussa est vt statim sudores diffluant. Ex quo illud perpetuò verum esse probatur, morbũ ibi esse, aut adesse, aut adfuisse, vnde sudor emanat. Sudor aliquando simul multos & eodẽ tempore inuadit, quare illius caussam constitutionis aeris tribuendam censerem. Quòd si ex tali sudore multi etiã moriantur, inter epidemicos morbos necessariò est referendus. Superest omnino, vt antequã sudoris sermonem absoluamus, notas & signa, quę ex tẽpore morbi sumuntur, quo ille erũpit, subiiciamus. Sub tempore autẽ comprehendimus morbi initiũ, medium & finem, & dies, qui iudicatorij & critici pares vel impares dicantur. Quare cùm primo alicuius morbi die sudor cum febre profluit, & illam finit, intermittens morbus esse existimandus est. Quòd si propterea febris in quietem nõ desinat, præcesserit tamen aliquod signũ eorum, quæ febri intermittẽti accidere solent vt est rigor, vel horror, non febris intermittentis, sed cõpositæ, vel confusę indicia cognoscenda sunt, quæ non omnino morbũ periculi expertem faciũt. At cùm nihil eorum, quæ febrem denotant, cum sudore se præmõstrauerit, iam de plenitudine, quam humorum exuperantia parit, tantùm iudicãdum, metuendúmq; ne vires illam ferre possint. De sudoris vero profluuio, qui in processu morbi accidit, inquirendum etiam. Nam qui die critico post aliquam cõcoctionem vel moderatè profluit, copiosiorem illius effusionem in die critica proxima promittit, veluti si sudor quarto die pleuritide, vel alio simili morbo acuto existente in qualibet quantitate exilierit, morbi solutionem in septimo die per sudorem

Cur sudor circa faciẽ sæpius apparet nonnullis.

Aphor. 38. & 42. lib. 4. Hippoc.

Intermittentis morbi indicia.

De profluuio sudoris

expectare iubet, modò nihil interueniat, à quo naturæ motus impediatur. Similiter quæ in morbi exitu sudoris profusio fiat, potest debellari à natura morbi aliqua indicia, nihil aliud, quàm morbi expulsionem totam ostẽdit. Contrà cùm prostratę iam vires videbuntur esse, nullúmque naturæ euincentis signum præmonstratur, paruam salutis spem relictam esse prænunciat, pari potissimùm si facta sit die. Quamuis de sudoribus, qui diebus iudicatoriis & in medio morbi progressu facti sunt, non aliquid melius expectari possit, cùm sine aliquo coctionis signo, aut alio salutari antecedente exierint. Sed de sudoris excretione satis multa.

De retento. CAP. XIX.

QVia nomine affectus præter naturam & morbum & symptomata, & caussas superiùs comprehendimus, de retento interrogare oportet, quòd & si morbus non sit, caussa tamen morborum pręter naturam esse solet. Si ergo nullum reiectum ægrum molestet, num aliquid retineatur in eius corpore, interrogare oportet. Solet enim retentum præter naturam, vel reiectiones præcedere, vel sequi. Nam post immodicas euacuationes nihil solet redundare, quod sua quantitate facultatem expultricem irritet. Porrò solent fieri immodicæ & magnæ euacuationes, post longas retentiones eorum, quæ debebant euacuari. Voco autem retentum, quod secundum naturam debebat euacuari, quod naturæ vim infert, vel inferre natum est. Quod non suo tempore, aut per suam regionem à natura institutam, & conuenientem, aut tanta quantitate, quanta debebat euacuari, euacuatur, potest dici *peritoma* retentum. Et quia multa talia sunt, quæ retineri possunt, de illis omnibus sigillatim interrogare oportet. Sunt autem concoctionum excrementa & vteri, quæ retinentur. Et quia excrementa alui diutius retenta multorum morborum & symptomatum sunt caussæ, primùm de illis interrogabimus, num suo tempore & tanta, & talia reddantur, qualia debent. Quòd si retineri dicat, caussam aut concaussam morbi inueniemus. Solent enim esse caussæ doloris colici, & capitis vertiginis, & scotomiæ. Verùm vt huius retenti caussam cognoscamus, scire oportet nũ præcesserit

Quid retentum.

larga euacuatio à natura facta, vel à medicamento vel vsu astringentium prima mensa sumptorum. Nam post largas euacuationes supprimitur aluus. Non enim solent intestina nisi irritata qualitate, vel quantitate deiicere. Quòd si multa copia premantur, minùs solicitantur, ob id post vsum medicamentorum laxantium, & clysterum solet talis suppressio fieri, quæ minus suspecta est. Retinetur cibus aut chylus in ventriculo ob tumorem præter naturam in ecphysi factum, vel ob scirrhum panchreatis. Quam retentionem deprehēdimus, si post coactionem tensio & grauitas circa superiorem ventris regionem sentiatur ab ægro, & vomitio sequatur, qua leuetur. Quòd si non vomat, perseuerat dolor. Flatus etiam in eadem regione retinentur, qui solam distentionem faciunt sine grauitate, sed cum difficultate anhelitus, & suffocationis timore. Nomine retenti comprehendimus, quod non euacuetur per propriam regionem, vt suprà dictum est. Nam in iliaca passione, aut coli inflammatione delapsi in scrotum nihil per sedem euacuatur, sed per vomitionem fit reiectio. Et sic talis affectio, & reiectum, & retentum dici potest, veriùs tamen reiectio, quàm retentio. Sic in dysenteria, diarrhæa, & aliis fluxibus ventris accidit, in quibus vrina retineri videtur, propterea quòd tota per ventrē cum excrementis mixta reiicitur, quod & in omni larga euacuatione euenire solet, siue per vomitum, siue per ventrem fiat, siue per sudores. Paucum est enim quod remanet & trahitur à renibus. Retinetur autem vrina verè tum ob affectum renum & vesicæ, tum quia in peritonæi cauitatem, per resudationem descendit, quod nobis certò futurum hydropem præsignificat. Quibus ergo non retinetur ob suprà dictas causas, retētionis causam vel renibus, vel vesicæ, vel meatibus vrinæ attribuemus. Quare de affectibus harum partium interrogare oportet, vt cuius vitio id fiat, certò sciamus. Supprimitur autem vrina, aut non redditur, vel quia renes eam non trahunt, aut vreteres non emittunt, aut vesica non recipit, aut fistula seu mentula impedita est. Si autem vitio renum id fiat, dolor grauis circa renes, & pondus secundum longitudinem spinę sentietur, & paulò post in toto

Quos morbos & symptom. inducit alui astrictio.

Retētionis cibi aut chyli signa.

De vrinæ retentione.

Causa suppressionis vrinæ.

corpore apparebit. Nam facies prætumida est, venter totus tensus, fluit venter & tandem per vomitionẽ redditur. Quod & in omni reiectione magna, à quacũque alia causa contingit, verùm non tam cito. Quò autẽ certiores simus, fistulam æneã intrò mittemus: quod si nihil vrinæ prorsus reddatur, certissimum erit indicium, vrinam vel vitio renum, vel vreterũ retineri. Nã in omni retentione vrinæ ob calculum vel ob carunculam, & sanguinem cõcretum, vel pus crassum aliquid vrinæ redditur intro-
Vreterum. misso cathetere. Vitio vreterum fieri intelligemus, si dolor aliquis præcesserit vehemẽs circa eam regionem. Si
Mentula. ob fistulæ vel mentulæ vitium fiat vrinæ retentio, tumor circa penem manifestus erit rotundus, & immissa fistula ænea, vrina reddetur. Præcessit enim vel vlcus, quod carnis excrescentiã pollicetur, vel fluxus sanguinis, qui grumum reliquit, aut calculus retẽtus in vesica, aut pituita crassa, aut pus obstruens, vel tumor alicuius cõprimens meatum, qui omnes affectus vrinam in vesica retineri declarant. Hæ duę retẽtiones manifestissimæ sunt, & de illis maximè conquerũtur ægri, quòd necessariæ sint, & quotidiè fieri debeant per ea loca excrementorum deiectiones. Non enim de aliarũ concoctionũ recremẽtis retẽtis querũtur, quod illis manifestę nõ sunt eorũ euacua-
Menstrua. tiones secundũ naturã. Mulieribus autẽ quia necessaria est & euidens sanguinis menstrui reiectio suo tempore, si retineatur, minùs est consueta. Fit tamen ferè iisdem de causis, quibus & bilis retentio. Ex retentione igitur excrementorum medicus genitos morbos debet cognoscere, & è cõtra ex morbo, de retẽtione suspicatur. Quare si medicus videt morbum aliquem factum ex sanguinis retentione vel copia, interrogare oportet, num talis excrementi retentio præcesserit: quòd si fateatur, iam morbi causam cognoscit. Quòd si ob naturam, vel ob consuetudinem (quod præter naturam ex se est) retinẽtur excrementa, vt pituita, quæ per nares, tum per palatũ, & adenes fluit retentionẽ sequitur in cerebro pituitę prouentus, à quo carochę, apoplexia, epilepsi. conuulsio, dolores capitis fieri solent. Quare si aliquis horum affectuum appareat, de illa retentione rogandum est, vt si retinetur talis, tales morbos futuros certò prædicemus.
Reti-

Retinentur illa, quæ alioqui cõsueuerunt euacuari, quare is nephritico dolori, aut colico obnoxius est, necnon articulari, vel si morbi illi tam ægros occupauerint, de illa retentione, pro causæ cognitione interrogare oportet, retineatúrne pus, an pituita crassa, vrinæ retentionẽ expectare oportet in eo, qui laborat ea, & à qua caussa fiat diligenter perquirere, quemadmodum dum retinẽtur ea, quę per aluum reiiciebantur, vnde colicus dolor. Si retinetur bilis, quæ per ventrem solet sua natura, vel per consuetudinem excerni, ventris astrictionem expectare oportet, & obstructionem meatuũ, qui à folliculo fellis in ecphisim descendũnt, à qua recrementa cineritia, vel alba futura sunt. Quare si recrementa talia sint, certò obstructionem prædicemus. Si retineatur bilis, quæ vomitu vere & æstate reiicitur, oris amaritudinem, in appetentiam tandem, vel morbum colicum, vel biliosam febrem æstate futuram prænunciare, vel si æstate retineatur, Autumno dysenteriam fore, vel diarrhæam prędicemus. Si retineatur sanguis menstruus, hydropem & sputum sanguinis vel fluxum è naribus in iuuenibus expectare oportet. Vbi verò statim sanguis retinetur, & appetentia deiicitur, concepisse credere oportet. Retẽtis alui excrementis colicum dolorem, aut vertiginem, aut difficilem excretionem, aut capitis dolorem, aut satietatem expectare oportet. Si retineãtur arenulæ, quas priùs solebant reiicere, lapidem verẽdum est generari. Quare de grauitate loci, & aliis consentientibus rogandum est. Si sputum retinetur in affectibus thoracis, difficultatem respirandi, & mortem expectare oportet, vt in phthisicis, & iis, qui pleuritide, aut peripneumonia laborant, aut alia defluxione. Sudor vel similis euaporatio retinetur, cutis affectionem (vt pruritum, scabiem, febrem, lepram) sequi necesse est, vt ei accidit, qui in primo albulis lauerat. Si retinetur vrina, vel calculum, vel vicinarum partium inflammationem, vel vesicæ, eiusdem nimiam repletionem ob vrinæ copiam caussam esse existimandum. Si vrina retineatur in acutis morbis, vel ob delirium, vel quia præcessit, vel quia futurus est sudor copiosus, vel ventris fluxus copiosior. Quare de die, quæ præcessit, rogare oportet. Quare non est absur-

Obstructionis indicia.

Quæ comitãtur sanguinem mẽstruum retẽtum.

Quæ retẽtione excrementorum.

Arenularũ

Sputi.

Sudoris.

1. aquis alumin. Gale. 8. lib. method.

Vrina.

dum interrogare primùm, quæ secundum naturam in nobis expelluntur, & de excrementis, quæ ob aliquem affectum reiici oportet, ad morbi curationẽ, vel ad diuturnam vitam. Quare cùm ad ægrum accedentes videmus aliquem affectum ex plenitudine alicuius materiæ, an retentum sit rogare oportet, & an vacuationem consuetam reliquerit æger, vt qui febre sanguinea laborat, sanguinis missionem prætermiserit, quam facere solebat Vere, vel purgationem prætermiserit ille, futurum morbũ ex illo humore plus redũdante prædicere possumus.

De qualitatibus seu affectibus. CAP. XX.

Nomine qualitatũ affectus significantur.

AD partium affectarum, affectuum ipsorum, & causarum quę illos procreant, cognitionem habendã, qualitatum consideratio multum etiam facere videtur: quare de illis diligenter sciscitãdum. Qualitates autem homonymiæ vitandæ gratia intelligimus, quas Galen. affectus nominauit, quomodo etiã superius affectus nomen omni morborum generi accommodauimus, & sub ipso symptomata, & morbos comprehendimus. Qualitatum ergo corporis multiplices sunt differẽtiæ, de quibus nobis ordine agendum est, initium facientes ab iis, quæ primæ nominantur, siue actiuæ, siue passiuæ sint, demum reliquas, quæ secundæ sunt & dicuntur, & à prioribus descendũt, persequuturi, quales sunt durities, mollities, asperitas & lenitas, grauitas, & leuitas, dẽsitas, & raritas, quibus sapores, odores, & colores adduntur, quas quidẽ cùm ægri pręsentire possunt facilè, de iis sunt interrogandi, vt earum cognitio tanquam affectus ad causam, sic in morborum & partium earum notitiam, quæ affectę sunt, nos deducat. Interrogandus est autem æger, aut is, qui à nobis consilium petit, an ab aliquo tempore caloris cuiusdam insignis, aut frigoris sensum præter consuetudinem perceperit. Quòd si neget, credendum: si verò annuat, tum cuius harum qualitatum, caloris vitia an frigoris id fuerit, scire oportet, & an totum corpus, aut aliqua eius tantùm pars molestiam persenserit, num etiam causa aliqua euidens huius causa esse poterit. Quòd si nulla aut aliqua, quæ permanentem affectum relinquat, præcesserit, intemperiem aliquam non simplicem, sed cum materiæ consortio esse semper pronun-

Primæ qualitates.

Secundæ qualitates.

nun-

nunciabimus:cuius rei certius erit indicium, si respondente ægro calorem cum tensionis vel grauitatis cuiuspiam specie in aliqua parte existere intelligamus. Causarum enim procatarcticarum est, intemperies solutu faciles potius, quàm contumaces, & permanentes relinquere, nisi forsan causas interiores simul commouerint, cùm rarò sine alicuius materiæ affluxu intemperies solitaria diu persistere, aut tantùm partes externas afficere posſit. Vbi enim interiores eam senserint, humores commotos esse necesse est. Quare ad eius humoris, qui in ea parte abundare videtur, aut ad eam confluxisse, inuestigationem nos conuertere consentaneum erit, quod qua ratione fieri deceat, suo loco dicemus. Vbi ergo caput calidius esse præter naturã aut consuetudinem constiterit, causarum ratio, an interiùs an exteriùs affectum sit, demonstrabit. Si enim aut ab æstu solis, aut medicamento calfaciente, vel operimento non consueto caput calidius redditum fuerit, in externa parte contingere probabile est, cũ eiusmodi caussæ exteriora magis, quàm interiora calfacere poſsint. Sed cũ ob odorem vehementem per nares attractũ fuisse audiemus, tum cerebrum calfactum iudicabimus. Accidit interdum vt cum illa caliditate simul & dolore caput afficiatur. Insignis enim caliditas humores in capite contentos fundit, & liquat, aut à vicinis partib. sua vi attrahẽte euocat. Quamobrem si non adfuerit dolor, futurũ saltem non temere pronunciare poterimus. Quãdo verò nulla alia in parte, quàm circa ventriculum, calor ille nõ naturalis percipietur, vt is notus fiat, affectus ventriculi intemperiem comitãtes in memoriam reuocare oportet. Sine iis enim haud facile est, ventriculi caliditatem affirmare certò, aut potiùs ab aliarum partium vicinarum calore, ventriculi calorẽ discernere. Quare si nidorosum ructum, vel ouorum putridorum, aut frixorum odorem referentẽ expiret æger, aut veluti flammam, vel incendium circa os ventriculi se aliquando percepisse respondeat, simúlque calfacientium vsu lædi, refrigerantium verò iuuari, & delectari, prostratámque appetentiam habere, sitim verò inexhaustam caloris sanè præter naturam ventriculum obsidentis, solámque intemperiem efficientes indicia certiſsima

Causa procatarctica

Intemperies cap.

Intemperies Ventric.

habemus. Quòd si cum illis & oris amaror, aut nausea, aut vomitio adfuerint, iam nō simplicem intemperiem, sed cum materia eáque biliosa iunctam esse pronunciabimus. Quòd si in latere dextro non cōsuetus calor præsentiatur, qui etiam toti corpori citra febrem vel manuum pedúmque volæ communicetur, iecinoris intemperiem calidam cognitam habebimus, quæ in vola manuum pedúmque relucere maximè consueuit: propterea quòd pars illa omnium externarum temperatissima est, frequentioréſque venas in se desinentes habens.

Signa intemper. iecoris.

Intēperies mesent.

Interdum mesenterium intemperies calida occupat, sed illa tactu à partium vicinarum calóre non facilè discernitur: eius tamen certiores erimus, cùm excrementa alui valde sicca reddi, vaporibúsq; multis frequenter caput tentari conspiciemus. At de calore, à quo sæpius posteriores corporis partes circa lumbos incalescunt, ægri conqueruntur, quem ad renes pertinere, agitatio corporis immodica, vel exercitatio, equitatio aut lōgus in supinum decubitus, si præcesserint, ostendunt. Incalescūt enim faciliùs, quàm aliæ partes, tum ob venarum & arteriarum viciniam, & consensum, tum ob copiam pinguedinis, qua naturaliter sunt conuestiti, quod efficit vt in febre colliquata & accensa à calore febrili ea pinguedine calor maior circa renes percipiatur. Quare vt eius certiores simus, consulendæ sunt nobis vrinæ, quæ si rubræ, vel flauę, aut in superiore parte pingues appareant, simúlq; inter meiendū caloris mordacis, & acris sensum prębeant, nullam de renum calore dubitādi occasionem relinquent. Calor porrò circa iuncturas præter consuetudinē nonnunquā percipitur, sed qui à laboriosa exercitatione potuit excitari, si tamen ea non sint prægressa, Arthritidem, id est, iuncturarum dolorem, vel earundem inflammationem expectare oportet. Cùm autem non in vna tantùm parte, sed vniuersum corpus calorem nō naturalem concepit, quem nec exercitio, nec alia motione calfaciendi corporis vim habente, contraxit, febrē adesse pronūciabimus, cuius speciem vt cognoscamus, & ad continuarum, vel intermittentium genus vtrum referre debeamus, scire ab ægro licebit, an non febris cū aliquo eorum, quæ febrem intermittentē demonstrare consueuerunt,

Intēp. renum.

Qualis Vrina.

Intemp. iuncturarum.

Quæ febrē intermittētē argeūt.

ierunt,præhenderit,videlicet cum aliquo frigoris, rigoris aut horroris sensu inuaserit, aut cum pãdiculatione, vomitu, dolore capitis, vel ventriculi. Deinde an ab illa inuasione calor magis inualuerit, nec post 24 horas intermissionem fecerit. Quòd si fecisse constet, cum aliqua excretione, & quibusdam notarum superiorum prægressis,tum de febre intermittente non est dubitandum, ex cuius speciebus tertiana erit, quæ cum rigore inuaserit: quartana, quæ cum horrore:quotidiana, cum frigore. Tertiana autem vel exquisita, vel extensa esse potest. Exquisitam cognoscimus, cùm omnia superiùs enumerata symptomata mitiùs affligunt,accessióque nõ vltra 12.horas producitur, & Æstatis initio maximè Iuueni, temperatura biliosò, accidit. Sed cùm obtusus est rigor ad frigus quodammodo accedens, nec febris vlla remissio ante 26. aut 30.horas percipitur, extẽsa aut potiùs spuria,quàm tertiana exquisita iudicanda est. Cùm autem febris cum solo frigore, & cum manifestis cacochymiæ pituitosæ signis, nullum à febre tempus solutum relinquens apparuerit, febrem quotidianam affirmare audacter licebit, vt quartanam eam, quæ in abundantia melancholiæ cum horrido insultu exorta est. Sed cùm febrium intermittentium aliæ simplices sint, aliæ compositæ, aliæ verò permixtæ, aliæ confusæ, in earum rursus inuestigationem incumbere oportet. Intelligimus autem compositas, quæ ex implexu similium generum fiunt,& quæ præter vnius generis, & eiusdem duas vel plures exacerbationes habent adiunctas: cuiusmodi sunt duplices,vel triplices quotidianæ, tertianæ,& quartanæ, quarum cognitionem ex superioribus notis deprehendere facillimum est, nisi quod tertiana duplex,& quartana triplex,cùm quotidie repetentes habeant accessiones, à quotidianis circuitus motúsque ordine,non perinde distinguntur: quamuis & excrementorum dominantium, cacochymiæq; peccantis signis, quæ etiam à pulsibus,vrinis,deiectionibus, & aliis petuntur,caloris proprietate, & inuasionis natura, statim discernũntur. In quotidiana enim calor tangenti mitis primùm & halituosus occurrit: postea verò acer & mordax, & omnia pituitosæ plenitudinis signa apparent. In duplici verò

Tertiana exquisita indicia.

Extensæ tertianæ indicia.

Quotidianæ signũ.

Feb.intermittentiũ distinctio.

Quotidiana.Tertiana duplex

tertiana calor primo occursu sua acrimonia manum ferit, & mordet, exacerbationésque facit, quàm quotidiana breuiores. Triplex autẽ quartana cognoscitur, quod simplicem vel duplicem quartanam sequitur, sempérq; cum horrore inuadit, & accessiones omnium lõgissimas habet. Compositæ verò quartanæ inter se distinguuntur, quòd duplex quartana duobus diebus excandescat, & tertio quiescat, quarto & quinto rursus repetat, eodem modo in posterum procedat. At quæ triplex est quartana, insultum quotidie facit. Non solùm autem intermittens cum altera intermittente, sed cum continua implicari solet. Nam cùm sint tres simplices intermittentium differentiæ, harum vnaquæque cum altera, vel eiusdem vel diuersi generis complicari potest. De similium generum implexu diximus: de diuersorum restat agendum. Is autem incidit, cùm aut intermittens diuersi generis alteri miscetur intermittenti: aut cùm intermittẽs cum aliqua continua miscetur. Intermittentium diuersorum generum complicatio est, cùm tertiana, quartana, quotidiana inter se complicantur, aut duæ solùm, vel tres simul. Hæ autem tum ex numero, tum ex natura accessionum deprehenduntur. Si enim tertianæ quotidiana iungatur, vno die duplex accessio vtriusque febris erit, sequenti verò alterius tantùm, videlicet quotidianæ: tertia die rursus vtraque excandescet, & deinceps eodem ordine progredietur. At cùm quotidianæ quartana permiscetur, quartus dies binas semper habet accessiones, reliqui verò solam eam, quæ quotidiana est. Cùm tertiana & quartana concurrũt, prima die accessio incidit, secunda quieta est, tertia tertianam tantùm excandescentem habet, quarta quartanam tãtùm, quinta rursus tertianam solam, at sexta quieta est, septima ambæ repetunt, & si in reliquis diebus fit. Hæc autem manifestiùs traduntur & sub oculos ponuntur, in tabella complicãtium febriũ, quam libro nostro de febribus inseruimus. Cæterùm intermittens tertiana extensa cum continua quotidiana coniungitur, fitque ea febris, quam semitertianam appellamus, de qua fusiùs egimus, cum de eius generatione sermonem instituimus. Hæc de febrium intermittentium cognitione dicta sufficiant. Superest vt non

Triplex quartana.

Intermittentiũ differentia.

De implexu diuersorum generum.

Quibus discernuntur.

Semitertiana.

non intermittentium febrium cognoſcendi modum, rationémque oſtendamus. Talem autem ægrum affligere tum intelligemus, cùm is de totius corporis calore interrogatus, ſe nullam notarum ſuperiorum, quæ intermittentes febres declarant, percepiſſe reſponderit. Quare continuam, vel ephemeram, vel hecticam eſſe oportebit. Ephemeram declarat calor non vehementer accenſus, ſed ſuauis, nec à naturali multum diſcrepans, & qui ferè intra 24. horas cum leui ſudore, aut madore, & febris ceſſatione deſinit, quam aliqua cauſſarum euidentium vis excitarat Hecticam verò languidus non acris, qui nec poſt 24 horas deſinit, aut in ſudore erũpit, vt ephemera. Quòd ſi nulla illarũ ſit, continuã eſſe neceſſe eſt eámq; vel ſymptomaticam, vel primariam, quãuis rectè concludi non poſſit (vt quidam ferunt) Omnẽ febrem ſymptomaticam continuam eſſe. Sũt enim ſymptomaticæ quædam febres de genere intermittentium, vt quæ obſtructiones viſcerum ſequuntur: quales ſunt tertianæ, & quartanæ, in quibus aut iecur, aut lien, teſte Galeno laborant. Quare non omnes ſymptomaticę febres continuæ ſunt pronuntiandæ, ſi obſtructio morbus ſit, & illam ſequantur febres quædam intermittentes. Nos ergo cenſemus eas ſymptomaticas continuas eſſe, quæ inflammationes partium internarum ſequuntur, naturámque ipſarum inflammationum referunt, vt ſi earum inflammationum materia & cauſa ſit ſanguis, ſynochorum naturam imitari videntur, ſi bilis tertianarũ, & hæ typodes appellantur, quæ tertio quoque die exacerbationes ſine rigore habent, in quo à tertianis cõtinuis primariis dictum non differunt, ſed vt diſcernãtur, videndum eſſe an grauitatem aliquam, vel tenſionem, vel tumorem æger in internis partibus præſentiat: ſi ita ſit, ſymptomaticam febrem deprehendimus, quæ ab inflammatione partis tumorem patiẽtis concitatur. Si verò hæc abſint, febris tantùm primaria eſt pronũcianda: id aũt de partibus ſepto tranſuerſo inferioribus intelligendum. Qui enim in partibus ſuperioribus fiunt tumores, vt in capite & thorace, cùm oſſibus integantur, ſenſui non patent, quare alia via ſunt inueſtigãdi. Id verò tum ex doloris ſpecie, tum ex accidentibus morbos

Modus cognoſcendi intermittentes & alias febres.

Quæ declarant ephemerã.

Quæ hecticam.

Symptomaticæ

Pleuritid. signa. illarum partium consequentibus, & ex reiectorum conditione coniicere licebit. Pleuritim enim doloris species, quæ rei cuipiam pungenti similis est, & difficultas spirandi, sputáq; colorata ostendunt. Peripneumoniam maxillarum rubor, spirandi difficultas, sputum quidem coloratum, sed spumosum, atque etiam dolor thoracis, *Peripneumonia.* qui non tam grauis est, nec in pleuritide pungens. Si verò peripneumonia incipiendo fiat, dolor grauis est: quòd si illa sequatur pleuritidem, est cum dolore punctorio. Quòd ad capitis inflammationes attinet, oculorum rubor, mentis alienatio, aliáque symptomata affectus capitis internos comitantia explicant. Sed vbi ni-*Continuarum differentia.* hil horum, febre tamen continua existente, apparuerit, tunc etiam verè primariam febrem esse credemus. Continuarum autem cùm multiplices sint differentiæ, singularum cognoscendi modum habere oportet. Proinde si febris, corpore plenitudine laborante, accensa sit, & eundem modum ab initio ad finem vsque seruauerit, ita vt vel in increscendo, vel in decrescendo eundem tenorem tenuerit, aut in eodem statu perseuerauerit ad finē vsque, Synochum esse dicemus, qui cùm à sanguine so-*Plenitudinem ad vires comitatur synoch. putris.* lùm absque putrefactione inflammato, vel ab eo putrescente accendatur, vter causam febris attulit, inuestigare & cognoscere erit necessarium. Id autem fiet si qua plenitudine laborauerit æger, an ea, quæ ad vasa, an ea quæ ad vires intelligamus. Febris enim, quæ à sanguine putrescente accensa est, plenitudinem sanguinis, quæ ad vires est, comitari consueuit. Quare calor in illa mor-*Nō putris plenitudinem ad vasa.* dacior & acrior tangenti occurrit, vigiliæ, sitísque magis infestant. Ea verò, in qua sanguis est inflammatus tantùm, à plenitudine, quæ ad vasa est, exoritur: proinde cutis vt in altera non squalida, sed mollis, nō acri, sed blando calore, madoréque perfusa est: nec vigiliæ tantopere infestant, sed somnus magis premit, aut in so-*Plenitudinis ad vasa signū.* mnum propensio maior est, vtranque aut plenitudinem sic internoscere licebit. Dum venæ copia distentæ turgebunt, & inflammatarum partium more rubescent, simúlque grauitatis in toto corpore sensus percipietur, fuerit antè vita otiosa, opipara, multis negotiis aut curis distracta, immoderato ciborum euchymorum

vsu gaudens, plenitudinis ad vasa certissimum est indicium. At cùm sine magna venarum tensione, grauitate tamen quadam premi corpus, cui accessit suppressa quędam vacuatio siue hæmorrhoidum, siue mensium, siue narium, intellexerimus, plenitudinis eius quæ ad vires dicitur, notionem nos habere existimemus. Verùm non sola sanguinis plenitudo vtraque, sed etiam quæ in eo cacochymia peccat, continuas febres excitat, quæ tamē non synochorum, sed synechis nomine comprehendũtur, denominationémque ab intermittentibus mutuantes, quarum typos & accessionem ordinum imitantur, præterquàm quod sine horrore, & rigore excandescũt, nullóque sudore, aut aliqua excretione inclinant. Quare quæ tertio quoque die exacerbat, tertiana continua est: quæ quarto, quartana: quæ singulis diebus, quotidiana continua siue syneces nominanda est. Quanquam ex iis quædam ardentes, siue causones, aliæ continuæ simpliciter dicendæ. Ardentes biliosæ sunt, ob quæ potissimum Erysipelas internæ alicuius partis principis, aut materiam circa ventriculi venas putrescentem habent, aut cor. Aliarum verò materia in venis à corde remotioribus, & magis dissitis constituta est. Proinde mitiora sunt symptomata omnia in his, in illis verò sæuiora, & vehementiora. Sitis enim insatiabilior, ariditas, nigredo & asperitas linguæ maior, quàm in aliis conspiciuntur, quas propterea facillimum est his notis distinguere. De calida intemperie hactenus dictum est.

Plenitudinis ad vires indicium.

Syneces.

Ardentes.

De intemperie frigida.

Sequitur frigiditas, cuius inuestigandi rationem tradere, quemadmodum alterius, propositum est, inquirētes an in toto corpore, vel in aliqua tantùm parte frigiditas quædam parte consuetudinem percipiatur. Quòd si in toto corpore, quam nulla euidens externáve causa induxerit, sed repentè corripuerit, statímque euacuauerit, & subinde calor præter naturam ægrum adortus sit, accessionem cuiusdam febris esse dicemus. Si verò non calor, sed tussis, aut dolor in aliqua parte exortus fuerit, defluxionem decubitúmque frigidi humoris significabimus in eam partem. At cùm frigiditas vniuer-

Defluxi humoris frigidi signum.

ſum corpus occupauit, cui ſudor quiſpiam frigidus accidit, ſyncopem vel animi defectionem expectare debemus: morbum verò ſi poſt longos dolores, & immodicas euacuationes accidat. Proinde ſi immodicè fluente aluo, aut ingenti doloris cruciatu afflicto corpore extrema refrigerentur, in propinquo mors eſt. At cùm frigiditas vnam tantùm partem obſidet, intemperiem in illa parte frigidam contractam docet. Quòd ſi in capite exiſtat,& cum dolore ipſius partis pręſertim exterioris diu perſeuerauerit, luis venereæ notam habemus: ſed ſi non perſeuerauerit, de catarrho metuendum eſt. Frigiditas ventriculum interdum & iecur afficit, ſed illorum ſitus in imo corporis exiſtens ſenſibus illam deprehendi prohibet.Proinde de frigiditate conquerentibus ægris non eſt planè credendum, niſi ſimul affectus qui frigidam illius partis intemperiem conſequi ſolent, teſtentur. Vt ſi plus appetant, quàm ſe concoquere perſentiant, flatibúſque & crudorum ſuccorum abundantiam moleſtari, frigida ventriculi intemperie laborare non eſt dubium. De hepatis verò frigiditate pauci conqueruntur, proptεrea quòd inſignem ſenſui moleſtiam non pariat. Senſim enim introducitur & hebetiore ſenſu pars quodammodo affecta eſt. Quare illam affectus magis, quàm ſenſus declarabit, atque etiam cauſæ, quæ etiam huius efficiendi poteſtatem habent, cùm præceſſerunt. Effectus autem huius intemperiei ſunt crudioris ſanguinis generatio, & chyli in eum imperfecta mutatio, adhæc totius corporis deprauatus color, ad albedinem reddens. Cauſæ verò ſunt immoderata euacuatio,ſiue ea per menſes,aut hæmorrhoidas, aut aliquam hæmorrhagiam fiat, vel conſuetæ cuiuſpiam excretionis retentio,aut cohibitio, atque etiam intempeſtiuus aquæ hauſtus, quibus iecur ad immodicam refrigerationem perduci conſueuit. Frigoris etiam moleſtiis afficitur nonnunquam vterus, de quibus tamen conqueręntur frequentius mulieres, quàm illas verè patiantur. Quòd enim omnes, quæ ſteriles ſunt, concipere nequeant, frigiditati vteri ſemper attribuunt, cùm tamen aliter Hippocr. viſum ſit, qui non ſolùm quæ frigidos & denſos locos habent, vtero

Syncopes aut mortis ſignũ.

Frigida Ventric. intẽperies Hepat.

Cauſſa.

non concipere, verùm etiam quæ præhumidos & densos habent, grauitas fieri non posse, quod extinguatur in ipsis genitura: nec quæ ficciores & æstuosos habent, in quibus semen alimenti defectu corrumpitur, scriptum reliquit. Quarum omnium causarum diligenter habenda est ratio, vt quæ à frigiditate proueniunt, ab aliis distinguantur. Frigiditatem tamen vteri demonstrant mensium retentio, aut pituitosæ cuiusdam humiditatis ab eo reiectio & ad venerem segnities. Sed iam de patientibus, vt de agentibus qualitatibus sermonem habere oportet. Patientes autem sunt siccitas & humiditas: de siccitate prius dicemus, cuius si aliquam suspicionem præbuerit interrogatus æger, de hectica febre suspicari faciet. Obseruandus cutis & totius corporis habitus erit, qui si ariditate marcescat, de hectica confirmata suspicio erit, aut de alia atrophia inuecta. Hæ enim sunt, quæ corpus ad summam siccitatem perducunt. Sed cum nullum insigne in parte aliqua principe, vel nutritioni subseruiente vitium esse deprehendetur, potius ad hecticam quàm ad atrophiam siccitas illa referenda erit. Laborat nonnunquam vniuersum corpus ariditate, quæ tamen in superficie magis, & citra corporis ipsius atrophiam, aut consumptionem apparet. Quare non dubitandum ab effusione bilis aut flauæ, aut atræ eam proficisci: ob id signa hunc vel illum humorem demonstrantia siccitatis istius authorem indicabunt. Sed & singulas quasdam partes siccitas magis afficere, aliis minus affectis potest: cuius rei fidem facit linguæ siccitas, scabrities, & ariditas in febribus ardentibus, & putridis, cum tamen istud malum reliquum corpus nō tam citò attingat. Sic etiam in corpore ariditas persentitur, eáque interna, & in cerebro, aut externa est: illam vigiliæ immodicæ demonstrant, quarum siccitas causa est, vt somni humiditas: hanc verò causæ externæ, vt solis æstus, quæ illam induxerunt. Siccitas porrò aliarum partium ex affectis eodem modo cognoscitur. Vox enim clangosa & aspera, arteriæ asperæ siccitatem, sitis immodica, excrementorum alui durities & retentio, intestinorum ariditatem docent. Quare hæc eum considerare oportet, qui illarū partium

Frigiditatis vteri signa.

Hecticæ suspicio.

Interna ariditas aut externa.

intemperiem siccam deprehendere voluerit. Nunc ad humiditatem veniendum, qua laborare partes ostēduntur, quæ solito molliores sunt, & humidioribus excrementis magis abundant. Hinc cerebri humiditatem ex copiosæ humiditatis & aquosæ substantiæ per nares, aut palatum reiectione deprehendimus, & ex propensione in somnum, vt in senibus videre est. Pulmones autem humidiores, aut trachiæ arteriæ humiditatem, vox obtusa & rauca declarat. Sic etiam ventriculum humidiorem plus iustò continua frequénsque saliuæ expuitio & ciborum in eo fluctuatio cum pauca siti, nullóque bibendi desiderio. Sic humidiora intestina frequens alui fluor, humidioré́sque feces testantur, partium denique externarum humiditatem mollities & laxitas semper significant. De aliis qualitatibus, quia magis nobis significant, interrogare oportet, vt de odoribus & coloribus, vt si color in corpore non cōsuetus apparuerit in toto, vel in parte. Quare de coloris proprietate interrogare oportet, num niger, vel flauus, vel rubeus, vel albus. Flauus, Icterum flauum significat: niger, Icterum nigrum: color viridis, mixtum affectum nigrum & flauum simul permixtum. Color candidior totius corporis si repentè fiat, animi defectionem, vel syncopem significat: si verò perseuerauerit, refrigerationem ob longum morbum, vel ob hepatis intemperiem frigidam. Color rubeus liuidus plethoram: color ex nigro rubeus, rubeā Elephantiasim: color pallidus, iecoris obstructionem, & cachexiam, qualis solet apparere in puellis & virginibus, quæ pica laborant. Hæc enim ob illum affectum solent vel carbones, vel alia similia comedere, & veluti febrem continuam pati, quam aliqui lentam vocant. Deprehenditur ex arteriarum collisipulsatione & ex cordis palpitationibus. Solet enim fieri, cùm appetit tempus purgationis, vel non purgantur, vel à nimia vestium cōpressione. Quare de omnib. istis interrogare oportet nū præcesserint, vel post potionem frigidæ aut saltationē. Nam hæc frequens saltatio cibo obstructionem facit, & hunc colorē pallidum inducit. Si color in aliqua parte apparuerit, humoris alicuius præsentiā significat. Color albus in recrementis pituitā: cineritius, in fecibus alui, bilis

Pulmonis

Vētriculi.

De aliis qualitati. primum de colore.

Color pallidus in puellis.

Signa.

bilis absentiam, & inde meatus vesiculæ felleæ obstructionem, quæ ad ecphisim fertur, significat. De sapore *De sapore.* verò interrogare oportet, vt ex saporibus materiam morbi, & ex illa morbum agnoscas. Sapor enim amarus bilem effusam, vel genitam in ventriculo, purgatione egere significat: sapor salsus, vel serum, vel pituitam salsam: acidus, pituitam acidam: dulcis, sanguinem: insipidus, pituitam indicat. Est enim pituita dulcissima, quę à sanguinis dulcore parum differt, ad cuius distinctionem reiecti colorem considerare oportet. Quare si rubeus & dulcis, sanguis est: si albus, pituita. Sapor indicibilis multorum humorum permixtionem designat. Quòd si cum fœtore sit, putredinem significat. Ex recrementis sudor tantùm degustatur, quòd excrementum abominandum non sit, & ferè omnis sudor salsus est, sed alius magis, alius minùs, secundum minorem vel maiorem adustionem vel putredinem. Odor quia multa significat, de eo *De odore.* interrogare oportet, num sentiatur aliquis præter consuetudinem. Odores multi in corpore sentiuntur, qui humorum vel partium corruptelam significant. Quare quum ægrotum interrogamus num fœtorem aliquem sentiat in corpore toto, vel in parte, vel in reiectis è corpore, si cum sudore, vel sine sudore: si respondeat post sudorem totius corporis, vel sudorem refrigeratum significat, vel corruptelam humorum. Si post sudorem & refrigerato corpore, à sudoris corruptione factum existimabimus. Habent enim recrementa suum colorem naturalem, quo amisso putrescũt, & à putredine fit odor fœtidus. Si fœtor sentiatur, sudore adhuc & corpore calido, humorum corruptelam significat. Tales enim sunt humores intrà, qualis est sudor extrà. Si fœtor in aliqua parte externa sentiatur, vel à pedibus, vel ab aliis prodit, vel à parte externa, vel interna vlcerata: quare de illis partibus interrogare oportet, num humidiores habeant. Quòd si fateantur, ab illis partibus effumat odor ille ingratus. Si à parte externa, vulneratam esse oportet. Quare num à materiæ retentione fiat, interrogandum. Quòd si nulla sit, à carnis corruptela eueniat necesse est. Quare vel escara, quæ putrescit, vel cancer, vel putridum vlcus, vel phagedena, vel sphacelos erit.

Illa itaque ex notis propriis cognoscemus. Si verò nullum vlcus putridum, nulla alarum vel pedũ humiditas putrescens sit, ab internis partibus emanare verisimile est. Quare de regione, per quam redditur, interrogabimus, num per nares, vel per os. Si per nares, & pus reddatur, ozenã: si sine pure, & cũ magna per nares spirãdi difficultate, polypum vel sarcoma esse dicemus. Quare primùm inspicere oportet: illa enim sensibus videntur. Quod si nihil horum adsit, humiditas aliqua in spõgioso esse putrescit. Si ab ore odor reddatur, tussiãt, & expuant, à pulmonis vlcere prodit, vel ab humiditate intus putrescente citra exulcerationem, vt à morbo Ital. sæpe accidit, & priusquam inungantur. Quod si vncti fuerint, odor est vnguenti. Si ab ore sine tussi prodeat odor, acidus est, vel fœtidus, vel alimentum, vel medicamentum referat, à stomacho redditur. Si fœtidus est, vel ex alimentis, vel à sanguine putrescente, vel ab affectu splenis prodit. Si vinum vel aliquod medicamentũ referat, fœtidis alimentis vsum priùs oportet, vt fabis, cæpis, alliis, ouis, multa carne vel parum coctà, vel semiputrefacta. Quod si nullum tale alimentum præsenserit, alimẽtorum corruptionem in stomacho, vel humorum significat. Acidus odor à vẽtriculo redditus cruditatem significat, aut splenis affectũ, si Paulo credimus. In pueris odor acidus, vermium præsentiam ostendit. Quare de aliis signis vermium interrogare oportet, vt nũ dormiat, & inter dormiendum num exultet, clamitet, vel strideat dentibus, dolorem sentiat circa aliquam vẽtris partem, & num reiecerit priùs vermes per os, vel per sedem, & num vsus fuerit lacte & vino, caseo, multa carne, & postea dulcibus. Quòd si hæc adsint, certissimũ est puerum vermes in ventre habere, & acidum saporẽ vermes præsignificasse. Quòd si nulla talia circa ventrem appareant, aut præcesserint, & excrementa alui, & vrinæ perfectam coctionem præmonstrãt, è gingiuis fœtidum odorem, vel à dente corroso, vel fluxu sanguinem ex iis prodire necesse est. Caput aliquibus olet, sed potissimũ his quibus caput frequenter sudore madet & comam alunt. Qui sufficiẽter vncti sunt vnguento ad morbũ Ital. accõmodato, fœtidum expirãt, quod certissimũ signum

Ozenæ sig.
Polypi sig.

est

est vnguentū ad internas partes penetrasse, vnde nidor, & odor. Vrina fœtet ob humorum corruptionem, vel ob puris permixtionē, vel ob alimenta, vel medicamenta in tecta, quę talē odorem solent expirare, vt qui terebinthinam per os assumunt, vel etiā clystere infusam, vrina eorum violam olet. Qui caules comederūt, vel raphanos, vel asparagos, his fœtet vrina. Alui excrementa fœtent si cocta sint, si cruda, non, si diutiùs retenta, si humor putris purgetur, vel pus. Saliua & mucus in sanis nihil olent: in ægris quandoque ob pus admixtum male olent. *Vrina cur olcat.* *Saliua mucus.*

De dissoluta vnitate. CAP. XXI.

Solutio continui vel contigui sæpe ægros male habet, eosque diuexat: quare de ea ægrotum vel astantes interrogare oportet, num in suo corpore solutionē præter naturam habeat, vel de dissolutionis vnitatis caussis interrogare, vt si in bello fuit, aut cum aliquo gladio, vel lapide, aut fuste disceptarit, vel si ex alto ceciderit. Si neget, credendum, quia affectus satis euidens est, & de istis omnibus certò respondere potest æger. Si verò fateatur aliquam ex supradictis caussis præcessisse, quærenda est pars, quæ solutionem patitur, num dura sit vel mollis. Quod si dicat, in molli parte vlcus, vel vulnus esse necesse est. Quod si recens & sanguinolentum est, vulnus si saniosum, vlcus erit. Quod si figuram membri, & firmitatē post casum vel forte ictum se amisisse dicat, de ossis fractura dubitandum. Quare in qua parte sit, & de propriis accidentibus, vel consequentibus illam partem est interrogandus, & de causis procatarcticis. Nam raro ab interna causa solutio fit continui, quanquam nihil prohibet ab humoribus acribus in quibusdam locis solutiones & arrosiones fieri, vt in pulmonibus, in vesica, vtero, intestinis, & in venis. Ruptura à plenitudine, vel tensione, vel arrosione propter catarrhū fit. Et vt in qua parte solutio fit, cognoscamus, interrogare oportet, à qua parte vel per quam partem fluit sanguis, vel pus, si præcesserit aliqua causarum enumeratarum, solutionem vnitatis esse necesse est. Nos magis in partis affectæ cognitione laboramus, quàm solutione vnitatis. Facile enim solutionem ex sanguine & pure cognoscere est, sed in qua parte, vel in quibus partib. sit facta, disquirere opus est. *Vulnus, Vlcus.*

Vt si dicat in capite vulnus inflictum, scire oportet, num in cute tantùm, vel in cute & cranio, vel in menyngibus, vel in substantia cerebri. Sic si in thorace, an membrana succingens costas perforata sit tantùm, vel pulmones, vel pericardium, & cor, quærendum. Si item in ventre, num ad peritonęum, vel ad aliquã internam partem penetrauerit. Vulnera autem quapiam coniectura artificiali primùm cognoscimus, deinde sensu. Quare de robore vulnerãtis, vel altitudine loci, ex quo cecidit, inuestigandum. Quòd si à forti inflictum vulnus, non solùm cutem, sed cranium esse effractum coniicimus. Sic si ex alto, & in lapidem ceciderit, os effractum esse verisimile est. Quare oculis inspiciendum vulnus apertum. Quòd si cutis diuisa non sit, sed contusa tantùm, statim diuidenda, vt oculis liceat inspicere. Si verò detectum fuerit cranium, neque depressum, neque effractum appareat, num scissura sit, periculum est. Quare atramento vel vnguẽto aliquo colorato os denudatum inficiemus, & statim detergemus Quòd si scissura sit in aliqua parte, vnguenti vel atramenti color in parte remanebit, qui scissuram deteget. Aliqui sic inuestigant. Cogunt ægri si dentibus nucem frangere, vel filum. Quòd si frangendo sentiant ossa parum firma esse, capitis ossa fracta esse necesse est. Verùm hoc experimentum in magnis diuisionibus facit fidem, non autẽ in scissuris. Remanent enim firma ossa, quãquam sint scissa, si breues sint, & non profundæ. Quod si fluxerit sanguis per nares, vel aures, vel per os post casum, vel ictum, læsam aliquam partem internam necesse est esse: quanquam fractura vel ossis depressio extrà non appareat. Vulnus in menynge ostendit sanguinis fluxus à menynge factus. Quod si substantia alba, globosa, spissa reddita fuerit prima vel secunda die, vtramque menyngem effractam esse necesse est. Quod si in progressu curationis fracturæ cranij fungus (*myketon* Græci appellant, qui nihil aliud est, quàm carnis fungosæ accretio supra menyngem) adnascatur, læsam menyngem necessariò significat. Oculi rubei etiam inflati internam læsionem significant. Quod si bilis primo vel secundo, vel tertio die, vel deinceps vomitio appareat, læsionem internarum partium significat, non cerebri

Læsio à menynge.

Partium intern. capitis læsio.

cerebri

febri, sed menyngum. Quòd si statim obmutuerint, aut paulò post sopore correpti fuerint, aut delirarint, aut conuulsionem senserint, vel resolutionem, & lædatur respiratio interna, internas capitis partes læsas significant, & inflammationem earum, si febris continua adfuerit; & tandem mortem portendunt. Hoc verum est, modò vulnus non sit in musculis crotaphitis, in quorum vulneribus hæc omnia ob vicinitatem & consensum per neruos tertiæ coniugationis fieri solent. Vulnus in thorace videtur: verùm an membrana succingens costas læsa sit, inuestigandum. Quare candelam ori vulneris oportet admouere. Quòd si inspirando aerem reddat, candelámque extinguat, perforatam membranam esse necesse est, quod fit etiam vulneratis pulmonibus expirando magis quàm inspirando. Quòd si sputum cruentum statim apparuerit, spumosum, & splendidum, certò pulmones læsos affirmabimus, sed multò magis si vox pereat, aut cum sono spiritus reddatur, & si inclinans in vulnus æger loquitur, & in aliam partem obmutescat, hæc omnia adiungere oportet ad distinctionem. Nam circa pulmonum læsionem aër affatim redditus, per vulnus candelam extinguit. Est enim aër, qui per os vulneris ingressus est, qui redditur dum per inspirationem pulmones aëre replentur & thoracis spatium replent. Dixi sputum spumosum, & motu redditum, quia qui pectus confossum habent, citra pulmonum læsionem expuunt, verùm per aliquot dies magis crassum, & minùs splendidum. Quòd si serum vnà cum sanguine per vulnus redditum sit, pericardium vulneratum significat, vt in Christo apparuit, cui cùm lancea latus perforatum esset, fluxit sanguis & aqua, quod certissimè significauit Christum verum hominem, & in cruce mortuum fuisse. Sunt enim vulnera lethalia, quæ ad pericardium vel ad cor penetrant. In nulla alia parte thoracis aqua, siue serum separatum à sanguine reperitur. In homine secundum naturam se habente, si palpitet cor, si arteriæ langueant, & cesset arteriarum pulsatio, si color pallidus sit, & colori mortuorum similis, sudores frigidi, malíque odoris appareant, extrema frigeant, cordis læsionem significant, & mor-

Thoracis vulnus.

Pulmonũ læsio.

Pericardij vulnus.

Cordis læsio.

tem iam instantem, non minùs lethalia sunt septi transuersi vulnera. Quare si vulnus in ea parte inflictum sit, in qua desinunt mendosę costæ, inspicere oportet, & diligenter interrogare, num læsa sit multùm respiratio: Est enim præcipuum instrumentum respirationis. An deliret: Solent enim maxima deliria potissimùm inflammato septo transuerso fieri. Si rideant: solent enim ridere risu Sardonio. qui nil aliud est, quàm contractio lati musculi, qui labra constituit. Habet enim maximum consensum cum neruis, qui ad septum transuersum descendunt. Si præcordia sursum trahantur, si spina doleat ad renes vsque, respiratio rara sit, & sanguis spumans redditur, vel percusso pulmone, sed paulò crassior, & rubicundior, vel minùs splendidus. Si infra mendosas costas læsus fuerit æger, non minùs interrogare oportet de regione, & de iis quæ reiiciuntur, vt partem læsam internoscamus, vt si in parte dextra & prope nothas, costas multúsque sanguis profluat crassus, iecur læsum esse coniiciemus. Quare de decubitu interrogabimus, scilicet num in ventrem magis grauis sit decubitus, num ad spinam præcordia retrahantur, num dolor ad iugulum vsque prætendatur. Hæc enim certissimè iecoris læsionem ostendunt. Quòd si per vulnus bilis reiiciatur in caua parte vulnus est, & ad fellis partem penetrauit. Nonnunquam biliosus vomitus accedit, præcordia cum ventriculo indurescunt, vel tenduntur. Si verò percussus in sinistro fuerit, quasi ad latus sub costis mendosis sanguis, qui effluit, multus, tenuis, ater, & dolor ad iugulum, vt in iecinore, peruenerit, sitis ingens oritur, præcordia cum ventriculo tenduntur, lienem induratum certò affirmabimus. Si in anteriore parte infra vel supra pubis ossa, vrina per vulnus reddita sit, & pro vrina sanguis per mentulam reddatur, si doleant circa inguina, singultiant, aut horrorem vel rigorem sentiant, læsam vesicam pronunciabimus, & mortem futuram. Quòd si paulò supra vmbilicum vulnus inflictum sit, epiploon appareat, vel aliquod intestinorum, fractum esse peritonæum necesse est. Quare num partes cõtentæ peritonæo læsæ sint, inuestigare oportet, & quæ ex partibus illa sit distinguere, quod ex reiectis est faciendum.

Septi trãs. vulnera. *Risus sardon. quis.* *Iecor. læsio* *Lienis duri.* *Vesicæ læsio.* *Peritonæi læsio.*

Inter-

Interrogare oportet num aliquid crassi reiectum sit & solidi. Quòd si sit, colon læsum esse necesse est, gracilia intestina læsa erunt. Quare hæc vulnera magis lethalia. Si verò cibus & potus exeant per vulnus, præcordia tendantur, ventriculus necessariò læsus est. Si circa os ventriculi necessariò lęsus fuerit æger, alimenta sumpta statim reddit pulsus debilis, & sudores tenues apparent, & animi defectiones fiunt, exrremæ partes frigescunt illæso corde. Si verò mulier læsa fuerit paulò supra os pubis, vterum percussum verisimile est.

Quare interrogare oportet, num per vulnus multus sanguis effluat, & per os vuluæ. Tunc enim vulnus intrò penetrasse certum est: verùm si tantum per vulnus, non penetrasse. Item si dolores sentiat in inguinibus, coxis, & femoribus ob ligamenta, quæ in inguina descendunt à superiore vteri parte, necnon ob consensum venarum, & arteriarũ. A venis enim & arteriis cruralibus ad collum vteri multa vasa pertingunt, & quæ exteriores sunt, per membranam cuti adhærent, & per eam membranam doloris sensus concitatur suprà dictis partibus. Deinde si obmutescat, vel mente labatur, si neruorum oculorúmque dolore infestetur, biliosa reiiciat, hæc omnia vteri læsionem significant. Quòd si matura sit, arteriæ languescunt, non pulsant, frigent extrema, si sudor frigidus ea occupat, non aliter quàm si cor percussum esset. Si æger in parte superiore, vel circa *ceneones*, ad renes vulnus penetrare potest. Quare interrogare oportet, num dolor ad inguina & testes descendat, num difficulter vrinam reddat, vel nullam, aut cruentam, aut sanguinem tantùm, renes percussos esse dicemus. Si verò in collo vulnus inflictum sit, num antè vel retrò, scire oportet, vel in lateribus. Nam si retrò & altè vulnus descendat, neruorum principia, vel spinam læsam esse necesse est, quod ex resolutione alicuius partis inferioris certissimè cognoscemus. Si in altero latere iugulares venas lædi contingit, quod ex largo sanguinis profluuio deprehendere possumus. Quòd si vulnus descẽdat altiùs, multúsque sanguis effluat cum saltu, arteriam corotidem, siue soporariam læsam esse necesse est. Quòd si obmutescat, & non per vulnus aërem reddat, neruum reuersiuũ

Renum læsio.

Vena iugular.

aut laryngis musculos læsos significat. Quòd si per vulnus aërem reddat, trachiam arteriam læsam esse dicemus & dissectam. Si cibum & potum statim reddat assumptum, œsophagum dissectum esse constat. Si verò antè dissectio facta sit, vox periit, aërem reddit per vulnus, & exsufflando candelam extinguit, trachiam arteriam læsam esse non est dubiū. In partibus externis vulnera facta facilè sensibus deprehendimus, sed an vena, an arteria læsa sit, vt deprehendamus, de quantitatis sanguinis reiectione, & modo reiectionis, & de qualitate coloris interrogare oportet. Nam si multus sanguis effluat, vel venam aliquam magnam, vel sectionem maximam in parte carnosa esse oportet. Nam ex multis venis capillaribus dissectis, etiam multus sanguis effluit, sed longiori tempore: à magna vena multus sanguis affatim redditur. Vulnus vel in emunctorio est, vel per partem internam altè descendit, penetrauítque ad interiores venas, & difficiliùs retinetur. In istis sanguis consistendo crassior & magis purpureus, & rubore exsaturatus, quippe ex nigro rubescit. Qui ab arteriis defluit sanguis, cum saltu magis splendidus, magisq; tenuis est. Vulnera, quæ fiunt ad iuncturas, cum neruorum & tēdonum dissectione esse solent. Quare si statim æger totam manum aut bonam partem manus stupidam, grauem, frigidam senserit, neruum læsum esse verisimile est. Quòd si sine magna inflatione sit, neque flectere, neque extēdere possit, tendo illius partis dissectus est. Si conuulsio sequatur, & punctim læsus sit gladio acuto, nerui vel tendonis puncturam factam esse necessum est. Quare conuulsio vel adest, vel futura est. Si dolor vehementissimus sit, etiamsi præsertim læsus non sit, & conuulsio sequatur, semisectum tendonem esse oportet.

Læsio vena & arteria.

Læsio neruorum & tēdonum.

De Vlceribus. CAP. XXII.

VLcus vnitatis solutio est, à qua pro sanguine vel pus, vel sanies, vel meliceris redditur. Propterea quòd multæ sunt vlcerum differentiæ: vt vlcerum speciem cognoscamus, oportet interrogare de eo quod reiicitur & de eius grauitate, colore, odore, consistentia post quos morbos factum sit vlcus, quibus præcedentibus, & apparentibus: ex his veras vlcerum differentias

inuenire

inuenire licet. Quare istis differentiis contenti, an sit rectum vel obliquum, vel circulare, magnum vel paruum, longum vel breue negligemus. Parùm enim facit ad curationem, verùm multùm facit si ex contusione, vel ex incisione, vel à medicamentis calidioribus, vel arrodentibus factum fuerit vlcus. Quare in hunc modum interrogabimus eum qui de vlcere conqueritur, primùm num post tumorem aliquem factum sit vlcus, num ab inflammatione incœperit, ab Erysipelate, aut Scirrho. Rursum non erit interrogandum, sed ex tumoris declinatione, scilicet num ex tumore magno rubescente, pulsante, multùm dolente, affatim facto vel suppurato, rupto vel aperto factum sit.

Quòd si ita respondeat, ex inflammatione suppurata natum vlcus esse iudicabimus, & sordidum. Quòd si neget magnum esse tumorem, vel rubrum, vel parùm flauentem, & multùm pungentem, ab erysipelate vlcus natum est. Quare vlcus virulentum, vel corrosum esse dicemus, quod est erysipelas exulceratum, vel Herpes exedens. Si post tumorem laxum, magnum, albidum vlcus factum fuerit, putridũ esse oportet. Si post tumorem durum, & sine dolore, vlcus erit cancrosum. Quòd si idem tumor durus & minor fuerit & doluerit, vel senserit dolores pungentes, cancrum verum exulceratum esse dicemus. Quare de eius proprietatibus interrogabimus, vt si partem depascatur, horribile sit aspectu, & fœtidum, venæ inflatæ in circuitu appareãt, verissimum cancrum certò affirmabimus. Si post paruas pustulas milio similes, vlcus serpens erit, siue *nomi* vel corrosum. Si post vesicas similes vesicis, quæ post vstionem fiunt, cum eschara vlcus *cacoëthes*, siue malignum fit, si corpus melancholicum sit. Si verò corpus humidius fuerit, sordidum vlcus erit, vel putridum. Si post verrucæ violentam extirpationem, cancri naturam referens vlcus est. Si post carbunculum fit, putridum: si post pruritum, & excoriationem vnguibus factam, virulentum: si post tumorem diuturnum, hoc est abscessum in superficie appareat vlcus superficiale sordidum erit. Si abscessus intus fuerit, & magnam puris quantitatem reiecerit, & foramen paruum & strictum, vlcus sinuosum, aut sinum dicemus. Si tale

cum duritie, & callo, fistulosum. Sunt qui has vlcerum differentias à tumore nomen accipere velint.

Vlcus phlegmonodes, quod post inflammationem factũ est, & erysipelatodes, quod ab erysipelade, siue igne sacro: œdematodes quod post œdema & tumorem laxũ: scirrhodes quod post scirrhum: Carcinodes à cancro, sed hi minùs propriè facere videntur. Nam omnia hæc vlcera ab abscessu nata sunt immediatè. Nam phlegmone vlcus nõ facit, nisi in abscessum versa sit, neque erysipelas, neq; scirrhus, neque cancer. Quare meliùs erit appellare, vel à materia, vel ab accidente, vel à morbo iuncto aliquo, vt vlcera purulenta, vel saniosa, vel phagedenica, vel depascẽtia, vel telephia, vel chironia vel sordida, vel putrida, vel verminulosa, vel à difficultate consolidationis *dysspoulotica*, quę fortè eadem sunt cum chironiis, & telephiis vel cum iis quæ à recẽtioribus vlcera cum proprietate occulta, & ostracea à labiorum duritie, vel ab accidentibus, vt vlcus dolorosum cum prurítu, cum fœtore: Vel cum morbo iuncto, vt vlcus cum carne superflua, cum ossis corruptione, cum varicibus, cum inflammatione. Et quia ex reiectis vlcera & denominantur, & deprehenduntur, de reiectorum differentiis, & natura breuiter dicemus, vt sciant studiosi de his interrogare.

De differentiis & natura eorum, quæ ab vlceribus reiiciuntur. CAP. XXIIII.

libr. 5. cap. 28. REdditur ab vlceribus aliquando sanies, aliquando pus, aliquando meliceris, vt vocat Celsus, aliquando sanguis, sed hoc diuerso tempore, & à diuersis vlceribus. Sanguis enim à recenti vulnere, vel ab vlcere corrosiuo, quod ad venas vsque peruenit, & penetrauit vt in phagedeno vlcere accidit. Effluit sanguis etiam ab vlcere curato & carne repleto, nondum cicatrice obducto, si specillo tangatur, vel post arrodens medicamentum, aut post escharæ casum repletur & sanescit, vel post calli arrosionem cum fistula. Sanies verò inter vtrunque tempus in quo sanescit: pus verò vlcere iam ad sanitatẽ spectante, vel ab vlcere post abscessum facto. Rursus saniei

cap. 26. lib. 5. Saniei diff. multæ sunt differentiæ, ex Celso, & Guidone, Celsus sic: Sanies quædã tenuis est, quæ ichor Græcis dicitur, à Latinis virus. Altera meliceris. Differunt enim ab inuicem.

Nam

Nam ichor sanies tenuis subalbida à malo vlcere erit, maximéque vbi in neruo læso inflammatio sequuta est. Meliceris verò crassior, glutinosior subalbida tantùm, mellíque albo subsimilis, à quo nomen accepit, est quoque à malis vlceribus, vbi nerui circa articulos læsi sunt, & maximè ex genibus, à quibus *cleodes* tenue, subalbidum quasi vnctuosum colore atque pinguedine albo oleo non dissimile redditur. Celsus hoc in magnis vlceribus senescentibus apparere dixit. Ego verò in vlceribus genu obseruaui maiorem esse illius oleosę substantiæ copiam, quæ in omnibus articulis à natura posita est ad faciliorem motionem. Quare nec mirum est, si in vulneribus genu, pus oleodes reddi soleat in tãta copia, Guido duplicem saniem facit, & non omnem saniem virus appellat, sed eam tantùm, quæ acrimoniam habet, & arrodit. Saniem simpliciter appellat tenuem & aquosam sine morsu, quæ sanies vlcera faciet sordida magis quàm arrosiua. Quare de istis per circũlocutionem erit interrogandum, vt & affectiones, & tempora affectionũ ex illis distinguamus, vt tenuísne quædam aquosa substantia flauescens, pungens, vel vlcerans partés vicinas, per quas transit, per vlcus reddatur. Quòd si annuat talẽ saniem reddi, virus est quod redditur & vlcus virulẽtum dicitur. Si verò tenuis, serosa, & aquosa reddatur, nullúsque pruritus, vel nulla acrimonia sentiatur, vlcus erit sordidũ: quòd si fœteat, putridum. Si verò pus crassum, malè olens, putre, si dolorem cadauerosum referat, vlcus cum syderatione, siue sphacelo est. Vel si meliceris crassior, & glutinosior mellíque albo non absimilis, vlcus cacoëthes in parte neruosa, & circa articulũ esse significat. Si verò tenuis & subalbida oleo albo non dissimilis, partẽ neruosam vlceratam inflammatam significat. Est etiam interrogandũ de accidentibus, & de morbis cũ vlceribus coniunctis. Non enim cognoscuntur vlcera neque curãtur si Medicus non cognouerit, num simplex vel compositus sit Compositum cum alio morbo, vel symptomate, vel cum causa antecedente est, vt illud vlcus compositũ dicitur, quod cum dolore vehementissimo est, cuius doloris mitigatio curam ad se trahit. Facilè enim æger dolorẽ percipit. Quare sine circuitione aliqua interrogan-

Auctor à Celso dissentit.

Guidoni quotuplex.

dus est, num dolorē sentiat etiā nullis appositis medicamentis, vel etiam mitigatoriis. Solēt enim omnia vlcera dolere post medicamentorum detergentium applicationem, ob quem dolorem vlcus compositum nequaquam dicetur. Loquuntur hîc de dolore qui vrget, & causæ rationem habet. Etiam sine circūlocutione de siccitate & humiditate cum vlcere iunctis erit interrogandum. Nouerunt enim redundantem humiditatē, vel vlceris siccitatem, vel nigredinē. Non ita facilè deprehendunt vlcus cum varicibus, vel cū carnis excrescētia, vel cum corruptione ossis, vel cū proprietate occulta. Quare vt respondere valeat æger, nō est interrogandus, vt in Scholis iuuenes studiosi interrogari solēt: quare more eorum erit loquēdum. Nam si quis interrogauerit ægrum, num vlcus habeat cum varicibus, cùm quid sint varices non intelligat, rectè respondere non potest. Verùm si dicamus num appareant in tibia venæ tumidæ, & in quibusdam locis ad formam oliuæ crassioris & nigræ, vlcus curari non possit, vel si curetur, reuiuiscat, vlcus cum varicibus esse sciemus. Vt inflammationem iunctā cognoscamus, sciscitabimur nū in circuitu inflatio rubra cum calore & pulsatione appareat. Si verò cum œdemate tumor laxus & indolens in circuitu: Si cum erysipelate, num paruus tumor flauescēs, & feruidus, pungēs & pruriens apparuerit. De *hyposarcosi* interrogabimus num caro superemineat vlcere repleto. De duritie autē, si in circuitu tumor durus vt lapis, vel vt os appareat: Num tensa aut renitēs, vt in inflāmatione apparet. Ostreaceum vlcus cognoscimus, si labra alba & dura veluti ex multis laminis cōposita sint, qualis est ostreaceorū testa. Quare num tale appareat, ab ægro scire oportet. De osse corrupto interrogare ægrū vanū est: nō enim possunt ossis corruptionem deprehendere, nisi detectū fuerit. Quare primùm interrogabimus, num aliquod os nudatum appareat. Quòd si detectū sit à multis diebus, num nigrum, aut perforatū, aut inæquale, molle, vel asperū apparuerit, tale omnino os corruptū existimatur. Quòd si os carne tectum sit, vlcus verò annuū, nec ad cicatricē produci possit, os abscedere & corrūpi significatur. Quòd si immissum specillū per carnem penetrauerit, veluti per ceram, & butyrum,

tactum os sonum edat, vel asperum, vel molle, vel inæquale sētiatur, os corruptum significat. Vel si vlcus post exostosim, id est, ossis extuberantiam, & morbus Italicus præcesserit, ossis abscessum significat, & corruptionem. Vt ergo citò & facilè vlceri compositi differentias cognoscamus, primùm simplicia & famosa maximè vlcera cognoscere oportet, quæ ex tumoribus, vel vulneribus, vel ex corporis malitia, vel defluxione fiunt. Quare de corporis statu interrogare oportet, vt si cum plenitudine, vel cacochymia sit. Nullum enim vlcus, quod sine vulnere factum est, sine defluxione, aut sine partis affectione fieri contingit. Dolet enim pars vel pruritum sentit, ob quem frequenter partem æger scalpit, vnde vlcus fit, vel vesicæ quædam apparent, quæ fractæ, vlcus faciunt, vt in herpetibus, & carbunculis fieri videmus. Quare si post talem sensum vlcus factū respōdeat æger, interrogare oportet num virus appareat, vel num multùm dilatatum sit, nec multùm cauum. Quòd si ita respondeat, virulentū vlcus esse pronunciabimus. Quòd si latiùs serpat, & vlcus multùm dilatetur, maiúsque fiat, acuties augetur, corrosiuum vocatū à Chirurgis pronūciabimus. Si verò talia apparuerint, & vndiquaque dilatetur per carnem, & cutē, sine partiū subiectarum corrosione, serpens & ambulans vocabitur. Quòd si & partes subiectas, & solidas depascere dicat, depascens, siue phagedenicum vlcus dicemus. Aliqui tamen depascentem vel herpetem exedentem esse affirmant, si ad ossa vsque peruenerit. Quòd si non virus, sed melicerin crassam, saniosam & viscidam, sordidum esse oportet. Quòd si tale fuisse dixerit, nūc verò carnem putridam, & quasi emortuā esse cū sciri ho ex quo fumus putridus effluit, putre vel putridū *sypedora* vocant, quod tādem in sphachelon vertitur aucta putredine, quale etiam post carbunculum fit. Si verò vlcus cum paruo foramine multúmque puris reddat, magnam cauitatem subesse affirmabimus. Quare sinuosum esse vel syrnigodes: cuniculosum verò vel sinuosum si post abscessum, & sine duritie sit pus magis crassum. Syrnigodes verò si cum duritie interna sit, cū maiore sensu in parte interna, & quod redditur potius ichor, vel meliceris, quàm pus. Si vlcus

Exostosis.

post tumorem durum, rotundum, & inæqualem, & dolentem fiat, colore liuido sit, vel nigro, odore fœtido, & mucco similis humor, cancrosum vlcus esse dicemus. Quòd si neque tactū, neque medicamētum sentit, prurigine tamen moueatur, & circa vlcus dolor & inflammatio interdum fiat & febris, fluat sanguis, sint veluti multa grana carnis pendētia, Theryoma Celsi est ex cancrorū generatione, quod fortè priùs *thymion* appellauit, quod floribus thymi similis sit ob grana carnis. Et quia serpit, dicit fieri vlcus, quod Græci *herpeta esthiomenon* appellāt.

De continui solutione in ossibus. CAP. XXIIII.

SI quis cecidit ex alto, vel fuste lapidéve fortiter ictus fuerit, de dissolutione continui in osse coniiciendum. Quare interrogandum in qua parte ictū acceperit: quòd si in brachio vel femore, eadem erunt signa. Nam ossa similia sunt in numero & figura, crassitie tamen differunt. Quare faciliùs os brachij frangitur, quàm femoris. Si tactu inæqualitas sentiatur, inter mouendum & flectendum doleat, sonum edat, & pūcturam sentiat, vel decurtetur, fractum esse oportet per transuersum ad figuram cucurbitæ, vel raphani modo: vel vt nux lapide fracta, aut triticum mola cōtusum effractúmque, id est, in multas partes diuisum. In his duabus fracturis membrum flectitur, nisi duo ossa sint, & alterū fractum, alterū verò integrū remaneat. Frāgitur arūdinis modo cū calcatur, id est, in longum finditur, & assulatim frāgitur. Difficilè agnoscitur, nisi scissura magna sit in qua cauitas appareat. Dolor sentitur ob peritonei tēsionem vel rupturā.

DE ADNATO.

SI æger vsque adeo sit ineptus, vt nolit morbum detegere, sed vult medicū diuinādo assequi, post aliorum morborum genera ad duo veniendum, scilicet ad adnatum, & cutis vitia. Primùm de adnato interrogabimus, num in aliqua parte sit adnatū, vel ex natiuitate vel post natiuitatem ex alimenti redundantia, vel recrementis. Quæ adnascūtur à natiuitate, sunt veluti verrucæ, in aliqua parte sextus digitus, aut aliquid aliud. Ex copia excremētorum in genere tumorum præter naturam sunt, polypi, ganglium, lupiæ, Bronchocele, verrucæ, condylomata & id genus. Tertium genus est carnis excrescentia,

tia, vt in fistula vrinaria, in canthis oculorum: in magno cantho caro excrescit, adeò vt palpebræ vix deduci possint. In aure fracta vel vlcerata, in nare, sarconia, in menynge dura vulnerata, michera In vulnere externo hyposarcosis. De omnibus istis interrogati, num aliqua caro redundans appareat, respondere possunt quia videre possunt. At in fistula vrinaria catheter, vel candela immittenda. Quòd si renitatur & non possit intrare, & recuruetur, carnem in meatu genitam esse oportet, & quo certiores simus num præcesserit vlcus, vel sentiatur dolor in emittendo vrinam, sciscitandum est, si vrina retineatur, & veluti per strictissimum foramen reddatur. In naribus præpedit inspirationem, quæ si sit cum vlcere grauiter olente, tunc ozena: si sine graueolentia, sarconia erit, quod à polypo differt, quod non sit rotundum ad formam polypi, sed caro excrescens.


De vitiis cutis.

Cutis vitia duo sunt, primum genus est cum asperitate, siccitate, & paruis tumoribus, qui non altiùs descendunt, quàm ad cutim. Inter cutis vitia enumerantur, vt lychen impetiginis species, psidrarsia. Alterum genus, quod sine asperitate & tumore est, sed coloris tantùm mutatio in cute est. Quare vt in illorum vitiorum cognitionem veniamus, interrogabimus sítne in cute externa aliquid, quod pulchritudinem dehonestet, síque præter naturam in ægro appareat. Hoc autem sciscitandum, tum vt illa cognoscamus, tum vt ex illis extrinsecus apparentibus in internorum morborum cognitionem veniamus. Sunt enim quæ in cutē apparent, internorum *blastimata*. Quare si talia vitia ab internis caussis proueniant, excrementa è corpore reiecta monstrabũt. Quare si nulla reddantur excrementa illaudata, vitio cutis vel carnis tantùm fieri necesse est. Si igitur nullus tumor, aut cutis eminentia, vel asperitas, maculas dicemus, & potissimùm quæ in aliquibus tantùm apparent partibus. Nam colores vniuersam cutim inficientes, humorum effusionem demonstrant. Non enim fieri potest in tota cute continua coloris mutatio, sine humoris effusione: hinc nomen commune non est inditum, verùm bilis effusioné arquatum, siue auriginem ab auri colore,

vulgus medicorum icteritiam simpliciter, quia frequenter fit, nominant: Si autem bilis atra, icteritiam nigram: si color totus candidus ab humore, leucophlegmatiam vocant, hydropis speciem significãtes. Defœdatur cutis & perit viuidus color in puellis cùm pallescunt, quod videtur icteritiæ species. Hepatici omnes colorẽ habẽt vitiatum. Maculæ cutis si magnæ sint, aliquam humorum particularium effusionem ostendunt. At quæ cutis macula non continua, sed veluti sparsa in cute, vel in aliqua parte tantùm non magna, illius partis vitio fieri dicimus, vt glaucoma, albugo in oculis. Sunt autem aliqua vitia siue maculæ, quæ in vna parte fiunt, & propria sunt huic parti, vt oculi maculæ glaucoma. Aliæ plures partes occupant, vt lentes solent faciem, & manus, & pectoris eam partem, quæ nudatur, quod indicat tum à causa externa, tum interna fieri. Apparẽt in facie, manibus & pectore æstate, potissimum iis, qui sub sole degunt *Nephelides* siue næui aliæ in tota cute. Sunt autem vitiliginis species tres, ecchymoma, sugillata, vibices, stigmata. Hæc visu vel percunctatione cognoscuntur. Quare si nõ licet videre, interrogabimus quem colorem præ se ferat vitiũ. Si cum albo colore sit, alphos, si nigro, *melena*. Hodie vidẽtur etiam quæ rubro colore apparent, de quibus antiqui nullam fecere mentionem, nisi ad aliud genus quis referat. Aliqui vocant malum mortuum. Si candidior sit non solùm cuticula, sed & cutis vera, pili quoque albi & tenues renascũtur, lanugini similes punctóque cutis non sanguinẽ, sed saniem albã reddit, *leuce* dicitur. Describi videtur pro lepra in Leuitico. Lens siue *phacos*, à quibus Diosc. nomen accepit, lẽtigo dicitur. Maculæ sunt colore fusco, lentis magnitudine, à cuius colore & magnitudine nomẽ accepit affectus. Sparsæ sunt in facie, manibus, & pectore eorum, qui illud nudant Frequentiùs accidũt ruffis, forte quòd à bilis fuligine fiant, quæ cuticulam solis modo vrit, denigrátque. Tempore frigidiore, quia intus repellitur fuligo, & humor non apparet, æstate verò magis. Colore nigro etiam maculæ apparent, quæ aliquando cicatrices sunt denigratæ; non multùm differunt ab echymosi, quæ ecchymomata quasi circumfluxiones, dicuntur, nisi

nisi quòd echymosis magis rubet, quia nõ tam citò concrescit ob tenuitatem, ex consequenti non statim denigratur. Si verò sint vestigia verberum, Latini vibices, cùm nigrescunt, sugillata. Quidam volunt esse minimas maculas liuidas. Stigmata sunt veluti puncta similia vestigiis factis à morsu pulicum vel cimicum. Apparent in pestilentibus febribus, & qui carbunculo pestilente moriũtur, & liuidæ sunt, malum significant. Accidisse tempore pestis Galenus testatur libro de atra bile. Sed qui nigra non deiecerunt, non euaserunt, sed quibus accidit deiectio nigra. Fiunt in febre synocho veræ maculæ rubræ, quia à sanguine fit febris Apparẽt post dies decretorios. In pueris accidunt exanthemata, & quę ecthymata dicũtur, verùm exanthemata sunt maculę sine tumore rubrę, paruæ & veluti puncta. Ecthymata pustulæ sunt in summa cute extuberantes albæ, in circuitu rubrę, & sunt epidemici morbi, qui nunquam sine febre, sed incipit febris synocho similis. Pustulæ 3. vel 5. die apparent, sine tamen febris solutione, de quibus copiosè in libro nostro de exanthematibus Soluitur integrè cùm suppurantur pustulæ, & ob suppurationem febris perseuerat, absoluitur fluxu ventris. In pueris gulosis frequentissimè, si constitutio præcedens aeris fuerit humida valde, membra aliqua putrescunt: quod vidi in filio mei vicini, in quo factę fuerunt omnium articulorum pedis & manus eluxationes ob ligamentorum putredinem, ossa iuncturarum putrefacta apparuerunt extra. Omnia, quæ in illa febre apparent, ortum habẽt à sanguinis multitudine. Sentitur grauitas membrorum, somnus in principio ob multitudinem fumorum humidorum, oculi tument, illa, hiymantur, & nares stillant, facies tota intumescit, & rubra est. Inflammantur partes internæ, rauca fit vox, crebra & difficilis respiratio, tussis, pulsus frequens & celer pueris & iuuenibus. Fit vere frequentiùs quàm alio tempore: æstate & autumno, quando ver est simile æstati. Facilè autem erit hos affectus ex ægro agnoscere si bene interrogetur, id est, si quæ vnicuique propria sunt, proponantur.

* *
*



GVLIELMI RONDELETII DOCTORIS MEDICI, ET MEDICINÆ IN SCHOLA MONSPELIENSI PROFESSORIS regij & Cancellarij.

De curandis febribus, liber vnus.



Q VEMADMODVM nemo poteſt in aliquem locum venire, niſi viam ſequatur certam & breuem, aut aliquibus ſignis interpoſitis ad eum locum dirigatur: ſic profectò medicus morbum curare non poteſt ſine methodo, hoc eſt, ſine via cum ratione, vel cum quodam ordine. Curare morbos methodo interpretatur Galen. ea, quæ ad curationem morbi pertinent, non temerè adhibere, ſed ordine, vt quæ prima ſunt, primo loco fiãt, quæ ſecunda, ſecundo: quæ tertia, tertio, & ſic deinceps. Quæ facienda ſunt, nemo poteſt inuenire, niſi ea, quæ ſunt ſecundùm, aut præter naturam, aut quæ non naturaliter dicuntur indicauerit. Eſt enim indicatio faciendorum inſinuatio. Indicationes autem ordinem quendam ſeruant, vt aliquæ dicantur primæ, aliæ ſecundæ, aliæ tertiæ, & ſic deinceps ad aliquid quodammodo dicantur. Prior enim non dicitur niſi ſecunda ſubſequatur, neque ſecunda, niſi præceſſerit prior. Eſt igitur neceſſarium, & quæ ſecundùm naturam, & quæ præter naturam, cognoſcere, & quæ non naturalia dicuntur, à quibus indicationes ſumuntur. Nam ſi indicationes neceſſariæ ſunt, vt ſuprà demonſtrauimus, & ea ex quibus colliguntur indicationes, cognoſcere expedit. Quæ ſecundùm naturam ſunt, ea priùs cognoſcenda ſunt, vt Hippocrates teſtatur. Nam quæ præter naturam ſunt, ab iis, quæ ſecundùm naturam ſunt, cognoſcũtur. Vt rectũ index eſt ſui & obliqui,

ſic vt

sicut unoquoque genere perfectum est imperfectorum index & probatio. Accedit, quod multò faciliùs cognoscuntur, quæ sunt nobis familiaria & cognata, aut quæ in minori numero, quàm quæ multiplicia sunt. Nam vna est sanitas, sed infinitæ morborum species. Res non naturales secundo loco discendæ sunt. Quòd si quis velit res primùm præter naturam cognoscere, non multùm peccabit. Nam contraria iuxta se posita magis elucescunt. In cognitione morborum hanc viam sequi oportet. Primùm appellationes morborum cognoscendę sunt & maxime Gręcorum, quia nominis ratio aliquam morborum imperfectam cognitionem & opinionem nobis suppeditat, qualia sunt inflammationum nomina, vt ophthalmia, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, & cephalalgia, ictericia, dysenteria, lienteria, diarrhæa, gonorrhęa, & quædam vel partem affectam, vel materiam, vel accidens aliquod morbi indicant. Deinde magis vniuersalia morborum genera, vt quid intemperies, mala compositio, vnitatis solutio. Sunt enim hæc tria genera generalissima, à quorum cognitione ad cognitionem generum subalternorum descendere oportet, tãdem ad speciem specialissimam veniendum, cuius si exactam cognitionem habeamus, facilè exercitatione particularium, vniuscuiusque morbi naturam nobis comparare poterimus, quæ vltima & absolutissima esse dicitur, à qua non solùm primæ indicationes, sed aliæ posteriores colliguntur.

Nos hanc rationem sequentes, febrium cognitionem inuestigamus. Febris à Latinis dicta est, forsan à feruendo, quòd in febre omnia ferueant, vt Græci ab igne *pyr*, *pyreton* vocauerunt. Hipp. frequenter ignem appellauit. Nec temerè febris dicitur ignis, quòd in igne summa caliditas & acrimonia inueniantur. Sic febris inter eos motus, qui sub intemperie siti sunt, caloris vehementiã obtinuit, vt Galenus in sua descriptione, pro vltima differentia, igneum posuit, cùm dixit febrem nihil aliud esse, quàm calorem naturalem in igneum conuersum. In qua descriptione calorem posuit pro intemperie. Nam calor febris genus non est proximum, sed intemperies, & potiùs est eius intemperiei caussa vel pars.

Febrem ex descriptione potiùs, quàm ex definitione primùm cognoscere oportet, quia ea est nobis cognitu facilior. Conficitur autem descriptio ex genere & accidentibus inseparabilibus, aut ex propriis. Ista autem accidentia, & propria, nobis notiora sunt, quàm veræ differentię. Ob id ferè Galen. in omnibus suis operibus frequentiùs vsus est descriptionibus, quàm definitionibus, vt cum dicit 9. meth. meden. febris est intemperies excessus in caloris abundantia. Definitiones autem, vt idem docet lib. de diff. pulsuum, sunt obscuræ, propterea quòd paucis verbis essentiam rei complectuntur. Nos tamen definitiones & ad memoriam, & ad exactam rei cognitionem habere oportet.

Definitio febris essentialis ab Auicen. tradita est, quam ex multis locis Gal. collegit, vt, Febris est calor naturalis accẽsus in corde, procedẽs per vniuersum corpus per venas, & arterias, actionem lædens. Prima pars desumpta est ex descriptione superiùs assignata (accensus in corde) ex lib. 1. de differ. febr. quo loco docet nullum caloris excessum appellandum esse febrem, nisi cor incaluerit. Quòd si addidisset (Calor igneus) expressiùs febrem descripsisset, sed forsan id intellexit, per hoc vocabulum (accensum.) Ignis est, ergo accendit ligna. Febris igitur cordis affectio primaria, totius corporis secundaria. Quòd autem febris sit passio cordis, sic probari potest. Cor est fons caloris naturalis. Sed febris, mutatio est caloris naturalis, qui per vniuersum corpus distribuitur. Oportet igitur mutari calorem in corde, vt in radicibus, alias in toto corpore mutari non potest. Præterea cõtraria versantur semper circa idem. Tẽperatio caloris est in corde, ergo & intemperies. Sed ista quibusdam logica videbuntur forsitan, ob id missa faciamus.

Cognito genere febris, species eius quærẽdæ sunt. Cognoscuntur autem species per definitiones. Nam speciei propria est definitio. At febris definitiones non nisi ex genere & differentia constare solent. Sunt igitur febris differentiæ diligenter inuestigandæ, & quæ à rei substãtia sumuntur, & quæ ab accidentibus, & propriis, quia in locum verarũ differentiarum substituuntur. Accidentia enim ex Arist. sententia, ad agnoscendum, quod qui est

est esse rei non parùm conducunt. Petuntur autem differentiæ febris (vt Gal. docet 1 de feb. & in commenta. *Peri epid.*) à febris substantia, & à materia, siue subiecto, & à caloris motu, tanquam ab accidente.

Substantia autem febris in genere caloris præter naturam. Est autem in caloris excessu, aut in intemperatura, quæ differt secundum magis, & minùs. Febris magna est, & quandoque parua, quam differentiam meliùs intẽtione & remissione explicaremus, quàm nomine magni & parui. Est autem febris, (vt Gal. eo comment. docet) effusa in totum corpus, aut omnino, aut in plurimis partibus, vel nobilibus, vel nobilissimis, quandoque in nuda cute apparet, vt in epyala, in qua interiora calent. exteriora frigent. Et ne quis putet, id cum præcedentibus pugnare, dicendum est febrem diffundi per vniuersum corpus, nisi prohibeatur. Aer enim externus cutim refrigerare potest. Summa caliditas cordis, & aliarum partium sanguinem & spiritus à partibus externis, tanquam cucurbitula trahit. Ob eam occasionem in morbis acutis calidioribus, partes externæ apparent frigidæ, vt Hipp. in lib præsagitionum scriptum reliquit.

Ex febrilis caloris differentiis tribus, tres febrium differentias colligemus, ex quibus tria febrium genera constituuntur. Est autem quidam calor acris & mordax, qualis apparet in omnibus vstis, aut putrefactis, talis calor genus febrium putridarum constituit.

Alter est non multùm nostro calori dissimilis, maior tamen, & manifestior sine acrimonia, ex quo genus febrium ephemerarum constituitur. Postremus est, qui non admodum magnus est, nec manifestus & velut cineribus sepultus, qui aliquando magis se manifestat & expandit calcis irroratæ modo, talis est hectica. Hanc tertiam caloris differentiam Gal. confert calori leberis lapidei calfacti: calorem febris putridæ, aquæ balnei calidæ; ephemeræ autem, aeri. Sed quia hæ differentiæ neque satis crassæ sunt, neque satis manifestæ, differentias à materia siue subiecto inuestigarunt, ad eadem differentiarum genera constituenda.

Sunt alia tria subiecta in corpore nostro, in quibus calores isti præter naturam hærere solent, partes conti-

nentes, contentæ, & impetum facientes, vt Hippoc. partitus est. Continentes appellat partes solidas, in quibus febris hectica sustentatur. Contentas vocat humores, in quibus febris putrida fit. Aliæ enim partes in febribus non putrescunt, impetum verò facientes, spiritus, qui si inflammentur, febrem ephemeram excitabunt.

11 *Differentiæ à motu caloris.*

MOtus caloris eadem genera constituit. Calor feb. ephemeræ citissimè accenditur, & citissimè etiam extinguitur ob materiæ tenuitatem. Calor hecticæ tardissimè accenditur & extinguitur, quia est in parte solida: Putridæ autem pro natura humoris, in quo febris fieri solet, citiùs aut tardiùs. Nam in melancholia ob crassitiem humoris non citò fit. Quotidianę accessiones quotidiè, propterea quòd eius materia non exactè euacuatur, & tardissimè calor ille in accessionibus mouetur. Hæ sunt differentiæ magis vniuersales, quæ constituunt tria illa febrium genera. Gal. tamen duas febrium differentias dixit esse. Vna caussam adhuc fouentem habet, aut quòd illa desiit, iam febre excitata: altera verò, quæ iam facta est, hoc est, febrem alteram esse *en schesei*, alteram *en exei*, quod barbari dicunt, In fieri & in facto esse. Quia febres clariùs distinguntur differentiis istis à materia petitis, eam ob caussam, medici non solùm illas generales differentias, sed etiam speciales differentias ab illis petivoluerunt. Genus enim febrium, quæ in humoribus fiunt, suam manifestissimam distinctionem à materia accepit. Et quanquam Philosophi scriptis reliquerunt, nullam differentiam sumi à materia, nos tamen in medicina proprias differentias, & febrium numerum à materia accipimus, nec puto esse contra philosophiæ præcepta. Nam cùm dicimus nullam differentiam sumi à materia, intelligendum est de materia formæ substantialis, & materia prima, non autem de secunda, in qua omnia quæ sub lunari globo sunt, conueniunt. Nam in eo, in quo conueniunt, quomodo possent differre, & vnum idémque in omnibus neque diuersum facere potest neque aliud. At in accidentibus, & rebus naturalibus subiectum aliquam differentiam facit, & aliquam distinctionem, quia subiectum præditum est diuersis acciden-

cidẽtibus. Quòd si subiectum aut materia nihil facit, cur Arist. & omnes Physici in definitionibus physicis materiã & subiectũ poni iubent? Quare in definitionibus ponuntur, aut generis aut differentiarũ vices gerũt, & subiectũ & materia pro genere non ponuntur. Ergo per differentias, vt in hac definitione. Ira est efferuescẽtia sanguinis circa cor vindictæ caussa. Efferuescentia est genus, ergo sanguinis, qui est materia, & cor, non sunt posita pro genere, sed pro differentia. Lex enim definitionũ nõ patitur, vt duo genera in eadẽ definitione reperiãtur, differentiæ verò plurimæ. Manifestissimè ergo apparet secundum Philosophos à materia differentiam aliquam sumi. Præterea calor accidẽs est: accidentia enumerãtur secundum subiectũ, & materiæ enumerationẽ. Igitur ad febriũ putridarũ distinctionem, necessaria est differentia, quæ à materia & subiecto sumitur. Febres putridæ nõ curantur nisi vacuata materia. Quòd si à materia nulla sumitur differentia, vnum & idẽ medicamentum sufficit ad multorum morborum curationẽ. Hæc differentia à materia sumpta, has nobis commoditates adfert. Primùm febris propriam & peculiarem cognitionem, & eiusdem febris perfectam & rectam curationem indicat, & morbum, & morbi curationẽ. Et ne lector logica ista esse existimet, huius differentiæ vtilitatẽ altiùs repetere oportet. Quòd faciat ad peculiarem cognitionem & distinctionem, sic probo, Febrium cognitio ex caussis, quæ præcesserunt, & ex his, quæ in feb. apparẽnt, perfectè petitur. Vt si æstate iuuenis quidam febre corripiatur, hinc colligemus biliosam, quòd eo tempore bilis motus dominetur, & ætas illa multa bile abundet. Eadem ratione, inedia vsus calidorum alimentorum, febrium biliosarum suspicionem præbet. Sitis vehemens, vomitus biliosus, rigor magnus, & vehemens in principio accessionis, febrim tertianam indicat, quod à bile hæc omnia oriri sciamus. Ad curationem verò facit, quòd hîc morbus sit cum materia. Quòd si à bile fieri cognoscamus, excrementa pungante medicamento magis, quàm sanguinis missione euacuamus. Si à pituita fiat febris, humorem diutius concoquimus, tenuando, & incidendo. Agaricum, & alia, quæ pituitam agunt, non Rheum damus, neque mittimus

ſanguinem. Eſt ergo vtiliſsima hæc à materia differentia, quæ non ſolùm in febribus, ſed etiam in tumoribus præter naturam vtilis eſt, & admodum neceſſaria, quam ſi quis legem teneat, breuiter & facilè morbos curabit, ſymptomata inueniet, quæ ex humorum quantitate, vel qualitate orta ſunt. Differentiæ febrium humoralium à materia petuntur, ſcilicet, ab humoribus, qui in corpore noſtro continentur, quas differentias colligere nō poſſumus, niſi priùs ipſam humorum cognitionem, hoc eſt, qui ſint, & quot ſint in corpore noſtro, exactè teneamus. Sunt autem ſucci in corpore noſtro, qui naturales à Medicis dicti ſunt, quòd corpus noſtrum nutriant & foueant. Alij verò non naturales dicuntur quibus corpus non nutritur, ſed aliquam vtilitatem præſtant. Ob id autem ita dicuntur, quia præter naturam non ſunt, neque etiam naturales, ſed quaſi mediam naturam habent. Sunt autem ſucci naturales ſanguinis partes. Has differentias circumlocutione quadam plurimi Medici maſſam ſanguinis vocauerunt, quæ & in venis, & in corde reperitur. Non eſt autem res ſimplex & exquiſita. Nam in ea maſſa ſanguinis, vt in lacte, multæ partes differētes reperiuntur. Eſt autem ex his vna pars, quæ conſiſtentiam mediam obtinuit, colorem purpureum, ſaporem dulcem. Dicitur autem hæc pars noſtri ſanguinis ſimpliciter, éſtque calido & humido temperamento. Alia eſt tenuis, & veluti efferueſcentia quædam illius maſſæ ſanguineæ, colore flammeo, hoc eſt, ex rubro flaueſcente, ſapore dulci, cum quadam acrimonia leui, quam partem, ſanguinem bilioſum vocamus, aut bilem naturalem, quæ temperamento calidior eſt & ſiccior, quàm ſanguis.

Tertia pars craſsior eſt ſecunda, colore ex albo rubeſcente, ſapore inſipido. Dicitur autem pituita naturalis, aut ſanguis pituitoſus, qui aliquando dicitur ſanguis minùs coctus, ex quo fit quoque optimus ſanguis, ſi rurſus concoquatur, & eſt frigidior, & humidior pars ſanguinis.

Quarta pars eſt craſſa admodum conſiſtentia, colore ex purpureo nigreſcente, dulcis ſapore, cum quadam leui aciditate. Dicitur autem melancholicus ſanguis

guis aut melancholia naturalis, frigidior & ſiccior.

In hoc cõueniunt omnes differentiæ ſanguinis, quòd extra corpus fluentes, concreſcunt, humores autem non naturales nunquam, ſed ſemper liquidi remanent. Non naturales autem ſunt ſucci, veluti ichores, & ſuperiorum recrementa. Ad tria referuntur, ad pituitam, ad bilem, & melancholiam, quibus poſſumus adiungere ichores ſanguinis, vt ſit numerus naturalium & non naturalium. Sed quia à ſanguine, vel à ſero ſanguinis non ſecernuntur, ſed in venis ſemper ſunt, à multis prætermittuntur. Faciunt tamen quaſdam ſcabiei ſpecies non contemnendas, vel quia hæc recrementa proximè accedunt ad bilem, ſub bile plurimis reponũtur, & febres continuas bilioſas excitare poſſunt. Quidam bilem rubram vocant, quæ conſiſtentia ſanguini tenui proxima eſt, verùm eò, quòd non concreſcit, idcirco eam bilem nuncupauerunt. Sunt igitur dicti humores non naturales pituita, ſanguis, & bilis vtraque. Verùm bilis & pituitæ multæ ſunt differentiæ, & nominibus diſtinctæ, quæ varias febrium differentias, & tumores excitare ſolent.

Prima ſpecies eſt bilis flaua, quam Græci *xantyn*, quæ feroſo recremento diluta eſt, ob id conſiſtentia eſt liquidiore, colore magis pallido, ob id etiam nonnunquam pallidam vocant. Flaua bilis reddita craſsior, & plus calfacta, colore magis flaua, aut *ócra*, calidior eſt & conſiſtentia craſsior, à colore, flaua Latinis, *ócra* Græcis dicitur. Quòd ſi craſsior ſecunda illa ſpecies reddita fuerit, id erit aut propter pituitæ admixtionem, aut propterea quòd facta ſit ex alimentis craſsioribus, eam bilem vitellinam vocamus.

Omnes hæ bilis differentiæ in hepate & venis fiunt. Quæ verò ſequũtur, in ventriculo. Sunt & aliæ bilis differentiæ, quæ verius dicerentur præter naturam, quàm non naturales, quia nunquam in naturalem habitum reducuntur, neq; aliquam vtilitatem præſtant, & à cauſsis morbificis fieri ſolent in ventriculo & extra venas, qualis eſt illa, quæ æruginoſa dicitur, ob ſimilitudinẽ, quam habet cum ærugine, quæ alio nomine dicitur praſsina à colore porri. Neque differunt, niſi quòd praſsina ex ole-

ribus in ventriculo calido magna ex parte fit, æruginosa verò ex bile torrefacta, & acriori est. Est & alia quæ appellatur isatodis à colore isatidis herbę, quam vulgò (pastel) vocamus, non vt Petrus Apponensis ab æqualitate coloris, deceptus vicinitate vocis, isotis & isatis. Hæ sunt omnes bilis differentiæ, ex quibus varias febres, & varios tumores præter naturā fieri postea monstrabimus. Pituitæ autem differentiæ multæ sunt, quas Gal. ad salsam, acidam & dulcem reduxit. Nos autem in quatuor differentias distinguemus cum eodem Gal. Nam vitrea etiamsi parùm acida sit, ab acida tamen tēperamento & consistentia tenuiore differt. Vocamus pituitam cum Gal. humorem natura frigidum & humidum. Prima species à Gal. lib. de differentiis feb. dicitur esse vitrea, quæ vsqueadeo frigida est, vt in loco calido non incalescat, & dolores maximos excitet. Est autem humoris, vitro liquefacto similis.

Secunda species, pituita dulcis dicitur, quę veriùs insipida est, quàm dulcis, qualis est illa, quam plerique excreatu expuunt, & illa minùs frigida est, quam speciem Gal. aliquo loco negat esse pituitam, sed phlegma vocat, quòd forsan pituita naturalis non sit, sed pituitæ recrementum.

Tertia species acida dicitur, à sapore acido, quæ minùs frigida est quàm vitrea, magis tamen, quàm dulcis.

Quarta species salsa à sapore salso dicta. Fit autem salsa, aut propter putredinem, vt in febricitantibus, aut propter salsæ serosæq; humiditatis admixtionem, qualis apparet in catarrhis salsis, in quibus nulla febris sentitur. Calida est, si cum aliis cōferatur, & siticulosos facit. Hæ sunt differentiæ pituitæ, quæ febres pituitosas faciunt. Sic & atra bilis secundum substantiæ varietatem non obscuras habet differentias. Nam alia est, veluti fex sanguinis, quæ admodum spissa est, fecibus vini haud absimilis, quæ terram non fermentat, neque de simplici acida qualitate participat. Sed hæc species succus melancholicus, aut melancholicus sanguis dicitur, de quo suprà inter humores naturales. Ex Gal. de atra bile reperio aliam differentiam humoris melancholici, quam speciem plurali numero *melana* efferunt. Quòd autem

autem ista recrementa, distinguantur & à succo melancholico, & à melancholia, manifestum est ex lib. Gal. de atra bile, in quo ad verbum hæc scripsit. Verùm ad sermonem de atra bile redeamus. Quoniam igitur non concrescit, ex hoc sanguine nigro distinguitur, non tamen ab his, quæ propriè nigra nominantur, quæ longum esset referre. Alia verò tenuioris est essentiæ, quàm superior, quæ vomentibus & olfacientibus acida videtur, terram radit, fermentat, & ampulas facit, quam mulres gustare nolunt, nec aliud animal. Fit autem melancholia ex assatione bilis, quæ adhuc supradicta tenuior est, acris & mordax. Fit etiam ex adustione pituitæ crassæ, quæ dum à forti caussa exiccatur, vel exustione incineratur, in humorem melancholicum transit. Nec valet eorum ratio, qui dicit pituitam primùm mutari in sanguinem, postea in bilem, & à bile in melācholiam, propterea quod ratione, quod mutatur & mouetur, ab vno extremo in aliud extremum mutatur. Talis autem per media transitus fit quando ex alimento fiunt humores. Sed in hac violenta, ac præter naturam vstione, aut incineratione, non fit, quia id quod mutatur, illam aptitudinem non habet, vt fiat sanguis. Quòd autem ex pituita crassa fiat melancholia, docet morborum commutatio. Febres erraticas & quotidianas, quæ à materia crassa fiunt, in quartanas febres quotidie cōmutari experimur. Item scirrhi à pituita crassa fiūt, & à melancholia, & tandem in scirrhos melancholicos transmutantur. Nam, vt Philosophi docēt in habentibus symbolū, facilis est transitus. Quòd autē habeat symbolū pituita crassa cū melancholia, testis est lib. meth. docens, Scirrhum fieri a pituita crassa, quæ (vt inquit) proximè accedit ad naturam melancholiæ. Igitur melancholiæ factæ per adustionem multæ erunt differentiæ, vt à flaua bile crassa, & *ocra*, & vitellina quæ incinerātur, caliditatem amittunt propriam, aduētitiam tamen acquirunt ex putredine vel adustione, quemadmodum in medicamentis acribus fieri dicimus, quæ vstione mitiora redduntur, & si perfectè incinerantur, omnem caliditatem amittunt, & frigidiora redduntur. His prælibatis oportet docere, quomodo ex istis humoribus febrium differentiæ fiunt.

Insumma dicemus, omnes febres continuas fieri ab humoribus naturalibus contentis in venis,& in corde.

Quòd si sanguis ex æquo auctus putrescat, febrem continuam facit, quæ Synochus propriè dicitur. Si autem sanguis purus, aliis non supra modum auctis inflammetur, tunc febris citra putredinem fit, reponitúrque sub genere ephemerarum, aut alio modo dicitur Synochus non putris. Fiunt autem istæ febres crescentes, aut decrescentes, aut consistentes. Crescentes fiunt, si semper putredo aut inflammatio sanguinis augeatur magis, & obstructio maior fiat: Si autem maior fiat in dies difflatio, fiunt decrescentes: Si verò tanta fiat accessio, quanta resolutio, in eodem statu permanent. Si sanguis biliosus, aut bilis in venis maioribus & longinquis putrescat, febrem tertiatam continuam parit. Hæc tertio quoque die quasdam exacerbationes inducit, vt tertiana intermittens, sine rigore tamen. Si verò bilis in venis ventriculi, vel cordis putrescat, causonem facere aiunt. Putarim ego tertianam continuam fieri à sanguine bilioso, vel sanguinis ichoribus, hanc verò à bile flaua, vt indicat maior caloris acrimonia, sitis vehementia. Febris tertiana continua fit aliquando ob putredinem bilis flauæ, vel vitellinæ genitæ in venis, aut cùm sanguis, ob obstructiones meatus vesiculæ fellis, ob quas non potest recipi in vesicam, in hepar & venas regurgitat. Quòd si tantùm peccet quantitate, morbum acutum facit, si autem putrescat, febrem tertianam cōtinuam, vel causonem facit. Ob id Auic. iubet vrinas inspiciendas esse, vt febrem factam à sanguine bilioso, vel à bile distinguamus. Quòd si vrina tenuis & flaua appareat, sanguinem mitti non vult, quia à bile retorrida fiat. Quòd si rubra sit, tunc iubet sanguinem mitti. Vrina enim rubra à sanguine fieri significat, vt flaua, à bile. Differunt quoq; tertiana continua, & causus, quia causus ob visceris alicuius obstructionem frequentiùs fit, vel à pituita salsa, vt ex quarto commentario de victus ratione in acutis distinguere licet. Sanguis pituitosus, vel pituita ipsa sanguine permixta, si putrescat, febrem continuam quotidianam efficit, qua continuò affligit, & quotidie circa noctem videtur quodammodo in-

do incrudescere sine frigore præcedente. Melancholicus verò sanguis, vel melancholia sanguini permixta febrem quartanam continuam fecit, quæ quarto quoque die grauior fit, & sine horrore inuadit. Humores non naturales vnà cum sanguine per vniuersum corpus efferantur. Quòd si putrescant, febres continuas faciunt, vt humores non naturales. Differunt à sanguineis malitia symptomatum & caloris acrimonia. Illæ enim exacerbationes maiores habent. Omnes hæ tres febrium differentiæ quatuor mutationes habere dicuntur, si salubres fuerint, quas mutationes appellat ætates, siue tempora, & istis mutationibus potissimùm distinguntur febres veræ continuæ à continuis, quæ intermittentibus proportione respondēt, quas febres *synochous* Græci appellant. Febres enim veræ continuæ nulla tempora manifesta habere dicuntur, propterea quòd nullas mutationes habent, cùm semper decrescant, aut augeantur, aut consistant. Distinguntur autem ab intermittentibus, vt nunquam desinant in febricitationem, & mutatio nulla appareat, excepto illo primo morbi insultu, in quo fieri solet quidam sensus rigoris aut frigoris non manifestus. Diebus iudicatoriis & criticis fiunt quædam mutationes, quæ morbos aut iudicant, aut soluunt. Ne fortè quis hanc febrium diuisionem somniasse existimet, quibusdam rationibus ostendere volo, febres cum putredine & sine putredine sanguinis fieri posse, & quòd materia febris continuæ intra venas sit: febris verò intermittentis, extra venas. Quòd autem febris fiat ex inflammatione sanguinis, testis est Gal. 9. meth. quo loco docet ab inflammato, & putrescente sanguine continuam febrem fieri alteram, quam diutius opposuit, propterea quòd ex inflammatione tātum sanguinis facta fit, & non perduret. Nam soluitur vel sanguinis è naribus fluxu, vel sudore intra tertium aut quartum diem, aut mutatur in synochum putrem, & illas duas febris differentias docet exemplo duorum adolescentum, quorum alter liber erat, palęstræ peritus, alter seruus. Liber continente febre citra putredinē laborabat, seruus continente cum putredine. Sanguis laudatus multus, si non exactè euentiletur, propter cu-

tis constipationem, aut ipsius copiam & carnis, pinguedinísque, incalescit ob fumos illos calidos retentos, qui per insensibilem transpirationem euacuari solent, & statim putrescit, únceque febrem citra putredinem excitare dicitur. Quòd auté constipatio corporis calfaciat, manifestissimum est, in tumorum præter naturam maturatione, ad quam afficiendam medicamentis vtimur, vt retineatur effluuium caloris naturalis, vt Galenus 2. de caussis morborum docet, scilicet, constipationem esse caussam caloris. Item, vt omnibus compertum est, omne calidum aliquam euentilationem & refrigerationem requirit, qua si priuetur, statim maiorem calorem concipit. Sic sanguis multus in corpore nostro cutis constipatione non euentilatur, & fumus ille calidus retinetur. Item illa carnis abundantia, quam Græci *polysarciam* appellant, euentilationem prohibet, idem etiam facit pinguedinis copia. Quòd autem sanguis laudatus non statim putrescat, prohibet eius bonitas, item naturæ regimen, quæ humores & succos à putredine cõseruet, illud autem regimen Galenus libro method. expressit. Alio loco dicit putrescere, vel euinci à natura & domari. Sanguis igitur potest sine putredine inflammari, ob illas diuinas facultates in nobis positas, quæ & succos, & partes omnes à putredine vindicant, quantùm fieri potest.

Quòd autem facultas illa diuina humores à putredine & corpus vindicet, monstrat animæ & corporis separatio, qua separata corpus statim putrescit. Etiam corpora tabe absumpta siccissima sunt, neq; ob largam humiditatem, quæ mater putredinis esse dicitur, putrescunt, sed ob animæ separationem, quæ in corpore est pro sale. Cùm ergo virtus conuincit, & dominatur in humores, omnia seruantur à putredine: cùm autem vindicantur ab huius regimine, omnia malitiam acquirũt. Et quia illa facultas magis residet in principibus principibus, in corde, iecore, & in venis, humores non tam facilè putrescunt, aut venenum acquirunt, quàm cùm extra venas sunt, vel in paruis venis. Ob id Hipp. scriptum reliquit, sanguinem putrescere, si in ventrem descendat, & in carbunculo materia venenum acquirit

extra

extra illa magna vasa. Materia herpetis exedentis acrimoniam acquirit, postea quàm à sanguine separata est. Humores etiam in venis sese mutuò conseruant, & venarum facultas humores naturales conseruat ob nutritionis necessitatem. Quare nemini mirum videri debet, quòd sanguis aliquo tempore duret sine putredine.

Dicimus autem durare aliquo tempore, quia tandem putrescit propter maiorem prohibitam transpirationem. Calor enim ille maior factus corrumpit alios humores, & putrefacit aliquam partem sanguinis, & sic non putris mutatur in putrem, nisi diligentia medici prohibeatur. Quòd autem in Synocho putri omnes putrescant humores æqualiter in omnibus vasis, potissimùm verò in maximis, testis est Gal. lib. 2. meth. in hunc modum scribens: Atque vnum quidem hoc Synochum febrium genus, quod ex eadem cum diariis natura constat; alterum est, vbi in omnibus vasis ac potissimùm maximis succi æqualiter putrescunt, quod & ratione monstrari potest. Febris serui erat à putredine humorum; vt ex notis putredinis, tum in vrina, tum in pulsu Galen. agnouit. Quòd si putresceret bilis tantùm, tertianæ exacerbationes tertio quoque die haberet: si melancholia, quarto quoque die: si pituita, singulis diebus. Quare oportet vel sanguinem totum, vel omnes æqualiter putrescere. Quòd si sanguis putrescat, purus & syncerus, oportet alias partes sanguinis minus temperatas putrescere. Quæ superiùs diximus de febribus ex putredine sanguinis, videbuntur pugnare cum rationibus Gal. 2. de differen. feb. cap. 12. quo loco quærit nunquid quemadmodum in vtraque bile, & pituita sunt quædam febrium species, ita & in sanguine putrefacto soleant accidere febres. Aliqui intellexerunt ex illo loco sanguinem quidem putrescere, sed febrem putrem nō posse excitari: quia pars tenuis in flauam bilem vertitur, crassior in atram. Sed illi mihi videntur contra Galeni sententiam statuere. Nam eo loco fatetur Galen. sanguinem posse putrescere, vel quia non difflatur, aut quia natura non conuincitur, & maximè putrescere, quando in aliqua corporis parte plurimus aceruatus, eiusdem corporis opprimit vim, quod postea in hunc modum

concludit.Quare non procul à vero est existimandum, sanguinem ipsum nonnunquam in his, quæ inflammationem patiũtur, particulis, subire putredinem, ex quo simpliciores quidam, quàm ex aliis humoribus febres fieri, similem verò accessionem proportionem assumere, qualem tertianæ maximè febres ostendunt, quod obseruatione sua cõfirmat scribens. Nam ita in his, qui laterum inflammationes patiuntur, obseruatum est, quo tempore maximè rubidum expuunt: non dixit in putredine sanguinem mutari in bilem atram, & flauam, sed quando supra modũ assatur, vt in carbunculis, quos à sanguine supra modum efferuescẽte fieri dixit, in quibus ad atræ bilis humorem transmutatio fiat, non exquisitè, sed in quodam confinio. Has febres ad tertianæ naturam refert, quod vt ipse ait, accessiones tertianæ accessionibus respondent. Item cap. 2 li. 2. de differ. feb. Synochũ febrem ex bile flaua prouenire scribit his verbis. Continuarum autem, quę ex flaua bile proueniunt, duplex est species, altera earũ, quæ Synochi appellãtur, quarum vniuersum tempus in vnica consumitur accessione, quæ à principio ad finem perdurat. Quo loco & agmasticas, & paragmasticas, & epagmasticas recenset, quibus locis Gal. bilem accepit pro sanguine, vt ex eius dictis apparet. Nam lib. 9. meth. has Synochi differẽtias à sanguine inflammato, vel putrefacto fieri dixit, cui loco magis credere debemus quàm aliis, quia exemplo rem demõstrat. Quòd attinet ad locũ de differ. feb. cap. 12. lib. 2. puto Gal. intentionẽ esse, vt velit inuestigare, num ex putredine sanguinis fieri possit febris intermittens. Coniecturæ multæ sunt certissimæ, primùm quod antea de febrib. intermittentibus egerat, & sequenti capite, de caussis per quas febres quędã sunt interpollatę, & quędã cõclusę docet. Accedit quod in eo capite illud quærit, an ex putredine sanguinis fiat febris. De sanguine putrescẽte in aliqua parte, vt in inflãmatione, exemplũ dedit. Nam ipse eodẽ cap. sanguinẽ posse putrescere docet ab aliena qualitate. Neque sequitur, sanguis cùm putrescit, in alienã qualitatem mutatur: igitur sanguinis febris non erit. Nam sanguis cùm mutatur in bilem, nõ statim, sed tẽpore mutatur, dúmq; mutatur, putrescit, dum

dum putrescit, febrem excitat. Quare febrem à sanguine dicere op ortet, vel simili ratione, nulla febris tertiana erit. Bilis etiam mutatur in melancholiam, & sic omnes febres tertianæ, quartanæ essēt, aut in quartanas mutarentur. Præterea in fine eiusdem capitis ex qualitate caloris docet febres à sanguine distingui ab aliis febribus putridis, humoralibúsve. Quo loco dicit febrem esse simpliciorem à sanguine & mitem, alias omnes; habere qualitatem acrem & mordacem. Denique quomodo esset febris *omotonos*, si tertio quoq; die grauiùs affligat, aut quæ differentia erit inter febres synecheis, & synochos? Quare satius erit dicere, febres verè continuas à sanguine fieri, & semper eodem modo progredi, vel increscendo, vel decrescēdo, vel in eodem statu permanendo. Et in ea sententia fuit Hippocrat. Auicenna, reliquíque Medici, tum Græci, tum Latini & Arabes. Quod autem Galen. dixit febres inflammationum accessiones tertianæ ostendere, hoc ad febris inflammationem referre tantùm oportet, non ad febrem morbum. Febres enim tales fiunt à sanguine maximè bilioso, & qui ob tenuitatem facilè in partes proruit, ob id tertianæ accessiones habet, vel quia sanguis conculcatur in parte aliqua, multùm elaboratur, & biliosior redditur, ob quam caussam similes tertianæ accessiones habere scribit, hoc est, mouentur diebus imparibus, quòd ferè in omnibus morbis acutis vnusquisque obseruare potest. Sed hoc nimis de febre à sanguine: redeamus ad continuas, quæ intermittentibus proportione respondent. Quòd autem aliqua febris continua, tertiana, aut quartana dicenda sit, ostendere oportet. Nam id præter rationem videtur, quòd sanguis biliosus in vasis putrescat, non putrescente pituita aut melancholia, cùm in eodem loco cōtineantur, & permixti sint. Omnibus compertum est, plethoram fieri, quando ex æquo omnes humores naturales aucti sunt: cacochymiam verò, quādo aliquis malus succus in corpore nostro augetur, vt pituita multa aceruatur in intemperaturis frigidis, & humidis, in otio viuentibus, in regione frigida & humida; alimentis frigidis & humidis aut intemperanter viuentibus, & potissimùm in cōstitutione

frigida & humida, talis cacochymiæ constitutio à pituita dicitur. Bilis multa colligitur in his, qui tenui victu vtantur, alimentis calidis, & in æstate, & in constitutionibus calidis & siccis, in otiosa vita, sed curis plena, cacochymia esse biliosa dicitur. Sic quoq. melācholia multa in corpore nostro colligitur, aut autumni tempore in frigidis & siccis temporibus, alimentis crassis, terreis, siccis vescētibus. Quòd si humores tales naturales sint, biliosi, pituitosi, aut melācholici dicuntur: siverò non naturales sint, tunc cacochymi dicūtur. Cùm autē aliquis istorum humorum putrescit intra venas, febrē continuam quotidianam, vel tertianam, vel quartanam facit, quanquā alię partes sanguinis tandem vnà putrescant. Sed quia maior est copia bilis putrescentis, biliosa febris apparet, & motus manifestos bilis putrescentes habet, quando in pituitoso homine, quotidiana potius continua fit, quàm melancholica, eadem ratione, & quartana continua fit. Nemo enim dubitat nullum esse purum & syncerum humorem in corpore nostro, tamen dicimus aliquam esse inflammationem à sanguine, erysipelas à bile, œdema à pituita, scirrhum à melancholia. In omnibus istis tumoribus præter naturam, est aliquid sanguinis, aut pituitæ, nihilominus tamen tumores simplices dicuntur, ab humore vincente, vt inflammatio erysipelatodes, quia cum sanguine bilis peccat magis, quàm cum pituita, vel melācholia, aut œdema phlegmatodes, aut erysipelatodes, aut scirrhodes, sic febres appellantur ab humore, qui vincit & superat, vt fortè etiam in febribus, quemadmodum in tumoribus, præter naturam talis complexus inueniri possit, vt in hemitritæis obseruarūt, & in tertianis continuis, quartanis cōtinuis accidere potest. Fieri enim potest, vt biliosus aliquis hyeme febre tertiana continua laboret. Febris illa exquisita tertiana nō erit, sed aliquid à pituita accipiet. Sed quia hæ febrium differentiæ compositę sunt, & ex simplicium cognitione vnusquisque illas cognoscere potest, à Medicis negliguntur. Manifestum est igitur febres continuas fieri à sanguine inflammato ex putredine humorum naturalium, & putredine pituitæ, vel bilis, vel melancholię, & omnium istarum febrium materia est intra venas, sed veræ febres continuæ ab hu-

ab humoribus naturalibus tãtùm fiunt. Continẽtes autẽ intermittentibus respõdent ab humoribus tum naturalibus tum nõ naturalibus. Non naturales enim humores etiã si à natura receptacula habuerint aliqua semper tamẽ aliqua portio cũ sanguine defertur, vel ob illius humoris copiã, vel ob partis illius quæ illã recipere debet, obstructionem, vel imbecillitatẽ, vt icteritia nigra & flaua, herpetes, scirrhi, œdemata declarant. Fiunt enim ex humoribus non naturalibus emendatis à toto corpore, vel ob intẽperiem alicuius partis genitis. Ex hac materia febres intermittẽtes fiunt, quãquam aliquis conatus est quibusdam rationibus monstrare, materiã intermittentium in venis putrescere, suam autem opinionem his rationibus stabiliebat. Si materia feb. intermittentium non est intra venas, cur in febrib. intermit. entib. & tertianis, & quartanis puris sanguinem mitti iubet Galenus? Cur in vrinis speculamur coctionẽ? quibus argumẽtis facilè responderi potest, distinguendo de materia antecedẽte, vel coniuncta siue immediata. Nam materia antecedens in venis continetur, ob quam mittimus sanguinẽ, & medicamẽto purgante vtimur nõ propter bilem illam, quæ accessionẽ facit: illa enim per sudorẽ & insensibilẽ euaporationẽ euacuatur tãtùm. Et cõcoctionem spectamus in vrinis, & in excrementis, vt aliquid decõcoctione particulari, quæ sit in omnibus membris colligamus. Nam si optima concoctio in magnis vasis fit & in carne, & in mẽbris consecutione quadam optima fieri necessarium est. Quòd autẽ materia sit extra venas, docet rigor, horror, & frigus. Solẽt enim hęc symptomata fieri initio febris, cùm è venis descẽdunt, ac partes sensiles sua qualitate afficiunt, vt vehemens illa concussio à bile, horror à melancholia, frigus à pituita. Quòd autem rigor indicet motũ materiæ è venis exeuntis, ostendit Hipp. dicens: à causone habito rigor superueniẽs morbi solutio fit. Soluitur autem morbus, quia materia illa quæ in venis putrescebat, extra fertur, & sudore euacuatur, quia extra venas erat, sub cute in carne. Sic feb. desinunt in infebricitationem, quia per sudorẽ, vel in aliquibus per insensilem euaporationem soluũtur quotidie, quod nõ fieret si intra venas esset materia. Et Hip. pro certissimo scripsit:

Lib. 4. Apho. 58.

Lib. 4. Aph. 63.

Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. Soluuntur autē quotidie, quia materia est per habitum sparsa & disseminata, quæ per meatus cutis expurgatur in declinatione. Quòd si intermittens non soluatur, in continuam vertitur, ob materiæ retentionem. Satis manifestum esse puto, materiam intermittentis extra venas ferri ab ipsis venis. Sed forsan aliquis curiosus perquiret, an in carne, an in venis capillaribus id fiat. Nam si à venis magnis in capillares descendat, erit intra venas, quare vera erit illorum opinio, quam licebit confirmare hac ratione. Esse intra venas, ostendit solutio. Soluuntur sudore. Sudor per cutis meatus insensiles fluit. Cutis autem spiracula, venarum & arteriarum sunt veluti terminus & cotyledones, vt in vtero. Ergo materia intra venas adhuc putrescit. Quòd autem cutis spiracula in venas & arterias desinant, ostendit inspiratio insensilis per hos meatus cutis facta. Item dicimus sanguinem euacuare per poros cutis. Quòd si occludantur, accenditur sanguis, & putrescunt humores. Omnes hæ rationes manifestum faciunt, materiam in venis putrescere. Nos autem dicere possumus, materiam esse intra venas paruas, & cùm Gal. dicit fieri per habitū, vel extra venas, de magnis intelligendum est. Magnæ in minores venas humores semper trudunt. Sed re vera extra etiam capillares venas humores putrescere sic monstramus. Si biliosa materia moueatur à venis magnis in paruas venas, cur rigorem facit? Dicimus enim rigorem fieri, cùm affatim natura acrem & pungentem humorem in sensiles partes descendere facit. Venæ capillares non magis sentiunt, quàm maiores. Quare sine rigore esset illa febris initiò. Præterea, si materia biliosa pungens affatim mora rigorem facit, cùm ex magnis vasis in exiguas venas descendit, cur in erysipelate non fit rigor? Descendit enim affatim bilis magnis vasis in capillares. Igitur oportet humores in partes carnosas sensibiles descendere, & extra venas ferri. Quod attinet ad illas rationes à spiraculis petitas, dico spiracula aliqua esse venarum & arteriarum, & aliqua etiam in spatia cutis desinentia. His addo, quòd corpus est transpirabile, & quia meatus cutis in spatia inania descendunt, venæ & arteriæ poros in

ſpatia deſcendentibus habent, quibus nutrimentũ fundunt in carnem,& quibus aerẽ eliciũt Quòd autem noſtra hæc opinio vera ſit,monſtrat inflammationum reſolutio, & diſcuſſio.Scirrhi,œdemata,eryſipelata,& inflãmationes medicamẽtis calidis diſcutiuntur,& reſoluuntur. At inflammationis materia ſiue diſpoſitio,à magnis venis in minores, à minoribus in ſpatia inania deſcẽdit, vt Gal.lib.de Inæquali intemperie,de tumoribus prꝺter naturam, atque aliis locis dicit. Sed illa materia per ſudorem,vel inſenſibilẽ euaporationem euacuatur.Quare oportet eſſe ſpiracula ab illis ſpatiis carnis ad cutim, quibus euacuentur recrementa. Sudor eſt euacuatio carnis immediatè, & cutis,& non venarum.Quare luce meridiana clarius eſt, materiam quotidianæ, tertianæ, intermittentium extra venas eſſe, & non expurgari,niſi ſudore aut inſenſibili tranſpiratione:materiam autẽ antecedentẽ,ſanguinis fluxu vel miſſione,& purgante medicamento & per venas, & per vomitionem,& menſes, & hæmorrhoidas. Non tamen eo inficias, quæ ex venis capillaribus,& paulò maioribus,venis etiam per ſudores euacuetur,ſed hoc tantùm in diebus criticis,non autem ſingulis diebus,aut exacerbationibus accidit.

Nunc quamobrem febres aliquæ ſunt intermittentes, quærendum. Item cur aliæ intermittunt duos dies, aliæ aliquot horas tantùm Cauſſa continuitatis febrium eſt continuus feruor in ſanguine,& materię retentio Nam, vt Galen.lib de differen.febr docet, tandiu perſeuerat febris continua, quandiu qui ei cauſſam adferunt, humores, aut ex toto conſumantur, aut coquantur: aut vtrunque patiantur. Febres intermittentes fiunt per circuitus, quia materia, quæ putreſcebat in ambitu corporis, extra venas concocta eſt & euacuata per ſudorem. Quòd autem illa euacuatio ſit cauſſa intermittentium febrium, manifeſtum eſt ex retentione. Qui enim laborant febre tertiana, vel quartana, & per impatientiam non ſudant, febris acceſſionem diuturniorem habent,& ſecundam celeriùs repetentem,& mutatur nonnunquam in febrem cõtinuam, ob materiæ putridæ retentionem, quæ çùm retinetur in paruis venis, recurrit ad venas maiores, & humores putredini iam paratos in-

ficit, atque corrumpit. Hoc euidentissimè etiam ex febre quotidiana deprehenditur, in qua sudores pauci fiunt, ob id in veram infebricitationem non desinit, & secunda accessio post sex horas fit. E contrario tertiana & quartana, in quibus sudores copiosi fiunt, ob id desinunt in veram infebricitationem, & longam habent remissionem. Illa est caussa, quod in infebricitatione desinant. Sed quòd tertio quoq; die in tertiana, in quartana verò quarto quoque die fiat accessio, illa euacuatio, vel alicuius putridæ materiæ retentio potest esse in caussa. Nam in tertiana continua & quartana continua fiunt exacerbationes, quæ proportione respondent intermittentium accessionibus. Nam cùm in istis inflammationibus partium nullę fiat euacuationes, non possunt referri repetitiones accessionum ad euacuationes. Nos autē dicemus circuitus accessionū & exacerbationes ad materiæ naturam particularem referri. Quòd autem exacerbationes referendæ sint ad humorum naturam, argumento est, quòd nulli ex intemperatura morbi accessiones habēt, sed dolores, febres, & inflammationes, quæ ex humoribus fiunt, paroxysmos, & accessiones experiuntur, vel quòd quotidiana singulis diebus fiat, in caussa est, quòd quotidie pituita moueatur. Quòd tertio quoq; die exacerbationes in biliosis fiant, bilis natura & proprietas in caussa est. quòd autem quarto quoque die, melancholiæ proprietas. Sed duplex proprietas, altera actiua, altera passiua. Quòd moueatur bilis tertio quoque die, est passiua, resistit enim putredini vsque ad tertium diem: melancholia verò, ad quartum vsque diem. Motio hæc experientia cōstat, sed à qua moueatur caussa, peculiarine an vniuersali, Medicis nondum est perspicuum. id quod remanet in prima accessione, non potest esse caussa, quòd bilis expellatur è venis in partes sensibiles, & rigorem faciat: bene autem potest corrumpere & putrefacere id quod defluit. Si febres intermittentes fierent ex recrementis congregatis in ambitu corporis, id quod post accessionem remansit, posset esse secundæ accessionis caussa. Sed hoc non fit. Nam si fieret ex huiusmodi recrementis, cur rigor in tertiana fieret? Fit enim rigor ex sententia Medicorum, cùm materia

ria spargitur per partes sensiles. Illa autem iam sparsa erat materia. Ideo cùm sparsi essent illi humores per corpus, non debebat humorem excitare. Non eo inficias febres aliquas intermittentes fieri sine rigore, cùm illa tãtùm recrementa putrescant, & non descendant è venis. Fit autem frigus, rigor, & horror, quando materia extra venas defertur ad partes sensiles. Si quis huiusce rei caussam euidentem requirat, hãc posset reddere, quòd quotidie moueatur natura ad expulsionem pituitæ, cuius maior est copia in copore nostro, quàm bilis, aut melãcholiæ. Et tertio quoque die bilem expellit & quarto melancholiam, & ad hoc, quòd non moueatur ad expulsionem oportet esse aliquam notabilem quãtitatem humoris noxij ad mouendam facultatem expultricem. Cùm autem melancholiæ pauca sit quantitas, respectu aliorum humorum, duos dies desiderat ad congregationem illius materiæ, vt bilis vnum diem, & pituita tãtùm aliquot horas. Possumus & aliam rationem reddere, nempe resistentiam humorum ad putredinem. Humor etiam melancholicus, cùm sit natura frigidus & siccus, diu resistit calori putredinali, vnde & quarto quoque die patitur accessionem. Secundo magis resistit bilis, siccitate sua, sed propter eius caliditatem, & tenuitatem substantiæ, citius calorem illum externum putrefacientem recipit. Pituita autem, quia humida est & tenax, ob lentorem non euentatur, in omnibus suis partibus faciliùs putrescit, & ob id quotidie accessionem facit. Hoc autem referri potest ad illam proprietatem occultam, sed quòd non omnino dependeat à proprietate occulta, vel quòd illa proprietas caussis manifestis iuuetur, ostendunt anticipationes accessionum, & retardationes. Si enim æger vtatur praua victus ratione, aut se exerceat supra modum, & præter consuetudinem, accessionem accelerat, quia materiam mouet, quæ mota facilius calorem illum febrilem latitantem excitat.

Sed cur accessiones maiores, vel minores accelerantur, vel retardantur, nõ inutile erit inuestigare. Accessionum longitudo & breuitas dependet à maiori materiæ resistentia. Resistit autem magis multitudo materiæ, citiúsque concoquitur, aut dissipatur pauca, quàm multa.

Item lentor vel craſsities humorum & frigiditas. Subſtantia enim tenuis facilius alteratur, quàm craſſa. Craſſa enim ſua craſsitie reſiſtit prohibendo, quò minus à calore in omnibus ſuis partibus contingatur. Ad longitudinem acceſsionis facit etiam corporis habitus, & virium robur. Non ſolùm enim oportet humorem diſſipari, & euinci viribus concoctricis facultatis, ſed etiam oportet materiam extra propelli. Propellitur autem virium robore, & meatus amplitudine. Quòd ſi corpus gracile fuerit, faciliùs diſcutitur humor, & acceſſiones minores facit. In habitu verò ſpiſſo & denſo, & conſtipato diuturniores fiunt acceſsiones. Materia pauca, tenuis, & quæ minùs diſtat ab humoribus naturalibus, in corpore raro & tenui faciliùs concoquitur, ſi accedat virium robur, quod concoquit, & concocta expellit. Sed hæc ſatis de cauſſis febris, nunc ad particularem cuiuſque naturam deſcendere oportet, facta tamen priùs enumeratione febrium, tam ſimplicium, quàm compoſitarum. Febres igitur ſunt ephemeræ, vel hecticæ, vel humorales. Humorales voco clarioris doctrinæ cauſſa, non putridas, vt comprehendatur febris ſanguinis citra putredinem. Sub hoc genere rurſus febres putridæ aliæ ſunt continuæ, aliæ intermittentes. Continuæ aliæ ſunt, continuæ veræ quæ vnicam acceſsionem habent citra exaſperationem aliquam, vt omotonæ paragmaſticæ & agmaſticæ & hæ duplices, vel à ſanguinis maſſa æqualiter putreſcente, vel ab inflammatione ſanguinis citra putredinem. At veræ continuæ aliæ, ſunt quotidianæ à ſanguine pituitoſo & putreſcente intra venas. Tertianæ continuæ à ſanguine bilioſo, vel à bile putreſcente intra venas remotiores: vel Cauſus ex putredine bilis circa ventriculum & cor. Eſt & huius generis cauſus, quod ad pituitæ genus referemus. Eſt & genus febris quartanæ continuæ, cùm ſanguis melancholicus vel melancholia non naturalis in venis putreſcit. Dicuntur autem non veræ continuæ, quia habent inclinationes aliquas poſt exacerbationẽ, nec continuè ex ęquo ægrotantem moleſtant, vt Synochi. Omnes hæ febres ſunt morbi, vel morborum ſymptomata, quæ & ſi ſymptomata ſunt, tamen particularẽ aliquam deſiderant euacuationem. Sol-

niuntur enim vel sudore, vel fluxu sanguinis è naribus. Hę autem euacuationes non soluunt inflammationes, sed febrem aut soluunt, aut remittunt, quod in plenitudine est manifestum. Nam post sudorem adhuc expuunt per aliquot dies. Rursus febres intermittentes fiunt ab humoribus non naturalibus tantùm putrescentibus extra venas. Ob id tantùm sunt tria genera, scilicet, genus tertianæ, quotidianæ & quartanæ. Si enim ichores sanguinis putrescant extra vasa, tertianam intermittentem faciunt. Si sanguis offendit, vel putrescit, vel assatur. Si assatur pars tenuis in bilem vertitur, & in melancholiam pars crassa. Ob id febrem facit non exquisitã, sed implicatam & commixtam. Si autem sanguis in aliquam partem colligatur, & inflammationem pariat, febrem continuam facit, tum ob vicinitatem, tum propter continuam illam effumationem ad cor. Est autem febris continua simplex, & similes accessiones habet tertianis, quia sanguis tenuissimus in partes influere solet, tenuissimus autem sanguis naturam bilis retinet. Quare non mirum, si accessiones similes tertianis dixerit Gale. Discernitur autem à febre biliosa caloris suauitate. Nam etsi plurimus manibus tangenti sentiatur, est tamen omnino mitis, sicut is, qui in balneo contrahitur. Calor enim, qui in sanguine fit, vaporosus est, & ferè expers mordacitatis. Erunt igitur tantùm tria genera intermittentium febrium simplicium. Sunt & febres compositæ, vel ex continuis, vel ex intermittentibus, & continuis simul.

De Synocho. 111

SYnochus febris est, verè continua, nullas exacerbationes habens, à sanguine putrefacto, vel inflammato accensa. Quia hæc febris cum aliis febribus similitudinem quandam habet, visum est hac descriptione delineare, vt possint ab aliis distinguere. Distinguitur autem facilè ab intermittentibus, cùm dicimus nullam habere exacerbationem. Distinguitur & à continuis intermittentibus proportione respondentibus. Item particula (verè continua) distinguitur à febribus prædictis, à sanguine putrefacto, vel inflammato, separat & distinguit ab ephemeris, quæ ab inflammatione spirituum, & ab hecticis, quæ ab inflammatione partium solidarum fie-

ri solent, & à putridis aliorum humorum. Quòd dicimus à sanguine inflammato, differre facimus ab omnibus febribus humoralibus. Solus enim sanguis & spiritus inflammantur, sine putredine, propter caussam priùs traditam, scilicet: quòd sanguis magis à natura seruetur, & sit minùs excrementitius.

Cognoscuntur huiusmodi febres facilè, eò quòd sanguinem tantùm materiam, vel subiectum esse intelligimus. Nam statim perquirimus caussas, ob quas multus in corpore nostro congregetur. Quare si præcesisse cognouerimus, febris materiam à sanguine coniiciendum. Quòd si caussa aliqua, quæ sanguinem inflammare possit, adsit, vel præcesserit, febrem certò esse scimus. Sanguis augetur vel ob bonam nutritionem, vel in his, qui sunt optima temperatura pręditi, & optimis alimentis multum sanguinem gignentibus vsi sunt, qualia sunt vitelli ouorum, succus carnis, vinum, & vsus multæ carnis, casei, lactis, & alicæ. Redundat etiam sanguis ob euacuationem aliquam sanguinis intermissam, vel retentam. Nam cùm illa sanguinis euacuatio non fit, nec magis exercetur, nec minùs nutritur, quàm consueuit, oportet sanguinem redundare, vt in muliere, cui retenti sunt menses, aut cui non fluunt hæmorrhoides, cui non fluit sanguis è naribus vt consueuerat, aut cui mutilata est aliqua pars. Redundat Vere sanguis, ob perfectam nutritionem factam Hyeme, ob caloris naturalis robur, & in ætate florenti, & in regionibus temperatis, & non nimium frigidis, habéntque plurimum calidi innati.

Inflammatur autem sanguis ob prohibitam euentilationem, & ob fumorum calidorũ retentionem. Retinentur autem fumi, & non euẽtatur sanguis ob cutis constipationem. Cõstipatur autẽ ob frigus externũ, ob sordes cutis, ob balnea astringentia, vel obstruentia & ob medicamẽta. Qui enim natat in aquis aluminosis, vel pinguibus, vel argilosis, tunc cutis facilè cõstipatur. Non euentatur sanguis ob nimiam copiam, nec non crassitiem, aut ob carnis & pinguedinis copiam. Quare si hæ caussæ generantes sanguinem, & quę eundẽ inflammare possint, præcesisse intelligantur, & morbus & morbi caussa cognoscetur, nihil aliud spectandum, sed statim ad morbi cura-

curationem veniendum, quam colligimus ex morbi essentia, quæ contrarietatem indicat, & à caussa, à qua id quod confert, intelligitur, vt Galen. de optima secta ad Trasib. scripsit. Essentia morbi calida & sicca refrigerãdum & humectãdum indicat. Et quia nullum est medicamentum quod sanguinem trahat, neq; alia est via, qua subitò sanguinem redundãtem in corpore nostro extrahere valeamus, necessarium est venam secare, idq; subitò, ne febris ex inflãmatione sanguinis in putridam vertatur. Ob id Gal. duo esse præcipua remedia huius febris, nono methodi scripsit, sanguinis missionem, & frigidæ potionem. Sed sanguinẽ mitti vult, si vires & ætas patiantur vsque ad animi diliquiũ. Si autem vires & ætas dissuadeant, duabus cucurbitulis cum scarificatione humeris aut naribus appositis, illam magnam sanguinis redundantiam auferri iubet, & huiusce rei caussam reddidit, quòd subitò in contrarium habitum corpus trahat, nihilque iucundius ægris & naturæ esse possit.

Missio sanguinis ad syncopem materiam calidam, id est, sanguinem & fumos calidos retentos subitò euacuat, à quibus caliditas illa prẹter naturam excitata fuerat, & quia in locum sanguinis extracti, venæ multùm aëris frigidi, fuga vacui, extrahunt, à quo reliquus sanguis & venæ refrigerantur, & in naturalem habitum reducũtur, extinguntur incendia, prohibetur putrefactio. Quòd autem corpus refrigeretur ex magna sanguinis missione, experientia manifestum est. Calor enim tam naturalis, quàm præter naturam in sanguine & spiritu situs est, mutatur igitur in cõtrarium habitum. Nam habitus calidus in frigidiorem vertitur. Iucũdum autẽ est, & naturæ, & ægris, quia leuantur maxima abundantia sanguinis feruidi. Verùm quia periculosa est hæc subita mutatio, neque vires eorum satis perspectæ esse possunt, cum quibus antè non sumus versati, satius erit magnam sanguinis quantitatem non extrahere, & post vnam atque alteram horam, quod reliquum est, euacuare. Eadem enim vtilitas sequitur. Præstaret aliquando minorem quantitatem trahere in prima illa euacuatione, quando satis certi non sumus de specie febris, aut eius magnitudine, aut cùm nõ licuit clysterẽ priùs iniicere,

aut cum æger aliqua cruditatis vestigia in ventriculo habet, aut quando æger formidat magnam euacuationem, aut qui ægro adstat. Non solùm in hac febre id faciendum, sed etiam in ea quæ à putredine sang. fit, trahitur sanguis vsq; ad animi defectum in vehementissimo dolore inflammationis, & in euidentissima febre, vt Gal. iubet in lib. de experimento & comment. in aph. 23. li. 1.

Facta igitur sanguinis missione pro viribus ægrotantis vel per venam basilicã dextri vel sinistri brachij, iniiciemus clysterem, si priùs non licuerit. Clyster sit emolliens, & modicè refrigerans. Nam qui nimiùm refrigerant, constringunt potiùs, quàm laxant, & hoc commune præceptũ sit, in omnibus morbis, in quibus mittere sanguinem oportet, vt prius iniiciatur clyster, vel paulò post missionem, vt recrementa intestinorum detergantur: ne venæ inanitæ succum crudum, vel corruptum ad sese trahant, & in quibus aluus astricta sit per aliquot dies, vt in his quibus præcessit cibi corruptio, vel cruditas, non solùm vtile est clysterem iniicere, sed vomitione, vel conueniente medicamento, id quod in ventriculo est, & intestinis, euacuare oportet. Clyster hoc modo parabitur.

℞. Maluæ, branchæ vrsinæ, viol. ana M. j. fol. lac. vel cucurbitæ, vel melonum M. ß. prunorum paria iiij. seminis anisi ʒ. ij. florum cordialium p. j. furfuris p. ij. fiat decoctio, in ℔. j. ß. diss. mellis viol. lohoch de cass. ana ℥. ij. olei viol. ℥. iiij. fiat clyster.

Si aluus sit valde astricta, & facultas sit sopita, irritanda erit ʒ. j. salis communis, aut succi ciclæ ℥. j. ß. habet vim detergendi, & quantitate nitrosa mouendi ventrem. Si diues sit, loco lohoch de cass.

℞. cass. cum saccharo ℥. j. aut ℥. ß. cath. vel ℥. ij. saccharum, rub. ol. viol. & mell. viol. ponendum non rosatum propter astrictioñe. Violæ refrigerant simul, & leniunt. Quo tempore non reperiuntur folia cucurbitæ & aliarum ponentur quatuor semina frigida maiora ad maiorem refrigerationem, sed hoc magis in secundis, tertiis & quartis iniectionibus, quàm in prima. Sufficit in primo clystere lenire aluum & non calfacere. Et quãquam Gal. contentus sit sua sanguinis missione ad syncopem, & po-

& potione aquæ frigidæ, nos in eiusmodi febre solemus caloris incendium extinguere syr. conditis, & aliis multis remediis. Syrupi autem dentur, qui habent vim refrigerandi. Sed ex his alij id faciunt leniendo, alij cōstringēdo, alij incidendo, alij incrassando. Itaq; syr. delectum facere oportet. Deligitur syr. qui ægrotantis dispositionibus magis conuenient. Nam non omnes ægrotantes, neque vnus & idem æger eodem modo afficitur. Sunt enim, quibus aluus liberiùs fluit, & illis iulep. Alexandrinus, & conserua rosl. aut syr. capil. ven. conueniunt, syr. viol. syr. de cucurbita non cōueniunt, quia ventrem leniūt, neque his, qui bilem multam vomitione reiiciunt, vt frequenter in hac febre accidere scribit Gal. 9. meth.

Qui autem sanguinem habent vitiatum, facilè in febrem putridam incidunt, quod ne fiat, syrupos putredini resistentes damus, vt syr. de acetositate citri, de limonibus, de granatis, oxysaccharum simplicem. Hi nanq; omnes refrigerant, & putredinem arcent. Quòd si æger ad bilem propensus sit, aut multis recrementis abūdet, syrupum de endiuia, de fumo terræ simplicem, quia serosa recrementa euacuat, damus. Istis syrupis & aquis similibus, potiones matutinas paramus, quas impropriè digestiuas dicimus. Sunt enim alteratiuæ, & prohibentes putredinem manēte substantia. Sunt quibus præstat sanguinem crassiorem attenuare, leuiter incidentibus, aut acidis syrupis, qui refrigerando etiam incidunt. Sunt è contra, qui sanguinem tenuissimum habent, quem incrassare refrigerando expedit, non tamen vsque adeo, vt fluxus sanguinis è naribus impediatur. Tracto sanguine, prima die nullo præcedēte clystere, vel minoratiuo, si cognoscamus morbū posse protrahi vsq; ad septimum diem, damus medicamentum purgans ad serosa & biliosa recrementa euacuanda, quæ solent hanc febrem in putridam transmutare. Sunt autem talia medicamenta, quæ citra calfactionem, & humorum conturbationem aluum laxare possunt. Triphera persica, cath. infusio rhab. in aqua endiuiæ, decoctum pulpæ sebestem & tamarind. syr. rosl. laxatiuus, aut syr. ex infusionibus multis violarum, cass. cum sem. berberis, aut aliis quæ acrimoniam eius extingunt, aut prohibent transmutatio-

nem in bilem. Omnium istorum dosis est ab ℥.j. ad ℥. j. ß.vel ℥.ij. cass. verò ab ℥. j. ad ʒ.x. rhei.ad ʒ.j. ß. Sufficit hæc quantitas, quia materia euacuanda non multùm distat ab intestinis.

Quòd si medicus tertio demum die, vel quarto vocatus fuerit, id tentare non debet, sed potiùs naturæ committere. Non tamen debet (si vires ferant) sanguinis missionem prætermittere, vt docet Gal. lib. de Curandi rat. per sang mission. & 9 meth. in hunc modum scribens, maxima verò continentium febrium remedia hęc duo sunt, sanguinis missio, & aquæ frigidæ potio Verùm illa nullo non tempore, modò vires sustineant. Harum enim & in pulsu, & in vrinis, & in concoctione euidentes cernũtur notæ. Febris autem est maxima. Quòd si in die critica signa concoctionis manifesta præcesserint, notæ fluxionis sanguinis, vel sudoris iam appareãt, silentium satius est habere, & naturæ totum negotium committere.

Quòd si nulla signa concoctionis appareant, aut appareant futuræ criseos aliquę notæ, satius etiam erit naturæ relinquere, quia moriturus est, & Hipp. iubet morituros solis prognosticis relinquendos. Quòd si nullæ notæ alicuius criseos, siue bonæ, siue malæ appareant, & morbus in dies augeatur, virésque ferre possunt, sanguinem mittere oportet, in minori tamen quãtitate, quàm in primis diebus, propter vires imbecilliores.

Nam quicunque ab hac febre euaserunt propter sanguinis missionem, vel propter sanguinis fluxum è naribus factum, liberati sunt, vt Gal. lib 9 meth. scriptum reliquit. Quare non est prætermittendum illud certum & tam præsens remedium, quod materiam simul & intemperiem aufert. Cæterùm quæ medicamenta diximus danda esse post sanguinis missionem, si cognoscamus morbum protrahi posse vsque ad septimum diem, qualia sunt triphera persica, ea, inquam, dilui debẽt, vel in aqua, vel in aquis vel in decoctione. Multò enim faciliùs descendunt medicamenta liquida, & minùs remorantur in ventriculo, quàm si in forma solida assumantur, nisi æger propensius sit ad vomitum, tum satius erit dare in forma boli. Decoctum autem magis laudandum,

dum, quàm aquæ distillatæ: decoctione enim determinantur medicamenta vel ad humorem, vel ad temperamentum. vt si quis daturus sit rhabarbarum, quod & calefacit, & constringit in hac sequẽti decoctione datum, minime id efficiet. Nã in decocto, quæ possunt eius caliditatem obtundere damus, vel quæ augent, si quando opus fuerit, vt exempli gratia hæc decoctio caliditatem etiam laxando minuet, obstructiones internas aperiet, & ventrem leniet.

℞. Prunorum, sebestem ana paria iiij. semi. frig. maiorum contusorum ana ʒ. iij. anisi drac. j. tamarindorum ℥. j. florũ trium cord. ana p. j. fiat decoctio. In quartario vno coll. dissol. syr. viol. ℥. j. Hæc decoctio per se ventrem lenit, & acrimoniam sanguinis & bilis extinguit. Quòd si maiori euacuatione opus fuerit syr. ros. laxatiuum ad ℥. ij. ponemus. Quòd si diues sit, minuemus quantitatem syr. laxatiui, & ʒ. vnam rhei infusi in decoctione vel aqua endiuiæ imperabimus. Hæc omnia serosa recrementa & biliosa liquida euacuant. Potuissem addere in decoctione iuiubas, sed illæ nimium incrassant. Satius enim est vel ante, ad humoris præparationẽ, vel post, si humor nimia tenuitate peccauerit, decoctum iuiubarũ & similium administrare: quia hic morbus est acutus, & extremos habet labores, statim tenuissimo victu vtendum est, ob id interdicemus vsu vini, carnis, & aliorum alimentorum, quæ multum sanguinis generant & corpus calfaciũt, ob id aquam pro vino damus, aut vinum malorum granatorum, aut iulepum Alexandrinum, pruna cocta, acida poma, præterea cocta. Concedimus cremorem hordei paratum ex pauco saccha. ros. decoctum herbarum refrigerantium, vel lactucę, portulacę. Deniq; victus ratio esto tenuissima. Quod si vires vtcunque imbecilliores talem victus rationem ferre nõ possunt, decoctum pulli aut coxæ capi, vel gallinæ, cum lactuca, vel borragine, vel portulaca, aut seminibus frigidis, si herbæ non reperiantur, concedimus. Vti etiam potest lacte amygd. dulc. maceratarum in aqua frigida & aqua rosa. cum emulsione quatuor semin. frigid. maiorum, ne in bilem vertantur.

Quòd si recentes essent, minus verterentur in bilem.

Est autem hoc lac dandum præcipuè his, qui dormire noctu non possunt, vt caput repleat fumis & vaporibus. Conceduntur cucurbitulæ conditæ, lactucæ, stolones conditi saccharo, pyra condita, pauperibus etiam recentia cocta. Vinum dandum non est, nisi signa concoctionis appareant, aut dolor capitis aut delirium prohibeat, nisi ad symptomatis mitigationem, vt ad syncopem. Et cùm dandum erit, illud sit tenue, album, dilutum multa aqua. Medicus proinde ex magnitudine & vehementia morbi longitudinem poterit cognoscere, & viribus ægri exactè perpensis cogitabit num cum tali victu æger perdurare possit vsque ad statum. Sed hoc semper in memoria habeat, morbos esse eò breuiores, quò acutiores: diuturniores verò, quò mitiores, & quò minus celeriter mouentur, minúsque grauia symptomata habent, ob id victus rationem instituet conuenientem morbo, ætati, & consuetudini.

Et quoniã huius febris præstantissima remedia duo esse superiùs diximus, scilicet sanguinis missionem, & frigidæ potionem, hic nonnulla de hujus vsu dicẽdum, cùm & ad victus rationem pertinet, de illa verò superiùs satis diximus. Docebimus igitur quænam aqua, qualis, quanta, & quomodo danda sit, & propter quam caussam detur, & quibus danda non sit. Sunt enim nostro tempore Medici quidam *psycrophoboi*, id est, frigidæ exhibendæ formidantes, quòd putẽt omnes aqua frigida lædi. Datur autem frigida dulcis, quæ prorsus sit gelida, & quantum bibere ægro licet, postquam coctionis signa manifesta apparuerint in vrinis, & febris est remissior non alio tempore. Dãda non est his, qui crassos & lẽtos humores habent, qui obstructiones, qui phlegmonem, aut erysipelas, aut scirrhum, aut œdema in visceribus habent. Item, qui gulam & ventriculum, aut neruorũ genus debilia habent. His frigida non est offerẽda, sed his tantùm, qui febre laborãt ob cutis obstructiones, & putredinem sanguinis in omnibus venis, saltem maioribus. Cùm ergo coctionis humorum in his notas videris, audacter frigidã dabis: quippe solidarum animalis partium natura roborata, prætenuatos iã humores aggreditur, ita vt qui vtiles sint, ad nutriendum habiles,

habiles, hos quidem ad se trahat, inutiles verò per ventrem & cutim deiiciat. Quòd si etiam frigidæ assuetus fuerit, magna cum fiducia frigidam exhibebis, scilicet, experientia iam doctus, omnia viscera eius occursum familiariter tolerare. Nonnulli, qui potui frigidæ non sunt assueti, propter ardentem febrem bibere coacti, nullum incommodum senserunt, multò profectò minùs eorum, qui assueuerunt, quispiam lædi debet, etiam quasi ex *epimetroy*, & actuarij vice ipsa caloris copia accedit. Lęduntur autem aqua frigida, qui parum sanguinis, & parum carnis habent, quia celeriter ad solidas animalis partes peruenit, nulli, quod eius vim frangat, occurrens. Eo etiam fit, vt hecticæ febres, nec multam desiderent frigidam. Ex his omnibus satis manifestum est, quæ, qualis, quanta, & quibus danda sit frigida. Quæret forsan aliquis rationem, cur aqua frigidissima præstantissimum sit remedium harum febrium: febribus verò, quæ ex inflammationibus viscerum fiunt, aduersissima. Nonnulli ad concoctionem materiæ dari putant, quod falsum est. Nam si ad materię concoctionem danda esset, illã possemus dare, antequam notæ concoctionis apparerent. Eo siquidem tempore danda sunt medicamenta, quæ concoquunt, non post concoctionem, vt medici præcipiunt. Dicemus autem id fieri ad partium solidarum refrigerationem, & concoctionem, & roborationem, vt verba Galeni superiùs citata docent, cùm dicit, Cùm ergo coctionis notas in his videris, de quibus dictum est abundè in libris de crisibus, audacter frigidam dabis Quippe solidarum animalis partium natura roborata, datur & ad materiæ inutilis vacuationem. Quòd autem ad euacuationem detur, quæ sequuntur, docent. Prætenuatos humores aggreditur, ita vt qui vtiles sunt, hos ad se trahat inutiles, vel per ventrem, vel per cutim eiiciat. Illud confirmat quod scriptum est, paulò ante libr. 9. meth. de incommodis aquæ frigidæ, vel intempestiuè, vel immodicè exhibitæ. Porro incommoda, quæ frigidam potionem intempestiuè, immodicéque exhibitam sequuntur, in his consistunt, quòd lentos crassósque humores, siue hi obstructiones, siue putredinem, siue phlegmonem, siue quis erysipelate, aut scirrho, aut œdemate est

affectus,excitauerint,digeri prohibeat. Ergo quoties febris ex his accenditur,atque ad eos euacuandos frigida data,non conducit,ad præsens quidem non paruum adfert leuamen, propterea quòd accẽsam iam febrem extinguit. Verùm quòd caussa eius adhuc perstet, aliam denuò accendi est necesse, nonnunquam difficiliorem: propterea quòd densum ex frigida corpus est. Huius rei certissimam dat fidem experientia. Videmus enim in dies post largam aquæ frigidæ potionem sudores à toto corpore prorumpere, & recrementa per ventrem expurgari, nõ solùm in hac febre,sed etiam in accessionibus febrium intermittentium. Potionem aquæ frigidæ post concoctionem materiæ, præsertim in declinatione,sudores mouere experiũtur, & febrem extinguere. In principio autem refrigeraret, incrassaret & nullã vtilitatem præstaret: quia nullam euacuationem faceret. Mouet autem sudores densatis partibus interioribus, & solidis corroboratis. Partes enim solidæ humectatæ & refrigeratæ quandam faciunt humiditatem,aut vaporem ad ambitum emittunt,ex quo sudor fit:aut vaporem retentum in ambitu corporis extra propellunt, vel vt partes superiores ventriculi constrictæ,recrementa deorsum propellunt: sic venæ maiores aqua frigida compressæ,ad minores venas fumos & recrementa propellunt. In febribus cum inflammatione non conuenit,propterea quòd digestionem,&euacuationem prohibet. Nam si inflammatio vel erysipelas sit in hepate, vel splene per secessum,vel per vrinas, materiam expurgari est necesse per meatus illos strictos, qui strictiores fiunt põtiones aquæ frigidæ. Vt ergo aquæ frigidæ potione commodè vtamur, danda est opera, vt partes inflammatione obsessas,aut tumore aliquo distentas exactè cognoscamus, vt aquam frigidam his, qui citra inflammationem febricitant, demus, aliis verò minimè. Est quoque vtilis hæc dignotio ad sanguinis missionem faciendam. Nam si citra tumorem & inflammationem febris fiat, nihil refert à qua parte trahatur sanguis: Sin inflammatio fit in hepate, à parte dextra. Si in splene, à sinistra, vt euentatio fiat secundùm rectitudinem.

Partes autem affectæ cognoſcuntur ex tumoribus, doloribus, excretis, & functione læſa, vt Gal. lib de locis affect. docet, ex quo loco require, ſi velis. Hactenus de aquæ potione. Porrò cùm hæc febris ſit ex earum numero, quæ ſymptomata habent grauiora, horum ratione aliquid faciendum. Sunt autem ſymptomata grauiora, quæ febrem ſequuntur, dolor capitis, ſitis vehemens, delirium, vigiliæ, & in quibuſdam ſomnus profundus. Dolor capitis mitigatur oxyrrhodino, ol. viol. nenuphari. lacte muliebri recenter emiſſo, & aliis refrigerantibus. Iiſdem remediis vtimur in ſuperflua vigilia, hoc tantùm nomine differunt, quòd quæ ad ſomnum conciliandum fiunt, minùs aceti recipere debent. Quia acetum vigilias inducit. Iiſdem remediis admiſcetur albumen oui fortiter agitatum, quod quia ſuo lentore nimiùm obſtruit, ob id priore vtendum, niſi cùm acida medicamenta, vt pulueres, ſunt adhibenda. Iſtis remediis refrigerantibus, vel ad dolorem capitis, vel ad ſomnum conciliandum, non eſt vtendum ex qualibet cauſſa: propterea quòd hęc medicamenta repellunt à capite, & fortiter repellendo eruptionem ſanguinis per nares impediunt. Quam ob cauſſam ſi dolor ſexto die oboriatur, præcedentibus ſignis concoctionis, hypochondriis tenſis, facie tota rubeſcente, venis circa caput diſtentis, & arteriis multùm pulſantibus, non eſt vtendum iſtis refrigerantibus ſupra caput, neque ſyrupo de papauere, ne fluxus ſanguinis è naribus (qui ſolet has febres magna ex parte terminare) impediatur. Tunc enim ſatius erit expectare diem ſequentem, in quo iam natura cœpit expellere materiam. Quòd autem talia medicamenta poſſint criſim impedire, lippis & tonſoribus manifeſtum eſt. Sedabitur ergo dolor, & conciliabitur ſomnus, ſi pars anterior capitis, illis oleis perfundatur, vel detur lac amygdalarum dulcium, vt ſupra dictum eſt, quod poteſt ſomnum conciliare, & impetum ſanguinis non impedire, ſed potiùs iuuare.

Sitis & potionibus & inſpirationibus aeris frigidi, ſedatur. Inter omnes ſyrupos violaceus principatū obtinet, quia refrigerat & humectat. Idem præſtat cõſerua violarum, iulep. ex violarum aqua, Alexandrinum, & ſi-

miles syrupi, qui refrigerant & humectant, qui amari non sunt, sed palato grati.

Si æger ventriculum habeat imbecillum, tunc condita paramus, quibus cum aqua vtatur. Parantur autem ex conseruis frigidis & humidis, vt ex conseruis violarum, nympheę, florum borraginis, bugloss. quia humidę sunt, & caloris temperati. Quòd si aliæ conseruæ ponantur, id fiet propter aliquod aliud symptoma. Sed hoc potissimùm obseruare oportet in delectu harum conseruarum, vt palato gratæ sint, veluti quæ neque nimium odoratæ sunt, neque saporem nimium medicamentosum habent. Conserua florum cichorij, quia amara est, reiicienda. Solemus aliquid puluerum cordialium admiscere, vt puluerem diatragacanthi frig. vt eos, qui neque nimiùm amari, neque nimiùm odorati sunt, neque nimiùm siccant, aut constringunt, vt puluis triasandali, vel puluis diarrhodum abb. vel puluis diamargaritici frig. Saccharum rosarum tabellarum additur in magna quantitate. Horum autem medicamentorum paradigma tale est. Si ventre sit nimiùm laxo, fiat ex conserua ros. in maiori quantitate, ex conserua bugloss. vel borrag. in minori, vt

℞. conseruæ ros. ℥. ij. bugloss. ℥. ß. puluer. triasand. & diatragacanthi frigidi ana ʒ. ß. sacchari ros. tabulati ad duplum pondus omnium. Hoc modo gratius quidem fiet conditum. Efficacius verò, si addatur ʒ. j. pul. pro ℥. j. sacchari. Si autem non sit ventre laxato, damus ea, quæ magis humectant, vt facit conserua violarum cum pauca quantitate puluerum: quia pulueres ferè omnes videntur resiccare, vt

℞. cons. viol. ℥. ij. conser. borrag. & nenuph. ana ℥. ß. pul. diatrag. frig. ℈. j. sacch. quantum suffi. fiat conditum. Damus cochlear vnum conditi humectati aqua frig. postea syr. diluti aqua, vel aquæ frigidæ cyathum vnum. Alij condita miscent aquæ, & sine syr. bibunt. Humectant autem aqua, quia propter linguæ & oris ariditatem quandoque deuorare non possunt, quandoque propter siccitatem oris, trachiæ arteriæ, aliarúmque partium frequentius bibere cupiunt, propter quam occasionem illis conceditur frequens oris ablutio, cum aqua frigi-

frigida, additis aliquot guttis vini albi, vel pauco aceto. Dantur pruna, cerasa exsiccata, & in aqua macerata, vel poma in taleolas diuisa ad oris humectationẽ. Propter illam summam siccitatem redditur acida & scabra lingua: ad cuius asperitatem tale remedium conficitur.

℞. mucilaginis semin. psilij nigri, vel cydoniorum extractæ in aqua rosſ. vel viol. ℥. ß. sacch. parum, fiat ad formam lohoth, teneat sæpe in ore. Idem potest fieri ex mucilag. gummi tragacan. vel arabici. Assumuntur ista post absolutam oris ablutionem, & linguę detersionem. Delirium fit & phrenitis, curatúrque iisdem remediis, scilicet repellentibus à capite in principio. Sufficiunt autem repellentia ea, quæ ad dolorem capitis præscripsimus, & ista solent sufficere ad curationem delirij, quod à fumis tantùm sursum elatis fieri consueuit. Ad phrenitidem verò curandam reuulsione opus est, quia est inflammatio inuolucrorum cerebri, quæ per defluxionem fit, vt omnis inflammatio fieri solet. Fit autem reuulsio sanguinis missione facta per venas cephalicas, si vires & ætas cõsentiant. Et si per illas totum non liceat emittere sanguinem, cucurbitulas apponemus, reuulsionis caussa, in partibus internis coxarum, & ad deriuationem collo, potiùs quàm omoplatis, vt vulgus medicorum facit. Sunt autem ponendæ supra ramos venarum, aut saltem propè, quia retractio debet fieri per magnas venas, non per capillares, per quas non potest fieri magna sanguinis euacuatio in his, qui abundant sanguine. Scarificatio facienda est post applicationem, vt sanguis ille attractus exeat, & inflammationem non pariat in parte scarificata. Et ob id rursus applicantur cucurbitulæ post scarificationem cum paruo igne, & citiùs auferuntur. In scarificatione autem facienda animaduertendum est, ne fiat supra magnas venas, neque nimiùm profunda, ne venæ magnæ aperiantur. In quibus magna limetur debilitas ob sanguinis missionem, vtendum est cucurbitulis sine scarificatione, aut strictis ligaturis dolorem inferentibus. Clysteres erunt acres & pungentes sine calfactione magna, ob id nõ probo vsum benedictæ, neque hierę picrę, quia nimiùm calfaciũt, & resiccant. Satis erit clysteri præscripto augere quantita-

tem ſucci ciclæ,vel addere ſuccum mercur. Quòd ſi cogamur fortiùs humores retrahere ad partem inferioré, ſatius erit decoquere aliqua medicamenta ſimplicia,aluum laxantia in nodulo ligata,vnà cum herb.frig.& humidis,quibus caſtigabitur nimia illa ſiccitas:nam minùs ſiccant iſta,quàm cõpoſita medicamenta ex iſtis & odoratis,qualis eſt benedictæ compoſitio, quæ eſulam,agaricum,& alia medicamenta recipit. Sic parabitur clyſter.

℞.decoct.clyſt.præceden ℔.j.ß.cui adde parietariæ, mercur.ana M.j.agarici in panno raro ligati ℥.j.vel ʒ.ij.& in ℔.j colaturę diſſolue mellis viol.& ſucci ciclę an. ℥.ij.ol.vio ℥.iij.miſce,fiat clyſt. Addi poteſt ſuccus mercur.loco ſucci ciclę,vel ſingulorum ℥.j. Idem clyſter vtilis erit in ſomno prouocãdo. Si phrenitis perſeueret,nec repellatur, tunc ad topica remedia veniẽdum erit,ſcilicet, à repellentibus ad digerendum,ſed per media,vt in illis tumoribus præter naturam facere ſolemus,in quorum incremento,& ſtatus principio digerentia repellẽtibus admiſcemus, pro ratione digerendæ materiæ vel impactæ. Quòd ſi maior ſit materiæ copia collectæ, quàm fluentis,plùs digerimus,ſi autẽ plus affluat, quàm ſit receptum, repellentia digerentibus præualent. Quò autem clariùs hæc intelligantur, exempla proponam, ſi priùs admonuero partem affectam duobus modis poſſe cõſiderari, vel vt partem principem,vel vt partem ſitam in profunda parte,carne coopertã,ob cuius ſitum, quæ fortiùs digerunt, vel refrigerant,vel penetrant,vſurpantur, vt acetum,mandragora,papauer,hyoſquiamus, caſtoreum, ſpõdilium. Hæc autem ſunt extrema remedia, propter cuius partis facultatem omnia, quæ vehementia ſunt,reiicienda erunt. Pars enim princeps non poteſt ferre citra noxam ſupra modum reſoluentem. Eſt ſiquidem caloris naturalis robur cõſeruare. Sed vtimur moderatis in principio, poſtea fortioribus, vltimo loco vehementiſſimis. Moderata ſunt,quæ conficiuntur ex ol. roſ.omphacino& aceto,oleo nenupharino,ol.vio.de ſemine lactucæ. Fortiora præparantur ex oleo de papauere,de ſemine papaueris,& aliis frigidioribus. Vehementiſſima ex opio, mandragora, hyoſquiamo & ſimilibus. Remedia vel in forma liquida, vel in forma ſicca exhibentur.

bentur. In forma liquida, vt oleis supradictis. In principio, statu, & declinatione, & semper additur acetum ad penetrationem aliorum medicamẽtorum, vel fiunt decoctiones ad embrocationes faciendas ex alto & ad repellendum & digerendum. Ad repellendum sic.

℞. lactucæ M j fol. salicis M. j. florum rof. viol. & nenaph. an. p. j. fiat decoctio. Quandoque addimus semen papaueris albi, vt fortius sit remedium. Quòd si radices mandragoræ, aut semina hyosquiami, aut papaueris nigri addideris: extremum erit.

Hac embrocatione vtimur in delirio, phrenitide, & superfluis vigiliis. Quòd si primæ descriptioni adiiciantur flores stechados, & rorismarini, vel chamomillæ, vel saluiæ, repellit simul & digerit. Quòd si ex hac decoctione detrahantur aliqua infrigidantia, & augeantur calefacientia, medicamentum erit fortius, & digerens. Sin in totum auferantur repellentia, & addantur aliquæ herbæ aut radices calfacientes magis, & digerentes, fortissimum erit, veluti si radices iridis, spondilij, calami aromatici, aliorúmque odoratorum addantur.

Hoc remedio tãtùm in declinatione phrenitidis vtendũ, & in augmento, & in statu lethargi, aut somni profundi, aut aliarũ affectionum cerebri frigidarum. In forma sicca cõficiuntur pulueres, quibus inspergitur caput, vel cũ albumine oui excipiuntur, & fronti applicantur, vt

℞. rof. rub. viol. nenuphar. an. ℥. ij. seminis lactucæ ℥. iij. misce, fiat puluis.

℞. seminis papaueris albi & nigri an. ʒ. ij. addantur supradictæ, & inspergatur caput, vel excipiantur albumine oui, & applicentur fronti. Vel solemus perfundere caput oxyrrhodino, deinde inspergimus pulueres. Vel in statu & declinatione pipionem, vel catulam capiti apponimus post inspersionem puluerum digerẽtium & resoluentium. Puluis talis erit.

℞. rad. iridis, calami aromatici ana ʒ. j. garyoph. ℥. ß. san dal. omnium ʒ. j. florum camomillæ, anthos, & stech. an. ℥. ß. misc. fiat pulu. Inspergatur caput. Postea superponatur catulus aut pulmo veruecis, aut pullus gallinaceus. Si hic vltimus pulu. misceatur primo, fit medicamen tum medium, quo vtuntur in statu.

IV

De Synocho putri.

HÆc febris oritur à sanguine, sed qui manifestæ putredinis indicia præbet. Quare, à non putri distinguitur, magnitudine & vehementia. Nam propter putredinem calor increscit, & acrior redditur multò. In curatione primas tenet venæ sectio. Sanguis igitur sine mora detrahendus est, copiosior, quàm in altera synocho, vt inhibeatur putredo, & calor ex ea contractus extinguatur. Gal. phlebotomiam celebrat, quæ fit ad animi deliquium, sed genus hoc remedij cœpit iampridem esse suspectum, neque enim tantum commodi habet, quantum periculi: cuius rei fidem facit ipsa experientia, & quorũdã tristis exitus, qui cùm ex multi sanguinis euacuatione, animo defecissent, nunquam postea reuocari, aut ad sese redire potuerunt. Quo quidem casu nõnulli medici, alioqui celebres, in summũ dedecus inciderũt. Quapropter illa vacuandi ratio vt temeraria, & periculo plena, ita nunc meritò damnatur. Longè igitur tutius est, quod à peritissimis Medicis præcipi solet hodie, venæ sectionem repetere, vel paulatim, & per interualla sanguinis tantum auferre, quantum ægri conditio, morbíque status exiuit, & ægri robur. A phlebotomia statim vel paulò ante, aluus emolliẽda est clystere suprascripto. Postridie leui quodam medicamento, vt bolo ex cass. vel catholico minuenda materia. Tunc exhibendi sunt syr. qui putredinem prohibeant, cuiusmodi sunt syr. de acetositate citri, de limonibus, de berberis, de acetosa, & aliis id genus: quibus miscendæ sunt aquæ refrigerantes, & putredinem arcentes, vt aquæ acetosæ, ros. & iisdem syr. nenuphar. de cichoreo, endiuia ad sitim leniendam vti commodè possumus. Quartus dies diligenter obseruandus est, nam si materia manifestæ coctionis futuræ, & crisis indicia præbeat, sperandum est, vt die septimo morbus iudicetur. Tunc enim materiæ morbum facientis, quãta maximè vi poterit, euacuationem aggredietur natura. Fiunt autem excretiones, hæmorrhagia, alui profluuio, vomitu, copiosis vrinis, sudoribus. Harum excretionum notæ, ex Galeno, & aliis peti possunt, quocirca memoria teneri oportet, vt qualis, & per quam viam crisis fieri debeat intelligamus. Cæterùm crisis, quæ die septimo solet

[Me]th. lib. [...].lib.4.

ſolet accidere, non dubiam ſpem ſalutis oſtendit. Quòd ſi die ſexto accidit, etiamſi coctionis ſigna præceſſerint, ea tamen infida ſemper eſt & imperfecta. Nam vel recidiuam facit, vel ægrum iugulat. Sed magis exitialis eſt, & mortem pręſentem oſtendit, ſi ante coctionis ſigna acciderit. Nonnunquam huius febris initio, ventris fluor oboritur, qui ſi magnus eſt, & copioſus, vires ita diſſoluit, vt poſtea coquendo morbo ſint impares.

Quòd ſi alui fluor fiat à multitudine materiæ, nec diutius perſeueret, morbum facit breuiorem. Si verò à maligna prauáque materia excitetur, ſubitò interimit. Soluitur quandoque hæc maculis quibuſdam purpureis in ambitu corporis erũpentibus, quæ ſi die critico poſt ſigna coctionis appareant, certam ſalutem, aliàs mortem portendunt. Hæc igitur nobis ſumma attentione conſideranda ſunt, vt temeritatis & ignorantiæ ſuſpicione careamus. Porrò habẽda imprimis ratio virium, ne deficiant. In hanc vſum variæ remediorum formæ inſtitui ſolent à Medicis, ſed nullis frequentius vtuntur, quàm conditis, quibus vires inſtaurant, cor muniunt, ſitim temperant. Sint autem condita iucundo, quoad licet, ſapore, vt his tum facilius vtantur ægri, tum lubentius. Quibus in febribus & præſertim acutis ſic ſolet eſſe deiecta appetentia, vt omnia ferè, ac præſertim parùm grata faſtidiant, ac deiiciant. Itaque ineptè faciunt, qui maiori menſura, quàm par ſit, conditis conſeruas miſcent amaras, pulueres valdè odoratas, qui ſapore quodam medicamentoſo diſplicent. His enim vel non vtendum, vel parcè admodũ, addito etiam multo ſaccharo, vt ſapor inſuauis, & odioſus tegatur, ne guſtum offendat, vt,

℞. conſ. rad. bug. (quæ idcirco omnibus conditis miſceri poteſt, quod ſit temperata) ℥. ß. Cõſeruæ capil. ven. (quæ vires reſtaurat & corroborat) & acetoſæ ana ʒ ij. pul. diamargariti frigid. ʒ j. pul. diatragacanthi frigidi ʒ. ß. ſacchari roſ. tabulati quart. ß. fiat conditũ. Conſerue capil. ven. & cichorij pondus exiguum eſſe oportet, quòd altera propter amarorẽ ingrata ſit, altera propter ſiccitatem non facilè alteretur. Saccharum roſ. in febribus vtilius eſt, quod non ita facilè in bilem vertitur. Præterea in hoc condito modus ſacchari augeatur, vt con-

seruæ cichorij amaritudo muniatur. Quod sequitur, proderit, vbi aluus nimis fluit, vel ventriculus propter laxitatem est imbecillior.

℞.conf.rof.℥.j.nympheæ & florũ bugl. capil. ven. an. ʒ.j. pul. diamarg. frigid. & triasand. an ʒ.ß. coral rub in tenuissimum puluerem redacti ʒ.j ß. facch. rof. tabulati, quantũ sufficit. Hic exiguo faccharo est opus, quia nulla conferua, nec pul ingratus ponitur, vt pul. de corde cerui vel bouis, fragmentorum lapidum preciosorum, & similium, quibus maximè vtimur in delicatis, & morosis hominibus, quia omnia medicamenta sapore prædita respuunt, & aspernantur. Conuenit autem horum vsus, cùm roborandum & desiccandum est citra calorem. Sequens conditum aluum humectat & lubricat.

℞.conf. vio.℥.j.conf florũ bugl.℥. ß. pul. diamargariti frigidi, vel diarrhod abb. ℈.j. facch. q.ß. Non debent condita multũ soluere, alioqui non roborarẽt. Pro delicatis.

℞.conf rad. borrag. bugl. an ℥. ß. pul. margarit. non perforatarum ʒ.j. coralli, si sit restringendum, ʒ. ß. cristalli, si sit refrigerãdum, tantundem, ossis de corde cerui vel bouis ℈ j. facchari quantum sufficit, fiat cõditum.

℞.myrob. conditorum numero viij. carnis cydoniorum conditæ faccharo ℥ j. confer. rof. ℥. ij. coralli. rub. ʒ. j. ß. pul. diamargaritonis frig. ℥. j. facchari rof. tabulati q.f. Possunt addi trochisci constringentes, vt de spodio, de terra sigillata, & similes. Sed quia sunt iniucundi saporis, præstat eos miscere pilulis, vel opiatis. Hæc opiata vtilis est in magnis alui fluoribus, à quib. periculum est, ne vires omnino labefactentur, aliàs non licet vti multum astringentibus, quia criticas excretiones impedit.

VI *De Causo.*

CAusus duplex est, Alter à bile, vel sanguine bilioso putrescẽte in magnis vasis cordi. & ventriculo proximis: Alter à pituita salsa nascitur, & sub finem Autummi, vel Hyemis frequentiùs accidit, præsertim post multos & graues labores, post multas inedias, medicamenta calida & sicca, ac alimenta, aliásque deniq; caussas, quæ humores etiam frigidos accendere possunt.

In curatione primùm videndum est, an conueniat phlebotomia, & cõuenit maximè, si febris sequatur inflamma-

flammationem partis internæ, si plethora adsit, & cætera consentiant. Alioqui non temerè secanda vena, ne separato sanguine bilis excandescat. Ex medicamentis eligi debent cholagoga mitiora, & quæ bilis acrimoniam obtundant, vt cassia extracta vel cum decoctione semin. berberis, vel mixta cũ decocto tamarindorum, & sebesten. Vt autem sit facilior purgatio, clyster priùs supponatur. Vtilis est hæc potio.

℞. prunorum, sebesten ana nume. x. tamarindorum ℥ j. quatuor seminum frigid. maiorum ana ʒ. j. florum cor, p. j fiat decoctio in aqua vio. vel endiuiæ & in ℥. iiij. colaturæ diss syr. ros laxatiui ℥. ij fiat potio. Addatur interdum ℥ ß. syr. viol Potest dari bolus ex catholico vel diaprunis simpl. Quòd si imbecilliora videantur, vel quòd aluus sit nimis astricta, vel quòd æger leuioribus medicamentis non facilè moueatur, adiici potest ʒ. j. diaprunis sol. vt elect. de succo ros. Nisi enim medicamento aluus soluatur, plus nocet quàm prosit. Ab vsu calidi medicamenti (qualia sunt prædicta) proderit exhibere postridie ℥. ij. syr. viol. cum decocto hordei, vel lactucæ, vel alterius herbæ, cui par facultas insit, vt vestigia caloris auferantur. Sciendum verò in his febribus ardentibus, & aliis, in quibus ante quartum diem non est missus sanguis, plus conducere, vt aliquid è materia morbum committente detrahatur. Sic enim materiam reliquam natura faciliùs cõcoquit. Sed hoc potissimùm debet fieri, cùm bona pars materiæ in ventriculo, & circa vias cõmunes continetur. Ea nanq; tunc turgere dicitur. Materiæ in dictis partib. contentæ signa sunt, sitis, ardor, morsus ventriculi, vomitus biliosus, qui sæpè initio huius febris accedit, eámq; breuiorẽ, & faciliorẽ curatu reddit. Vulgus Medicorũ temere rheum, & myrob. vsurpat, cùm hæc biliosis morbis sint aduersissima, nisi vi astrictoria, quã habent spoliẽtur. Vt si coquatur rhab. in aqua endiuiæ vel in eadẽ maceretur, & leuiter exprimatur misceatúrq; aliis detergentibus ac lenientibus, & sic præparato non incõmodè licebit vti. His etiã minus cõuenit mãna, quæ in bilem facilè vertitur, cùm mellis naturã referat. Cassia verò, etsi dulcis sit, tamẽ propterea quòd humida est, habétque aliquantulum saporis acidi,

Rhabarb. biliosis feb. contrarium.

non est contemnenda, præsertim si extrahatur ea ratione, quam diximus. Ad alteratioñe, antiqui frigida aqua vtebantur, nos verò attenuantes syr. præscribimus, cuiusmodi sunt de nymphæa. viol. de acetositate citri, de limonibus, de endiuia, de granatis, de agresta, de acetosa, de berberis. Ex his magis idonei & conuenientes naturæ & symptomatibus eligantur. Vt in delirio, sumitur syr. de nenuphare, de papauere. In spirationis difficultate, syr. viol. præfertur. Si verò nullũ symptoma vrgeat, sine distinctione prædictis syru. vti permittitur. Habendus est similiter delectus aquarũ quibus syrupi diluuntur. His rectè institutis, crisis expectanda est, videndum quo excretionis genere, & qua via fieri debeat, ne quid à nobis tentetur, vnde naturæ impetus impediri possit, cui potiùs suppetias ferre æquũ est, si fortè propter imbecillitatem tardius moueatur. Sub finem septimi diei solet rigor accidere, qui si natura & vires valeant, & præcesserint signa coctionis, & sequatur sudor, morbũ finit, aliàs pernitiosus est. In magna virium imbecillitate prę scribi solent à Medicis restaurantia vulgò dicta, sed in his parandis multi aberrant. Quidam distillata seruant parata citra vllam vtilitatem: quando hęc facilè corrumpuntur. Alij ex contusis carnibus testamẽtaria solida parant, sed hæc non conueniunt in morbis acutis, in quibus liquidiora, & coctu faciliora dare conuenit, vt vires faciliùs reficiantur. Nonnulli in vase duplici eadem restaurantia parant, ídq; rectè, sed hoc reprehendi debet quod carnes crudas pulueribus permiscẽt, & simul decoquunt. Nã priùs puluerũ vis euanescit, quàm caro cocta sit. Sic igitur commodiùs restaurantia parari possunt. Sumatur decoctum gallinæ, pullíve, vel fasiani, & huic aquæ cõseruæ ros. pulueres misceãtur, atque hæc omnia simul in vase duplici bene obstructò leuiter coquantur.

Vtiles conseruæ, quæ cordi robur addunt, & vitium humorum castigant, vt conserua ros. nenuph. bugloss. viol. acetosę. Pulueres conueniunt, vt diamargariti frigid. de gemmis, diarrh. abb. triasandalo. diacamerum, confectio alchermes. Ex his eligendi sunt minùs calidi. Gratiores verò minimo pondere miscendi sunt, & aliquo frigido corrigendi. In horum omnium delectu obser-

obſeruandum eſt, quod ſuprà meminimus, in ſyr. Sed imprimis habenda eſt ratio virium & ſymptomatum, quæ circa ſtatum ſolent eſſe valentiora. Symptomatis verò non tantùm præſentibus, ſed etiã futuris occurrendum eſt, & his præſertim, quibus multum ſubſtantiæ deperit, & diſſipatur. Igitur in magnis alui profluuiis, à quibus vires diſſoluuntur vt peſſimis, aqua roſ. acetoſæ, corallo & aliis quæ roborant, ſimul & leuiter aſtringũt, vtimur, nõ quidem, vt materiã bilioſam retineamus (ſic enim naturæ conatus impediretur) ſed vt illũ impetum vehementiorẽ moderemur, ne vires tam imbecillæ euacuationi ſuccumbant. Reſtauratiuũ ſic prçſcribi poteſt.

℞. conſeruæ bugloſ. ℥. ij. conſeruæ viol. nenuph. ana ℥. ß. diamargaritonis frigidi ʒ. iij. pãniculos auri numero iiij. decocti capi perfectè cocti ℔. ß. aquæ roſ. viol. nympheæ ana ʒ. iij. Si vires valde ſint imbecillæ, & multa fiat calidi innati diſſipatio, proderit addere parum vini albi. Ponantur omnia in vaſe vitreo diligenter obturato, & fiat leuis decoctio. Si adſit immodicus alui fluor, vel futurus metuatur, vnde periculum ſit de virium iactura, miſceri poteſt aqua prunellorum, vel cuſpidum roſ. & conſerua roſ. loco viol. Corall. etiam. Si delirium infeſtet, loco aſtringentium poni debet aqua lactucæ vel nympheæ. Si vigiliæ torqueant, addi poſſunt ſemina, vel capita papaueris albi, vel ſemen lactucæ. Si calor vrgeat, licet addere cryſtallum, ſemen citri etiam.

Fiant etiam epithemata, quorum vſus eſt in vigore acceſſionis, calore per vniuerſum corpus fuſo, admouebuntur hæc, cordi & hepati.

PRO CORDE.

℞. aquæ bugl. ℥. ij. aquæ roſ. viol. nymph. ana quart. j. trochiſcorum de camphora ℈. j. pul. diamargaritonis frigidi ʒ. j. Poteſt addi modicum vini albi: hæc, madefacto panno, regioni cordis applicetur. Quidam pulueres ſimplicium medicamẽtorum epithematibus miſcent, & puluerem ſandali, corall. oſſis de corde cerui.

PRO HEPATE.

℞. aquæ cichorei, endiuiæ, ſolani, lactucæ ana q. j. triaſandali ʒ. j. aceti parum, miſce, loco vini ponatur acetum: quia non hic metuitur aſtrictio, quemadmodum

in thorace. Ob id miscentur quoque astringentia epithematis hepatis, vt semen acetos. berberis, portulacæ, endiuiæ, scariolæ, corallus etiam, & absynthium, nisi vehemens febris prohibeat. Epithemata thoraci admouentur, quando in eo caloris acrimonia siccitas est corrigenda. Hoc ipsum fieri solet in hecticis, & aliis, quibus est magna siccitas corrigenda totius pectoris. Fiunt autẽ epithemata pro pectore ex decocto hordei, vel quatuor seminum frigid. vel in aqua viol. vel bugl. addita tertia parte ol. violati, vel amygdal. dulcium.

In hecticis pro pectore.

℞. decocti hordei quart. j. olei viol. q. ß. misce, intincti panni, thoraci admoueatur, vel,

℞. aquæ viol. ℔. ß. ol. viol. ℥. iij. agitentur simul valde, & fiat, vt supra.

Pro hecticis.

℞. hordei mundati p. j. florum viol. p. ij. fiat decoctio in ℔. ß. Adde olei amygdal. dulc. quart. ß. olei violati ℥. j. ß. misce, fiat vt supra.

VI *De tertiana exquisita.*

HÆc febris vel est continua, vel intermittens. Illa curatur eadem ratione, qua febris ardens. Mittitur sanguis, sed parcior, lenitur aluus, alteratur corpus, symptomatis occurritur. Intermittens rursus in duo genera diuiditur, altera exquisita & legitima, à syncera bile effusa extra venas, & ad partes sensiles delata. In hac inutilis est venæ sectio, nisi adsit plethora. Galenus tamen in omni febre putrida sanguinẽ mitti iubet, & in hac etiam, sed nõ ante tertium paroxysmum. Verùm hoc non rationi consentaneum cuipiam videri possit. Cùm enim febris hæc, septem circuitibus terminetur, post tertiam accessionem, status vel adest, vel instat, quo quidẽ tempore Hipp. quiescere consuluit. Itaque primùm si venæ multùm sanguine turgeant, nõ video cur statim sanguis mitti non debeat. Quòd si ex Galeni consilio venam secueris, vel medicamentũ purgans dederis post tertiã accessionẽ, quoniam proxima est quarta accessio, grauior futura est, id tibi fuerit prædicendum, vt calumniæ occurras, & ne quis mali desperati culpam in te conferat.

Ante phlebotomiam, clystere simili prædicto aluus est

est mollienda, postridie syr. concoquentes exhibendi. Quòd si æger nauseat, & illi os amarcescat, vomitus excitetur cũ syr. acetoso, & aqua tepida. Si ab aceto, metuitur ventriculo, eius loco dari potest syr. vio. qui relaxando etiam vomitum prouocat. Post syr. concoquentes, portio quædam materiæ, leui quodam medicamento subducenda est, vt catholico, vel decocto descripto capite superiore, vt syr. ros laxatiuo cum aqua graminis, aut endiuiæ vel decocto quatuor seminum frigidorum.

Reuocandum in memoriam, quòd supra de rheo & aliis astringentibus medicamentis monuimus capite de Causo. Corpore leuiter purgato repetendus est vsus syruporum attenuantium, qualis est syr. endiuiæ simpl. & composit. in magna obstructionis suspicione. Conuenit syr. acetosus, capilli veneris, violatus, oxysacchara, & alij id genus, qui in aquis alterantibus diluuntur. Vbi materia concocta est, vrinis & sudoribus vacuetur, & vt commodiùs fiat, vtendum est syr. bilem attenuantibus, & aperientibus, vt syrupo endiuiæ composito, syr. de bizantiis cum aqua graminis, & endiuiæ. Si aluus resistat, tertio quoque die clystere mollienda est. Syrupus violatus, quia multum est humidus, præcipuè in potu dandus, vt syr. acetosus simplex, & in magno feruore iulep. Alexandrin.

Hæc febris sudoribus copiosis, vt plurimùm, finitur. Quare post tertiam aut quartam accessionẽ, si apparuerint signa coctionis, & purgatio præcesserit, vinũ albũ & tenue, & plurima aqua dilutũ in declinatione paroxysmi dandum est. Curata febre, si quid adhuc bilis restet, vnde periculũ imminet recidiuæ, detur medicamentum suprà præscriptum initio febris ardentis, aut aliquanto fortius. Cùm verò in hac febre hepar immodicè calefiat, ad eius refrigerationem dandæ sunt tabulæ triasandali & diatragacan. frig. bibendũ parum aquæ endiuiæ, & cichorei. Syrupus acetosus simplex, & compositus, si per se, vel cum aqua exigua dentur, potenter mouent sudores, vel ventrem soluunt, & de fumaria, de cichor. alioqui si cum multa aqua diluantur, sunt minùs efficaces. Vsus horum aperientium præcipuè est in declinatione, alterantium & leuiter aperientium in principio,

VII *De tertiana ſpuria.*

TErtiana ſpuria fit à bile mixta pituitæ, & interdum à bile vitellina. In hac febre magnæ ſunt obſtructiones,& cruditates. In vētriculo autē & inteſtinis maxima materiæ pars cōſiſtit. Quamobrem laudantur hîc clyſteres, quibus tertio quoque die repetitis nō paucos curatos vidimus. Si venæ multùm diſtentæ appareant, mittendus ſanguis poſt excremētorum vacuationē, quæ in ventriculo & inteſtinis cōtinentur. Qui ad vomitum procliues ſunt,iis vomitus excitādus,alioqui detur clyſter molliens,cui ℥ ij. vel iij. agarici miſceantur,vel ſic.

℞.caſſ.℥.j.diaph.ʒ.j.fiat bolus, vel cum decocto cicerum rub.fiat potio, vel dentur ʒ.ij.vel iij.ſyr.roſ. laxatiui, cum decoctione fœniculi, aniſi, petro. Vel ſi calor vehemens eſt, cum aqua graminis vel aſparagi, vel cum aqua borraginis,bugloſſ.& ʒ. ß. cinamomi.Minuta materia concoquenda ſyr. & iniectionibus. Syrupi conueniunt ſine calore aperientes, & refrigerantes ſine aſtrictione,qualis eſt ſyr.endiuiæ ſimpl.capilli veneris & vehemētiores.Syr. de bizantiis,endiuiæ compoſitus, acetoſus ſimplex & compoſitus,qui miſcētur aquis,vt ſunt endiuiæ cich.graminis,ſcariolæ,aſpar.apij,petro. Poterunt inungere ventriculum,& totum ventrem, & interdum his ſyr. vino albo mixtis. Præparata materia detur medicamentum ſuperiore fortius, vt ruſtico & fortioribus electuarium de ſucco roſ. addito agarico, diach. indo maiore & catholico.Delicatis detur hæc potio.

℞.glyc. polyp.ana ʒ.vj. medullæ carthami ℥ j. ſennæ ʒ.ij. agarici ʒ. j. fiat decoctio. In quart. j. diſſ. rhab. infuſi in vino albo, vna parte decoctionis, ʒ. ij. cinamomi ℈.ij.miſce,fiat potus.Poteſt etiā fieri ex memoratis electuariis vel confectionibus bolus.Si poſt has euacuationes febris adhuc perſeueret, vrinæ ciēdæ ſunt aqua graminis, aſpar. & petroſ. Si verò febris curationi reſiſtat, tandem ad ſyr. compoſitos veniendum, qui obſtructiones reſerent,& cruditates concoquant,& reliquam materiam vacuent.Huius generis ſunt ſyr. de epyth. de fumaria compoſitus,de cich. cum radiculis. Etiam in obſtructionis ſuſpicione reiiciendi ſunt ſyr. qui myrobal. recipiunt,niſi caſtigetur eorū aſtrictio, aquis aperientibus

bus, vt decocto supradicto, vel aliquo syr. aperiente vt,

℞. syr. fumariæ composs. vel de epith. ℥. vj. syr. de bizan. vel endiuiæ compos. ℥. ij. vel loco syrup. addimus aquam end. apij, petro. grami. aspar. oxalidis, vel sic.

℞. rad. petro. aspar. grami. cichor. & acet. ana ℥. ij. herbarum capill. cich. end. bugl. borrag. agrim. ana M. j. betho. M. ß. quat. sem. frig. maior. ana ʒ. iij. apij, petro. anisi ana ʒ. j. pass. prunorum ana paria x. agarici trochiscati ℥. ß. tamarindorum, senæ, semin. carth. ana ℥. ij. florum cordial. & chamo. ana p. ij. Radices macerentur aqua & aceto, & in eadem infusione fiat decoctio. In ℔. j. colla turæ diss. sacchar. q. ß fiat syrup. arom. cum cinamomo, & pul. diarrh. Quoniam hoc syrupo vtendum est, diutius eius altera pars mediocriter alteranda, de qua capiat alternis diebus. Pars altera perfectè coquatur, & seruetur vsui, capiat semel in hebdomada cum decoctione cicerum rub. vel aquis memoratis.

Hæc febris vix fieri potest sine offensione partium naturalium. Itaque ad refrigerandum & alterandum datur electuarium triasandali diarrh. abb. diamarg. frig. Si magis refrigerandum est, conuenit electuarium diamargaritonis frig. Si magis roborandum, diamargariti. Ex his mixtis fiunt quoque electuaria, vt si sint obstructiones aperiendæ, vel opiatæ, vt si sit refrigerãdum, & obstructiones aperiendæ.

℞. diatrag. frig. ʒ. j. diarrhodi ʒ. ß triasand ℈. j. Si roborandum & refrigerandum, misce diamarg. frigid. cum diatrag. & cum sacch. dissol. in aqua cichorij vel endiuiæ, vel absynthij, fiat electuarium per tabulas, capiat vnam, superbibendo parum vini albi, vel aquarum prædictarum. Si fastidiat tabellas, confici potest iulepus ex aquis memoratis.

℞. aquæ cich. endiuiæ, bugloss ana qr. j. sacchar. quantum sufficit, fiat iulep. aromat. cum ʒ. iij. triasand. & ʒ. j. diamarg. frig. Hoc roborat & refrigerat. Toto morbi decursu vtendum est, tertio aut quarto quoque die clystere sequenti.

℞. mal. betæ, pariet. an. M. j. mercur. M. ij. florum cordial. & cham. ana p. j. quatuor seminum frigid. endiuiæ, anisi, fœniculi ana ʒ. ij. agarici trochiscati, in fine deco-

ctionis positi ʒ.iij.in colat. diss.mell.rос. vel sacchar.vel cath.℥.j.ol.chamo.℥.iij.fiat clyster.

Sed quoniam hæc febris in multos dies extenditur, & molestum esse potest tam frequenter vti syr.fiant pil.ad eradicationem materiæ. Hæc verò componi debent ex aperientibus,& his quæ bilem & pituitam detrahunt,vt

℞.agarici trochisc. ʒ.iij.succi agrimoniæ, petro. ana ʒ.ß.spicæ celti.scœnanthi,cinamo.ana ʒ.j.rhab.tenuiss. pul.& irrorati aqua endiuiæ ʒ.ij. cum syr.laxatiuo, fiant pilulæ, de quibus capiat tres semel in hebdomada, ante cœnam vel prandium.

Hæ pilul.ab iis differunt,quòd minùs calfaciunt & astringunt. Rubea trochiscata Nicolai, & folia bursæ pastoris, si post vniuersales purgationes carpis admoueantur, hanc febrem depellunt. Idem præstat dentilaria, & ea species thlaspi,quę similis est bursę past. Terantur simul cum sale & aceto,& carpis applicentur.

VIII *De quotidiana continua.*

HVic febri, quemadmodum & aliis omnibus continuis, venæ sectio competit, si vires & alia permiserint. Sed quoniam multa pituita solet intestinis hærere, proderit ante phlebotomiam,vel statim pòst clysterem iniicere,cui emolliendi,& detergendi vis insit,vt,

℞.mal.mercu.pariet.betæ ana M.j.pass.fic.ana pa.xx. anisi,fœnic.ana ʒ.iij.flor.cord. & champ ana p.j. hordei integri p.ij. fiat decoctio. In ℔.j.collaturæ dissol.mell. ros.& sacch.rub.ana ℥.ij. succi betæ ℥.ij. salis communis ʒ.ij.ol.cham.℥.iij.misce,fiat clyster.

Hîc primò conuenit,in progressu verò addendum est aliquid agar. vel medullæ seminis cartha. si aluus nimis astricta sit. drac. ij. diaph. quod vacu. pituitæ aptius est, quàm bened. vel hiera picra. Hæc enim plus æquo calfaciunt. Circa statum cautiùs est agendum, præsertim si suspicio est de alui profluuio, quo febris hæc non ratò soluitur. Tunc igitur cauendum ab acri clystere. Hic humor concoquendus est moderatè detergentibus, incidentibus & aperientibus. Et quia magna putredo subest vnde calor plurimùm augetur, vtendum refrigerantibus. Detergunt mel.ros.col.hydromel. Incidunt & aperiunt,oxymel simpl. & compositus. syr.acetos.simpl. de bi-

de bizantiis, capill. veneris. His admiscentur, cùm magnus est calor, syr. endiuiæ simpl. & compositus, vel aquę refrigerantes. Ante vsum syrup. materia est minuenda, duobus a phlebotomia diebus interiectis. Cùm enim soleat longior esse febris hæc, non statim à phlebotomia purgare conuenit, nec continuis motibus subitò & repente factis, nimiùm humores agitentur. Potest autem minui materia decocto ad pituitam parato, cui vel catholicum vel aliquid diaph. miscetur. Fitque potio vel bolus ex cathol. ℥. j. ag. vel diaph. ʒ. ij vel indi maior. Catholicum, licet ducendæ bili proprium sit, mixtum cum decocto tenuante, & incidente pituitam quoque purgat. Syrup. rosl. laxat. hîc per se inutilis est, sed cum infusione vel decocto agar. vel sem. carth. anisi, vel fol. senæ, anisi vel fœnicu. pituitam purgat. Idem præstat, si cum syr. aperiente misceatur, vt

℞. syr. rosl. laxatiui ℥. ij. syr. de bizantiis ℥. j. Hæc verò medicamenta, quanquam maximè conueniant in quotidiana intermittente, tamen & horum vsus est aliquis in continua. In hac enim ventriculus, intestina & venæ mesaraicæ copiam pituitosi excrementi cõgerunt, quod repurgari debet, tum vt natura ad vincendum morbum expeditior sit, tum ne excrementum vi medicamentorum in venas retrahatur, & inde obstructiones augeantur. Cæterùm primis diebus magis detergentibus vtemur, deinde aperientibus, & rursum in declinatione detergentibus, vel horum loco medicamentum purgans datur, vt dissecta materia, & præparata vacuetur. Detergentia, quæ sunt in iis ductuum, & si quid vim, actionémque medicamentorum effugerit, detergent. Aperiẽtia pituitam crassam, quæ in venis est, tenuant, & inciunt, atque sudores eliciunt.

Ad detergendum.

℞. mell. rosl. collati vel mell. viol ℥. j. syrupi capill. veneris ℥. ij aquæ hordei, vel graminis, vel asparagi parum, fiat iulep.

Ad incendendum.

℞. syrupi acetosi simpl. vel de bizantiis, vel oxymel. simpl. ℥ ij cum aqua graminis vel aspara. primùm, deinde cum aqua apij, petro. fiat iulep. Si calor magnus

est, prædictis syrupis, syru. endiuiæ simpl. vel aquæ refrigerantes miscentur, vt iam diximus. Vbi concocta est materia, sæpe per vi naturæ morbus vincitur, & vt plurimũ copiosioribus sudoribus, vel fluxu ventris soluitur, qui nec concoquentibus, nec soluentibus vinci potest.

IX *De quotidiana intermittente.*

ALiquando febris hæc in quotidianam intermittentem mutatur, túncque corpore semel atque iterũ purgato, hoc apozemate erit vtendum, cuius præcipuus est scopus roborare partes internas, ne cruditates pariant, ex quibus morbi curatio retardatur, obstructiones aperire, & ea quæ sunt in viis ductuum, & quicquid materiæ concoctum est, expellere.

℞. rad. apij, petro. grami. aspar. ana ℥. ij. herb. capill. agrim. cich. ana M. j. mercur. M. ß betonicæ, hyssop. ana tertiam partem M j. pass. ℥. ij. quatuor seminum frigid. maiorum ana ʒ. j. seminis apij, petro. anisi an. ʒ j. ß. florum bugloss. chamomillæ, borragi. ana p. j. medullæ seminis carthami, polypod. quer. an. ℥. ij ß. ag. trochis ℥. ß. fiat decoctio. In col. ℔. j ß. dissol. mel. rosa. ℥. ij saccha. q. s. fiat syrup. perfectè coctus, arom. cum ʒ. ij. aut iij. diarrh. abb. capiat quarto quoque die cum decocto cicerum rubrorum. Diebus interpolatis vngatur totus venter cum ol. chamomillæ & pauco vino albo. Detur tabella vna diarrh. abb. manè, tribus horis ante prandium, vt corroboretur hepar, & aliæ partes cõcoctioni dicatæ. In quotidiana inueterata, quæ nec concoquentibus, nec soluentibus medicamentis vinci potuit, vtile est post aliquot euacuationes, theriacam veterem exhibere, tribus aut quatuor horis ante prandium, vacuo ventriculo, & reiectis excrementis primæ concoctionis. Confert etiam ciere vomitum, maximè ex decocto seminis, vel radic. asari, vel chamo. cum syrup. acet. idque principio accessionis faciendum est. Eodem tempore plurimum prosunt vnctiones spinæ ex oleo abrotani, anethi, & irino. Præterea quarto die clyster est iniiciẽdus. Qualis est suprà scriptus cap. de quotidiana continua, mirificè confert, tandem verò maximè astringentibus, etiamsi laxandi quandam vim obtineant. Neque enim absynthium, si Galeno credamus, pituitosis morbis conuenit, præterquam

quàm in declinatione, ad roboranda viscera. In declinatione conueniunt electaria, roborantia, & vnctiones ex ol. nardino, & chamomelino.

De quartana continua.

QVartana continua nascitur à sanguine melancholico, vel infecto multa melancholia, quæ propter infectum vel infirmum lienē in sanguinis massa relicta est. Ea verò, si sola quantitate peccet, icterum nigrum, si putreat, febrem inuehit. In hac non secus ac in reliquis continuis sanguis detrahatur, aluo priùs subducta. Vena autē sinistri brachij eligenda, quę magis consentit lieni, circa quem magna pars materiæ collecta est. Misso sanguine dandum medicamentum aliquod leniens, vt cass. cath. cum decocto mercuri. vel sero lactis, vel decocto pass. polypod. & sennæ. Neque verò statim à phlebotomia duobus aut tribus diebus interpositis hoc fieri debet: quando hæc febris solet in multos dies extendi. Neque est perinde acuta vt reliquæ continuæ. Ad alterandum & concoquendum valent syrupi humectantes leuiter, & refrigerantes, vel temperati in calido & frigido.

Refrigerant & humectant syr. viol. lactucæ, portulacæ. Temperati sunt syrup. de bugl. de borragine. Vtimur etiam syrup. de fumaria simpl. vel de acetositate citri, si magnus est ardor. Addimus & aquas eiusdem facultatis, vt violariæ, portulacæ, cucurbitæ, bugloss. borraginis, & in biliosis naturis, cichorei & endiuiæ Si ex adusta bile generata est melācholia, conuenit syr. endiuiæ simpl & compositus. Sed composito syrup. nō priùs est vtendū, quàm humor aliqua ex parte coctus sit, atque si dentur per se ad ℥ ij. vel iij. Horum autem syr. facultas purgatoria, mixtione aliorum syrup. obtunditur. Quòd si ventrem non mouent, plus officiunt, quàm prosint. Syrupi compositi conueniunt de fumaria, de epith. Hi verò purgant commodiùs post iniectum clysterem. Atque si astricta sit aluus, quarto quoque die repetere oportet. Porrò febris hæc adeo grauis est, & periculosa, vt ægri vix mortem euadant Itaque diligentia adhibenda in conseruandis, ac fouendis viribus.

Fouentur autem vino pauco, atque diluto, restaurantibus & conditis. Condita fiunt, vt ex conseruis bugloss.

borragin. viol. capil. ven. cicho. & pulueribus diamarg. frig. de gemmis. Fiunt etiam potiones cordiales ex confectione alchermes, cum aqua viol. borraginis, syrup. viol. Et si vigiliis torqueatur æger, syrupo de nymphæa & de papauere.

XI *De quartana intermittente.*

HÆc febris fit aliquando à melancholia naturali, & aliquando à melancholia præter naturam, vt est quæ ab adusta bile gignitur. Prior species melior est, minúsque molesta, sed longior: alia grauior, & acutior, & in hac, postridie accessionis malè habent ægri ob relicta vestigia caloris. Quod in illa non ita fit, in qua nec deiecta appetentia, nec sitis molesta. Vt accidentibus, & materia, sic ratione curandi differunt. Quæ fit à bile assata, iisdem ferè remediis, quibus tertiana, curatur. Quæ verò à melancholico humore ortum habet, hoc modo tractanda est. Primùm aluus clystere molliatur, deinde si plethora sit, vena aperiatur, sed si crassus & niger sanguis appareat, sinatur fluere: contrà si tenuis & rubicundus, sistatur. Sed rarò mittitur sanguis à principio, magis verò circa medium tempus augmenti, vbi omnia consentiũt. Perspiciẽdum etiam, an lien intumuerit, an viscus aliquod obstructum sit: quia in re aperientibus medicamentis vtendum, vt syru. de bizantiis, de duabus radicibus, de fumaria, cum aquis eiusdem facultatis. Quòd si nullus tumor sit, vel obstructio, coquatur materia syr. viola. de bugloss. de fumaria simpl. deinde purgentur cath. diaph. confectione Indi maioris, confect. hamech nisi cruditas ventriculi sentiatur. Tunc enim pituita detergenda est, & coquenda, deinde etiam vacuanda vel decocto cath. elect. diacarth. & de citro. Post has euacuationes ventriculus & hypochondria corroboranda fotu & oleo chamomillę & nardi ad prædictarum partium & cordis corroborationem, danda est opiata sequens.

℞. conseruæ rad. bugloss. ℥.j. conser. anthos & capill. ven. ana ʒ. ß. pul. aromat. ros. diarrh. abb. ana ℥. j ß. diamargarit. frig. ʒ. cum syr. conseruationis citri, fiat opiata, capiat alternis diebus, superbibendo aliquid vini. Vtiles sunt & conseruæ thamarisci, ceterach, rad. apij, præser-

præſertim ſi fuerint obſtructiones. Præterea ſi nauſeatur æger, prodeſt initio acceſsionis vomitum inducere. Huius remedij tãta vis eſt, vt hoc vnico multi conualuerint.

℞. florum chamomillæ ℥.j. florum anethi ℥, ß. fiat decoctio in aqua raphani. vel cum eiuſdem decocto, bibat initio acceſsionis: Vel fiat decoctio ex ſem. aſari, vel ex rad. eius. Conuenit etiam quarto die clyſterem infundere, à quo humore melancholicus & pituitoſus facilè educatur, maximè verò concocto iam humore & apertis obſtructionibus. Cõficiendus autem clyſter ex mollientibus, & melancholiam, pituitámque vacuantibus, vt

℞. mal. biſmal. an. M. j. mercur. M. j. paſſ. ficuum ana paria iiij. aniſi, fœnic. an. ʒ. iij. ſemen apij, petro. ana ʒ. j. medullæ ſem. cartha. polypod. ana ʒ. ij. ag. ℥. ß. florum chamomillæ, meliloti, ſambuci, thama. an. p. j. fiat decoctio. In ℔. j. diſſ. mel. roſ. ℥. iij. ol. chamomillæ & ſucci merc. ana ℥ j. fiat clyſt. In principio ſufficit clyſter molliens tantùm cum ſucco mercurialis & multo ol. Sunt qui in principio acceſsionis vtuntur hoc puluere.

℞. piperis, myrrhæ, fol. ſennæ ana ʒ. iij. miſce, detur cum vino albo. Sed hoc medicamentum, vt theriaca, mithridatium, & quæ conficiuntur ex liquore cirenaico apud Galenum ad Glauconem, niſi cocta materia, non debent dari, alioqui periculum eſt, ne ex ſimplici, duplex reddatur. His peractis fieri poteſt apozema ad euacuationem materiæ contentæ in venis, & circa lienem, & hepar. Quæ continetur in venis, per vrinas: quæ eſt circa hepar, & venas meſaraicas, per aluum debet euacuari, ob id fiunt apozemata ex radicibus aperientibus, & quæ obſtructiones recludunt, humorem craſſum tenuant, vrinas & ſudores mouent. Adduntur flores, ſemina, fructus ad eundem ſcopum. Quoniam verò non poteſt eſſe diuturna quartana, ſine noxa lienis, ſplenica aliis præpollere debent.

℞. corticis thamariſci, corticis medianæ fraxini, ſambuci ana ℥. ij. radicis apij, petro. graminis, aſparag. ana ʒ. j. bugloſſæ, borrag. cum radic. ceterach. linguæ ceruinæ, mercur. adianti, polytrici, capil. ven. an. M. j. cichorei, endiuiæ, mentę, abſynt. an. M. ß. chamed. chamepit betonicæ an. tertiam partẽ M. j. paſſ. ʒ. iiij. quatuor ſeminũ

frig.maiorum ana ʒ.iij.sem.apij,petro.anisi an.ʒ.ij.sem. cassuræ,medullæ sem.carth.an.℥.j.polypodij ℥.iiij. senæ ℥.j.ß.ag. trochisca.ʒ.iij. florum cordial. anthos, genistæ an.p.j.fiat decoctio ad ℔. ij. in quibus dissolue sacchari quantum sufficit, fiat syr.perfectè coctus, cum ℥.ß. cinamomi & ʒ iij. diarrhod. abb. Huic syru. vtiliter addi potest radix ciclaminis,maximè si lien intumuerit, & periculum hydropis immineat. Potest etiam ei asarum misceri, modò æger non facilè vomat. Dentur autem ℥.iiij. prædicti syru. quinto quoque die cum decocto cicerum rubrorum,vel cum aquis betonicæ,endiuiæ.

Post vsum præcedentium remediorum proderit bibere manè vinum album,in quo per noctem sub dio folia saluiæ maduerint. In horrore,qui statim initio accessionis sentitur, vngenda spina dorsi oleis calfacientibus neruos, qualia sunt oleum de abrotano,rutæ,& nucum, oleum de piperibus, vel cui incoxerint folia dētilariæ, quibus & misceri potest aqua vitæ. Hæc enim maximè purgato corpore conueniunt.Non enim tantùm faciunt ad horrorem, sed etiam valent ad sudorem mouendum. In potu vinum est vtilissimum. Nam materiam morbi concoquit. Initio accessionis vinum album sumptum vomitum iuuat. In declinatione magis etiam conducit, ad sudorem prouocandum. Vsus piperis in condimentis & iusculis quartanam inueteratam sanat.Hæc enim, nisi corpus admodum̄ calfiat,curari vix potest. Theriaca, vt suprà monuimus, danda est post signa coctionis. Vidimus tamen aliquos curatos ante id tempus data theriaca antiqua in initio accessionis cum vino, sed id tentandum non est, nisi in robustis.Postremò non negligenda, quæ corpori admouentur, vt quæ sæpe experti sumus magno successu.

℞.foliorum sambuci, saluiæ,pedis columbini, rutæ, ana M.ß. caltæ tertiam partem M. j. salis & vini parum, omnia simul trita carpis admota ante accessionem. Remoueantur hæc,quoties videbitur.

Febris hæc aliquando soluitur fluxu sanguinis è naribus, præsertim si sanguine multo abundat, interdū vertitur in febrem continuam, vbi graue periculum est, ac ferè desperatio. Nonnunquam permutatur in morbos

perni-

perniciosissimos, vt epilepsiam, conuulsionem, aquam intercutem, cancrum, scirrhum alicuius partis internæ, & aliquando in elephantiasim, præsertim si huic vitio æger fuerit opportunus & obnoxius. Vulgare dictum est. (*la febre quartana, non fa sonar la campana*) quod verum est de iuuenibus, non de senibus.

De febre Hectica. XII

FEbris hectica quasi habitualis dicitur, quia ampliùs non est in dispositione, sed in habitu. Huius tres sunt differentiæ, quarum duæ primæ nomine carent, tertia, marasmus dicitur, propter solidarum partium consumptionem. Eius essentia & natura est calida, & sicca, partes solida occupans. Fit enim cùm caliditas illa & siccitas est in partibus solidis, non in humoribus, vt putrida, aut in spiritibus, vt diaria. Ob id ratio eius curandi in alteratione. Prima species, quia videtur proxima dispositioni, faciliùs curatur, sed non ita facilè percipitur, quia corpus in ea nondum assumptum est. Tertia verò facilè deprehenditur, nunquam omnino curatur. Satis enim est in ea, si extremam exsiccationem, quo ad licet, retardemus. Secunda media inter has, faciliùs cognoscitur, quàm prima, difficiliùs curatur. Difficiliùs cognoscitur quàm tertia, faciliùs curatur. Fit hæc febris post alias febres, aut morbos immodicè siccantes, vt post dysenteriam. Nam cùm humiditates aliqua ex parte assumptæ sunt, caliditas acrior fit, & faciliùs accenditur suo pabulo destitutus calor. Sunt, qui dicunt hanc febrem fieri incipiẽdo, quòd raro accidit. Difficillimum enim est ac ferè impossibile, substantiam frigidam citiùs inflammari, quàm spiritus, vel humores. Fit enim perpetuò post alias febres, vel morbos partium internarum, post venena, longas inedias, tristitias. Sed ab ephemera primùm ferè incipit, & nõ raro iungitur cum putrida. Curatur autem alteratione, sed quò faciliùs curetur, primùm oportet diligenter animaduertere, à qua caussa primùm excitata fuerit, & quibus affectibus iuncta sit, num sit morbus, vel symptoma, videndũ erit. Nã si symptoma sit, non poterit curari præsente morbo: vt si fiat propter vlcus pulmonis, non potest curari, vlcere pulmonis non curato, etiam si iam sit facta, & non vi-

deatur prouenire à caussa aliqua particulari. Si simplex sit, refrigerare & humectare oportet. Et quia partes solidæ calfactæ & exsiccatæ sunt, refrigeramus eas & humectamus, tum per sumpta, tum per admota. Per assumpta quidem, qualia sunt medicamenta alimentosa, quæ plus proficiant, quàm alia tantùm alterantia: tum quia trahuntur ad partes solidas, & exsiccationem impediunt, vel arcent assationem. Quæ verò extrinsecus assumuntur, illa quidem refrigerare possunt, sed humectare, substantificè nimirùm. Alimenta medicamentosa sunt herbæ, fructus, radices, semina. Inter herbas laudatur lactuca, viola, portulaca, buglossa, endiuia, lenticula aquæ. Nec improbandæ maluæ, præsertim cùm aluus astricta est, fructus cucurbitæ, cucumeres, poma, pruna recentia, & exsiccata, vuæ passæ suspensæ, amygdala recentia, pinei nuclei recẽtes. In marasmode, semina frigida maiora, & minora, sed illa meliora, si recẽtia sunt propter humiditatem semen papaueris, berberis, cydoniorum, flores bugloss. viol. nympheæ, & quæcunque frigida & humida sunt. Ex his conficiunt condita cum pullo, & manè facta prima coctione sumuntur, vt

℞. lactucæ, bugloss. portulacæ an. M. j. quatuor seminum frigid. maiorum ana ℥. ß. seminis berberis ʒ. j. decoquantur omnia simul cum pullo gallinaceo, vel columba admodum iuuene, capiat ius singulis matutinis. Continuet per nouem dies, & à prandio capiat aliud medicamentum sub alia forma.

℞. quatuor seminũ frigidorũ recenter mundatorum an. ℥. ß. sem. berberis, & papaueris albi an. ʒ. j. amyg. dulc. temperatarum in aqua frigida, postea in aqua violarum ℔. j. contundantur omnia in mortario, quibus adde sacchari quantũ sufficit, confice in morcellos, vel tartam, & coquantur in furno leuiter, vtatur inter prandiũ & cœnam. Huic remedio in marasmode, addimus pinearum eodem modo præparatarum quartarium vnum. Sunt qui addunt carnem testudinis nemoralis, vel cãcrorum fluuiatiliũ, quod nõ improbo, sed tunc addere oportet modicum anisi & cinamomi ad gratiam. Nam eo tempore propter siccitatem ventriculus minùs coquit & generat flatus. Loco decoctionis pulli potest fieri syru. ex iisdem

her-

herbis, addendo sacchari quantum sufficit, hoc modo.

℞. radicis buglosſ. ℥. ij. liquir. raſ. (quia humida eſt) ℥. ij. radic. ſatyrionis ℥. ß (multùm enim humectant, & coctione flatus amittunt) lactucæ, portulacæ, ſolani hortenſis, viol. an. M j maluæ M. ß. prunorum, ſebeſten ana paria decem, quatuor ſeminum frigid. ſeminis bombacis, papaueris albi an. ʒ. iij. ſeminis alchecangi, & berberis an. ʒ j. ſeminis cydoniorum ʒ. ß. florum vio. nympheæ, buglosſ. an. p. j. fiat decoctio in ℔. j. collaturæ diſſolue ſacchari quantum ſufficit, fiat ſyru. aromatizetur, cum ʒ. ij ſandali rubri, adde decocto aniſi ʒ ß. (quia iſta humida flatus generant) & non fœniculi, vel alterius magis acris, quia nimis calfaciunt & ſiccant.

Cæterùm, quia hic morbus eſt diuturnus, & diu vtendum medicamentis, etiam eadẽ facultate medica ſunt, tamen modo diuerſo his medicamẽtis vtendum, ne ſemper eadem nos faſtidiant, & opinionem inutilitatis ęgro pariant. Vtatur verò aquis diſtillatis ex herbis prædictis, vel in forma iulep. vel cum vino iulep. conficiatur, addito ſaccharo, vt,

℞. aquæ buglosſ. (quæ multùm humectat, & cordi propria eſt, ob id nunquam prætermittenda) quart. ß. aquæ lactucæ, vel portulacæ, vel nympheę, vel vio. quar. vnum. His aquis temperet vinum in prãdio & cœna. Iulep. fiat ex aqua roſ. viol. nympheæ & aliis. Sed cùm debeat ſemper eſſe iucundus, & datur ad ſitim, & per ſe ſumitur, ob id huic miſceri ſolet aqua roſarum, alias ea rarò vtimur, quoniam frigida eſt & ſicca, vt,

℞. aquæ roſ. qr. j. aquæ violar. qr. ij. ſacchari albisſ. quantum ſufficit, fiat iulep. vtatur tempore ſitis & frequenter. Nam hæ potiones vtiliſſimè diſtribuuntur propter ſubſtantiæ tenuitatem, & multùm refrigerant. Extrinſecus apponuntur epithemata, vnctiones, balnea. Epithemata fiunt ex frigidis & humectantibus modicè, plus tamen humidis, quàm frigidis Nam quæ multum frigida ſunt, illa aditum ſibi præcludunt. Fiat epithema ex prædictis aquis ſupra cor & hepar, vt,

℞. aquarum buglosſ. vtriuſque violar. ana quartarium j. vini albi guttas aliquot. Intingantur panni, applicẽtur pectori, & hypochõdriis. Poteſt fieri epithema

ex decoctione hordei, vel herbarum prædictarum. Sed quod paratur ex decoctione hordei mundati, & semine cucurbitæ, aliis præfertur, paratur autem sic.

℞.hordei mundati p.j. cucurbitæ & peponum, vel cucumeris ℥.j. vel omnium simul ana ʒ iij. decoquantur In fine decoctionis adde olei vio. vel amyg. dul. ℥. iij agitentur fortiter. Postea intingantur panni rari, & pectori ac hypochondriis applicentur, vbi incaluerint, remoueantur, & hoc manè & ante cœnam faciendum bis vel ter.

Inunctiones verò fiunt in dorso, & in pectore, sed non ex eadē materia indicatione sumpta à parte. Nam supra dorsum, & partes externas Gal. facit linimenta ex frigidis, & quodammodo astringentibus, vt oleo rosato, cera, & aqua, vel ex oleo myrthi & nympheæ. Supra pectus ex refrigerātibus, & modicè relaxantibus: quia pars propter respirationē laxanda est. Cùm dicimus astringentia esse adhibenda, de moderatis intelligimus. Nam quæ id immoderatè faciūt, insensilē perspirationē impediunt, & calor maior in partibus internis incenditur. Frigida leuiter astringētia, quia refrigerant, robur partibus addunt, & dissolutionem membrorū retardant. Inunctiones supra pectus fiunt ex oleo violato, vel ex oleo de seminibus cucurbitæ, vel decoctione seminis lactucæ, vel papaueris, & nympheæ, quibus addendum est oleū amyg. dulc. vt minuatur vis astrictoria, & minus refrigerent. Nam hęc caliditas sensim est alteranda, & non subitò. Nam quæ vehementer refrigerant, & subitò id faciunt, calorem natiuum extinguunt. Fiant ergo vnctiones sic.

℞.ol. viol. in aqua hord. loti ℔.ß. Tota regio thoracis vngatur, vel sic.

℞. ol. de semine cucurbitæ, vel melonum, vel citruli, vel omnium, vt suprà, fiat inunctio vel sic.

℞. ol. de semine lactucæ vel papaueris ℥. iiij olei amygdal. dulc. recenter extracti, & non ex amygd. antiquis, vel rancidis ℥. ij. Quòd si desint recētes, per aliquot dies ante macerentur, deinde oleum apponatur. Vngenda quoque spina, vel oleo rosat. vel myrtil. vel cydoniorum. Iisdem inungi potest regio ventriculi, & hepatis, ac totius ventris, nisi obstructio splenis, vel aliud symptoma impediat. Vnctiones fieri debent manè & serò, cùm

cùm ibit dormitum, & maximè ante balneum, & post balneum. Balneum sit aquæ dulcis & non sit particeps alicuius qualitatis, tum verò sit tepida, nec prouocetur sudor in lauacris. Misceri possunt flores ros nymphex, folia salicis, hordeum mũdatum. In tertia specie ius capitis & intestinorum veruecis cõducunt, ad humectandum & relaxãdum partes, quæ propter nimiam siccitatem conciderunt, & densiores factæ sunt, alimẽtum recipere non possunt. Optimum est ingredi balneũ postquam aliquid concoxerunt, vt alimentum trahatur ad partes: nec ingrediendum ventriculo ieiuno, ne fiat nimia dissolutio: ob id damus alimenta, quæ faciliùs coquuntur, tribus aut quatuor horis ante balneum, vt vitellos ouorum, succum carnis vel micam panis cum vino puro. Regatur autem, vt infrà docebimus. Balneum debet parari in tribus lauacris, vel in vno, sed longè alio modo, quàm soleant practici facere. Nam illa balnea magis detergunt, & discutiunt, quàm humectant. Antiqui tria solia habebant, vt potest ex lib. De sanit. tuenda colligi. Sed nos sic disponemus, quod illa solia non habeamus. Primum lauacrum erit ex aqua dulci, modicè tamen calida, vt aperiantur pori. Secundi autem aqua tepida erit, tertij verò erit frigida. In primo balneo laxantur partes, in secundo humectantur, quia aqua post relaxationem partium penetrat. Tertium densat cutim & refrigerat, vt illa humiditas maneat. In vno eodémque balneo fieri potest. Balneum sic parabitur aqua calida modicè plusquam tepida, paulò deinde refrigeratur per se, vel addita frigida, tanta quantitate, quanta est necessaria, vt tepida fiat. Postremò in vltima parte apponimus plus aquæ frigidæ, vt balnei aqua refrigeretur, vel tantisper in balneo maneat, dum aqua refrigeretur per se. In balneo calido nõ oportet diu morari, in tepido mediocriter, in tertio minùs, quàm in secundo, in secundo magis, quàm in primo. Eodẽ modo de aliis balneis & decoctionibus ex herbis, floribus & aliis faciendum. Circa balnei apparatum hoc fieri expedit. Regatur sic, pridie imperatur clyster molliens, vt recremẽta auli, quæ & siccitate retineri solent, euacuentur. Detur manè, deinde prandeat hora nona, & dentur in prandio

alimenta, quæ solidiorem alimoniam præstent, qualia sunt, quæ postea dicentur, vt carnes, iuscula, in quibus cocti sunt pedes vituli & porci. Cœnet hora quarta, sed parciùs cibos edat coctu faciles, inter prandium & cœnam semel bibere licebit. Hora prima post mediam noctem sumat ius pulli, vel cremorem ptisanæ, vel vitellos ouorum, vel oua duo tremula, quibus mixtum sit aquæ ros. & sacchari parum loco salis. Quatuor vel quinque horis post, ingrediatur balneũ, vt suprà diximus. Deinde in exitu balnei abstergatur, & linteis fricetur, postea applicentur linimenta supra scripta, tum quiescat in lecto duabus aut tribus horis, dormiátque si fieri potest. A somno capiat ptisanam & iuscula, & id genus alimenta coctu facilia. Deinde vinum capiat in cœna, apponántque, quæ solidius præstant alimentum. Manè verò detur cremor ptisanæ, vel alius eiusmodi leuior cibus, & rursum descendat in balneum, tractetúrque, vt suprà dictum est. Decimo quoque die proderit vti balneo, idque continuis tribus diebus. Quòd si fortè adsit ventriculi cruditas, tum balneum fuerit inutile, sed vt prohibeatur, corroborandus erit ventriculus vnctione cydoniorum, & de absynthio, vel apposita crusta panis, quæ aspersa sit puluere sequenti.

℞. ros. sandali ana ℨ. ß. garyoph. ʒ. j. misce, fiat puluis. Hæc crusta panis inspersa, & pauco vino irrorata applicetur regioni ventriculi, & circa decimam tertiam vertebram dorsi, dum ingreditur balneum. Alimenta duorum sunt generum. Quædam ægrè concoquuntur, sed diutissimè nutriunt, vt sunt extremæ & neruosæ partes animalium, alica, crythimum, vulgò semola, & alia, quæ ex triticea farina parantur. His adiungi potest gelatina. Sunt & alia coctu difficilia, quæ diu multúmque nutriunt, sed quia crassum & melancholicum succum gignunt, omnino reiiciẽda, qualia sunt aues aquaticæ, &c. Quædam verò citò quidem nutriunt, sed citò etiam dissipantur. vt vinum, succus carnium, testiculi gallorum, oua sorbilia. Sed controuersia est inter Medicos, vtra sunt eligenda. Nonnulli cibos coctu faciles anteponunt propterea quòd partes destinatæ coctioni imbecilliores redditæ sunt, & idcirco alimenta concoctu difficilia

conſi-

conficere nequeunt. Alij huiusmodi alimenta parùm prodesse contendunt, quòd sint tenuium partium, & proinde facilè alterantur, & citiùs diffluunt. Sed his incommodis facilè occurri potest, adhibita hac distinctione. Principio febris, dum adhuc robusta est coquendi facultas, conueniunt solidiora alimenta, viscida, & humida. Hæc enim siccitatem retardant, & cùm adhuc multus humor membranis super sit, calorem præter naturam facilè euincere possunt. Cùm verò præ nimia ariditate partes naturales sunt infirmiores, cibi concoctu faciles sunt exhibendi. Elixa magis laudantur, quia magis humectant: quanquam assa humidiora sunt humido substantifico, vt author est Aristot. præsertim si luculento igne torreantur, neque nimium igne siccentur. Sed quoniam assa faciliùs inflammãtur, & vertuntur in bilem, elixa præferenda sunt, præsertim si cum suo iure sumantur, nec longiore concoctione intabescant, & salis expertia sint. Sunt autem assa temperanda aqua ros. vel succo citri, aratiorum, vel mali granati, atq; id, quod semiustum est, abiici, interior verò eligi debet. Hac ratione assa minùs calida, & suauiora multò sunt. Ex carnibus sunt, caro vituli, hœdi, agni, sed vituperatur agnus, nisi sit educatus pascuis siccioribus, & odoratis, quales sunt Narbonenses. Hi enim, quanuis sint humidissimi, non tamen excrementitij. Non sunt insalubres porcelli impingati, & adhuc lactãtes, quorum caro minùs pinguis est accipienda, pinguedo verò reiicienda. Laudantur autem pedes porcellorum non saliti, & bene cocti, fasiani, perdices, cuniculi, pulli gallinacei, pipiones, capi, lepusculi. Auiculæ elixæ sunt meliores assis. Nam hæc faciliùs in bilem vertuntur, vt 6. epid. scripsit Hipp. Quòd si assæ magis arrideant, minùs coquẽdæ, &, vt suprà, temperandæ. Inter frumẽtacea sunt, ptisana ex hordeo & auena & tritico. Sed quæ ex auena & hordeo fit, paranda est cum iure carnis, vt sit humidior, vel cum lacte amygdal. dulcium, additis seminibus frigidis maioribus, aqua ros. & sacch. Amygdalæ macerentur aqua frigida, vel hordei, vel viola. vel rosa. quia facilè in bilem vertuntur, nisi recentes fuerint. In hectica marasmode adduntur nuclei pinei, vt iã diximus. Ex oleribus

vtilia sunt, quæ supra memorauimus, vt lactuca, solanũ hortense, violæ, borrago, bugl. scariola, spinacia, beta, caules, & talia nitrosa, quorum vsus est tantùm ad subducendũ aluum, & tunc dantur cum iure pingui. Inter fructus vtilia sunt poma, licet flatulenta sint. Gignunt enim sanguinem frigidum. Et quemadmodum tradita sunt seruare flatulentam substantiam vsque ad tertiam coctionem, sic non minùs refrigerãdi vim retinẽt. Dulcia gratiora sunt, arida magis refrigerant. Eligenda igitur sunt pro vario temperamento ventriculi. Idẽ est iudiciũ de granatis. Pira meliora sunt minùs dura, & quæ minùs astringunt. Passulæ quoque non sunt insalubres, ficus rarò comedendæ, pruna dulcia, cerasa dulcia, tam recentia, quàm condita, refrigerando habitui corporis conducunt, si alios cibos præcedant, nec aliis commisceantur. Sumptis his fructibus, si æger potui aquæ sit assuefactus, bibat aquam potiùs quàm vinũ. Hoc enim modo prædicti fructus magis leniunt, & refrigerant. Nocent nuces, amygdalæ, & in summa omnes duri fructus, ac pingues. In potu cõceditur vinum tenue, album, & olygophorum. Nec minùs vtile est secũdarium vinũ, quod loram vocant. In huius vini penuria, aliud diluatur multa aqua, duabus aut tribus horis antequã bibat.

A piscibus salsis, pinguibus, duris, testaceis abstinendum. Alij sunt ex vsu, quando succum frigidum & humidum gignunt, sed omnium optimi sunt saxatiles, nec contemnendi, qui viscida carne constant, vt anguillæ in aqua pura captæ, & bene præparatæ. Inter testacea, cancri fluuiatiles, & qui reperiuntur in stagnis maritimis, & squillæ (quas Normani, de grenette, Santones, de la sante) locustæ & astaci damnãtur: quoniam sunt carne durissima. Testudines nemorales, & quæ degunt in aquis, quia sunt carne teneriore, hæ sunt seruandæ in hortis, diebus aliquot, vt excrementitiam humiditatem deponant. Ranarum coxæ elixæ non insalubres ius & earum optimũ est, si coquãtur cum gallina, & capone. Quidam commendant decoctum coclearũ, sed cùm succum melancholicum gignat, ab his est abstinendum. Ex carnibus testudinis, amyg. nucleis, pineis fit tarta, vt sequitur.

℞. carnis testudinis q. j. amygd. dulc. infusarum in

aqua rosarum ℔. ß. pinearum eodem modo infusarum ℥. ij. quatuor sem. frig. maiorum ana ℥. j. anisi ʒ. iij. cinamomi ℥. j. sacchari dissoluti in aqua ros. violar. vel bugloss. ad pondus omnium, fiat tarta. Anisum non trituretur, coquatur leuiter in furno. Ex carne ranarum idẽ parari potest. Passulæ mundatæ hoc modo corpus aridum alunt citra calfactionem.

℞. vuarum pass. à gigartis mundatarum ℔. j. temperentur in aqua buglossæ & endiuiæ, & ros. & abluantur diligentissimè, vt vis laxandi amoueatur, postea in iisdem aquis decoquantur leuiter, addito pauco saccharo ad perfectionem cum quo seruentur vsui. Capiat manè & post prandium, & bibat parum. Hac confectione curantur, qui macie laborant, & malo habitu præditi sunt. Item, quibus cor palpitat, sunt maximo iuuamento, melancholicis & senibus non parùm conferunt. Caules, lactucæ, & caro cucurbitæ cõdita refrigerat, & humectat. Ob id laudandæ sunt. Mollitio ventris per clysteres, multùm dormire, parùm corpus exercere, est illis vtilissimum. Horum remediorum continuatione curabuntur hecticæ febres, si sine vlcere sunt. Si cum vlcere, curare vlcus oportet. Nam & si hectica fiat ab vlcere, fouetur per accidens calor sine materia. Et hac ratione differt à putridis, quæ vapore acri continuantur. Hæc de febribus hecticis simplicibus sufficiant.

De hectica cum putrida. XIII

HEctica sæpe complicatur febribus putridis, cu inos attentos esse decet. Tunc ergo vtendum medicamento purgante, sed mitiore quàm si simplex esset putrida. Obstructiones quoque aperiendæ: nimirum calfacientibus. Et quanuis non admodum sitiant ægri, cogendi tamen sunt, vt sæpè bibant, ne calore alieno humor naturalis absumatur. In febre tertiana detur syru. ros. laxat. cum aqua viol. capil. ven. endiuiæ, vel fiat decoctum ex tamarind. sebesten, quatuor seminibus frigid. in quo dissol. rhab. infusi in aqua end. & cum syru. ros. laxat. vel viol. fiat potio. Potest dari caussa per se, vel in decocto, vel in aquis præced. Ad concoquendum valet syr. capil. ven. end. fumar. simpl. cum syr. viol. Apertis obstructionibus potest repeti medicamen. aliquod

ex suprà dictis. Quòd si accessio diuturnior fuerit, quàm vel relinquatur tempus idoneum cibādi ægri, detur etiā in ipsa accessionis declinatione decoctum pulli, vel cremor ptisanæ, vt de picrocholis docet Gal. 9. meth. ne scilicet eorum corpus immodicè siccetur. Cibus autem extinguit acrimoniā bilis, modò sit eiusmodi, vt non facilè vertatur in bilem. In quotidiana damus ius antiqui galli confarcti semine carth. pass. ana ℥. j. anisi ℥. ß. Addi possunt aliqua folia petro. cum saccharo, vel manna. Syrupi coquentes sunt cap. ven. de bizant. hydromel. Concocto humore rursus exhibeatur medicamētum præscriptum, pondere carthami aucto ad ℥. ij. Postridie detur aqua hordei cum syru. viol. in febribus quartanis. In quotidianis verò, cum syr. capil. ven. Quòd si mitioribus his non cedat febris, ad fortiora transeundum.

℞. agarici à ʒ. j. ad ʒ. ij. infusi in aqua viol. Expressioni adde mellis ros. collati ℥. ß. syru. ros. laxat. ℥. j. fiat potus. Potest etiam agaricus decoqui in iure galli antiqui. Non est opus zinzibere, & sale gemmæ. Nam hîc nulla extenuatione opus. Præterea calidius est medicamentum, quàm par sit. In quartana detur decoctum mercur. ciclę in iure galli valde pinguis. Si autem magis purgādus sit, adde foliorum senæ, summitatū thymi, polypodij quercini ana ℥. ß. Concoquenda materia syru. viol. de fumaria simplici, bu. loss. borraginis. Etenim omittendi sunt omnes compositi, vt de fumo terræ, de epithymo, quoniam plus ęquo desiccant. Post has febres putridas conuenit balneum, quod etiam in his febribus putridis, veteribus maximè laudatum est. Licet & aliis remediis vti ad extinguēdum calorem, vt epithematis impositis cordi & hepati, in febre tertiana & quartana: in quotidiana vngendus ventriculus & hypochondria: oleo chamom. Accidit igitur alui profluuium, cui statim est subueniendum. Nā is fluxus in morbis tabificis est lethalis. Arguit enim imbecillitatem facultatis retentricis & totius corporis colliquationem. Curatur frigidis & astringētibus, alimentis crassis, vt oriza, pulte, lente & cæteris. Applicentur extrinsecus, quę astringendo roborant, & aliquatenus refrigerant præterquàm in lienteria, in qua modicè calfaciendum.

De febre pestilentiali.

NOn solùm antiqui medici, sed etiam recẽtiores aduersus feb. pestilen. multa remedia prȩscripserunt. Multi de caussis huius febris disputarũt, sed pauci morbi essentiam docuerũt, nihílque certi de eius specie tradiderunt, nisi quod feb. perniciosam esse dixerũt, sed illi non satis explicant naturam rei. Nam scire oportet, num febris pestil. morbus sit an aliquarum inflammationum internarũ, vel externarum symptoma, & ad quos genus feb. referri debeat. Quare nihil determinatum ad hanc feb. potuerunt inuenire, ignorata morbi essentia, quæ quid faciendum est, insinuat. Nos autem diligentissimè huius feb. formã annis superioribus, cùm diutius in hac regione versaretur, considerauimus, & ex his, quæ præcesserunt feb. pestil. & ex his, quȩ in feb. apparẽt, cognouimus febrem pestil. non vnam & eandem naturã particularem habere, sed pro natura constitutionis temporis præsentis, & præteriti alio modo homines infestare, & alio modo alia animalia, ob eam caussam diuersa nomina apud diuersas gẽtes obtinuit. Dicta est aliquãdo, *marenne*, propterea q́ insidiosa & periculosa sit. Superioribus annis vocata fuit, *trousse galãt*, quòd fortissimos quoq. iuuenes citò iugularet. Aliqui pestẽ internã esse dixerunt, & pro arbitrio vnusquisque illã appellat, secundũ varias formas, & varios effectus quos prȩstat. Nos autem putamus esse tertium genus Causonis factum ex sanguine melanch. Quòd autem causus sit, monstrat sitis illa inexhausta, quȩ in hac feb. esse solet inseparabile symptoma, & incẽdium maximum circa cor, regionem ventriculi, & maximè circa splenem, & quãdoque circa pulmones. Neque illa frigiditas, quæ partibus externis sentitur, impedit. Nam quotiescũq; magnum est incendiũ in partibus internis, sanguis, & spiritus ad intra retrahuntur, vel potius à calore magno trahuntur, & ob id partes externæ frigidæ apparent, quæ nota est pessima, si Hippoc. & Galeno credamus, item delirium, mania cum studio, vt quæ referat naturam atræ bilis, & quæ proximè accedat ad furorem. Difficultatem anhelandi & alia multa symptomata, quæ febrem ardentissimam comitari solent, eadem manifestissimè ostendunt.

Pest. à qua materia.

Quòd autem hæc species causonis à sanguine melancholico fiat putrescente, aut propter putrefactionem ebulliente, declarat illa magna similitudo huius febris cum febre quartana continua, & tumores præter naturam, qui in istis febribus apparere solent, apertè docent. Sunt enim carbunculi interni vel externi, qui ab omnibus medicis dicuntur fieri à sanguine crasso efferuescẽte. Idem docent stigmata illa nigra per vniuersum corpus sparsa. Huius rei suspicionem augent caussæ harum febrium, vt coniunctiones planetarum in Saturno, item bella, annonę caritas, quæ solent hanc febrem præcedere, vnde natum est commune Græcorum prouerbium, *meta limou ho loimos*. Coguntur enim homines vesci quibuslibet, vel leguminib. radicib. herbarum, & non consuetis alimentis, vt vidimus panem confectũ ex radicibus graminis, filicis, fabis, castaneis, lentibus, quæ quidem alimenta sanguinem melancholicum gignunt. Adde quòd eo tẽpore curæ, solicitudines, timores, & aliæ animi affectiones spiritus absumunt, sanguinem exsiccant: quibus absumptis, via illa diuina, quæ humores continet, regit, & moderatur, imbecillior redditur, ob id humores putrescunt, & venenum aliquod concipiunt Idẽ tempore belli euenire videmus: neque id tam propter sanguinis corruptionem, aut corporum putredinem, quàm ob mœrores, pauores & tristitias. Et, vt à nostris exempla petamus, apud Parpegnianum multa clades facta est, pestis tum secuta est ingẽs, quæ non solum vicinos, sed etiam eos, qui in montibus viuebant oppressit. Et apud Auernos febris pestilẽs ita grassata est, vt multo plures occiderit homines, quàm pestis anni superioris. hęc autem longè euidentiora sunt, quàm vt longa egeant disputatione. Quòd autẽ febris pestilens sit diuersa, ipsa experientia docet. Est enim aliquando febri ardẽti similis, quæ fit à bile putrescẽte circa pulmones, & ventriculum. Hoc tantùm interest, quòd contagiosa sit & quandoque cũ sputo sanguinis incipiat, vt illa, quæ tempore Guidonis grassata est. Aliquãdo est magis exquisita, & tunc semper terminatur tertia vel quarta die in carbunculis, nisi qui velit carbunculos morbum esse, & febrium symptoma.

Nos

Nos tamen hoc modo describemus. Febris pestilens est è genere morborum, qui epidemij dicũtur, perniciosa, & contagiosa ex sanguine atro putrescẽte, & ebulliente facta cum carbunculo externo, & cum inflammatione interna, referente carbunculum. Quòd autem hic morbus sit epidemius, ex eius natura facilè discerni potest. Peculiariter enim grassatur. Pestilentialis verò dicta est hæc febris, quòd sit pestis, aut pestem referat, *loimon* Græci appellãt, vel *loimodom* omnes eos vocant, qui exitiosi sunt. Nam, vt Gal. scriptum reliquit in epidem pestes appellant, omnes homines prauos, sciúntque exitiales morbos esse, & etiam ad deos sæpe referunt de curatione eorum consulentes. Fiunt autem hæ febres à caussis maximis & vniuersalibus, vt post summas caliditates & siccitates, post bella, & annonæ caritates, quæ in nobis generant magnam cacochymiam, & humores à naturæ regimine aberrare faciunt. Et vt vnum, quod caniculæ tempore cõturbatur ob fecem ad partem superiorem excitatam, vel ob ebullitionem: Sic melancholia sanguinem inficit, conturbat, ad putredinem, & venenositatem disponit, vnde tales febres fieri solent. *Pest. descriptio.*

Humorum agitatio proxima est caussa, quæ humores excitat, & de potentia ad actum reducit, eáque potissima videtur esse caussa & immediata. Nam in peste videmus homines leuissima de caussa corripi propter sanguinis agitationem. Vt in peste videmus omnes illos qui propter lucrum ægrotis ministrant, ventri, gulæque deditos, & cacochymos, non tamen hoc morbo facilè corripi, propterea quòd nõ cõturbãtur, etsi videant multos mori, lætantur enim propter lucrum magis. Huius sententiæ fuit Cornelius Celsus, cùm docet tempore pestis non esse mittendum sanguinem, aut non purgandum fortioribus medicamentis, ne fiat humorum agitatio. Fit autem hæc febris propter putredinem aëris, in aliquo loco factam, & per contagionem aliis corporibus communicatur. Neque existimare oportet aërem esse putrefactum & corruptum, in quo pestis grassatur. Nam pestis, quæ superioribus annis nos infestauit, citra aëris vllam infectionem facta est, sed per Heluetios milites, qui hâc iter faciebant ad obsidendum Perpi-

gnianum, ex Germania communicata fuit, & per nebulones quosdam retenta, cuius rei argumento est, quòd hi tantùm infecti sunt, qui infectas domos frequentarunt. Est autem contagiosa propter aerem infectum, qui ab ægrotantibus redditur. Conseruatur autem hæc infectio maximè in pannis, & in locis conclusis, nec aeri peruiis. Quare corpora illa mortuorum, quæ ampliùs non expirant, nullum venenum eiaculantur. Quòd si aliquid contrahatur, hoc potius ab eorum pannis contrahitur, quàm vlla re alia. Siquidem dissecuimus aliquando corpora mortuorum ex peste, multis spectantibus studiosis sine aliquo damno: propterea quòd mortuo animali perit omne venenum. Et quia ignorabamus etiam eos mortuos ex peste, quæ caussa fuit, vt minus turbaremur, quod certissimè confirmat illam fieri propter perturbationem sanguinis cacochymi, vt suprà diximus. Tunc enim venenum maximè corpora nostra inficit, propterea quòd humores suo loco mouentur, vnde venenum illud recipiunt, quia à natura non conseruãtur. Natura enim humores, & succos omnes quiescentes suis locis faciliùs regit, quàm agitatos, & quasi extra suos limites digressos.

Febris hæc pestilens in prima hora, si fieri potest, deprehendenda est. Cognoscitur autem ex summa & subita viriũ imbecillitate, sine aliqua manifesta caussa præcedente. Nam sine magna euacuatione facta, ita vires omnes naturales prostratæ sunt & deiectæ, vt diceres illos grauissimo morbo fuisse vexatos. Incipit quandoque cum oris ventriculi morsu, cordis palpitatione, somno profundo, vel mentis stupore. Magnum sentiunt calorem in partibus internis, in externis verò nullã caliditatem insignem, ita vt quandoque sanos eos iudicẽt minùs experti: propterea quòd pulsus & vrina non admodum immutantur in hac febre. Et tamen summa inquietudo, & aliqua anhelandi difficultas, in excrementis fœtor, & alia grauissima accidentia, & quandoque tertio die delirium, fluxus ventris, & vomitiones magnæ etiam primis diebus, sitis magna, apppetitus deiectio. Animaduertendum est ex his signis aliqua semper adesse, aliqua verò tantùm, cum aliquæ partes afficiuntur,

vt dif-

vt difficulates spirandi, quando partes respirationi inseruientes afficiuntur, & deliriū, cùm diaphragma, vel cerebrum magis læditur. Læduntur autem, vel cùm materia putrescit nō longè ab his partibus, vel ipsæ partes ea inflammatione laborant, quæ carbunculorum naturam refert. In omnibus communis est magna virium imbecillitas & cordis affectiones. Nam cùm hæc materia vniuersa sit, & naturæ nostræ contraria, vitæ fontem inficit, & propter illam caussam nonnulli existimarunt, hanc febrem fieri ex putredine spirituum, sed cùm spiritus magis referat naturam ignis, quàm alterius rei, non facile putrescunt. Adde quod natura illos conseruat, quantùm potest propter necessitatem, neque facilè putrescunt: propterea quòd semper euentantur, & minùs permixti sunt impuro sanguine. Non eo inficias ex aëre infecto, & venenoso aliquam contagionem accipere primùm, sed statim contagionem illam aliis humoribus communicare. Neque propter illam febrem ephemeram dicendum ex putredine spirituum ortam. Nam & aliæ febres continuæ, vel putridæ primùm accenduntur in spiritibus. Accedit quòd si ex putredine spirituum fieret hæc febris, citiùs interficeret, neque cum excrementis tantis solueretur, sed cum sudore tantum, vt aliæ febres ephemeræ, atque etiam illa remedia conueniunt, quæ ab omnibus practicis imperantur. Quare in humoribus fieri dicemus. Harum febrium prænunciationes difficillimæ sunt, iuxta illud Hippoc. Acutorum morborum, &c. Est tamen mortis prænunciatio certa, propterea quòd morbus magnus est, & peracutus, insidiosus qui magis vi illa venenosa inficit, quàm manifesta qualitate.

CVRATIO.

CVratur autem febris pestilens remediis sequētibus, sed primùm distinguere oportet, num febris populariter grassetur, cū tumore aliquo externo, vel sine aliquo tumore externo multos occidat. Nos hîc de curatione illius quæ sine tumore externo est, dicimus. De carbunculo & eius curatione postea dicetur. Quò verò faciliùs huic febri medeamur, meminisse oportet constitutionum præcedentium, vt qualis sit cacochymia, præco-

gnoſcamus. Nam ſi conſtitutio calida & ſicca fuerit, aut propter annonæ penuriam, cæpis, alliis, eruca, aſparagis, brionio, & aliarum huiuſmodi herbarum radicibus vſi fuerint, exquiſita non erit, ſed naturam tertianarum cõtinuarum, aut ardentiũ referet. Si autem conſtitutio pituitoſa fuerit, frigida & humida, poſt victum frigidũ & humidum, minus ardens erit, ſed naturã quotidianæ referet. Sic de conſtitutione calida & humida, & victu ſanguinẽ gignente dicendum eſt. Nam mitior erit propterea quod magis à plenitudine ſanguinis, quàm à vitio fit, ſed raròid euenit. In curatione habenda eſt ratio horum humorum, ita vt alia ratione inuenienda ſit cura febris tertianam referentis, alia ratione cura eius, quæ quartanã refert. Antequam medicus aliquid ad curationem præſcribat, ſcire debet, num cum vomitione, aut cum alui deiectione facta ſit. Nam ſi cum vomitione, aut alui profluuio incipiat, ſanguis non eſt mittendus, ne naturæ impetum impediamus, qui potiùs iuuandus eſt iuxta illud Hipp. Quò natura vergit, eò ducere per loca conferentia. Et cùm vtraque regio ſit conuenientiſsima ad humores euacuandos, per vtranq; tentabimus euacuare id quod ſuperabundat, nõ his remediis, quibus vulgus medicorũ frequenter vtitur, ſed leuioribus & mitioribus. Si igitur non ſatis, vel difficilè vomant ægri, potione aquæ calidæ, vel ſyr. vio. aut ſyr. acetoſo ſimplici, facta frictione in gyrum circa os ventriculi, prouocanda eſt vomitio. Si autem aluus fluat, tunc clyſter detergente iuuanda eſt natura, non fortiore. Quòd ſi iſtæ excretiones non fiant ab initio, neque ſtatim futuras præuideamus, mittendus eſt ſanguis ſtatim, ſi vires, ætas, tempus, non diſſuadeant. Nam morbus eſt peracutus, extremos habet labores, & citiſsimè ad ſtatum mouetur in quo ſilentium melius eſt habere, neque vires amplius ferre poſſunt, ob eam cauſſam intra vigintiquatuor horas miſiſſe ſanguinem oportet. Facienda eſt ſanguinis miſsio de baſilica ſiniſtri brachij, ſi nulla inflammatio interna appareat, quæ ex dolore, aliíſque notis deprehendi poſſit. Fit autem ab ea parte propter cor & ſplenẽ, quæ duo viſcera maximè patiuntur. Quo pacto facienda ſit, in aliis, ſuo loco dicemus. Si propter tenellam ætatem, aut imbe-

Apho. 21. lib. 1.

imbecillitatem, sanguinem mittere non liceat, cucurbitulas applicabimus naribus, vt reuellatur materia illa venenata à corde & medicamento purgante, leuiter corpus purgabimus, non argento viuo præcipitato aut fortioribus medicamentis, quemadmodum empyrici faciunt, sed danda erit triphera persica, catholicum, syru. ros. laxatiuus, rhab. quia ista euacuant sine magna agitatione, calfactione, viriũ deiectione. Propter quas caussas alia medicaměta vituperantur. Adde quod hic morbus propěsus est ad fluxum ventris, qui periculosus est, propterea quod corporis nutritionem impedit, & cõcoctionem retardat. Hæc etiam purgatio ante tertiũ diem facienda est, vt etiam de sanguinis missione suprà dictum est. Datur autem ℥.j. tripheræ persicæ cum aqua viol. & bugl. vel ʒ.vj. catholici cum aqua hordei, vel syr. ros. laxatiui ℥.j.ß. cum decocto hordei, vel cum aqua endiuiæ & cichorei, vel expressio ʒ.j Rhei, infusione facta in aqua endiuię & ℥.ß syrupi rosati laxatiui. Si præcesserit vomitio vel aliquis fluor, damus rhab. vel tripheram persicam, quia minùs laxant, & constrictionem relinquunt, vel minùs calfaciunt. Facta autem euacuatione, siue per missionem sanguinis, siue alio medicamento statim ad ea, quæ corroborant, & venenum propulsant à corde, & agitationem sanguinis compescunt, veniendũm. Datur autem ea in omnibus formis, hoc est, in forma conditi, instauratiui, & potionis. Fiunt autem ista ex pulueribus syr. aquis, conseruis. Sunt autem pulueres ad id faciendum apti, puluis diamarg. frig. qui mihi videtur magis conuenire, quàm alij pulueres: propterea quòd minùs calfacit. Puluis triasandali non est reiiciendus. Puluis diatrag. frigid. addito crystallo fit vtilis, aliis cordialibus admixtis. Puluis de gemmis post. supradictos, sed in minori quantitate, & compositio alchermes cùm volumus calorem semiextinctum accendere, vel cum syrupis illis narcoticis & stupefacientibus vti. Laudant Practici in peste & febribus pestilentibus puluerem besеardicum, qui posset conuenire, amotis aliis rebus calidioribus, vt semine rutæ, dictamni, & radice tunicis. Alia enim omnia refrigerant, & siccant, & inspissando humorum agitationem impediunt. Foesius

Alexipharmacum vocat. Ad idem valet puluis contra pestem, traditus in dispensatorio Nicolai, remotis foliis dictamni, & tunicis radice. Quamuis enim ista valeant aduersus venena, nimium tamen calfaciunt. Adde quod ignoratur herba illa tunicis. Puluis de bolo minùs conuenit propter multò plura medicamenta calida, vt galangam, lignum aloes, radicem tunicis, nucem moscatam, macis, cubebas, anisum, zinziber, garyophylum, & semen iuniperi. Quòd si dicantur reliqua, ex quibus componuntur hi pulueres, esse crassarum partium, nec posse penetrare sine adminiculo, dicemus cinamomum solum posse sufficere, vel admixtionem pulueris diamarg. frigidi, diatrag. frigidi, alchermes aliorúmq; quæ recipiuntur in eadem compositione. Vituperanda est theriaca, maximè antiqua. Recens enim minus læderet. Satius tamen est vti ad præcautionem tempore sanitatis, quàm in febre. Aqua buglossæ borraginis, acetosæ, scabiosæ erunt in frequenti vsu. Quarta die, & quando sudores prouocare studebimus, cum aqua cardui benedicti aquam acetosæ ministrabimus. Aqua myrthidis ab antiquis magnoperè commendatur, qua nos etiam vsi sumus. Conserua acetosæ, buglossæ, borraginis, cortex citri, conserua ros. & nenupharis sunt in frequenti vsu. Ex istis parantur, quæ supra diximus, vt condita, hoc modo.

℞. conseruæ acetosæ ℥ j cons. ros. bugloss. an. ℥. ß. pulueris diamarg. frigid. ʒ. ij. sacchari ros. quantum suff. fiat conditum, vtatur cum aqua bullita tempore sitis. Potiones autem tales erunt.

℞. pul. diamarg. frig ʒ. ß. confectionis alchermes gr. ij. aquæ bugloss. acetos. ana ℥. j. syr. de acetos. citri, vel de limonibus ℥ j. misce, fiat potus

Si autem conciliandus esset somnus, minuere oportet pulueres & addere ℥. j. syr. de papauere & aquę lactucæ. Instaurantia fiunt eo modo, quo monstrauimus facienda in capit. de Causo. Syrupi acidi omnes multùm conueniunt, & ab omnibus laudantur, vt syr. acetos. citri, de limonibus, de granatis, de acetosa, de berberis, & similes. Cum aquis superiùs enumeratis fiunt syr. digestiui, vt

℞. Syru-

℞. Syrupi de acetositate citri, vel de limonibus ℥. ij. aquarum bugloss. ros. acetosæ ana ℥ j. cum puluere diamarg. frigidi ℈. ij. aromatisentur, & capiat singulis matutinis. Extrinsecus adhibeantur epithemata cordialia, qualia sunt ea quæ descripta sunt in capite de causone, & post aliquam euacuationem, supra cor, & hepar apponenda, vt minuatur ardor sanguinis, & tueantur partes à veneno. Ista remedia sufficient, modò quis dextrè vtatur. Quòd si symptoma aliquod vrgeat, oportunis remediis oportet id minuere. Huic febri solent aduenire, vt in principio somnus immodicus, quandoq; inexpugnabilis, & maximè quando cum tumoribus fit hæc febris. Quare erunt excitandi clamoribus, ligaturis, & frictionibus. Proderit etiã oxyrrhodinum præparare cum vna parte olei, & aceti duabus partibus. Multùm dormire est valde periculosum in morbis venenosis: propterea quòd in somno fit sanguinis reuocatio ad partes internas, & ibi retinetur venenum. Circa statum delirium statim eos infestare solet, cui occurremus remediis suprà scriptis in cap. de synocho. Syncope huic malo familiaris est. Quare adhibenda diligentia erit, vt medicamentis cordialibus huic affectui medeatur. Si syncope propter oris ventriculi affectum prouenerit, & nauseabundi sint, remediũ erit prouocare vomitionẽ. Postea medicamento leuiter astringente regionem oris ventriculi roborare, vel oleo rosarum, melino. insperso puluere corallorum, vel coriandri, sandal & rosarum. Si autem sit affectus cordis, parum confectionis alchermes cum aqua ros. vel syr. de acetositate citri dandum erit. Quòd si aliarũ feb. symptomata superueniant, remediis præscriptis occurrẽdum erit. Victus ratio in istis negligenda nõ est, quæ initio tenuissima esse debet, donec cruditas ventric. vel alimentorum corruptio castigetur. Postea paulò crassiore est vtendũ, quàm si esset causus, vel alia febris, ob virium imbecillitatem, quæ semper deiectæ sunt, ob partium principum læsionem, sed quò meliùs victus rationem instituamus, cõsiderare oportet, quàm remotus sit status. Nam si ob sui acutiem statim ad statum perueniret, tenuiori victu vtendum est, si vires cum tali victu perdurare possunt. Si autem remotior fuerit

ſtatus, vt ſolet eſſe in feb. peſtilentialibus, quæ quotidianæ naturam referunt, paulo craſsiore victu vtendum eſt, vt vires conſeruentur & ferre poſsint ſæuiſsima ſymptomata. Medici ſummum illud ius morborum acutorum obſeruantes, ſumma iniuria affecerunt ægrotantes, tenuiſsima illa victus ratione, in qua vires delinquunt. Quare in hac febre tria potiſsima erunt, recrementa exagitata leuiter & facilè purgare: alterum, vim veneni frangere medicamentis alexicis. Tertium autem, vires conſeruare alimentis & potionibus cordialibus.

De febribus compoſitis. LIBER II.

AD febrium cognitionem plurimùm valet diuiſio generis in ſpecies, deinde ſpecierum diuiſio. Quare rurſum diuidemus, feb. in febres ordinatas, & inordinatas, ſiue erraticas. Rurſus inordinatarum aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ. Compoſitarum verò aliæ ſunt ex ſimplicibus febribus, vt duplex tertiana ex duabus acceſsionibus tertianis, triplex ex tribus. Quotidiana ex duabus quotidianis, vel tribus, ſed rarò. Quartana duplex fit vel triplex. Compoſitæ ex diuerſis febrium differentiis, vel ex continuis, vel ex diuerſis intermittentibus fiunt, vel ex continuis & intermittentibus, vt in hemitritæo. De erratica, quia ſimplex eſt, inter ſimplices enumerabimus, ſi priùs demonſtrauerimus has neque facilè dignoſci à quouis, neque facilè curari. Omnis enim cognitio certa à quodam firmo & fixo capienda eſt, cum in his febribus nil certi & ordinati ſit, niſi quòd inordinatę ſint, & ſubinde moueantur de vna natura in aliam naturam (quod erraticas & mutabiles facit) ab omnibus ordinatis diſtinguntur, ſed hoc nihil ad curationem. Nam ab eo nulla ſumitur indicatio, niſi quòd diuerſi putreſcant humores, & in diuerſis locis, vnde acceſsionum diuerſitas. De ea dicemus quid ſit, & quotuplex ſit feb. inordinata, quæ nullum ordinem ſeruat. Et quia ordo duplex eſt typorum & inuaſionis, duæ erunt inordinatæ Nam ſeruata typi forma, interdum præoccupat, interdum verò tardius mouetur, manente ſemper dierũ figura, hoc eſt, quæ quotidiana erat quotidie, ſed hodie prima hora, ſequenti tertia, alia die ſeptima, aliquando manè, aliquando ſerò. Hæc ſecundum partem inordi-

inordinata est, aut particulares inordinationes dicuntur. Habent sua nomina, quibus expresserunt antiqui, quæ immobiles sunt, & quæ præueniunt, & quæ celerrime horas præoccupant, *proegoumenoi* dicũtur, id est, prę-occupantes. Quæ tardius mouentur, retardantes dicuntur. At vero inordinatæ, quæ erraticæ dicuntur, sunt, quæ omnino typorum expertes sunt, id est, neque quotidianæ, neq; tertianæ, neque quartanæ sunt, sed præter modos enumeratos, adhuc citra dierũ ordinem fiunt, id est, quæ tertianæ paroxysmum, deinde quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ, & nunc tardãt, nũc accelerantur. Tales verò inordinatæ dicuntur, & sunt, quarum multæ particulares differentiæ sunt, quas difficilè est enumerare, sed vnusquisque eas per otiũ speculari poterit. Hę solent Autumno fieri ob diuersitaté humorum in corpore congregatorum Æstatis tempore & autumni, temporis inordinatione solent fieri post longas feb. & spurias in corporibus debilioribus. Non enim possunt illam diuersorum humorum naturam vincere, & deriuare, qui multi sunt, & si ad vires referantur, multi simul. Sed si particulatim & seorsum sumantur, pauca est humorum quantitas, quæ est in caussa quòd ex eadem materia duæ vel tres accessiones fiant consequenter, vel quòd bona fiat expurgatio. Plato illa recrementa vult subinde ab intemperatura visceris alicuius generari. Pauca retineri in corpore & citò putrescere ob caloris imbecillitaté. Ad earum curationem diligenter necessarium est inspicere, cuius visceris vitio id fiat, ventric. hepatis, vel lienis, si tumor aliquis in parte interna aut grauitas sentiatur. Talis pars in caussa est vel intemperies.

Quare indicatione sumpta à parte affecta, intemperaturæ remedia instituere oportet. In hisce febrib. liberare ægrum obstructionibus, bonam procurare actioné & lubricam aluum habere potissimum est. Quare pilulæ sequentes, quia liberant ab obstructione, & leuiter euacuant, quæ sunt in visceribus, & non admodum calfaciunt, sunt ex vsu. Dentur in crastinum accessionis, post primum somnum.

℞. ag. in oxymel. infusi ℥. j. rhei in aqua endiuiæ infusi ℥. ß. cinamomi, spicæ, asari ana ℈. j. succi apij, petro-

liquir.an.℈. ß.cum oxymel. formentur pilul.sex pro ʒ.j capiat semel in hebdomada. Deinde vtatur sequēti syr. per multos dies,interpositis quibusdam diebus.

℞.rad.petro.apij,gram. ana ℥.j. herbarum capil. endiuiæ,cichorei,buglossæ,borraginis,scariol. agrimoniæ ana M.j anisi ʒ j seminis apij, petro ana ℈. ij. quatuor semin.frig.maiorum ana ʒ.ij. florū cham. florum cord. ana p.j fiat decoctio. In ℔. j. ß.diss. syr. acetos.simpl. ℥. iiij.sacchari quātum sufficit,fiat syr.arom ʒ.ij. diarrho. abb. vel ʒ. j. cinamomi,capiat duobus diebus vel tribus sequentibus,& postea capiat ʒ.j.pil. Quòd si æger pilulas deuorare non possit,cap.syr.sequentem.

℞.Syr. de bizantiis & endiuiæ compositi ana ℥. iij. aquæ absynthij,& buglos.ana ℥. vj. arom. In illa aro. adde rhei grosso modo pul ℥.ß. cinamomi ℥.ij. infundantur ʒ.ij agarici in prædictis aquis, vel leuiter bulliant, dum fiat syr. Vel si reperiatur syrupus de cichorio cum rheo paratus,detur,addita agari.infusione pro ℥.iiij.syr. ad ʒ.ij. Quòd si neque in forma syr. fiat puluis talis, de quo detur in brodio pulli,& cicerum rubrorum.

℞. Sennæ orientalis ℥.j.rhei ʒ.j.anisi ʒ. ß. diagridij ℈. ß.vt potentissimè moueat cinam.ʒ.j fiat pul. de quo capiat post vsum syr.ʒ. j. vtatur diarrhodo abb. superbibendo aquæ absynthij & cicho. parū. Tertio quoq; die, hoc clystere vtatur,dū cessat à pil.&aliis medicamentis.

℞.mal.ciclæ,merc.bugl. ana M.j.pass.fic. an. nu. xx. seminis cartha.℥.j.flor.cham.p.j.fiat decoct.in ℔.j. diss. mel.ros.ij.succi merc.℥.j.olei cham.℥.iij.mis. fiat clyst. Hypochondria foueantur oleo cham. amygdal. amararum, & vino albo. Hæc sufficiunt ad febrium citationem. Quòd si symptoma oriatur ex supradictis remediis, erit occurrendum. Sed præter dicta accidentia, icteritia, & hydrops accidunt interdum. Quare illis erit occurrendum. Sed ea ipsa remedia, quæ ad curationem instituimus, eadem affectum curabunt. Quòd si fortiora necessaria, ad capita illorum recurrendum, à quibus accommodatissima remedia petantur. Vtatur optima victus ratione, & magis sit attenuans, quàm inspissans, vel obstruens Vtatur vino albo, vel claro. Iusculis cum radicibus petro. & foliis. Eligat auicularum

rum carnem, & reiiciat crassam, & pedes animalium. Si cruditatem patiatur, vomat.

De compositis, mixtis & confusis febribus.

COmpositæ febres simplicibus opponuntur, & illæ sunt compositæ, quæ præter vnius generis febrem, sui generis vel alterius vnam, vel duas accessiones habent adiunctas, vt sunt duplices, vel triplices quartanę, tertianæ, quotidianæ, vel semitertianæ omnes, vel febris commixta continuæ. Quare non leuiter errauit Gordonius, alioqui vir doctus & prudēs, qui hepialem febrem compositam dixit, quòd pars materiæ, quæ putrescit, calorem efficiat: pars, quæ putruit, frigus. Nam febres ducuntur à materia putrescente, non ab ea, quæ non putruit. Nulla enim materia sine inflammatione, vel putredine febrē immediatè suscitat. Quare non est dicēda composita, aut dicere oportet omnes febres putridas cōpositas esse, quod est absurdum dictu. Inepta esset febrium diuisio in simplices & compositas, si omnes essēt compositæ. Nulla est enim febris putrida, quæ materiā putrescentē, & non putrescētem non habeat, sic omnes essent compositæ Nec ob id dicendum est ob sensum caloris & frigoris, febrem illam compositam esse. Nam in intermittentium principiis talis sentitur sensus, dum interna calent, externis refrigeratis adhuc ob caloris reuocationem, vel ad interna retractionem, quod manifestissimum facit sitis, quam frigoris tempore patiuntur ægri. Neque enim febres propriè compositæ dicuntur cum accidentibus. Accidentia sæua, sæuos morbos etiam, vt corpus vmbram sequuntur. Neque etiam febres compositæ dicuntur à diuersa simpliciter diuersorum humorum commixtione. Nam omnes febres puræ, compositæ essent. Oportet enim humores, qui febres faciūt compositas, ad tantam peruenisse copiam & putredinis gradum, qui si soli essent, febrem facere possent. Nam omnis putredo febrem facit, vel humoris putrentis quantitas. In catarrho salso inest aliqua pituitæ putredo, vnde salsugo. In tumoribus præter naturā partium externarum est putredo, sine febre tamen. Quare illæ tantùm compositæ sunt, & dicuntur, quæ ex diuersis accidētibus sui generis, vel diuersi cōponuntur, quo-

rum ratione Medicus curandi rationem variat. Dico propter febrem ephemeram, quæ omnibus febrib. aliis putridis & hecticis coniungitur. Qui enim fieri potest, vt quod inflammatur facilè, non inflammatur, inflammato, quod ægrius accenditur, vt humoribus & partib. solidis? Omnis substantia tenuis faciliùs inflammatur, quàm crassa. Verùm, quia hæc semper fit & in omnibus, & nullam curam per se desiderat, ob id Medici antiqui commixtionem illam prætermiserunt, quæ semper est.

Diuisio febrium compositarum.

FEbres cõpositæ sunt, vel eiusdem generis febres, vel diuersi. Eiusdem generis in continuitate, vel intermissione materiæ, vt duæ febres cõtinuæ simul infestantes, confusæ febrem faciunt compositam. Quomodo id possit fieri, postea inuestigabimus. Sic duæ intermittentes iunctæ, compositam faciunt eiusdem generis, & materiæ, vt duæ tertianæ, duæ quartanæ, quotidianæ, ambæ sunt intermittentes, & à materia biliosa. Si ex eiusdẽ generis intermissione, & materia duplices dicuntur, si vna accessio vni addatur: triplices, si duæ vni. Ita fit vt omnes in vna periodo, vel interuallo fiãt, & sic sunt duæ quotidianæ, cùm intra viginti quatuor horas duæ accessiones cum frigore fiunt. Tertianæ duplices, cum tertio quoq; die duæ accessiónes fiunt cũ rigore & vomitu bilioso, & soluuntur sudore. Triplex, si tres sunt etiam triplex tertiana, vt docet Gal. 2. de crisibus. Talis febris formam tradidit eo in loco, quem se cognouisse secunda die gloriatur. Quartana duplex, & triplex facta composita dicitur. Triplex quartana faciliùs cognoscitur, quã tertiana triplex: quia plus temporis intercedit. Verùm, & quotidiana accessionem quotidie facit, quod iis imponit, qui ex circuitu febrem distinguere volunt, non ex natura febris & accidentibus. Ex diuersis generib. fiunt, vt ex continuis & intermittentibus, vt si quotidiana tertianæ adiungatur, cùm primo quidẽ die inuadit bis, & bis remittitur, die sequenti semel, tertio verò rursum similiter. In primo die inuadit, in secundo bis, tertio die semel. Quotidiana etiam quartanæ commiscetur, cùm prima quidem die, bis inuadit, duobus sequentibus diebus semel, quarta die bis. Non solùm vna febris vni miscetur,

miſcetur, vel complicatæ, ſed etiam tribus diebus diuerſorum generum, vt quotidiana, tertiana, quartana inuicem miſcentur, cùm dies quidem prima tres habeat acceſſiones, ſecũda vnam acceſſionem, tertia verò duas, ſcilicet, quotidianæ, & tertianę. Quarta rurſus duas, ſcilicet, quotidianæ, & quartanæ. Quinta verò duas, tertianæ & quotidianæ, atque in reliquis diebus idem cum primis, ordo ſeruabitur. Tertiana quartanæ iungitur, cùm dies prima duas inuaſiones inducat, totidémque remiſſiones, ſecunda verò, nullas omnino inuaſiones adducit, tertia vnam, quarta vnam, quinta vnam, ſexta nullam, ſeptima vnam, & ſic deinceps commiſcentur adhuc tres, ſcilicet tertiana, quartana, & quintana. Prima die, acceſſio tertianæ tantùm, ſecunda nulla, tertia vna, quarta vna, quinta duæ tertianæ, & quintanæ, & ſic de aliis. Simplex cum compoſita, vt tertiana cum ſemitertiana, quam commixtionem Gal. 2. de criſib. & de typis monſtrauit, quæ fit, cùm quotidiana continua, cum duabus intermittentibus tertianis coniungitur. Hîc notandum eſt, quòd tales coniunctiones, etiam omnes vno die, ſimul, & hora non incipiant, ſufficit in vna periodo iſtas compoſitiones duarum, vel trium inueniri, & poſtea eodem modo progredi. Sic in hæmitritæo fit, vt prima die incipiat tertiana ſola, poſtea, quotidiana continua procedente tempore inueniatur. Hæc enim omnium intermittentium difficillima, quam nemo impoſſibilem eſſe affirmabit, cùm diuerſi humores nõn naturales, in diuerſis locis diſcreti inueniantur, bilis in veſica fellea, pituita in ventriculo & inteſtinis, melancholia in ſplene. Cùm ſeparati & impermixti reperiantur, quid impedit ſimul putreſcere, cùm obſtructio ſit communis cauſa prohibitæ euẽtationis, & prohibita euentatio putredinis? Prętereà caloris naturalis, aut facultatum corpus noſtrum gubernantium imbecillitas, humoris ad putredinem diſpoſitionem habẽtis præparatio, & cauſæ efficientes? Nõ eſt difficile diuerſas feb. fieri, vt in humoribus naturalibus, qui in venis contineantur. Quomodo fieri poſſunt diuerſæ febr. continuæ, difficile creditu eſt. Nos tamen fieri poſſe experientia ipſa didicimus, & ex Galen. tales feb. conſtitutæ ſunt. Febres ſynochôs poſſe

ſimul confundi, hac ratione oſtendo. Euenit aliquando aliquibus, vt ſint habitu pituitoſo, & tamen bilem euacuent. Si pituita putreſcat in venis habitus corporis, fit quotidiana continua, ſic bilis, quæ euomitur, ſi genita in venis minoribus putreſcat, fit febris confuſa ex tertiana continua, & quotidiana continua. Vel ſanguis, dum putreſcit, vertitur in bilem, craſſa pars in melancholiam, ceſſat ſynochus, & ſi putreſcant duæ iſtæ partes, altera faciet tertianam continuam, altera quartanam continuam, & ſic erit febris ex vtraque confuſa, & permixta. Verùm, quia illæ febres ob permixtionem confunduntur, & ſemper magis in alteram vergunt, vocantur ab humore, qui magis ſe promit & manifeſtat, quæ & ſi minùs exactè & citò dignoſcatur, parum aut nihil damni accidit, quia certiſſimum eſt omnium febrium continuarum remedium, miſſio ſanguinis, quæ in omnibus conuenit, clyſteres, victus ratio tenuis. Quare citra illa exactam cognitionem, ſi modò ſyrupo aceſoſo ſimplici, vel capillis vener. vtamur, qui ſyrupi in omnibus febribus conuenire poſſunt, curantur hæ febres. In principio, cùm omnia ſint mitiora, non diſtinguuntur, ſed circa ſtatum & ex declinatione, & ſymptomatum propriorum remiſſione, vel in illis fiunt ſymptomata, quæ media ſunt. Diſcernuntur, vt ſupra. vigiliis, ſomno profundo. Fiunt vigiliæ, ſopor, pro rigore, & horrore, & frigore. Sic per ſigna ſyncerarum, & febrium continuarum facilè cognoſcet iſtas confuſas. Sed vulgus Medicorum non vltra progreditur, quàm ad genus, cognita febre, quæ non deſinit ad infebricitationem, continuam vulgus vocat, illa cognitione vniuerſali contentus. Quare ſi illos vulgares Medicos interrogemus, quis morbus, quæ febris ſit, ſatis bene ſe reſpondiſſe putant, ſi dicant febrem continuam, quaſi vnum tantùm genus febrium continuarum eſſet. Quare vos precor, vt tales aſinos prætermittatis, & præter eorum conſuetudinem ſpeciem febris vltimã inuenire omnibus modis ſtudeatis, vt citiùs morbum propulſetis. Pudet recenſere, quantùm cæcutierint maiores noſtri, & qui eos ſequuntur, quibus nunquam contigit agnouiſſe ſpeciem ſemitertianæ, de qua hoc loco dicere

conſti-

constituimus, vt febrium omnium compositarum typos & formas cognoscatis.

De semitertianis febribus.

IStæ febres, vt priùs dictum est, vel ex intermittentibus duabus, vel tribus componuntur eiusdem generis, vel ex continuis, vel confunduntur. Tertium genus est, quod ex vtroque genere componitur, scilicet, ex continuis, & intermittentibus, quales sunt, quę appellantur semitertianæ. Componuntur ex continua quotidiana, & tertiana intermittente, vt authoritate & ratione ostendemus, si priùs de nominis ratione aliquid dixerimus. Oportet enim nominis significatione inter nos & antiquos conuenire, neque vt rem difficilem, & inutilem prætermittere debemus: quia nominis quæstio, quid sit, præcedere debet. Quòd autem facilis non sit nominis huius hemitritæi, vel semitertianę cognitio, de huius significatione, antiquorum Medic. variæ sententiæ ostendunt, vt multorum consensus de varietate coniecturam præbet. De hac nominis significatione multa Gale. scripta reliquit, vt lib. 2. de different. feb. lib de typis 2 de crisib. & 1. epidem. comment. 3. Inter antiquos neque de significatione, neque de etymologia satis conueniebat. Eam ob causam Agatinus solum primum librum scripsit de semitertiana, in quo nominis significationē inuestigat, teste Galen. libr. 1. epid comment. 3. Agatinus semitertianam relatione ad tertianam dictam esse censet. Et Gal. annotat lib. de typis alia ratione dici. Porrò, inquit, quidam semitertianam appellatam esse aiunt, quemadmodū est semicirculus & semisphæra. Alij verò appellatam volūt, quasi sesquialteram, vt si tertianæ inuasio, verbi gratia, 12. horis constet, semitertianæ sanè 12. horas tertianę comprehendet, atq; his adhuc dimidium duodecim horarum adiiciet, atque omnes octodecim numero erunt. Ita vt dimidio maior tribus per circuitum repetentibus typis quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quæ ratione ipsæ 24. horis constare asseruntur. Alij febr. omnes tertianas extensas hemitritæas, vel semitertianas appellabāt. Galen. missa hac nominis improprietate scripsit 1. epid. cōment. 3. Equidē illud (Hipp. intelligit) vocabulū improprium reprobare censeo, siquidem illis, quæ integram

non sunt assecuta absolutionem, dimidij vocabulum attribuimus. Itaque dicimus semimortuũ, semimortalẽ, semideum, semiiustum, & id genus alia: At semitertiana tantùm abest, vt dimidia sit tertiana, vel multitudine symptomatum, vel viribus, vel horum tota cõditione, vt longè etiam sit deterior, vel potiùs huius illa, quàm hęc illius dimidia esse videatur. Quare non venit mihi in mentem, qua re adducti sic potiùs nomen imposuerint primi istius nominis inuentores, quàm aliter. Poterant tamen hi, cũ tertiana febris habeat, vt in tertio quoque die, inuadat, & ad integritatem veniat, ita vocebulum instituisse. Habet enim, vt tertio quoque die inuadat (aiũt) ad integritatem veniat, non item. Poterant præterea, & quòd accessione careat, cum rigore incipiente adhuc, non quod excretione finiatur, iam quod diem integram secundũ non habeat. Hactenus Gal. de nominis ratione. Sed nos semitertianam appellamus cum Hipp. feb. illam quæ ad statum statim tendit, horrifica, & continua acuta, omnino non intermittens, vno die leuior, altero grauiùs inuadit, & geminationes, vel reduplicationes habet, tanquã quid proprium, cũ accessionum extentione. Vel vt manifestiùs Gale. 2. de diff. feb. explicat, & nominis & essentiæ rationẽ his verbis cap. 7. non abs re inditũ huic feb. nomen hemitritæi. Nam ex quotidiana continua, & tertiana intermittente tota eius natura confusa, dimidiam partẽ vtramque harũ feb. retinet. Sicut igitur semiasinus & semideus nomen tale sortiuntur, ita hemitritæus est. Semideus dimidia quidem parte deus esse mõstratur, cùm verò alterã partem hominis habet, hæc pars in homine omittitur. Sic hemitritæus dimidiã eius habet tertianã, alteram quotidianam continuã. Sed hæc forsitan de huius nominis ratione, & eius natura vniuersa plus satis. Quomodo autẽ fiat, id demonstrare aggrediar & quotuplex sit. Sed quod semitertiana fiat ex quotidiana cõtinua, & tertiana intermittẽte ex Hipp. verbis colligitur, & hac ratione ab illis petita demõstrari potest. Cùm composita sit, impossibile est vnã & eandẽ simplicem continuã & intermittentẽ simul esse. Quare compositam esse necesse est non ex duabus continuis, non ex duabus intermittentibus, ergo ex continua & inter-

mitten-

mittente. Verùm quòd non fit ex duabus continuis, patet. Si esset ex continuis, non esset horrifera. At ex Hipp. horrifera. Igitur non ex continuis. Horror & rigor siquidem fiunt, cùm per partes sentientes, è venis humores acres, & mixti sparguntur, quòd non fit nisi in principiis intermittentiũ. Ex duabus intermittentibus non fieri sic demonstro. A quibuscunque fierent, illæ desinerent in infebricitationem aliquando, quare non esset continua. Quare ex continua & intermittente fieri necessario sequitur. Verũ fieri posset ex tertiana & continua & quotidiana intermittente, & contra, sed quod ex tertiana continua nõ fit, manifestè ostendimus. Si tertiana continua fit & quotidiana intermittens, tertiana continua continuò affliget, intermittens verò quotidiana quotidie accessionem longissimã haberet, non ergo alter dies leuior esset. Adde quod nõ esset horrifica, sed cũ refrigeratione inciperet. Quare cũ neque ex tertiana continua fieri necessariò, quæ nunquam desint ad integritatem donec soluta sit integrè, & ex tertiana intermittẽte. Illa intermittens facit horrorem, qui parùm differt à paruo rigore, facítque vt morbus grauior appareat quotidie, & in illa reduplicationes fiunt, ob retardationem à pituita factam. Quotidiana verò facit, vt in multos dies extẽdatur. Tertiana etiam illam reddit acutissimã ob symptomata, quæ hæc febris inuehere solet, de quibus postea. Huius febr. duæ sunt species, altera exquisita dicitur, altera non exquisita. Exquisita est, interprete Gale. in qua est æqualis mixtura duarum feb. quæ ex duobus humoribus constat, qui cùm admiscentur, horrorem faciunt. Non exquisita, quando alter humor vincit, vt idem author scribit. Atque non est exquisita vbi aut bilem, aut pituitam habet præpollentem. Cognoscitur, quod bilis præualeat, si rigor magis, quàm horror fit, & ad statũ celerius peruenit, sine multis reduplicationibus, & calor magis acris est & euidẽtior, & vomitiones, & aliæ excretiones magis syncer æ. Symptomata, vigiliæ, sitis, & alia magis bilem, quàm pituitam referunt. Non exquisita ob pituitæ dominium est, si frigus potius, quàm horror fiat. Plures reduplicationes, tarditas caloris, & paucitas sitis, excretiones magis pituitosæ. Exquisita verò incipit cum

horrore ob mixturã frigoris & rigoris,& partem bonam accessionis in reduplicationibus cõsumit. Semitertianæ tres sunt differentiæ à Gal. traditæ Est enim quæ parua dicitur, altera magna, tertia inter has duas posita, media dicitur. Differunt lõgitudine & breuitate hæ tres, vt Galen. inquit, quòd ob magnitudinem differentias habẽt. Alia enim semitertiana exigua, alia media, alia magna. Exigua est igitur quæ circa 24. hor. torquet: media, quæ circa 36. horas: magna, quæ circa 48. quæ continuæ feb. est proxima. Verùm vnde petãtur istæ differentiæ, multi hæsitant. Alij à pituitæ & bilis maiore vel minore quantitate, vel crassitie. Sed quòd à magnitudine nascantur hæ tres differentiæ, dubitatur an à duratione paroxysmi vel à remissionis tẽpore, vel interuallo, quod aliqui voluerunt dicere, sed hoc potiùs ad magnitudinẽ id est, ad longitudinem paroxysmi, quàm ad aliud referẽdum est. Quare non ad cõtinuam, sed ad intermittentẽ has differẽtias referri oportet. Quòd si ad intermittentẽ, rursum inuestigandum, num à tertiana exquisita, vel à tertiana simpliciter, vel à producta referri oportet has differentias. Tot enim sunt tertianarum differentiæ apud Gal. Nos ad exquisitam non esse referendũ diximus, quia accessio ad 12 tantùm horas extenditur, semitertiana 24. hor. pro accessione habet. Neque etiam ad simpliciter tertianam, quia illa non potest extendere paroxysmum ad 24. horas. Quare concludere oportet à productæ, seu extensæ tertianæ accessione colligi, propterea quòd extensæ tales accessiones habẽt, vt ex Gale. & quotidiana experientia cognouimus. Gale. harum extensiones 2. de differ. feb. cap. 8. hunc in modum scripsit, Omnium febrium fons & principium, atque elemẽtum. &c. Neque plurima est earum multitudo, cùm omnes tres numero sint, vt quę ex amara bile, & quę ex atra, & quæ ex pituita generantur, quarũ singulæ duas habent differentias, continuas scilicet & intermittẽtes. adeò vt omnium, quę ex humorum putredine ortum habent, fiãt sex numero differentiæ. Quòd si aliqua illis accesserit, in his particulatim cõtinetur. Differẽtia ex humoris copia, quãtitate, vel ex qualitate, vel ex putrefactionis qualitate, præterea ex modo motus, ac particula, in qua putredo habebit, origi-

originem, veluti earum febrium intermittentium, quæ tertio quoq; die accessionem faciũt, quæ quidem breue habent accessionis tẽpus, & tum rigore inuadunt, & per sudores, & vomitũ bilis, & biliosa excrementa finiuntur. His etiam tertianæ exquisitæ nomen inditũ est. Quibus verò aliquid deficit, hæ nõ exquisitæ, sed simpliciter tertianæ appellantur. Quòd si intermissionem breuiorem, accessione, videlicet, in lõgius tempus producta, hæ tertianæ productæ vocãtur, cùm tantùm hæc ipsa res in eo, quod magis & minùs suscipit, differentiam habeat. Licet quidam ex his aliquã simpliciter extẽsam nuncuparint, quæ cùm 24. horas in accessione consumpserit, reliquas horas febris expertes habet, aliquãdo sufficienter extensam, quæ ad 30. extẽditur horas. atq; etiam amplius vsque ad 40. vel plures. Hactenus Gal. Nunc cuius gratia hæc transcripserimus ostẽdamus. Hoc manifestissimè monstrat hemitritæum fieri ex tertiana extensa. Nam accessio parua semitertianæ respõdet durationi febris simpliciter extensæ, media, tertianæ in longius tẽpus extensæ, scilicet, ad 36. horas. Magna verò accessio respondet tertianæ ampliùs productæ, cuius accessio ad 40. vel plures horas protẽditur. Semitertiana verò maxima, quæ circa 48. horas (quę febri cõtinuæ proxima est, propter extentionem magnã accessionis) est lethalis & periculosa ex Hipp. quod intelligendũ est de acuta, vel quando in hac febre morbi eueniunt acuti, vt Hipp. loquitur in epid. cõm 2. aph 3 In febre, quã semitertianã vocãt, morbi veniũt acuti, tũ præter cæteras, est lethalis. Puto Hipp. per acutos morbos, acuta symptomata, quæ in hac eueniunt, intellexisse, quæ multa sunt, & grauissima, vt experientia docet, & hæc enumerauit lib. de typis Gal. Atq;, inquit, semitertiana periculũ minatur, eò quod non solũ stomachum, & partes neruosas attingat, & in vniuersum eas ad huc, quæ media cõpositione existũt, verùm etiã veternosos inducit sopores, atque cũ deliriis annexas vigilias, nõnunquam & resolutiones, quas syncope comitatur, vnde linguam valde siccet, atque animi defectũ efficiat, eúmq. in profundo vehementius moueat. Typus hic ferus est, ac vndiquaque periculum portendens. Quandoque autem prima die constituitur, quemadmodum & alij typi,

interdum verò à secundo & tertio incipit, quò fit, vt huiusmodi inuasione promptissimam Medicis curandi caussam exhibeant. Oritur autem nonnunquam à tertiana producta, nonnunquam etiam soluta in tertianam permutatur, interdũ in duas tertianas, & quartanas ob inuasionis lõgitudinem dirimitur. Quod attinet ad naturas, virilem corrumpit: quod ad ætates, florentem maximè, quod attinet ad anni tempora, in Autumno præsertim, quãdo valde periculosa existit. At verò nõ perpetuò continua est, sed intermittẽs quandoq; inuenitur, atque ab Hipp. traditũ est, nõ solùm inter morbos acutos, verùm etiam inter diuturnos morbos numerari. Solet etiam his accidere, qui tabe, & aliis morbis laborãt, vt 1. epid. com. 3. aph. 3. At tabidi & qui longius aliis morbis detinẽtur, hac præcipuè ægrotant. Satis de feb. cõpositarum accessione, quæ nihil aliud est, quàm reduplicatio accessionũ vel permixtio varia febrium. Quare qui simpliciũ annotationes & signa ad vnguem tenet, facilè duplicatarum, complicatarũ, aut mixtarum naturam cognoscet. Quare nihil aliud addendum censeo, nisi quod diligenter, & attentè (si post duas accessiones nõ euidenter feb. speciẽ cognoueris) redeat rursus ad inuestigationẽ, consideret si simplex sit, vel cõposita. Simplicem ex simplicibus accessionib. cognoscet. Deinde nũ exquisita, vel producta, considerandum. Si producta, ad quot horas extendatur, vel ad 24. vel ad 36. vel ad 48. Quòd si nulla febris adsit, tales esse ex paroxysmi inuasione luce meridiana clarius est. Si composita, ex duplicatis, vel ex confusis. Confusæ sunt cõtinuæ. Duplicatæ sunt vel quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanę. Quòd si neq; ex confusis, neq; ex reduplicatis, aut replicatis, ex hemitritæis esse oportet, exquisitis vel spuriis. In vtraque enim est cõtinua quotidiana, & intermittens tertiana. Quòd si æqualiter mixtæ sint, exquisita est. Si verò vel magis bilis, vel pituitæ naturam referat, spuria est. Quare in cognitione non errabit. Sed qui morborum exactam cognitionem negligit, vel illos fieri ignorat, in inuestigatione toto cœlo aberrat & tantùm in curatione aberrat, quãtùm in cognitione peccauit. Curãtur duplices, vel triplices, vt spuriæ, vel extensæ sui generis. Hoc est duplex, vel triplex tertiana, vt extẽsa.

Febres

Febres quartanæ duplices, vel triplices, vt quartanæ cõtumaces, nisi quod mitiùs cum illis est agẽdum: quia ex duplici fit triplex, & ex triplici fit cõtinua, quæ lethalis est, vel admodum periculosa. Commixtæ difficiliùs curãtur, quàm duplices, vel triplices: propterea quòd cùm sint ex diuersis humoribus multùm à se inuicem differẽtibus, & putrentibus eodẽ tempore, diuersis in locis, non vno medicamento curari possunt, vel alterante vel concoquẽte, sed vnusquisq; suum medicamentũ determinatum desiderat. Alter alterũ impedit, & retardat. Quare vnum vtile & saluberrimum præceptũ inueniri, vt medicamentis mixtis, id est, mediis vtamur, tam alterantibus, quàm laxãtibus. Quare non erit pręter institutũ hîc obiter aliqua considerare, quæ materiæ biliosæ & pituitosæ cõueniunt. Syrup. acetosus per se attenuat pituitæ crassitiem, & bilis acrimoniam obtundit, & obstructiones, quæ in quotidianis, & quartanis euenire solent, aperit. Syrup. capil. ven. non malę quadrat. Syrupus endiuiæ, si aquæ attenuantes, & aperientes, vt apij, petros. addãtur in febribus ab vtroque humore factis. Cõuenit violatus, in materia biliosa, & melancholica. De stechade, in pituita, & melancholia naturali. Inter laxantia, catholicum syru. ros. laxatiuus, agaricus in pituitosa & biliosa: cordialia in omnibus, vt borrag. bugl. herbæ capil. &c.

Curatio Semitertianæ.

SEmitertiana curatur detersis intestinis, clystere detergẽte, missione sanguinis ad ℥. 3. vel plures, si vires, ætas, regio, & alia cõsentiant. Hæc enim omnibus putridis continuis conuenit, & febribus tertianis spuriis, vt suprà monstratum est. Ergo & in hac, hoc tantum inspiciẽdum, an sit semitertiana acuta futura, vel longa. Quòd si acuta, statim, nisi cruditas ventriculi impediat, vel cibi plenitudo, mittendus sanguis. Si lõga sit futura, post duas aut tres accessiones, vt Gal. faciendũ docuit 1. ad Glauc. Quòd si nõ liceat, propter aliquam occasionem mittere sanguinem, dabimus minorans medicamentum. Misso sanguine, non nocebit syrupos dare ad alterationem, & vtriusque materię præparationem ex supra enumeratis.

℞. syrupi acetosi simplic. capill. veneris ana ℥. 1. ß. aquę endiuię, bugl. capill. ven. ana ℥. 3. ß. aromatisentur

cum ℥ I. diarrh. abb. & cap. in tribus matutinis. Interea dum vtitur his syrupis, iniiciatur clyster sequens.

℞. mal. merc. ciclæ, borrag. ana M. I. prunorũ num. xx. quatuor sem. frig. maiorũ an. ʒ. 3. anisi ʒ. 2. florum cham. p. 2. florũ cord cõmunis p. I. fiat decoctio. In cuius lib. I. diss. mell. viol. ℥. 2. succi ciclæ ℥. I. olei viol. & cham an. ℥. 2. misce fiat clyster. In processu infunde in vna parte decoctionis clysteris agarici ʒ. 2. Finitis syrup. inspicere oportet, in qua parte morbi sint febres, vel in augmento, vel in statu, vel in declinatione. Quòd si in incremento ambæ sint, laxandum, si vires ferant. Si in declinatione, laxandum, quia non integrè morbus est solutus. Quòd si in statu ambæ, quod est difficile, propter materiæ diuersitatem, melius est silentium habere. Quòd si biliosa in statu sit, & continua in incremento, euacuandum est, ad pituitæ diminutionem. Si verò continua sit in statu, melius est silentiũ habere: quia plus est periculi in cõtinuæ statu, euacuatione, quàm in intermittẽtis statu. Medicamenta media, vt agaricus, catholicum eligi debent. Rhab. si vsurpetur, in vino albo infundatur, & aqua endiuiæ. Syr. rosatus laxatiuus non est prætermittendus. Si symptoma aliquod ex iam commemoratis infestauerit, non erit negligẽdum. Nam aut euacuationem suadebit, aut dissuadebit, vt syncope, animi defectio, conuulsio, somnus veternosus, corporis grauitas, plenitudo. Hæc ad illã curandã, quæ sine supra enumeratis accidẽtibus est, sufficiunt, cum supra dictis aliis, ad viriũ cõseruationem.

Victus ratio optima esse debet, cibus dandus, & missio sanguinis, & medicamenta purgantia in die & in hora minoris afflictionis. Quòd si post alias febres fiat, vt in tabidis, & aliis debilibus naturis, vel ætate, vel morbo, tunc prætermittenda missio sanguinis, sed eos curare oportebit, vt eos, qui syncopem, vel animi defectũm patiuntur, vt qui hunc in modũ curandi veniunt. Si animi defectus, vel syncope fiat ob affectum oris ventric. quod ex dolore, vel morsu, vel nausea deprehenditur, in illis vomitionem facere, & mouere oportet, iniecto prius clystere, ne excrementa sursum consecutione quadam ferantur. Reddito clystere & perpensis excrementis, vel coniectura artificiosa cognitis, si crudi succi, vel praui

biliosi

biliosi sint, ventriculi os mordicantes, non alio modo curari vult Galen. exolutionem factam à prauis & biliosis, & alio modo à crudis. Illius exolutionis causa, curationem partis affectæ, situm, regionem, per vomitum indicat. Ergo detur aqua tepida, quòd si non vomat, detur hydrelæum, vt Galen. præcipit. Quòd si non facilè vomat, calfaciendæ sunt partes ventris, & fouendæ oleo calido, vt relaxentur, non autem manus & pedes ad vomitum prouocandum. Nam sic potiùs impediretur vomitio, tractis humiditatibus ad partes remotas, sed tantùm indicatione à syncope, in qua omnes spiritus recurrunt ad cor, veluti ad cētrum & fontem spirituum, sumpta. Quòd si neq; illa remollitione vomat, missis in os, vel penna, vel digitis, stomachus irritandus est. Sin neq; sic vomat, rursum oleum calidum, quàm optimum exhibendum. Id autē non solùm vomitū prouocare, sed etiā ventrem lenire solet. Id quod nō parùm ad rem, de qua agitur, facit. Quocirca nisi sponte accidat, arte prouocare oportet, maximè appositis remediis, quibus si facilè vomat. absynthij coma aquæ mulsæ iniecta, in potu danda est. Deinde modis omnibus roborare partes, tū medicamentis forinsecus impositis, tum absynthij potu. At non per initia quidē, sed post, purgato corpore, scilicet. Nam cùm ventriculus continet prauos & crudos cibos, astringendus non est. Hęc Gale de exolutione à biliosis humoribus. Nos verò nostris syrupis vti possumus ad materiæ detersionem, & ventriculi corroborationem, vt syrupis, conditis, vnguentis & aliis leuiter laxantibus, sine magna agitatione. Syrupti sunt endiuiæ compositus, & simpl. capil. ven. Aquę. endiuiæ, absynth. cichor. scar. vt

℞. syr. endiuiæ simplic. & capill. veneris ana ℥. 1. aquæ cichorei, end. & absynthij ana ℥. ß. aromatisetur ʒ. 1. diarrh. abb. &c. pro vna dosi, & reiterentur. Conditum verò paretur hoc modo.

℞. conseruæ capill. veneris, conseruæ florum cichorei ʒ. 2 conseruæ bugl. ℥. ß. pul. diarrh. abb. diatrag. frig. & triasand. ana ℈. 1 sacchari q. ß. Si verò syncope esset, diamarg. frig. loco aliorum ponenda est ʒ. 1. Inunctiones ex ol. cydonior ū & rosa & absynthij & non nisi post vomitionem, quia astringunt. Si vires ferre possunt,

rheum infusum, & expressum, syrupus rosatus laxatiuus cum aqua hordei conueniunt. Quòd si nō potest ob frequentem animi defectum, frictionibus reuocare & euacuare oportet clysteribus detergentibus. Si verò caussa exolutionis sit frigida, pituita in ore ventriculi collecta, plurimùm fouere oportet ol. cham. & nardino, & eo, in quo absynthij coma cocta sit. Mulsam dare, in qua hyss. vel id genus maduerint, & acetum mulsum (cui addit Galen. piper.) cōuenit. Dari potest syrupus acetosus simplex, aqua hordei decocta cum pauco pipere conuenit. Gal. præcipit, diospoliticū, & diatrium pipereum. Si hæc in cruditate conueniant, in syncope cum febre reiicienda, quia calidiora & siccîora Vsurpanda verò ea, quæ à nostris fuerunt inuenta, vel pulueres cordiales, stomachici, vt pul. diarrhod. abb. aromatici rosati, rosatæ nouellæ, de gemmis, ex quibus etiam potiones, & condita parantur. Nos igitur occurremus huic febri, cui adiuncta syncope, vel animi defectio, syrupis cōcoquentibus, & conditis, & suprà dictis inunctionibus. Ante inunctionem iniiciatur clyster detergens & laxans. Deinde syrupo acetoso, vel mulsa, vel aqua tepida cum syrupo capillor. veneris prouocetur vomitus. Dentur syr. concoquentes, detergentes pituitam, quales sunt syrupi conseruationis corticis citri, syrupi capill. veneris, acetosus simplex. Diluantur aquis apij petro. aqua distillata hyssopi, mentæ, betonicæ. Istæ quanquam astringendi vim habent, illam perdunt in sublimatione, quia per illam separantur partes terrestres ab aliis partibus. Quare sine reprehēsione dare possumus, vt Gal. aquam mulsam, in qua coma absynthij fuerat macerata diu, dederit. Nō autem dandus est syrupus de absynthio ob succum cydoniorum. Hi syrupi cōcoquunt, leuiter detergunt materiam, quæ os ventriculi leuiter obsidet. Galenus aquā hordei cum pipere dat, quod puto faciendum in spuria tertiana, ob pituitæ dominium, & in ea, cui syncope adiuncta est. Condita parantur hoc modo.

℞. conseruæ corticis citri ℥. 1. conseruæ radicis buglossæ & capillorum veneris ana ℥ ß. pul. diarrhodon abbatis ʒ. 1. vel aromatici rosati ʒ. ß. vel rosatæ nouellæ, capiat per se, vel cum aqua hordei. Si vires ferre possunt,

ſunt, medicamentum purgans detur tale.

℞. glyc. raſ. ʒ. ij paſſ. par. x. aniſi ʒ. j. agarici in panno ligati ʒ. j. ß. florum cordialiũ p. j. fiat decoctio. In quartario vno, diſſolue ſyrupi roſati laxatiui ℥. ij. zinziberis, & cinamomi ana ℈. ß. fiat potio.

Rhabarbarum infuſum & leuiter expreſſum addi poteſt. infundatur in vino albo, & pro ʒ. j. addatur cinamomi ℈. j.

Non probo Practicos noſtros, qui in hoc affectu grauiſſimo & vehementiſſimo turbith præſcribunt, immemores theorematum vniuerſalium, & turbith facultatum. Quòd ſi obiiciant agaricum, dico medicamentum eſſe familiare, & ſecurum. Adde quod decoctum datur non in ſubſtantia. Hac ratione curatur febris ſyncopalis à practicis dicta, quæ nihil aliud eſt, quàm ſemitertiana, vel alia febris maligna.

Victus ratio eſt inſtituenda tenuis circa ſtatum, ſi diuturnior ſit, cremor ptiſanæ cum pipere, vel cinamomo eſt cibus conueniens, aut ius capi cum prædictis, aut aliquot foliis hyſſopi.

Si verò conuulſio fiat, à plenitudine, aut ab inanitione. Si à plenitudine, ob illam magnam excrementorum cõmixtionem, & agitationem, ob bilis tenuitatem, quæ pituitæ aquoſæ commiſcetur. In cerebro enim cum neruos penetrat, conuulſiones facit. Erunt inſtituendæ fortiores euacuationes, vel frequentiores, quàm in illa, in qua ſyncope aderat. Sunt etiam humores magis detergendi, quàm incidendi, ne magis ad partes excrementa deducantur. Ad digeſtionem excrementorum oleis modicè detergentibus aluus reſoluatur, vt ol. amygdal. amararum, nucis indicæ, ol. irino. Adde aquæ vitæ parum. Si ab inanitione, non curatur. Tamen ne deſpici videatur æger, ol. relaxantibus, & humectantibus per ſpinam & partes externas inungere oportet, vt ol. amygdal. dulc. violato, &c.

Tabula dinumerandarum accessionum in febribus complicatis.

Dies.	Quotidiana,	Tertiana,	Quartana,	Quintana.
1	1	3	4	5
2	1	3		
3	1	3		
4	1	3	4	
5	1	3		5
6	1	3		
7	1	3	4	
8	1	3		
9	1	3		5
10	1	3	4	
11	1	3		
12	1	3		
13	1	3	4	5
14	1	3		
15	1	3		
16	1	3	4	
17	1	3		5
18	1	3		
19	1	3	4	
20	1	3		
21	1	3		5
22	1	3	4	
23	1	3		
24	1	3		
25	1	3	4	5


Explicatio tabulæ.

IN hac tabula sunt quinque columnæ numerandæ à læua in dextram, in quarum prima annotantur dies, in quibus fiunt accessiones, earúmque reduplicationes & copulationes. In secunda, quotidianæ perpetui circuitus. In tertia, tertianæ febris alternatim periodi. In quarta, quartanæ febris quartani paroxysmi. In quinta, quintanæ tardæ & admodum raræ accessiones ostenduntur, atque harum omnium simul complicatarum circuitus redit 13. quoque die, 20. & sic faciendo deinceps supputationem vsque ad centum eo modo, quo solemus supputare paroxysmos tertianæ & quartanæ, ita vt vnus & idem dies, sit prioris circuitus terminatio, & sequentis initium. Vnde intra 25. dies, ter apparet hæc complicationis forma: intra 36, quater: intra 46, quinquies: intra 61, sexies: intra 72, septies: intra 84, octies: intra 96, nouies, & deinceps supputantibus nobis per ternarios & denarios dies. Sic intra dictos 25. dies, typus quotidianæ solius, & non complicatarum apparet octies scilicet 2. die, 4 6. 8. 12. 18. 20. 24. quoque die, partientibus nobis vniuersum hunc typum per decimos tertios dies. Typus verò quotidianæ cum tertiana sola complicata, quater, scilicet, 3. 11. 15. & 23. die accidit. Typus cum quartana sola, etiam quater accidit, scilicet, 4. 10. 16. & 22. die fieri solet. Quotidianæ verò cum tertiana & quartana bis, 7. & 9. die. Quotidianæ cum tertiana & quintana, quater contingit 5. 9. 17. 21. Quotidianę autem cum quartana & quintana, nunquam contingit, nisi cum aliis febrium circuitibus. Cæterùm hic est ordo semper reincidens in hanc annotationem omnium simul concurrentium, quæ tota 13. diebus includitur, circulóque eodem semper redit, quocunque semper progrediaris per decimos tertios dies. In hac tabella apparet, quòd accessiones sunt in commixtione febrium, vt si quotidiana cum tertiana tertio quoque die duas accessiones habet, nunquam mutatur à principio ad finem. Sic cum quartana seruat semper illum ordinem. Hoc tamen interest, quòd quarto quoque die accessiones fiunt. Verùm quando tertiana quartanæ miscetur, tunc

ſi in prima die fuerunt duæ acceſſiones, in ſecunda nulla, in tertia vna, in quarta vna, in quinta nulla, in ſexta nulla, in ſeptima rurſus ambæ coniūguntur, & in 13. die, 19.25.31.37.43.& 49. ita fit, vt 7. die ſemper complicētur, ſupputando dies acceſſionum, vt ſupputātur quartanæ. Quintana complicatur illis tribus 13. quoque die acceſſionem ſuam miſcet cum tribus aliis, ſed cùm miſcētur tertiana, quartana, & quintana, ſi prima die acceſſio tertiana tantùm fit, ſecunda nulla, tertia vnā, quarta vna, quinta duæ, ſcilicet tertianæ acceſſio, & quintanæ.


Quintana 13. quoque die cum quartana coniungitur, & ſemper cum tertiana inuenitur, vt aſpicienti in tabula videre eſt.

GVLIELMI



GVLIELMI RONDELETII DOCTORIS MEDICI, ET MEDICINÆ IN SCHOLA MONSPELIENSI PROFESSORIS regij & Cancellarij.

De morbo Italico, liber vnus.



MORBVM Italicum nouum esse morbi genus, omnes ingenuè fatentur. Qui quidem contagiosus est, & maximè si per coitum maris & fœminæ contractus sit. Est autem intemperies humida, & multorum symptomatum causa. Et hoc pro diuersitate humiditatis, & corporum patientium. Quare sic describemus: Morbus Italicus est intemperies mala partium externarum cum humore contagioso, ex venereo contactu mediatè vel immediatè contracta: ad quam pustulæ plurimùm, & mala vlcera, vel dolores sequuntur. Huius descriptionis partes explicare, & demonstrare conabimur, quia cum iis, qui hodie de hac materia scribunt, non conuenit. Nos hunc morbum sub intemperie collocauimus, quia primùm intemperies massam sanguinis inficit: deinde cacochymia nascitur, à qua pustulæ, tumores, vlcera, doloresque nascuntur. Nemo ibit inficias, morbum esse intemperiem, quæ humores corrumpit. Nam in hoc omnes ferè côueniunt. Sed à nobis in specie dissentiunt, vt Montanus vir doctus putauit eum morbum calidum & siccum esse, quem tamen curat calidis & siccis medicamentis, vt gaiaci decocto, & aliis omnino exiccationibus; quibus si staret eius sententia, potiùs foueretur & exacerbaretur morbus, quàm curaretur aut mitigaretur, frigida nimirum & humida postulante, & impetante morbi natura. Verùm cùm frigida & humida huic

Morbi Italici descriptio.

morbo planè, & velut ex diametro contraria esse nos & experientia, & eorum, quos mala hæc lues infestat, testimonia doceant, quis ita in Montani verba iurauit, vt illam eius definitionem mordicùs retinere, & pertinaciter defendere conetur? A frigidis autem & humidis humoribus tantos excitari dolores nemini mirum videri debet. Nam vidi ego multos ex sola capitis & pedum lotione in summos & acerrimos incidisse dolores, ob introductam frigiditatem & humiditatem nimiam: quos tamen dolores multum calidis sedari quotidie experimur. Quare si à iuuantibus & lædentibus sumitur indicatio, haud dubiè morbus hic, intemperies frigida & humida erit, vt ex rei natura, atque affectibus apparet. Cæterùm materia illa humida diutius moram in corpore trahendo incrassatur, & acrimoniam acquirit, tandémque partium temperamentum immutando, ipsásque partes diuellendo aut arrodendo, continui solutionem, quam vocant, efficit. Hæc autem frigida & humida intemperies pro corporum, in quibus concluditur, varia natura, alia atque alia euadit. Nam si corpus, quod hoc morbo corripitur, sanguine abundet, statim infecto sanguine, pustulæ erumpunt sine dolore. Quod arguit materiam non esse adustam. Sunt & in aliquibus pustulæ, veluti carnosæ, in aliis ichores in capite à substantia crassa & viscida, quæ quidem pustulæ mitiores sunt ob humiditatem, minùs frigidæ ob sanguinis calorem. Sed hoc tantùm in principio, & eo tempore, quo maligna illa qualitas nondum infecit sanguinem, neque immutauit. Postea verò oboriuntur dolores, qui noctu infestant, & interdiu cessant. Mitigantur autem calidis, frigidis verò & humidis exacerbantur. Procedente verò magis morbo & corpore magis affecto, frigidior redditur morbus. Et cùm fiant vlcera, id à pituita salsa fieri certum est. Quare nos materiam pituitosam & viscidam huius morbi causam esse hinc colligimus, quod dolores articulorum sine calore fiat circa noctem, & circa manifestum tumorem in partibus carne denudatis, ac ligamentosis vt circa ceruicem, claviculã, caput, sternum, anteriores tibiæ partes, & in aliis ossibus multùm à capite distantibus. Nam hæ partes omnes frigidæ cùm sint, alimento pitui-

Montani error.

Doloris causa.

pituitoso nutriũtur. Et cùm hi dolores à recremẽtis partium fiant, vt in tibia, vel à defluxione à capite, à quo pituita redũdat, vel ex aliis ossibus, nõ potest esse alius humor. Et hinc fiunt dolores õmoplatarũ, qui pituitã subesse declarant. Fiunt etiã in pituitosis corporibus per defluxionẽ, cùm subitò tumores & dolores cõtingunt. Fieri autẽ à pituita, tumorum apertio ostẽdit, qui cùm secãtur, vel vruntur, pituitã viscidam & pus viscosum emittunt. Quare miror, cur alij melancholiam, alii assatum humorẽ, vel aliam materiam esse dicant. Hoc enim vnũ argumẽtum satis est (vt opinor) efficax ad sententiam nostrã probandã: quo etiã Gal. vtitur cùm docet inflãmationes à sanguine fieri, tum albi, tũ libello de tumoribus præter naturam. Illud quoque probare possumus ex iis, quæ post sudationẽ excernũt. Quãdoque enim expuitione liberatur à dolore, & perfectè curãtur. Morbum hunc humidum esse satis ostendit sanatio. Curatur autẽ resiccãtibus & mouẽtibus sudores potiùs, quàm mouentibus vrinas, vel ventrẽ laxantibus. Quare colligendũ est, morbũ esse partiũ externarum, vt cutis, carnis iuncturarum, & partium frigidarũ. Ob id infestãtur frigidæ partes doloribus, vt caput, articuli, sura, sternũ. Partes verò internę non multũ inficiuntur, quia calidiores sunt & excremẽta facilius concoquũt aut expurgant. Quòd autem sint partes externæ primũ affectæ, deinde internæ, hinc manifestum est. Cùm enim fiat per contactum hic morbus, quæ priùs tãguntur partes, & excrementis pituitosis vel humidis abundãt, primæ omnium inficiuntur. Et si vlcus primum in pene fit, ex coitu fiat necesse est, à contactu partis affectæ. Deinde emunctoria vnguinum, quia hæ partes agitatæ incalescunt, vel à materia venenosa tanguntur. Si verò ob dormitionem, tunc cutis afficitur ob panni aut hominis venenosi contactum. His autem partes oris & pulmonum læduntur, qui inter cœnãdum aut accubandum, & ore tetram & venenatam auram hauriunt, & veluti venenatum alterius spiritum excipiunt. Quò fit, vt qui festinanter & sine osculo, auersóque capite coeunt, non tam facilè hoc modo corripiãtur, neque illis pustulæ in fronte & occipite excitantur, quia non multa materia in eo loco abundat, & quia partes illæ

excrementa tertiæ concoctionis, quæ morbum faciunt, faciliùs expellunt, quemadmodum videre est tempore sanitatis. Nam quum sudamus, sudor ferè à fronte incipit, & nunquam aliquis sudat, quin circa caput sudet, ob humiditatis excrementorúmque copiam. Steatomata & exostoses (Gallicè subros Italicè, quies, vocantur) non nisi à materia viscida & crassa fieri contingit, vt dissectio eorum, qui mortui sunt, & tumorum præter naturam apertio, denique ipsa curatio ostendit. Non me latet in multis herpetes fieri, sed miliares, qui ex bilis & pituitæ admixtione ortum habent, idque in corpore bilioso. Neque tandiu durarent herpetes, nisi illa pituitæ admixtio adesset. Fiunt etiam furfures, aut inæqualitates in cute, & pruritus. Quæ omnia, non minùs à pituita salsa fieri existimandum est, quàm à bile. Quod nemo sana mente negabit. Quòd si vlcera fiant, non curantur, nisi corpore priùs euacuato, & hoc potissimùm per sudores. Quare si à materia calida & sicca morbus fuerit, hisce remediis potiùs foueretur, quàm curaretur. Nec verò minùs ridendi sunt, qui frigidum & siccum morbum esse statuunt. Nam hæc remedia sicciorem redderent, atque ideo magis læderét. Et tamen, quę sicca sunt, curant, vt lignum gaiaci, schina, salsa parilla, argentum viuum, & eiusmodi alia. Ergo nullo modo frigidus & siccus morbus est. Quòd dolor sit potiùs in externis, quàm in internis, inductione patet. Pericranium enim læditur, à quo dolores fiunt extensiui, ita vt videantur pili sursum erigi. Circa sternum etiam & in epomide, & in suris est dolor. Ostendit etiam id solutio, quòd non nisi sudore morbus soluatur, aut frequenti & magna alui deiectione, quæ longo temporis tractu habitum corporis siccat, & inedia quæ tales humiditates absumit. Quare cum elephantiasi conuenit, quia partes occupat externas. Sed in hoc differt, quòd morbus Italicus à partibus externis, elephas siue lepra à partibus internis ortum habet. Et ad externas progreditur elephas, ad internas verò repit morbus Italicus. Hoc etiam in pueris natis ex matre vel patre infecto ostenditur: hic enim morbus in partibus externis relucet ac apparet. Ego vidi puerum nasci totum coopertum pustulis morbi Ita-

bi Italici. Hoc facit etiam, vt morbus fit contagiosus. Nam partes externæ, si externis obiectis apponantur, magis afficiuntur: vt qui carne sunt molliore & rariore cute, citiùs hoc morbo corripiuntur per contactũ. Quare non mirum, si ophthalmia videndo acquiratur, scabies, & hic morbus contactu, quia cùm in extremitate cutis existat, effluit aliquid, quod intro receptum, oculum inficit: sic carnem, iecur, & reliquum corpus. Argumento est, quia morbus Italicus, qui neque scabiem, neque pustulas habet, sed dolores tantùm, raró cõtactu illo contrahitur, nisi cùm vlcus, vel scabies, vel pustulæ ęgrum infestant. Neque etiam post sudationem morbus hic, vt priùs infestat, neq; ab aliis corripitur, nisi per contactum venereum. Qui excernunt excrementa pituitosa satis declarant morbum esse frigidum. Neque aliquis contrarium docere potest, etiamsi in quibusdam aliqua bilem ostendant, vt herpetes, aliqua sanguinem. Hoc enim euenit, quia morb⁹ in corpore pleno bile factus sit, vel melãcholico, vel sanguineo. Et hoc in principio. Nã morbus tandem corporum illorum temperiem immutat, & pituitosus morbus verè tunc fit & apparet.

Mediatè vel immediatè aliquis corripi hoc morbo potest. Nam qui per contactum patitur, vel à nutrice, vel à parentibus, vel ab aliis accepit, vel per ventris contagionem. Et per contactum, vel cum nutrice, vel cum parentibus, vel cum aliis, mediatè. Non enim contingit videre aliquem tali morbo correptum, qui castè pudicéque vixerit, nisi qui cum infecto sit versatus. Quare neque vitio alimentorum, neque ab astrorum influxu, ortum habere potest hic morbus, sed ex India, in quo loco frequens est, & forsan familiaris & proprius morbus, vt olim Carbo, in Gallia Narbonensi: Lepra, in Alexandria: Bronchocele, in montibus Sabaudiæ. Hanc luem veneream contagiosam esse nemo negare potest, nisi sensum & experientiam negare non veretur. Nam ex contactu venereo primùm fit, & magna ex parte tunc à pudendis incipit. Fiunt enim extrà vlcuscula, quæ quamuis parua sint, disepulotica tamen sunt, & curatu difficillima. Vel intus fit inflammatio, in glandulis parastatis, qua parte fluit semen cum pure. Ob id hoc

aliqui appellant gonorrhæam. Si verò spuma, vel sanies aliqua, inguina contingat, vel cum hoc plus iusto mouentur, vel cùm partes reseratæ internæ & externæ sanguinem trahunt, tunc bubones fiunt venerei. Pueri lac sugendo vitiosum, ore malum contrahunt. Cùm verò nutrices à pueris accipiunt, tunc in mammis primùm fiunt vlcera. Fit etiam hic morbus iis, qui post aliquem hoc infectum bibunt. Alij cum ægrotis dormiendo, hãc luem contrahunt: & tunc in cute tota apparet, & præsertim in ea parte, qua ægrotum tetigerunt. In principio fiunt papulæ & ichores, & potissimùm in inguinibus in iis, qui concubitu sibi morbum contraxerunt. In pituitoso vel in eo, qui recidiuam patitur, dolores ac tumores frigidi & duri fiunt. In biliosis, vlcera *cacoetheia*. In habentibus tenues humores, alopecia (de qua dicemus in fine huius tractatus) in aliquibus fissuræ manuum & pedum. Omnia hæc à pituita salsa fiunt. Sunt, quibus cuticula sola deperditur, quia humor serosus & salsus ob suam tenuitatem cutim penetrat, ac cuticulam abscedere facit, ita vt siccata decidat in frusta. Dicere verò, quòd morbus habeat occultam quãdam naturã ac venenum, est confugere ad sacram illam diuûm anchoram. Non nego in quibusdã morbis proprietatem quandã inesse, in aliis idiosyncrisiam. Sed in quibusdam magis est euidens, quia magis familiaris. Quemadmodũ phlegmone differt ab erysipelate, febris tertiana à quartana & ephemera. In aliis minùs euidens vt in epilepsia, suffocatione vteri, apoplexia, & etiam in hoc morbo. Cui si inest aliqua vis deleteria occulta, & in scabie quoque erit, quia scabies non minus contagiosus est morbus, quàm Italica lues. Quòd si in scabie idem sit, etiam in herpete, erysipelate, & aliis morbis idem erit. Verùm in hoc morbo proprietatem & singularem quandam naturam concedamus. Corpus enim ita inficit, vt ossa dura emolliat, afficiátque tumoribus & carie, nullo extrinsecus apparẽte vitio in cute. Dolores pituitæ motum sequuntur, vel serosorum humorum naturam. Quare nõ tam occultus est, vt sibi & aliis multi magni viri persuaserunt. Et quia hoc crediderunt, remedia proprietate occulta curare, coacti fuerunt dicere. Quanquam rationem non minùs euiden-

Quomodo fiant bubones venerei.

Occulta proprietas.

Scabies contagiosa.

Huius morbi proprietas.

euidentem reddere possumus, quàm cur aqua maris scabiem curet, vel lixiuium siccet partem perhumidam, & quæ detergunt, vel per halitum digerunt, curẽt icterum. Indocti & imperiti est statim ac subinde ad sacram illam anchoram cõfugere. Sed hoc à plerisque ferè omnibus fit, vt leui negotio sese à multis difficultatibus extricent. Hoc autem tum faciendum, cùm euidens causa nulla est. Tunc enim verisimile est à tota substantia, vel cæca causa prouenire, vt cùm dicimus rhabarbarum, vel scammonium hunc vel illum humorem trahere cũ delectu. Cuius rei rationem reddere nemo potest, nisi ob similitudinem substantiæ, vel quãdam sympathiam. Sed quod arg. viuum, gaiacum, china, salsa parilla, & alia multa curent hanc affectionem, causa euidens est nõ occulta, scilicet, quia morbo aduersantur, & siccando mouent sudores, & euacuant à partibus affectis humorem morbum facientem. Quod postea monstrabimus, si prius de notis & curatione in vniuersum dixerimus. Morbus hic syncerus est, & nulli permixtus, cùm partes externas occupat, nec offuscatur alio morbo euidẽti, vel symptomate aliquo. Tunc manifestus est lippis & tonsoribus scilicet, cùm vlcera in pudendo post coitum, & pustulæ in fronte & capite erumpunt. Quod qui videt, morbum esse Italicum securè potest pronunciare, & præsertim si accidat ei, qui cum scortis versatur. Quòd si virgini aut religioso accidat, dubitamus quodammodo, & talem morbum esse dicere veremur, sed fucatè pronunciamus calorem hepatis esse, cùm fissuræ manuum, vel papulæ, vel alia exanthemata apparent. Itẽ, si herpetes apparẽat cum tali morbo, vel morbi dispositione, tunc morbo euidenti omnia appingimus, & sub manifesto alium occultamus, vtpote Italicum, cum quo difficillimè dignoscitur, & sic tectus facilè latitat. Sic in capite ac aliis partibus nihil mali extrà apparuerit, tunc multi negant se morbũ pati, propterea quòd neque vlcera neque tumores habent in manibus aut aliis membris. Quare oportet hunc morbũ diuidere in primum morbum & recidiuum: & rursus in primum, & secundũ: & secundum in caussas morbi, & in corporis intẽperaturas. Nã alius est, si ex cõtactu venereo immediatè factus vel mediatè fuerit. Alius

Gaiacum

in sanguineo, alius in bilioso, alius in melancholico: alius in recidiuam patiente: alius si renascatur, vel à nouo concubitu, vel quia imperfectè fuerit curatus.

De signis morbi Italici incipientis.

DEprehenditur morbus ex causis præcedentibus, & ex iis, quæ mox apparent, & quæ sequuntur. Si vir aut mulier vago concubitu vtatur, huius morbi suspicio habenda est. Si verò qui nos adit & consulit, morbum hunc sit passus, nobis suspicio augetur. Magis etiam, si in fronte papulæ carnosæ, vel in capite pustulæ, aut crustæ appareant sine dolore, & subitò obortæ sint: aut si cum his signis vlcus in pudendo, vel intus, vel extrà sentiatur humidum, curatu difficile, vel cum tumore, vel exuberantia carnis, vel gonorrhœa, quā vocant. Sunt enim hæc certissima morbi Italici signa & indicia, quæ ferè in sanguineis & biliosis apparent. Hinc etiam coniecturam facere licebit, si post concubitum nulla purgatione vsi fuerint, aut sanguinem sibi mitti non curauerint. Hoc enim solent facere, qui morbi huius suspicionem habent aliquam, vnde solent morbum incipientem curare, aut ita debilitant, vt non nisi post longum tempus seipsum extrà prodere, aut proferre posſit. Quare cùm in aliquo aliquas notas morbi Italici videmus, debemus interrogare vtrum illa supradicta egerint, an aliquo morbo correpti fuerint ab eo tēpore, qui quidē potuerit immutare & retardare morbum Italicū, vt febre tertiana, aut alia, in qua multi sudores erumpunt. Quòd si morbus sit in habitu corporis, & refrigeretur, tunc latitans morbus erumpet. Vt accidere vidi cuidam, qui morbum latitantē patiebatur, ex fissuris & crassitie volæ manuū & pedum conieci. Is dysenteria correptus fuit, qua curata grauissimo capitis dolore fuit diuexatus, qui dolor nunquam sedari potuit, nisi inunctione argenti viui. Si qui dolores omoplatæ, clauicularum, & sterni cùm vel sine vlcere, & tumores illos duros in capite, vel brachiis, vel labiis, patiantur, præcesseritque exulceratio in mentula intrà vel extrà, & bubones venerei, qui non profluxerint, sed retrocesserint, vel indurati sint, eos morbo Italico laborare certò & intrepidè, etiamsi negent, affirmare possumus. Si vlcus in aliqua parte ortum sit ei, qui aliquando morbum

Certissima morbi Gallici signa.

Cautio.

Historia.

Quæ certò morbum Italicum indicant.

bum Italicũ passus est, adhibita fuerint remedia cõuenientissima, & non curetur, hunc in cachexiã ex morbo Italico incidisse certũ est. Itaque in vnguento sublimatum vel argentũ viuũ addere oportet, vt vlcus curetur. Quòd si non cesset, ob id, verẽdum, ne in habitu corporis retineatur, ac tegatur aliqua morbi Italici lues. Quare toti corpori adhibenda erunt remedia. Si corpus extenuetur, & ischiadicum dolorem patiatur, morbum Italicũ esse censendum est, & remediis oportunis curare oportet. Si quis dolorẽ dentium frequẽter sine carie, cum ischiadico dolore sentiat, vel cũ dolore capitis, vel omoplatarum vel sterni, & dolor magis noctu quàm interdiu infestat, & post aliquam leuem calfactionem, tunc morbum Italicum certò pronunciare possumus. Si quis areas habet circa crotaphitas, & in occipite, à morbo Italico, est vulgò dicta (*la pelade.*) Quòd si barba cum superciliis decidat, magis etiam certũ erit. Qui fissuras manuum & pedũ frequentes habent, à morbo Italico imperfectè curato ista sibi accidere credãt. Si quis vnguẽs veluti leprosos habeat, hoc morbo Italico referat acceptũ. Hæc autẽ affectio vulgò, ab vnguibus (*vnglade*) vocatur. Denique qui cuticulã manus sine pruritu mutãt, hanc sciat morbi Italici esse sobolem, quæ vulgò (*la Paralelle*) dicitur. Hęc autem, quæ sequuntur, inter notas morbi Italici non obscuras licet agnoscere. Qui hoc morbo corripiuntur, tristes sunt, & statim post contractum morbum in illis extinguitur venus, & mentula mollis & humida efficitur, dummodo non sit vlcus in interna vel externa eius parte. Nam vlcus solet priapismum siue distentionem prouocare, & aliquando ad venerem irritare, ob excrementa acria. Sternum dolet in hoc morbo, quæ vna est ex certissimis notis. Sentiunt & contractionem thoracis sine difficultate manifesta respirationis. Dolet etiã epomis & omoplata, quia masculi tenues & membranosi sunt: atque etiam pars occipitis dolet.

Cachexia ex morbo Italico.

De curatione.

MOrbus à plenitudine est: itaque euacuatione curabitur. Sed cùm plenitudo possit esse coniuncta cũ aliqua praua qualitate, morbo correptus non refrigerabitur, etiamsi euacuetur per sanguinis missionem: quæ

quidem conueniens erit, modò ætas, regio, tempus & vires consentiant, & modò morbus sit in principio, & cum pustulis, scabie, vel vlceribus. Nam si dolores capitis & articulorum diuexent ægrum, missio sanguinis tunc non competit, quia refrigerat, & refrigerando, morbum auget ac deteriorem reddit, latitantémque frequenter detegit. Quare cum summa animaduersione vidēdum est, an sanguis mitti debeat. Quòd si morbi magnitudo ac corporis vires, & temporis constitutio suadeat primùm excrementa alui & ventriculi euacuanda erunt, vel pilulis, vel bolo, vel syrupo. Pilulis, si alias formas remediorum assumere non possit, vel si pituita euacuanda sit. Pilulæ erunt ex aloë tantùm non lota, vel ex hiera, vel pilulis ante cibum, vel sabellis, & aliis quæ plus aloës recipiunt. In omni morbo Italico inter omnes pilulas conuenientiores erunt pilulæ ex aloë. Nam sola aloë morbum curat exsiccando.

Quomodo vena sectio nō cōpetit.

In principio morbi, & temperaturis calidioribus sic erit progrediendum. Si morbus initiò est cū scabie, vel herpetibus, vel vlceribus, minoretur syru. ros. solutiuo, qui syr. magis dicetur conuenire, & etiam in temperaturis calidioribus. Paretur ergo vt sequitur.

℞. syrup. ros. lax. ℥. 2. decoct. mercur. ℥. 3. misce, capiat manè die præcedente miss. sanguinis, vel si quis malit cass. cum cathol. in forma boli poterit accire. Si morbus inueteratus & pituitosus magis sit, vel in corpore pituitoso, ea quæ componuntur ex sena, carthamo, & agarico, sunt efficaciora, vel ex diaphœnico, vel indo maiore, cum aqua enulæ camp. vel beton. vel absynth. misceantur. Quare talibus, vt postea docebimus, erit vtendum. Sed nunc morbi incipientis curationem trado, & in plethorico, vel multùm sanguineo. In crastinum ergo minoratiui mittatur sanguis è vena basilica dextri brachij, nisi vlcus vel affectus in altera parte fuerit, altera illæsa vel minùs affecta. Quantitas sit ℥. 3 vel 4. primùm: in crastinum verò ℥. 6 vel 7. si vires ferant, rursus detrahantur. Hic affectus vel lassitudo curandus est, in qua lassitudine Gal. iterat missionem sanguinis ad animi vsque deliquium. Quod nunc non censeo faciendum, sed quātum vires ferre poterunt. Si morbus sit adhuc in principio, &

Venæ sectio.

mate-

materia sanguini permixta, materiam illam ab habitu retrahere non possumus nisi euacuatione magna. Quæ etiam ratio instituenda erit in iis, quibus sanguinẽ mittere non licebit. Eos enim purgabimus multùm & frequenter, apozematibus, & syr. compositis ad serosos & pituitosos humores detergendos: quales sunt syr. de fumaria compositus, syr. de epithymo, qui dantur cum sero lactis, si biliosus vel calidior fuerit, vel cum decoctione mercur. & borraginis, vel cum aqua absynthij, quæ in ista specie optima est, ac etiam pituitosa. Siccat enim, & adstrictionem deposuit separata aquea & aërea, ac ignea substantia à terrestri, vel fiat sic. Syrupus ad serosa recrementa & aquea, & ad illa quæ satis sunt præparata à natura, & separata ab humoribus laudatis, qui quidem purgat, sed priùs præscribendum est medicam. laxans, vtpote minoratiuum ex suprà scriptis.

℞. cichor. endiuiæ, scariolæ, lupuli, fumiterræ, acetosæ, herbarum capil. an. M. 1. brassicæ marinæ M. ß (si sicca fuerit ponatur ad ℥.3) prunorum, sebesten, passul. ficuum an. par. 20. anisi ʒ 3. semin. carthami, polypod. querc. ana ℥.3. senæ orient. ℥.4. si brassica sit, sin minus ℔ ß. florum buglossi, borrag. ana p. 1. anthos, chamæmeli ana p. ß. (chamæmelũ caput & partes relaxat, & dolores ventris, à sena & polypodio excitatos compescit, aut inhibet ne fiant) Sacchari q. s. fiat syru. quem continuet per 5. dies. Priusquam autem præscribatur medicamentum laxans consideretur euacuatio facta per syr. Quòd si non mouerit syr. ob corporis constitutionem, ei adde syr. rof. lax. ℥.1. Et alternis diebus tũc vtatur, vel die præcedente medicamento eradicatiuo. Quòd si laxauerit quinquies, sexies, vel pluries, considerata corporis plenitudine, vel cacochymia medicamentum paretur ex confect. hamech, vel succo rof. vel electuario diacarthami. Vtile enim est corpus benè purgare. Quòd si non possit tolerare, frequentiùs non erit dandum medicamentum. Neque tamẽ euacuationem per cutim tentare oportet, quin priùs corpus sit mundatum à recremẽtis, ne fiat maior attractio, quàm per cutim euacuari possit. Quòd si fiat, vel nõ curabitur, vel recrudescet breui morbus, vel deterior reddetur. Noui ego multos, qui

Chamæmeli Vis.

post inunctiones & diætas, dolores vel exostoses passi sunt, cùm antea nihil tale passi essent, quia materia fuit attenuata, liquefacta, & ad partes externas attracta, non autem euacuata. Quare multùm vel frequenter corpora illa vacuanda censeo in principio. Si verò minùs licet tantopere vacuare, post tres certè inunctiones exhibendum medicamentum, vt quæ liquata sunt, euacuentur. Medicamentum debile non potest vacuare ob sudationem, quæ extrà ad cutim euacuat materiam. Fortè verò medicamentum periculosum est, tum ob viriũ imbecillitatem, tum quia frequẽter materia per ventrẽ euacuatur. Quare neque debile vt cassia vel catholicon, neq; forte, vt priùs dictũ est, sed mediũ conuenit, vt si detur confect. hamech ad ʒ.2. cum aqua hordei & ℥.2. syr. rof. laxatiui, vel si volumus naturam excitare, ventrem primùm, deinceps partes inferiores inungemus vnguento, circa vmbilici regionem. Si vnguentis vtamur, vel decoctione gaiaci semel in hebdomada medicamentis purgantibus aluum mouemus. Purgato corpore materiam coniunctam, quæ in habitu corporis est, euacuare oportet. Euacuatur autem per masticatoria, si morbus firmatus sit in capite. Si in iuncturis, cucurbitulis, cum scarificatione. Si cum frequenti squalore, vel vlceribus corporis, missione sang.e venis linguę, si aliqua pars oris vlcerata sit. De masticatoriis, quibus euacuandum sit, postea dicemus. Nunc de causa, quæ sanguini permixta est, nobis institutus est sermo. Euacuamus quod in carne collectũ est, sudore per cutim, tanquam per propinquiorem & conuenientiorem regionem. Sudor prouocatur vel externis auxiliis, vel internis. Verùm alia sunt aliis efficaciora ad hunc morbum propulsandum, & curandum. Prouocabunt sudores balnea, stuphæ, emplastra, vnguenta. Verùm balnea, quæ siccant digerendo citra astrictionem, longo vsu hãc affectionẽ curare possunt. At quæ ex aqua dulci fiunt, plus nocent sua humiditate, quàm euacuando prodesse possunt. At sublimata in doloribus & vlceribus: nitrosa in vlceribus & scabie: aluminosa in doloribus articulorum. Stupharum frequentior vsus maximè proderit. Nam morbum debilem curare potest, sed longo tempore. Emplastra ex argento viuo eadẽ ratione curant,

Quibus modis euacuatur materia coniuncta.

Quæ & quomodo sudores prouocent.

Balnea aquæ dulcis non cõferunt & cur.

curant,qua vnguenta. Sed magis per insensibilem transpirationem,& siccando,quàm euacuãdo sudores. Quare in iis,quibus ob negotia sudare,& domi manere non licet,emplastra conueniunt,sed in doloribus magis,quã ad scabiem, vel ad tumores, & aliqua ostracosa vlcera. De emplastris dicemus suo loco,si priùs de vnguentorũ vtilitate,& eorundem diuersitate docuerimus.

De Vnguentis.

VNguenta fiunt ad materiæ eductionem. Nam quæ solet morbum facere, euacuatur per poros cutis. Igitur vnguenta ex chalasticis, areoticis, & epispasticis, & mouẽtibus sudores paranda sunt,si morbi dispositionem per totum habitum sparsam videamus. Quòd si vel vlcus particulare, vel scabiem, vel herpetem, aut alium quendam morbum curare voluerimus,nobis particulari remedio erit vtendum. Solent enim illa particularia impedire sudorem, qui tamen necessarius est ad dispositionem vniuersalẽ:quæ quã primùm emẽdanda venit. Deinde veniendum ad particulares cuiuslibet membri curationes,quæ(vt iam dictum est)vniuersalem & sudores impedire solent, vt quæ fiunt per cinnabriũ factitiũ ob sulphur,cerusam,acetum,oleum amygdalarum, quæ quidem solent vim argẽti viui minuere. Et illa particularia sunt.Est autem ad id maximè accommoda,axungia porci,quæ veluti basis & fundamentum horum vnguentorum est,quia relaxat,emollit,& argẽtum viuum excipit,si præparata sit,vt debet,scil. non salita,non liquata, sed recens, vel sine sale seruata, à qua ablatæ sint membranæ, diligenter in mortario cõtusa, vt meliùs misceatur. Liquefacta verò axungia,nunquam post liquefactionem bene coalescit,aut retinet argentum viuum. Axungia gallinæ anseris,vrsi ponuntur,sed hoc particularem affectũ, & in parua quantitate, quia tã magna quantitas nõ reperitur. Quæ cùm tenuium sint partiũ,minùs retinent argẽtum viuũ,& tãtùm in doloribus poni debent. Butyrum his succedit,quod tamen multo magis, quàm prædictæ axungiæ, argentum viuum retinet. Veruntamen ad dolores & papulas præscribi solet,quia papulas magis & meliùs digerit, quàm aliud quoduis, & maiori quantitate, quàm axungia anseris, & aliæ similes poni

non debet. Olea conueniunt rarefaciētia & digerentia, vt chamæmelinum, liliorum, irinũ, rutaceum, de spica, & similia. Ol. amygd. cōmune, sésaminum, anethinum, quia nimiùm humectant, nō cōueniunt nec valent. Sed in hac prima specie, quia corpus calidius est, oleo chamæmelino, & liliorum possumus vti, & magis vsurpari debent. Quibus etiam adduntur aliquot vnciæ laurini, si scabies & papulæ adsint, quia illas curant emolliendo & digerendo. At in doloribus, oleum irinum, anethinũ, cum laurino & de spica, in doloribus articulorũ hæc valent. At in doloribus capitis propter odorem insignem minùs valet hoc. Et si posuerimus, parùm admodũ erit ponendum, vt in extremo morbo. Terebinthina, abietina, & aliæ liquidæ cōueniunt, quia acopa sunt medicamenta, corpus calfaciunt, & humores euacuant ac digerunt. Resina cocta & cera, ad inspissationem ponuntur, scilicet, cùm pulueres non recipit vnguentum. Tunc etiam vnguento apponimus lithargyrum, etiamsi aliqua ex parte sudores supprimat. Non enim ponimus, nisi cum multis relaxantibus aliis, & magna argenti viui quantitate. Argentum viuum & axungia, vnguenta cōficiunt. Sed quia illud nimiùm penetrat ac dissoluit, minori quantitate ponitur: túmque necessaria sunt ea, quæ superius adiunximus, & alia multa. Noui aliquos, qui solo argento viuo, axungia porci, & cineribus curabant morbum Italicum, & paucissimis diebus. Verùm vidi etiam aliquos in tremorem incidisse ex intempestiuo argenti viui vsu. Itaque satius est remedia minùs efficacia habere, ac longiori tempore curare, quàm periculosa exhibere, quia sat citò, si sat tuto. Non enim bonum est repentè euacuare, vel replere, vel calfacere, vel refrigerare, eliquare, vel multa excremēta attrahere ad partem per quam egredi nō possunt. Hoc enim est periculosum, & plus lædit, quàm prosit.

℞. axungiæ porci non salitæ, nec liquefactæ ℔. j. ol. chamæmel. & irini ana ℥. iij. terebinth. & resinæ ana ℥. ij. ceræ parum, argenti viui extincti in succo limonum ℥. iiij. misce. fiat vnguentum. Et vngantur partes extremæ circa iuncturas, & emunctoria, & spinam: & sensim pronocetur sudor, cooperiendo, vel apponendo lateres. Tegatur

gatur benè, ne ab aëre frigido tangatur, aut impediatur perspiratio, & euacuatio integra fiat. Vngatur semel pro prima vice, deinde bis, deinde semel: & sic fiat, donec medicamenti vis ad partes internas penetrauerit. Cōficietur hoc modo efficacissimũ, quod nunquam me fefellit.

℞. vnguenti martiati & aragon ana q. j. axungiæ porci non salitæ, nec liquefactæ ℔. j. ol. chamæm. aneth. ana ℥. j. ol. laurini ℥. ij. argenti viui ℥ v. resinæ, terebinth. ana ℥. ij. misce, fiat vnguentum, quo vngatur, vt dictum est priùs. Si sint vlcera, & affectus sit cum multis papulis, & vlcusculis, tunc thus, mastix, iris, ærugo æris, & alia hoc modo miscebuntur.

℞. axungiæ porci ℔. j. butyri recentis, terebinth. lotæ in aqua vitæ ana ℥. ij. resinę & vnguẽti martiati ana ℥. iij. argenti viui ℥. v. thuris, mastichis, iridis ana ʒ iij viridis æris ʒ. ij. ol. irini & laurini an. ℥. iij. lithargyri auri ℥ j Misce, fiat linimentũ, quo vtatur, vt priùs. Si verò sint vlcera maiora & curatu difficilia, addantur vni parti vnguenti, quæ vlceri conueniunt ad detersionem vel mundificationem carnis. Vel si sit dolorosum, & quoquo modo nõ possit sigillari, fiat hoc modo,

℞. vnguenti præscripti q. j. vng. apostolorum ℥. j. misce. Applicetur supra vlcus putridũ & sordidum. Ad maiorem arrosionem faciẽdam, & vt quicquid est putridi, auferatur, necessum erit addere parum sublimati. Quod multùm proderit, vbi vna vel duabus applicationibus vsi fuerimus, ne frequenter partem vexando, labefactemus, vel intẽperiem calidã inducamus. Cùm verò detersum fuerit, & ad vlceris naturam reuocatũ, tũc addemus vni parti vnguẽti plus resinæ, mastichis, thuris aloës, sarcocollæ, vel panacis, vel cerusæ, vel minij, vel plũbi, vel antimonij, semper ista augendo, & mercurij quantitatẽ minuendo Sed de vlcerũ curatione integrè suo loco dicemus Redeamus ergo ad vniuersalem curãdi rationẽ. Si scabies & herpetes appareãt, hoc morb. esse videbitur potiùs quàm aliquid aliud & tale parandum esse vnguẽtũ, quale sequitur: & sic vtẽdum, vt priùs. Euacuatis igitur interni corporis serosis recremẽtis paretur tale vng.

℞. vng. enulati ℔. ß terebinth. lotæ in vino, vel succo fumariæ ℥. iij. styracis, myrrhæ ana ℥. ß. arg. viui extinct.

in succo limonum ℥.iiij.ol. rosſ.antiqui cōpleti.ol, irini ana ℥.ij.resinæ ℥.iij. lithargyri ℥. ß. fiat vnguentū, cuius vni parti adde cinnabrij & cerusę ana ℥. ß. Sed hæc parte non vtatur, nisi post tres primas inunctiones ac sudationes. Et vngantur manus & pedes hac vltima parte vnguenti. In herpetibus cum scabie, fiat modo sequenti.

℞.succi lapatij acuti, & limonum ana ℥.ij. olei irini ℥. j.ol.tartari ℥.ß.vnguenti martiati ℥.j ß. arg.viui ℥.v. cerusæ lotæ in aqua vitæ ℥.j.resinæ & terebinth. ana ℥. iij. Argētum viuum extinguatur cum succis, deinde incorporetur cum axungia, & fiat linimentum, quo linantur partes affectæ. Post aliquā morbi Italici castigationem, sunt addenda quæ fortiter siccare possunt, vt alumē, sulphur, calchytis. Quę quidem fortiter siccantia non erūt primū apponēda, quia illa sudores cōpescunt, & sic retinendo morbi curationem impediunt, quamuis siccent. Cùm enim astringant, vim morbi altiùs impellunt, ac profundiùs delitescere ac hærere faciūt per aliquod tēpus. Deinde reuirescit & recrudescit, & quā priùs, deterior redditur. Hæc sunt linimenta, quibus vti possumus in biliosis & sanguineis, in scabie, papulis & vlceribus. Istis omnibus vtile erit, si non fluat aluus, syr. laxatiuum præscribere: vel apozema illud, quo initiò vsi sumus Porrò hęc euacuatio impedit effumationē ad os, à qua, vlcera oris & dentium sordes proueniunt: ab effumatione & sorde, vlcus: ab vlcere, pituitæ fluxus. Raro aūt eiusmodi effumatio sine vlcere accidit. Quare ad hæc, vel maiora vitāda, vtile erit purgare. De castigatione autē accidentiū suo loco dicemus. Vbi ergo vel fluxus vētris accidet, vel anhelitus fœtidus emittetur, tūc pituitā inflammari, certissimū est signū. Itaq; cessandum erit ab vnctione, & mutāda linteamina erunt. Quibus verò ista nō apparēt, certò coniicere licet non sufficientem esse argenti viui quantitatē, vel astringentia, aut obstruētia, aut emplastica addita fuisse vnguēto, quæ vim medicamenti impediuerint. Itaq; fortiùs erit reddendū, vel frequentius inungendus æger, vt si semel inungi cōsueuerit, bis inūgatur. Inungantur etiam emunctoria. In quibus autē videmus paucam euacuationem factam fuisse per sudores, morbum fore contumacem certò prægnoscere possumus.

Interdum

Interdum non erit inutile purgare per os, si vires ferāt, & vti decoctione gaiaci, vel echinæ simplici, si talis sit affectus, qui scabiem, vel tenuia vlcera habeat. At si contumacia sint, laxantia medicamenta erunt propinanda. Si verò dolores & tophi adsint, composita erunt adhibenda, quorum descriptiones postea dabimus.

De morbo inueterato.

SI morbus fuerit inueteratus cum doloribus & tumoribus duris, tunc primùm distinguere oportet, an morbus sit cum corporis consumptione, an non: an dolores sint capitis sine tumoribus, an verò cū tumoribus: an denique sint cum ossis carie, an non. Et pro variis his modis, remedia varia erūt adhibenda. Si morbus est inueteratus, sciscitandum est ab ægrotante, vsus ne sit aliquo remedio, an non, vt intelligamus, quid fuerit in causa, cur minùs fuerit curatus. Quòd si ob vnguenti imbecillitatem curatus non fuerit, fortius erit exhibendum, quia fortius medicamentum expostulat huius morbi contumacia. Si ob defectum euacuationis, videndum, ne in eundem errorem incidamus. Cùm ergo inueteratus morbus frigidior sit & materia crassior, magis calefaciendum atque attenuandum, & fortiùs trahendū erit per assumpta, & admota. Primùm itaque fiat hoc modo minoratiuum ex diaphen. & cathol. vt pituitosa excrementa ventriculi & intestinorum purgentur, & incidētibus, vt medicamentum ad partes deducatur. Sic,

℞. cathol. & diaphen. ana ʒ. iij. cum sacch. fiat bolus. Vel dissolue cum aqua beto. vel hysso. & fiat potus. Vel vtatur pilul. & hiera fortificatis agarico, vel pilul. sine quibus, vel aureis in minori quantitate, scilicet, ad ʒ ß. vel ℈ ij. Deinde vtatur syrupis incidentibus, qualis est syr. de stech. de artemi. cum mel. scyllitico, vel anthosato. Alij verò syr. non conueniunt, quia frigidi, vel humidi, vel quia corpus non est aptum frigidis. Quare syru. de fumar. ros. laxat. non conueniūt hoc tempore vel in hoc modo inueterato nisi approprientur cum decoctis. Decocta ergo fiant ex quibus talis syrupus paretur.

℞. decoctionis beto. calamin. hyss. ℔. j. ß. syr. de stech. ℥. vj. arom. cum ʒ. ij. diarrho. & fiat syr. Vtatur in quinque matutinis. Vel sic,

℞.syru.de artemisia ℔.ß.aquæ absynthij, hyssopi,cichor.bugloss. ana quartarium 1.aromatisetur cum ʒ.1.aromat.ros.cap.in quatuor matutinis.

Tertio quoque die cap.tab.ʒ.1 pilularum ex aloë,vel sabelliarum.

Finitis syrup.cap.medicamentum ex electuario de citro,vel diacarth. vel Indi maior.vel in forma boli,vel in forma potionis.

℞.Elect.de citro sol.ʒ 3.confect.hamech.ʒ.1. Dissoluantur in decoctione mercur.& cum ℥.1.syru.ros.laxat. fiat potio.Capiat manè,& in crastinum detur masticatorium ex piretro sequenti modo præparato.

℞.piretri cocti in oxymel. ℥. 1. masticet per tres dies manè expuendo. Post cuius assumptionem detur tab 1. elect.diagal.& reliaquatur ęger per aliquot dies ad viriũ refocillationem. Post quod tempus & virium refocillationem,vtetur syr.sequenti laxatiuo.

℞.rad.elenij ℥.2. galang. maior.℥.1. herbarum capill. bugloss.borrag.cichor.ana M.ß,beto.hyss.acet.sampsuchi an.M.1 anisi ʒ.3.polyp.senæ ana ℥.4.agar.℥.1.florum anthos stechad.chamæmeli,bugloss.borrag.ana p.1. fiat decoctio in aqua fontis & in aqua bugloss.& absynth.℔. 1.In collaturæ ℔.3. dissolue syrup.de fumar.compos. & syr.ros.laxat.ana ℥.4. mellis anthosati ℥.3.saccha.q.s.fiat syr.cuius media pars coquatur ad perfectionem,&seruetur vsui. Reliquam mediam partem, quæ erit mediæ decoctionis,capiat in quinque dosibus. Prima die cap.℥.6. manè.Secunda ℥.5.manè, & ante cœnam ℥.4. & tantundem die sequẽti.Quòd si fatigetur ob maiorem laxationem,quiescat per vnum diem post duas doses,vel capiat semel tantùm in die.

Talis syru.solus potest incipientem morbum curare, si bis in die assumptionem continuet, & magnam euacuationẽ ferre possit.Et plus prodest hic solus syr.quàm fortiores pilulæ, vel alia medicamenta & longis interuallis assumpta,quia in illis interuallis viscera replentur recrementis, quæ attractionem materiæ habitus corporis impediunt.Verùm cùm illa recremẽta continuè euacuãtur,vt manè communia:à prãdio,secunda ab hepate, tertia, potio matutina à vena magna, & quarta à ramis, sic cu-

sic curantur, quia euacuantur exquisitè. Ego curaui incipientem morbũ quinq; diebus, similibus medicamentis. Si ergo facta fuerit insignis vacuatio, pauca erit materia, quæ in cuti & carne remaneat. Quare illud remediũ, quod sequetur, vehemens nõ sit oportet. Nã mediocri vti necesse est, quia lõgius est securius. Corpora enim extenuata non possunt fortissima medicamenta ferre. Parabitur ergo vnguentum sequens, vtendum post excellentem syr. laxat. quod erit pro vlceribus, scabie, doloribus cum corporis extenuatione à longo tempore.

℞. axung. porci non salitæ, neque liquatæ, butyri recẽtis, axung. gallinæ & anat. ana ℥. 2. ol. chamæm. & aneth. ana ℥. 3. ol. de spica ℥. ß. arg. viui extincti in prædicta axũgia ℥. 6. mastich. myrrhæ, iridis ana ℥. ß. tereb. lotæ in aqua vitæ ℥. 3. resinæ & ceræ parum, fiat vnguentum. Vngatur vt artis est, incipiendo à iuncturis, deinde vngatur spinæ inferior pars, postea tota spina cum emunctoriis. Ista autem debent fieri sine magna calefactione, vt sensim trahantur excrementa, fundantur, & euacuẽtur. Vnguentum ad dolores capitis, iũcturarum, & ad duros tumores, quod sedat dolorẽ materiã calefaciendo, liquando, euacuando per sudores, & per oris expurgationem.

℞. quat. vnguẽtorum calid. ana qr. 1. axung. porci ℔. 1. ol. laurini, aneth. & irini ana ℥. 2. ol. de spica ℥. 1. argenti viui ℥. 6. terebinth. lotæ in aqua vitæ ʒ. 3. florum chamæ. leuissimè puluerisatorum, rad. irid. ana ℥. 1. resinæ & ceræ ana ℥. 2. fiat vnguentum. Vngantur partes dolentes externæ, excepto capite. Incipiat ab inferioribus & emunctoriis inguinum, vt materia à capite diuertatur. Quo facto vngatur spina & ceruix, donec os calefactum sit, & spuat frequentiùs. Et in hac specie diutius purgetur per os. Si verò tumores adsint duri, hoc idem vnguentum valet, non quòd supra duros illos tumores ponatur, sed meliùs erit sequens ceratum apponere.

℞. vnguenti præscripti ℔. ß. euphorb. ℥. 1 gummi hederæ ʒ. 3. ammoniaci, opopanacis, bdelij dissolutorum in ol. liliorum ana ℥. 1. styracis rubeæ & calamin. an. ʒ. 3. aristol. longę & rotundæ ana ʒ. 2. terebinth. abietinæ ℥. 2. ol. liliorum & laur ana ℥. ß. argenti viui ℥. 2. misce. Vngatur pars. Vel addendo ceræ multùm, fiat ad

formam ceroti, idque vt diutius supra partem hæreat. Vel si malueris emplastrum de ranis, id est, de vigo, adde argenti viui, euphor. ac irid. ana ℥.1. Malaxentur cum terebin. lota in aqua vitæ & applicetur. Aliud emplastrum ad tumores duros morbi Italici inueterati.

℞. emplastri filij Zacchariæ, & ceronei ana ℥.3. euphorb. ℥.ß. Malaxētur simul, & fiat emplastrum. Emplastra omnia ex gummi, idem efficient addito argento viuo. Sunt autem isti tumores a pituita viscida & concreta, quæ non nisi calidis dissolui potest. Si os cariosum sit cute adhuc integra, primùm cauterio, aut nouacula, aut ruptorio aperienda cutis ac detergendum os, tum auferēdum quicquid in osse, vel circa os præter naturam est. Quibus peractis, cum volemus vlcus ad cicatricem ducere, tale parandum est linimentum.

℞. axung. porci ℔.ß. quat. vng. calidorum ana qr.1. ol. irini & laurini ana ℥.3. ol. de spica ℥.1. arg. viui ℥.5. mastich. thur. sarcocol. aristoloch. rot. an. ʒ.3. opopan. dissoluti in aqua vitæ ℥.1. myrrhæ ℥.ß resinæ pini ℥.4. misce, fiat linimentum: quod est admouendum post mundificationem, & ossis reparationem. Eò ducemus vlcus tumorum durorum morbi Itali. inueterati ad cicatricem. Quòd si velis ossis discissionem accelerare, potes vti supra partem, vnguento vel emplastro ad duritiem facto, quia euphorb. recipit, quod quidem desquammat ossa eadem die, vt ait Dioscor. Et optimum est. Vel huic vnguento adde euphorb. ℥.1. vel vni parti vnguenti tātum, qua parte vtatur in circuitu partis affectæ, & supra partem. In hac specie vtilissimum erit etiam vti diæta ex gaiaci decocto ad pituitæ resiccationem. Sūt qui ad dolores vng. parant ex decoctione herb. calidarum. Sic,

℞. Beton. marrub. conizæ, absyn. calamin. florū stech. rorism. chamo. sampsuci ana M.1. Omnia hæc in vino albo antiquo decoquātur, & oleo. Deinde facta collatura & expressione, ad inspissationem linimenti addantur terebinth. & ceræ pro ℔.1. quart.1. Et axungiæ porci nō salitæ ℔.1. argenti viui in axung. præcedente extincti ℥.5. misce. Si verò ad dolores paretur, vt diximus, addemus euphorb. & staphisag. ana ℥.1. hermodactyl. & aristoloch. ana ℥.ß. Et fiat vnguentum.

Alij myrrham, thus, sarcocollam, mastichen addunt si cum vlceribus sit morbus. In scabie verò & vlceribus alij vtuntur viridi æris, quod valde prodest, si post inunctiones aliquas apponatur, quia compescit sudores.

Alij sal apponunt, quod in scabie & pruritu valet detergẽdo: Verùm minùs laudatur, quia sudores nimiùm impedit: Sed post sudationes addi debet, vt & sulphur, calchytis, & alia astringentia.

Alij ex cineribus sarmentorum & argento viuo parant linimenta, & efficaciora sunt, sed minùs tuta. Sunt qui duo remedia simul adhibẽt, alij bene, alij malè. Qui bene, vtraque veluti conspirantia adhibent. Qui verò malè, inter se pugnantia. Conueniunt autem quæ sudores mouent siue intro assumpta, siue exterius admota. Externa sunt vnctiones & stuphæ, quæ quidem stuphæ præparant corpus ad sudationem, & ad humores trahẽdos ad partem externam. Et satius est primùm ingredi stuphas, deinde vti vnguento, quia apertis poris faciliùs penetrat vnguentum. Etiam in fine ingredi stuphas vtilissimum, quia attrahunt humores, & linimenti sortes auferunt.

Alij in principio dant decoctum gaiaci, & post aliquot dies linimentum applicant. Quod malum non est, in quibus frigidi sunt humores, & in alto delitescentes, vt qui doloribus afficiuntur articulorum & capitis.

Alij in fine diætæ linimenta adhibent. Quod non fit tutò, quia corpus redditum debile, non potest tam forte & insigne remedium ferre. Itaque satius est post primã à diæta hebdomadam, vel ante diætam vti vnguento. Deinde dum ob imbecillitatem, vel ob oris affectionem delitescunt, in cubiculo decoctione gaiaci, in potu manè vti possunt, etiamsi non prouocetur sudor. Sunt alij, qui alia duo adhibent remedia, & illa cõtraria, scilicet sudationem, & alui subductione m. Quæ duo simul & semel fieri nec bene, nec facilè, nec vtiliter possunt. Nã si multũ sudet, nõ potest aluus fluere. Si fluit aluus, non potest sudare. Quare satius est vicissim, seu alternatim fieri. Poterit igitur sudare per tres vel quatuor dies: Quinta verò subducatur aluus decoctione iam præscripta. Vel quotidie subducatur aluus eadem decoctione, vt iam

diximus, & non cogatur ad sudorem. Nam cùm isti motus sint contrarij, simul fieri non debent, quia purgans medicamentum à circunferentia ad centrum trahit; sudor verò contrà. Vtile autem erit post vsum vnguenti, quando non fluet aluus, vti medicamento purgante, scilicet post tres aut quatuor dies, vt quod dissolutum est intus aut commotum, expurgetur. Ista autem plurimùm iuuant decoctiones, syrupi cientes sudorem, aquæ, vt aqua illa nostra theriacalis, quæ data potentissimè mouet sudores. Cuius præparatio, ne quid omittamus, à nobis nunc dabitur. Aqua theriacalis prouocans sudores in morbo Italico inueterato, & curans dolores si detur cum aquis infra scriptis.

℞. theriacæ veteris à nobis dispensatæ lib. 1. acetosæ M.3. flor. chamæmel. pulegij, graminis, card. benedicti ana M.2. Temperentur omnia in vino albo, & distillentur, & aqua seruetur vsui. De qua cap. ℥. 2. cum ℥. 3. aquæ acetosæ & bugloss. Hoc autem faciendum est, cum ingredietur lectum aut stupham. Hæc aqua curat dolores, si per se detur, vel cum decoctione milij solis, vel schenæ, vel bardanæ. Ego cum optimo successu curaui multos pueros & senes, & debiles, hac aquæ theriacalis potione, vel addendo guttas aliquot decoctionis communis gaiaci. Nam propter tenuitatem citò penetrat, & extra propellit. Hæc, cum aqua extinctionis auri omne vitium argenti viui emendat.

Est & alia ratio curandi morbum Italicum, & potissimùm quando cum doloribus fit. Et ea est ratio, quæ fit per decoctum rerum odoratarum. Cui quidem decocto addetur mel, & dabitur cum vino, vt materia incalescat, attenuetur, & expellatur. Fiétque sic

Decoctum quod calefacit, attenuat, expellit materiam morbi Italici inueterati.

℞. galangæ maior. & min. Macis cariophyl. cinamo. schœnanthi, spicæ celticæ ana ℥.1. florum anthos, stechados, chamon. ana p. 2 fiat decoctio in vino albo: Et de hac decoctione cum melle fiat potio. Cap. singulis matutinis ℥. 3. Et prouocetur sudor. Ego curaui pauperem facta euacuatione aqua illa ablutionis aloes ad pilularum elephang. præparationem. Quam quidem aquam

aquam abiiciunt Pharmacopolæ. Et est aqua cisternæ, in qua decocta sunt odorata, & in qua abluitur aloe, & quia relinquitur in ea aliqua vis siccandi, quam desideramus ad morbi curationem, & præcipuè eius qui cum doloribus, vel scabie infestat, hanc retinemus, & vtimur. Fit etiam decoctum ex gaiaco, palma sancta, schina, salsa parilla. Sed primùm cœpit fieri ex magnis truncis gaiaci, & cortice: Deinde ventum est ad palmam sanctam, quæ materia eadem est. Et fiebat decoctum ex rasuræ gaiaci ℔.j. & ℥.iiij. corticis, cum ℔.xij. aquæ post infusionem 24. horarum. Hoc facto rationales quidam Medici magnificè de se sentientes, aliquid addēdum existimarunt, & addiderunt castigantia caloré & tenuitatem partium. Et id facere se affirmabant, ne corpus calidius redderetur. Sed hi, dum castigationis caloris curam habere se existimant, tantum abest, vt calorem castigent, vt omnino ipsum calorem impediant. Verùm satius erat morbum curare cum leui aliqua noxa, quàm non curare. Potest enim vitium amoto morbo emendari. Nam hi rationales, existimarunt lignum calidius esse, quàm oporteat, & sit, decepti tenuitate partium. Præterea hi addebant endiuiam, scariolam, lactucam, & alia similia, & sic præscribendo, impediebant sudores, atque adeo morbi curationem. Sunt & alij, qui non castigare nituntur, sed iuuare: Alij verò cientia sudorem dant: Alij purgantia sudorifica præstantiora putant, quia iuuant operationem medicamenti: alij verò addunt laxantia medicamenta, vt veratrum nigrum, non sine multorum magno malo. Alij colochyntida, alij senam, agaricum, turbith. & alia laxantia. At hoc non est methodicè factum; velle & per aluum & per sudorem simul & semel euacuare. Quare satius erit vnam partem decoctionis accipere, & in illa purgantia dissoluere, & de illa dare tertio, vel quarto, vel quinto die, vt iam dictum fuit, vel quotidie, & non prouocare sudoré. Quod vtile est in principio, quādo morbus externas partes non infecit adhuc, vel læsit. Fiant ergo decoctiones simplices & cōpositæ. Simplices ex simplici rasura ligni gaiaci, & aqua; sic.

Veratrum periculosum. [margin, partly cut: "Veratrum pericu."]

℞. rasuræ ligni gaiaci libram 1. cortic. eiusdem ℥.4. fiat infusio in lib. 12. aquæ, & decoctio ad consumptionem

tertiæ partis. Vtatur. Fiat decoctio secunda ex eodem ligno, id est, residentia primæ decoctionis, vt prius. Deinde addunt vinum, quod bonum est, aliquando tamen malum in doloribus exterhorum membrorum, & in duritiebus, & aliis. Valet tamen illa vinosa decoctio in doloribus capitis. Deinde facta est decoctio composita. Nam alij addiderunt multa, hoc modo præparantes.

℞. ligni gaiaci ℔. 1. rad. elenij, beniouini, santal. omnium, senæ orient. ana ℥. 2. herm. ℥. 1. coloc. ʒ. 3. fiat infusio, deinde decoctio. Cuius collaturæ adde mell. ℔. 1. fiat syrupus clarif. & aromat. cum ℥. 2. cinamomi. Quibus adde vini ℔ 2. Alij mediam partem addunt. Vel sic faciunt.

℞. ligni gaiaci ℔. 1. cort. eiusdem ℥. 3. polypod. querc. recentis mummiæ, santal. carabæ, beniouini ana ℥. 2 senæ orient. quartar. 1. fiat infusio in æquis partibus aquæ & vini: cui adde mellis ℔ 2. fiat syrup. arom. ℥. 2. cinamomi electi.

Decoctio, quæ hodie fit efficacissima in aquis distillatis, quæ citò morbum curat, laxat potenter & siccat.

℞. rasuræ ligni gaiaci ℔. 1. cort. eiusdem ℥. 3. agar. ℥. 1. senæ orient. ℔. 1. aloës quart. 1. fiat decoctio in lib. 6. aq. bugl. & tantundem absynthij. Et fiat decoctio ad consumptionem quartæ partis. De cuius coll. capiat manè & sero ℥. 6. Multùm laxat & siccat, ob id curat potenter. Aloë & absynthium quia potenter siccant, huic morbo multùm prosunt. Itaque iis qui dolores patiuntur, vtile est vti pilulis ex sola aloë. Sed quia in pilulis non possumus iustam quantitatem aloës apponere nec accipere, vtilius erit hieram picram deuorare, vel quotidiè, saltem ℈. 4 Infinitæ aliæ decoctiones parari possunt additis aliis, vt rad. cyclaminis, quia vrinas & sudores mouet, vel milio solis, quod potenter siccat, & sudores mouet.

In pauperibus vsus sum syr. sancti Ambrosij, qui ex decocto milij paratur, & ramētis ligni ficuum. Non dubito rasuram buxi, quia sudores mouet, morbum curare posse. Sed quia dolorem capitis facit, & fœtidior est, negligitur. Non defuerunt qui ramenta iuniperi vsurpanda censerent. In qua sententia erat Franciscus Rex Galliæ, & Castellanus. Pugnaui nixus authoritate Diosc. qui ex anti-

antiquorum sententia ramenta iuniperi occidere dicit. Quam sententiam cùm negarent esse apud Diosc. ostendi, postea requirebant cur semina iuniperi vsurparent in medicamentis, ramenta verò reiicienda censerent. Ego rationem sic reddidi. Compertum est obseruatione multa, partes multarum plantarum diuersas habere facultates, alias vtiles, alias inutiles, vt patet de centaurio minore, cuius flos vsurpatur & quotidie in vsum venit, radix verò prorsus negligitur & inutilis est. Sic de coriandro, cuius semen odoratum est & in vsum medicum venit, herba autem fœtida est, & planè venenosa. Itaque non mirum est si dixerimus fructum iuniperi alium succum magis coctum habere & alterius esse facultatis, alterius verò ipsum lignum. Semen iuniperi in decoctionibus gaiaci ponitur, quia sudores mouet, & digerit potenter, ac articulari dolori à morbo Italico, atque etiam in declinatione alterius morbi prodest. Quod de ligno demonstrari & probari non potest. Sunt qui dum herbas humidas in principio addunt, medicamenti vim corrumpunt. Inter laxantia medicamenta, sena maximè laudatur, quia suo sapore non est molesta, & minùs impedit sudores. Alia autem laxantia vel quia potentius trahunt, vel quia adstrictionem seruant, minùs laudantur, vt rhab. polypod. quę nō nisi in declinatione debent dari. Rhabarb. & polypod. cum vino propinantur, cùm dolores in articulis sentiuntur. Rhabarb. cùm scabies, herpes, vlcera ęgrū infestant, assumi debet. Postea quàm autem ad sumendam venimus, non erit præter institutum de aliis remediis quæ ad hunc morbum faciunt, aliquid in medium adferre, & de illis tractare. Sunt qui ligni substantiam in forma pulueris vel conditi administrant. Sed id parum emolumenti ac adiumenti adfert, quia ramenta illa sunt nimiùm crassarum partium, atque adeo sudores mouere nequeunt. Quare hunc modum curandi tanquam inutilem relinquimus.

Alij ad tophos, vel exostoses digerendas, doloris materiam absumendam in morbo antiquo aliud remedium vsurparunt, quod quibusdam profuit, nonnullis verò vitium in ventre reliquit, quod emendari non potuit. Vocatur autem illud remedium, pilulæ Barberousse. Vel

paratæ ex cordialibus & laxantibus medicamentis, & argento viuo. Sed inter harum pilularum compositiones melior est hæc. Pilulæ ad morbum antiquum, ad exostoses & tophos digerendos, doloris materiam absumendam: quæ Barberousse dicuntur.

℞. rhab. & agar. an. ʒ.2. aloes ℥.1. arg. viui extincti in succo ros. ʒ.3. cina. ambræ ana ℈.1. myrrhæ mastich. ana ʒ.1. Cum terebinth excipiantur: Et fiat pil. 8. pro drachma. cap. ℈.1 pro prima dosi, deinde ℈.1. ß. postremò ℈.2. Pro diuitibus adde limaturæ auri, vel pannorum auri ℈.4. Non desunt qui diagredium colocynt. & fortiora remedia addi velint, & addant. Verùm nouæ materiæ descensum nimiùm accelerāt, sicq; corpus minus siccatur. Itaq; parum iuuant. Sed quia timetur ne remaneant in corpore ob tam paruam quantitatem, idcirco ingrediuntur rhabarb. & agar. ad leuiter laxandum. Nam si tam paruam morā in corpore traherent, nihil aut parùm iuuarent. Possunt & fieri pilulæ alio modo, vt sequitur.

℞. ladani puri, hypocistidis ana ʒ.1 aloë ℥.1. ambræ, moschi ana ℈.1. argenti viui loti in vino ℥.2. incorporentur simul cū syr. ros. laxatiuo, & fiant pil. cap. ℈.1. singulis matut. Verùm hæ pilulæ non debent assumi nisi purgato corpore. Et qui vtentur, debent vti donec aut venter laxetur liberaliùs (quod pro quantitate medicamenti fiet) aut in ore fœtor aut calefactio appareat & sentiatur. Hæ pilulæ debent seruari, piéq; in officinis præscribi ob calumniā: Quia etiā si post decem annos aliquo morbo corriperentur, qui hoc remedio vsi fuerint, huic impingerent ac imputarēt. Quare Medicus ipse potest parare, ac paratas seruare, & quotidie propinare, aut quando necessum erit, idque ne argentum viuum cognoscant, quod non potest latere cuidam datum. At sublimatū dare cauendum est, quia vrit vt præcipitatum. Sunt qui ob negotia non possunt domi residere, sed equitare, & ad negotia ire coguntur. Alij morbum detegere nolunt. Omnibus talibus pilulas dare oportebit. Atque etiam emplastris eos curare possumus, præmissis tamen ac priùs propinatis multis purgationibus, vt iam suprà imperatum est. Illis autem fient emplastra magna ad formam lati scuti, vt omoplatas & sternum vsque ad lumbos integere

tegere possint, vel latissimæ fasciæ, quæ veluti zona, corpus cingant, ita tamen ne in anteriore parte emplastri materia ponatur, sed in lateribus, & parte postica. Possunt & fieri manilia, & carpis, & malleolis apponi. Sed multò melius erit; si emunctoriis apponantur dicta emplastra, & locis affectis: Sed emunctoriis primùm, deinde super tumores vel partes dolentes. Emplastra fiunt ex iis, quæ ex alto trahunt per sudorem, vel per insensilem transpirationem. Parari etiam possunt ex suprascriptis vnguentis minuendo ol. quantit. & addendo picis vel resinæ q. suffic. Possunt etiam fieri ex omnibus emplastris digerentibus & malacticis, addendo argenti viui ℥. 4. pro ℔. 1. emplastri. Fieri etiam possunt emplastra ex emplastro de meliloto, oxycroceo, ceroneo. Vel fiat hoc modo. Emplastrum pro iis, qui ob negotia domi manere nequeunt, vel nolunt omnibus morbum patefieri.

℞. massæ emplastri de meliloto, vel oxycrocei ℔. ß. argenti viui ℥. 2. malaxentur cum terebinth. & ol. laurino, vel irino, vel rutaceo, vel de spica: & reducantur ad formam cerati. Est emplastrum paratum in officinis de Vigo nomine, vel de ranis, quod adhiberi potest. Verùm erit efficacius si dosis argenti viui augeatur, vtpote pro ℔. 1. emplastri, ℥. 1. addatur argenti viui. Conueniet hyeme, vel cùm fuerit tempus frigidum, & quādo ossium fragmenta trahenda sunt. At si vlcera ostracea castiganda sunt, vel cicatrizanda, emplastro diuino, vel diacalcy. addito argēto viuo & cinnabrio citiùs curabuntur, quàm aliquo alio. Nam argentum viuum videtur esse antipharmacum morbi Italici, tum ob siccandi vim, quam tantam habet, tum ob tenuitatem partium, & euacuationem quam facit potiùs quàm alia qualitate, vt postea declarabitur. Nam vt ex India morbus allatus est, sic etiam inde remedia huius allata sunt, & multa, vt gaiacum, schina, salsa parilla. Quæ quidem ostendunt Deum omnia summa prudentia composuisse, qui eo in loco, vbi morbus populariter grassabatur, ibi remedia quoque multa & conuenientia præstò esse voluit, locique incolis diuinam remediorum vim detexit. Verùm rei propositæ consentaneum videtur, vt de schina ac eius præparatione aliquid dicamus. Schina radix est cuiusdam

iunci, similis fermè radici rhodiæ, nodosa, rara, ponderosa cùm recens est. cùm vetus, leuissima. Quæ quidem leuitas eam antiquatam & deteriorem esse ostendit. Hæc schina ad colorem galangæ maioris accedere debet, si bona sit: viribus tamen differt. Nam est planè sine sapore, vnde dicta est à nonnullis apios. Quod nomen multos & Medicos & pharmacopolas decepit, existimantes esse *apion* Diosc. quæ quidem viribus & forma differt & nominis impositione. Nam Diosc. *apios* dicitur, quòd pyri agrestis formam referat: hæc autem, quòd nullo sapore prædita sit. At satius est eam schinam nominare ne abutamur nomine. Cuius vsus talis est.

Præparatio rad. schinæ in diæta morbi Italici.

RAdix schinæ diuidatur in taleolas, & decoquatur in aqua fontis, & ex illa aqua bibant ægri manè & serò. Decoqui debet ter. Et 2. ac 3. deco. cum minori quantitate aquæ debet fieri, quã prima vel diutius concoquenda, facta prius infusione per 12. horas. Est aũt decoquẽda sine fumo, & seruãda in loco calido. Pręscriptio talis est.

℞ radic. schinæ in taleolas diuisæ ℥. 2. aquæ fontis ℔. 12. infundatur per 12. horas, & decoquatur ad consumptionem tertiæ partis. Et de hac cap. tepidè manè, & cooperiatur: & sudet in lecto. Fiat & secunda deco. ex eadem radi. iam cocta, quę prius siccetur oportet. Fiat & tertia eodem modo. Delicatis & iis, qui aliquibus aliis sunt vsi remediis sufficit ista, etiã si addatur mel vel saccharum, vel vinum. Si autẽ nullis remediis sint vsi, nec vsuri, illa sine melle, vino, & saccharo, vti debet, quia minùs nutrit & magis siccat. At hi possunt vti amygdalis, pineis, prunis, & paneasso. Delicatis & qui nullo alio remedio vtũtur, vel qui diu hoc volũt vti, cõceditur vsus auicularum tostarum. Si verò hi vtãtur decocto gaiaci, quia magis nutrit, tenuãte victu est vtendum, quia illud habet aliquem succum quo nutrit. Ob id diutius erit vtendum, & parcius viuendũ, vt tota materia absumatur. Abstineant à carnibus & vino, vtãtur pane puro fermentato & bene cocto: & regantur hoc modo. Facta prius purgatione vt sæpius dictum est, ægri accipiant bis in die decoctum schinæ, manè hora quarta, & serò hora tertia post meridiẽ, ad quãt. ℥. vj. Et sudẽt in lecto. Die secũda

autem

autem decoctione bibant, quantùm voluerint. Poterunt vti fructibus lenientibus aluum, passulis, ficubus, amygdalis, pineis, prunis coctis, pane bis cocto. In gaiaci verò diæta, nihil vltra. In diæta verò salsæ pariliæ, vt schinæ, vsus auicularũ multùm tostarum cõceditur serò vel manè. Abstineant à iusculis, aliisq;, nisi in die quo medicamenta assumuntur. At si æger imbecillior sit, semel in hebdomada capiat de syrupo laxatiuo iam præscripto, vel de opiatis laxãtibus sequentib. Vel infunde ℥.j. senę. Et hæc in leui morbo. Et ca. manè. Et eo die nullo modo prouocet sudores. Opiata verò cõficiatur sic. Opiata quę poterit exhiberi qualibet hebdomada, dum fiet diæta.

℞. cathol. & confect. hamech. ana partes æquales, quibus adde ℥.ij. sennæ oriẽt. pro libra. cap. semel in hebdomada, vt dictum est. Et detur in forma boli, vel dissoluatur in parte decoctionis. Ex salsa parilla eadem decoctio paratur, quæ ex schina, & eadem victus ratione vti oportet, vt dictum est, quia non nutrit, vt gaiacum. Quare cõceditur caro auicularum assatarum: & eodem modo administratur, purgato iã exactè corpore, etiam semel in hebdomada assumendo medicamentum laxans, prouocando sudores cooperturis vel calidis lateribus.

Si post vsum istorum remediorum aliqua remaneant vt erant priùs, signum est aliquid esse quod impediat curationem, vt intemperiem alicuius partis, quam castigare oportet, idque contrariis remediis. Vel si os est corruptum, vel vlcus adsit nondum satis detersum, illa omnia sensim castiganda erunt. Verùm huic morbo quædam accidentia sæpe eueniunt, vt videlicet inter sudandum ex nimia ac repentina calfactione iuxta ignem, incidunt aliquando in animi deliquium. Qui quidem sunt subleuandi aeris frigidi inspiratione, & aspersione aquæ frigidæ cum pauco vino reuocandi. Quòd si symptoma illud post multos sudores accidat, recreandi sunt pane immisso in vinum: & infectos vnguento pannos permutare optimum erit, vt resumant vires. Quo symptomate sedato, sensim erunt rursus vngendi, vt curentur. At si fluxus ventris sequatur, sinendus, si vires ferre possint. Sin minùs, succo carnis, iusculis, panatella, hordeato reficere oportet, & leuiter adstringẽtibus assum-

ptis mederi. Sed primùm euacuanda materia commota. Quòd si non tota euacuari possit, moderanda tamē est, & non in totū relinquēda. Aliquando etiam dysenteria huic morbo superuenit, quam clysteribus detergētibus curare oportet, in quibus pinguedo hirci addenda erit, vel axungia porci, si magna sit acrimonia. Axūgia enim porci optima est ad retundendā acrimoniā medicamēti inducentis dysenteriā. Theriaca recēs cum limatura auri, vel cum pannis auri curat dysenteriā mala qualitate castigata. Hæc dysenteria curanda est vt alia, assumendo scilicet rhab. myrob. & hoc ad humoris euacuationem. Vtendum etiā erit astringētibus, detergentibus, & cicatricē inducentibus. Aliquando etiam fiūt vlcera in ore, quæ quidē in principio gargaris. detergentibus erūt detergēda, deinde aqua forti tēperata aqua rosarū & plantaginis erunt tangēda: Postremò gargaris. adstringente, etiā fortiter siccante curāda. Sed vt ordine procedatur, sic erit faciēdum. Primò gargarismata paranda ex decoctione hord. mundati, & syr. de rosis siccis, hoc modo.

℞. hord. integri p. ij. ros. p. ß fiat decoctio. & in ℔. j. coll. dissolue syr. violati (ob calorem & fœtorem) ℥. iiij. fiat gargarisma, quod quidem refrigerabit, & non adstringet multum. Si autem vlcera fuerint à principio, gargaris. ex adstringentibus parare oportet, ne pars affecta tam auidè materiam recipiat, fiat igitur sic.

℞. foliorum oleæ, myrthi, lentisci an. M. j plātag. M. ß. ros. p. ß hord. p ij. fiat decoctio ad lib. 2. in col. dissolue vini maiorū granat. ℥. ij. diamoron & syr. ros. laxatiui ana ℥. j. Misce fiat gargarisma. Syrupus ros. laxatiuus abstergit. Magis adstringit & siccat syr. de ros. siccis. Quare post detersionem, vel sufficiētem exsiccationem adstringentia fortiora addi debent. Vt cùm vlcus siccandum est, efficacissimum erit hoc gargarisma.

℞. pilosellæ M. ij. foliorum pyri syluestris vel myrthi vel mali cydonij, vel sumachi vel sorborum M. j. cort. mali granat. vel balaustiorum ℥. j. ros. p. j fiat decoctio in aqua & vino albo: & in lib. iij. coll. dissoll. mell. ros. col. syr. de ros. siccis ana ℥. iij. fiat gargaris. clarificatum, quia cortex mali granati denigrat linguam, & asperam reddit, huic adde aluminis ℥. j. & siccabit, vel aquæ

fortis

fortis ʒ j.in ℥.iiij.Nota quòd nunquā cessat defluxio donec vlcera integrè curata sint,& dentes detersi.Nam illa lippitudo vel fulgio quæ expiratione fit, exulcerat linguam.Itaque oportet aqua forti confricare dentes,vt auferatur vis illa arrodendi vel putrefactiua. Hæc aqua detergit dentes & dealbat, & firmat. Fricantur dentes panno alligato specillo vel bacillo,& immisso in aquam illam,castigatam aqua rof.& plātag.Si vlcus perseueret, & inflammatum appareat, oportet tūdere linguæ venā, & cucurb.cum scarificat. admouere ceruici:deinde gargarismis supradictis repellere,siccare,& cicatricē inducere. At quia aliquando peccat iecur,ad eius detersionē & purgationem bonum erit vti syr. sequenti, qui ægros vindicat à recidiua, & aliis subueniētibus affectionibus. Syru. ad detersionē & purgationē iecoris in iis qui exulcerationes,scabies, herpetes, & alia cutis vitia patiūtur.

℞.rad.lapathi acuti,acetosæ, & buglos.borrag. endiuiæ,cichor.scariolæ,ceterach. polytr. adianthi, agrimo. ana M. j. passul; prun.sebest.ana num xx.anisi ʒ.ij.quatuor semin.frig.maiorū ana ʒ j.senæ orient.& polypod. querc.ana ℥.iiij tamarind.℥.ij.myrob.citri chebul. ind. confric.in succo rof.ana ℥.j florum cord.ana p.j.fiat decoctio in decoctione gaiaci, aquæ bugl. & absynth, ana ℔.j.Et in ℔.j.ß.vel ij.dissol.syr.rof.lax.℥.vj.rhab.electi tenuiss.pul.& in panno ligati ℥.j.aro.cum ʒ.iij. cinamomi,& cap.℥.vj.bis in hebdomada. Duobus diebus sequētibus ad refocillationem virium fiat talis opiata.

℞.cōs.flor.cichor.& bugl.an.℥.j.cons.capil.℥.ß. pul. diamarg frig.ʒ.iij,rasuræ eboris & limaturæ auri an ʒ.ß. triasand.& diarrhodi abb.an.ʒ.j.Cum syr.conser.cortic. citri, fiat opiata, cap.ad quantitatem auellanæ,superbibendo parum aquę cichor.& absyn. Si verò articulorum dolores,&tophos,vel tumores duros passi sint,aut etiam patiantur,hoc modo fiat syr.

℞. elenij ℥.j. galangæ maioris & schinæ ana ℥. ß. betonicæ,absynth.menthæ,marrubij ana M. ß. herbarum capil.cichor.& bugl. ana M.j. passul.dactyl. mūd.ana N. xx.anisi ʒ.iij.polypod.querc.℔. ß. senæ orient. quart.j. sem.carthami ℥.ij.turbith.℥.j. agar.℥.iij.florum anthos, stœchad.an.p.j.cortic.citri ℥.ß.fiat decoctio. Et in ℔.iij.

colaturæ dissoll. mel. rosſ & syr. rosſ. laxat ana ℥. vj. sacchari q. suffic. fiat syrupus aromat. cum ʒ. ij. diagalangæ. Et cap. duobus diebus sequẽtibus continuis ℥. vj. semel in hebdomada per mẽsem, postea bis in mense: deinde semel: Accedente hyeme capiat bis in hebdomada vt in principio. Vel si malit, vtatur pilulis ex aloe si curatus sit: Sin minùs, pilulis ex hydrargyro, vt suprà imperatum est. Pilulæ quæ poterunt accipi loco syrupi suprascripti, vel loco pilularum ex aloë.

℞. aloës ℥. j. galang. myrrhæ, agaric. salis gẽmæ ana ʒ. j. succi absynth. ʒ. j. ß. & cum aqua absynth. fiant pilulæ. Cap. manè in exitu lecti ʒ. j. bis vel ter in hebdomada. Et si nòn sit bene curatus, vel timeat recidiuam, vtatur theriaca, vel mythrid. vel aur. alexandr. Et hoc in crastinum syrupi vel pilularum, bis in mense. Vel fiat talis opiata, quæ poterit accipi loco theriaces, vel mythrid. vel aur. alexandr.

℞. conſ. anthos, stech. & cort. citri ana ℥. j. confec. aro. rosſ. ℥. ß. pul. diamosci vel diambræ ʒ. iij. Cum syrup. de stech. fiat opiata. Cap. manè ad quantitatem auellanæ, superbibendo aquæ absynth. parum. Aliquando fissuræ in manibus apparent, quæ argumento sunt morbum non esse curatum. Itaque repetenda erit inunctio, qua parte sunt fissuræ manuum. Quòd si non curẽtur, etiam vniuersali purgatione facta, possumus hoc modo tentare curationem.

Linimenta, vnguenta, & decoctiones, quæ possunt fieri post vniuersalem purgationem, & vnctionem vniuersalem, & hoc in fissuris manuum non curatis à morbo Italico.

℞. sublimati ʒ. iij. aluminis ʒ. j. albuminum ouorum fortiter agitatorum quantum suffic. Applicentur supra partem affectam. Vel sic.

℞. Vnguenti enulati ℥. iij. argenti viui ℥. j. sublimati ʒ. j. misce, vngantur manus. Vel sic.

℞. aq. parietar. chelidon. maior. maior. plantag. ana ℥. iij. sublimati ℈. iiij. calchytidis & aluminis ana ʒ. j. Decoquãtur leuiter. Et serò cum ibit dormitũ, fricentur & abluantur partes tantum crustatæ, & quæ in circuitu sunt. Hunc affectum aliqui salsurati, aliqui phlegma salsum

tùm vocant:& hoc à materia, quam ſudant, credúntque hanc materiam morbum committere. Sed ſciſſura eſt affectus partis internę manuum,&pedum. Itaque oportet proprium eſſe morbum, vel ob exactam partium illarum temperaturam, vel potiùs ob tendonem, vel muſculum illum latum qui conſtituit manuum pedúmque plãtam ſenſilem & mollem. Aliquando herpetes in facie & aliis partibus eueniunt, & curantur remediis herpetibus aptis, & ſublimatum vel argentum viuum addatur cum aquis acetoſæ, pariet, vel plantag. Quibus aquis adde ſublimati decocti cum aqua forti ℥.j. in qua ponendum eſt argentum viuum. Vel tale fiat linimentum.

℞. reſinæ pini ℥.j. ceruſæ ℥.ß. arg. viui ʒ.iij. ſucci citri, & lapathi acuti ana ℥.j.ß. incorporentur ſimul, & fiat linimentum, quo linatur pars. Sic herpetes curantur, nec amplius redeunt. Efficacius erit, ſi ℥.j. ſublimati andatur. Sed quia calfacit, moleſtiam adfert. Aqua qua extinctum eſt ſublimatum quod ad fucum paratur, etiam curat herpetes, vel alumen, maximè ſi vſtum albumine oui exceptum ſit, cum ſucco arantiorum vel citri, etiamſi non præceſſerit ſudatio, quemadmodum aloe diſſoluta in oxymelite ſcillitico. Aliquando fit alopecia ſine dolore articulorum aut capitis. Sed ſi aliquando accidat cum dolore, certiſſimum eſt ſignũ morbi Ital. Fit etiam ſine magnis vlceribus, quia humor ſeroſus eſt ſub cute arrodens pilos. Cognitio alopeciæ eſt, cùm non ſolùm pilorum deperditio fit ſuperciliis, vt in lepra, ſed in mẽto, ac etiam in capite fiunt areæ, quæ ſi in occipite, vel in lateribus fiant, hoc demonſtrat eas eſſe à ſolo morbo Italico. Nam hæ partes caluitio & caſui capillorum ab aliis cauſſis reſiſtunt, ob carnis humiditatem. Retinemus alopeciam abluendo partes affectas lacte. Quæ potiùs curatur vnguento, quàm diæta. Quare hunc in modum cura erit aggredienda. Purgetur frequenter & fortiter, primùm ſcilicet minoratiuo, deinde apozemate ex herbis quæ purgant aquas, & ſeroſa recrementa ſiue ichores, vt ſyr. roſ. laxat. cum decoctione mercur. ciclæ, braſſicæ marinæ, ſenæ orient. Deinde confect. hamech, electuario de ſucco, vt ſequitur. Minoratiuum pro alopecia à morbo Italico.

℞.syr.rosſ.laxat.℥.ij.decoctionis mercur.& ciclę ℥.iiij. fiat minorat.cap.manè.Apozema pro alopecia à morbo Italico.

℞.herbarum capill. abrot ciclæ, agrimo. fumiter.lapatij acuti,acet.ana M.j brasſ.mercur.ſenæ orient ſemi. carth.& polypo.querc. ana ℥.iij aniſi ʒ.iij. florum anth. bugloſſ.borrag.ana p.j.fiat decoctio. Et in ℔.j.ß.diſſol. ſyr.de fumar.compoſ ℥.vj. miſce, cap in quatuor matutinis. Poteſt dari cum decoctione ſimplici gaiaci, & vti per quinque dies manè. Quibus finitis cap ſequens medicamentum eradicatiuum.

℞.confect.hamech. ʒ.iij. electuarij de ſucco roſ. ʒ.j. ſyr.roſ.℥ j.aquæ borraginis, & capill.vener.ana ℥.ij.miſce, capiat. Quòd ſi non ſatis medicamentum hoc euacuauerit, rurſus accipiendum erit de apozemate addendo ſyr.roſ.laxat. tantam quantitatem quantam appoſuimus ſyr. de fumorer. Et cap.bis in hebdomada, manè ℥.iiij. ſerò ℥.vj. internis partibus purgatis quicquid in habitu corporis per ſudores euacuare poterimus, hoc ſequente vnguento.

℞.pinguedinis vrſi ℥.iiij. olei de abrotano ℥. iij.vnguenti martiati ℥.ij. argenti viui ℥.iiij. myrrhæ, thuris olibani ana ℥ ß cineris abrotani, & pellis talparum ana ʒ.iij reſinæ, & terebinthinæ lotæ in aqua decoctionis abrotani ℥.iij ceræ parùm,fiat vnguentum, quo vngantur primùm partes inferiores cùm brachiis & ſpina: deinde ſuperiores, ac etiam eæ in quibus nulli ſunt pili, addendo in fine vnctionis in reſiduo vnguenti quod ſequitur.

℞.ladani depurati ℥.j.cineris pellis vrſi,& pilorũ mulieris vel viri an.℥.ij. mellis ℥.j. fricetur pars affecta manè & ſerò,ac vngatur, deinde cooperiatur Poſt vnguentum fiat lixiuium, quo abluentur partes tentatæ alopecia,hoc modo.

℞.ciner.abrot ℥ iiij ciner.abſynth.℥.ij. ciner.talpę,& pellis vrſi ana ℥.j.aquæ ℔.iij.fiat lixiuium, in quo decoquantur herbæ ſequentes.

℞.herbarum capill.abrot.beton.ſaluiæ, pulegij, ana M.j.Et cum decoctione abluantur partes.Et ſi talpa reperiatur in illa regione, erit decoquenda,& pars leuiter confri-

confricanda. Aliquando etiam fit dolor capitis à morbo Ital. & hoc euenit quando materia pituitosa vel serosa & putrescens est: & tunc dolorem in parte anteriore capitis, & circa tempora & aures, & maximè cum quadam grauitate facit. Aliquando is dolor in internis partibus est, aliquando in externis. At quando in externis est, & sentitur extra caluariam, nec oculorum nec aurium dolor eos vexat. Et aliquando in hoc dolore alopecia apparet, & hoc in aliqua parte capitis, & sæpissimè in lateribus, túncque est certissimum morbi Ital. argumentum. At internus externo, & nocte magis afficit, quàm interdiu, ac magis in mutatione Austrina ad Borealem, & à Boreali ad Austrinam, quàm alio tempore. Et in palpebris dolor sentitur grauis, ita vt pili videantur sursum erigi. Verùm aliquando recens est, aliquando antiquus. Si recens sit, sine tumore fit, qui & si aperiatur, nulla sanies aut materia apparet. Et hoc est quia incipit distendere pericraniũ à cranio. Alia quoque signa morbi Ital. præcessisse oportet. Vt si diuturnus fuerit, & tumoré faciat, verendum de abscessu oris & carie. In aliquibus primũ incipiunt apparere tumores ob vsum vnguentorũ multorum, quæ quidem potuerunt humorem tenuare, & in vaporem mutare, sed non resoluere: aut etiam quia æger ante perfectam curationem se aeri frigido commisit, vnde relicta fuit materia sub cute, quæ pericranium distendendo dolorem facit. Aliquando etiam cum dolore capitis sentitur dolor in acromio, sterno, ceruice, & iuncturis extremitatum, nulla tamen apparente exulceratione vel scabie. Et ob eam caussam multi putant dolorem hũc é morbo Ital. nec procedere nec oriri. Et leuis calfactio hunc dolorem mouet ac exagitat, magnus verò calor mitigat: quemadmodum videre est de cibo assumpto qui eum euidenter sedat ac mitigat, etiamsi per consensum non fiat dolor. Hic aliquando primarius affectus est, id est, accidit in recenti morbo, aliquando ex recidiua. Ad cuius curationem iniiciẽdus est primùm clyster præscriptus in dolore capitis à pituita: deinde exhibendæ pilulæ stomachicæ, vel de hiera cum agarico & sale gemmæ. Postea coquatur materia cum syr. de stecha. & melle ros. vel anthosato, vel scyllit. dissolutos

in aq.beton.melissæ,hysso.vel in decoct.herb.capill.vel gaiaci. Et capiat in quatuor matutinis. Quibus finitis purgetur potenter pilulis euacuantibus pituitā, vt cocchiis & de sarcocolla, de agar.ac aliis similibus vel electuario diacarthami vel de citro solut.vel Indo maior. vel diaphæn. vt de dolore capitis à pituita monstratum est.Facta euacuatione præscribatur masticatorium ex pirethro, quo vtatur per spatium quatuor aut quinque dierum manè & serò.Post vsum verò masticatorij exhibeatur theriaca antiqua, superbibendo parū aquæ vitæ, vel parum decoctionis gaiaci. Vel detur aqua theriacalis prouocans sudores,quæ quidem aqua parabitur sic,

Aqua theriacalis pro dolore capitis à morbo Italico.

℞. theriacæ antiq.℔.ß.rad.elen.schinæ ana ℥.iiij.cyclam.ʒ.vj. ligni gaiaci,& corticis eiusdem maceratorum per diem in vino albo ℔. ij.Ponantur omnia in vase vitreo,& distillétur vt solet distillari aqua vitæ. Cap. pro dosi ab ℥ ij.ad ℥.iiij. At si sit corpore multum pituitoso ac obæso,neque facilè sudet,vtatur decocto sequenti.

℞. rad.elen. ℥.iij polyp.quer ℥ iiij.ebuli ℥. ij. rasuræ ligni Indici ℔.j.follic.senę ℔.ß Macerentur maceranda,& decoquantur in ℔.1.aquæ ad consumptionem tertiæ partis.In fine iniicere senā,& ℥.iij.sem.colocy.mel. ℔.ij.fiat syr.arom.cum ℥.ß.cinam.vel zinz. Cap. manè & serò ℥ iiij. Et non prouocet sudorem.At pro imbecillibus,fiat sine colocyn. Vtatur per octo dies, donec dolor sedatus fuerit vel mitigatus Super caput apponantur præsidia topica descripta cap.de dolore capit. à pituita. Si autem sit pauper , nec tantam impensam ferre possit,aut ob sua negotia non possit retineri domi , vtatur sequenti vnguento.

℞. vnguenti martiati.& aragon.an.℥.iiij.euphorb. ℥. j.argenti viui ℥.iiij. (extinguatur in lib. ß axung. porci) ol.cham,& rutac.ana ℥.iiij.tereb.lotæ in aqua vitæ ℥.ij. ceræ parum , fiat vnguentum. Vngantur primùm partes dorsi,deinde ceruicis , postremò iunctura extremitarū. Quòd si hisce remediis dolor sedatus non fuerit,vt funditus auferatur,fiat sequens emplastrum.

℞. emplastri diuini ℥.iiij.vnguenti de vigo. ℥. iij. euphor.℥.ß.argenti viui ℥. ij. malaxentur cum oleo rutaceo,&

ceo,& fiat emplastrũ. Apponatur supra caput illis priùs abrasis. Quòd si multa alia remedia præcesserint, oportet primũ talia emplastra partibus remotis admouere, deinde capiti. Multi in curatione huius morbi Italici vniuersali medicamenta frigida adhibent magno errore, quia hæc frigida humores refrigerant & incrassant. Aliquando accidit etiam vlcus narium, quod difficillimè curatur. Et vt huic possimus mederi, sicut & reliquis accidentibus, hîc apposuimus exemplum tale.

Ad vlcus narium à morbo Italico, quod non potuerat curari neque à Medicis Italię, neque ab aulicis, neque à cæteris Monspeliensibus. *Curatio Vlceris narium à morbo Italico.*

℞. cortic. thuris, sang. drac. ana ℨ.j. cort. mali gran. ℨ. iij gummi tragac. leuiter assi ℨ. j. ß. fiat puluis tena. qui immittatur naribus cum tenta, addita mucilag. sequenti.

℞. ichthyocollæ ℥. ß. calcis viuæ nouies lotæ in aqua cister. deinde cum aqua plantag. ℥. j. fiat mucilago.

℞. cort. thur. mastich. olibani, myrrhæ, styracis, gummi iuniperi ana ℥. ß. rosſ. rub. santal. omnium ana ℨ. ij. auripigm. rub ℨ. iij. marchasitæ, id est, lapidis pyritæ ℨ. ij cum mucilag. gummi tragac. fiant troc. quibus suffumigentur cooperimenta capitis, addendo balaust. & spongiæ bedegar. ana ℨ. iij. *Troch. ad suffumig.*

℞. cort. mali gran. ℨ. j. gallas num. x. plantag. caudæ equinæ, polygoni maris, herniariæ ana M. j. herbæ retrahit. M. ß fiat decoctio in aqua ferrata, de qua abluantur partes affectæ. Deinde apponatur puluis cum mucagine præscripta. Reiteretur fumigium priùs ordinatum addendo cinnabrij ℨ. iij. Et formentur trochisci cum terebint. Et fumigentur vt priùs.

Hic omisimus omnia alia, quæ illi & in Italia, & in Gallia præscripta fuerint, tum propter multitudinem prescriptionum, tum quia ab eis non fuerat curatus. Hęc sunt accidentia quę ferè solent euenire in morbo Italic. quibus debetur curatio. Nunc ad suffumigia veniendum, quibus etiam solẽt vti in hoc morbo. In curatione dolorum à morbo Ital. vtimur suffumigio, & ad curationem vlcerum humidorũ, quę difficilè cõsolidantur, vel etiam cum vlceris cõsolidationem accelerare volumus: vt ego feci in quodam nobili, qui per sex menses Lugduni à

medicis & chirurgis tractatus fuerat, neque tamen vlla diæta, vllóve medicamento curari potuerat. Ego verò quatuor diebus curaui eius vlcus, ita vt priusquam perueniret domum suam, quæ quatuor dierum itinere distabat, integrè curatus sit. Hoc remedium (scilicet fumigium) desiderat vires robustas, quia forte est, & periculosum. Itaque in præhumidis & fortioribus eo est vtendum. At debilioribus, & qui multa alia remedia frustra sunt experti, quod fit in lecto, fumigium optimum erit, vt nunc ostendam. Purgato corpore diligenter iterum atque iterum vtendū erit masticatoriis per aliquot dies, modò non sit vlcus in ore. (Nam tunc errhinis, non masticatoriis est vtendum) deinde suffumigio manè vel serò in lecto, cuius fumum per canalē dum accensum cremabitur, ducet. Tale autē erit, quod sudorē prouocabit. Ponantur carbones accensi in olla, & in eadē superiniiciatur fumigium super carbones, & cooperiatur operculo, à quo fistula deducatur in interiorem partem lecti. Quòd si æger non possit ferre odorē, exerat licet caput extra lectū, modò ceruix exactè pānis & linteis circumdetur & obuoluatur, vt fumo per superiorē partem nullus pateat exitus. Hæc autem fiunt in debilibus, & iis qui cubiculum calidum & pauilionem (vt vocant) commodum habere non possunt. Fit autem pauilio ex linteis simul ligatis & ex alto dependentibus, & vndiquaque ægrum inuoluentibus, in quo sedet æger ad sudandum: & imponitur fumigium super multos carbones, vt aer sub pauilione inclusus calefiat multùm, atque adeo madore suffumigij infectus, sudores alliciat, sicq; corpus siccet. Si verò odorem ferre nequeat, extra pauilionē caput teneat, & paulò post lecto impositus egregiè sudet. Reiteretur suffumigium pro viribus ægrotantis, & morbi cōtumacia, donec fiat excretio per os. Quòd si ob imbecillitatem continuè vsum ferre non possit æger, vtatur ex interuallis, vt per tres dies, deinde quiescat per quatuor vel plures, deinde ad idem redeat suffumigium. Interim verò vtatur optima victus ratione attenuante, & leuiter exsiccante, aut saltem non multùm humectante. Alimenta sint laudata, & quæ facilè concoquantur. Et abstineat à vino. Cùm hoc suffumigio vtentur, sit illis vini

Victus ratio.

loco

loco hydromel, vel decoctum secundum ſgaiaci. Nam vini potio eo tempore vnà cum argento viuo facit paralyſim. Cæterùm poſt has tres fumigationes purgetur rurſus vniuerſum corpus, vt priùs imperatum eſt in diæta, ídque ſingulis hebdomadis, ſyrupis ſcilicet laxantibus, vel opiata, vel denique pilulis ad humorum pituitoſorum euacuationem accommodatis. *Obſerua.*

Suffumigia vim habent in cinnabrio, ob argentum viuum. Quare oportet illud quãtitate ſuperare alia. Sed adduntur aliqua, quæ ad odoris caſtigationem faciunt, alia verò ad curationem morbi, alia deniq; ad excipiẽda medicamẽta. Sed illud à me ſemper obſeruatũ eſt, quod li. de medicamentorũ quãt. & lib. de formis remed à nobis monſtratũ eſt, vt ſcilicet ea vſurpẽtur, quæ ob multas rationes vſurpari debent, vt ſi fieri poſsit forma remedij pluribus nominibus iuuet. Vt exempli gratia. Cinnabrio ſunt addenda aliqua quæ odorem caſtigent, nõ cinamomum, non moſchum, non muſcum arborum, non hypociſt. non ladanum, quia etiamſi ſunt odorata, ſunt tamen adſtringentia, & actionem præcipuam retardarent, vel impedirent ſudorem: Sed ſunt vſurpanda odorata, quæ ſudores mouent, vt beniouin, ſtyrax, calamita & liquida. Si ergo ſcopus ſit procurare ſudores pro doloribus ſedandis, ſufficiunt ſupradicta cum cinnabrio, ſic.

℞. Cinnabrij ℥.j. ſtyrac. rub. & calamitæ. nucis moſc. ana ʒ.iij. beniouin. ℥.ß. Excipe terebinthina, & fiant trochiſci ʒ.ij. quibus vtatur, vt diximus. Terebinthinam præſcribimus, quia cõfert ad dolores ſedandos, & ad faciendum multum fumum. Quòd ſi ex aridis fieret, pinguedo vel oleum addẽda eſſent, vt fumũ facerent. Ob id lachrymæ & quæ fuliginem excitant, ſunt materia fumigiorum. *Forma fumigij ad mouendos ſudores.*

Si ad vlcera curanda fumigium parare voluerimus, parabimus ex iis, & aliis vlcera detergentibus & ſiccantibus, qualia ſunt myrrha, máſtix, olibanum, opopanax, gummi ladani, ligna pinguia quæ reſinam fundunt, vt lignum aloes, ramenta iuniperi, cortex pini macis, nucis moſchatæ. Sunt alia quæ arida ſunt, vt ſantala, & illa minùs probantur, quemadmodum neque theriacam & ſimilia iſtis remediis addi bonum putamus (vt neque vnguentis admiſceri, quemadmodum ineptè quidam

fecerunt) quia neque materia apta est ad fumigia facienda, neque conferunt extrinsecus adhibita, vt neque theriaca intrò assumpta. Sed fiat sic fumigium ad vlcera curanda.

℞. cinnabrij ℥.j beniouini, styracis, myrrhæ, olibani, opopanacis an. ℥. ß. mastich. macis, thuris, an. ʒ ij. Excipiantur terebinthina, & fiat fumigium. At ego in vlceribus addo sandaracham, vel auripigmentum, & potissimùm cùm vlcera in pulmonibus, vel naribus, vel aliis partibus internis opinor esse. Addimus etiam marchasitam, id est, lapidem pyritem, quia vlcera siccat, & emollit durities, vt monstrauimus in cura vlceris narium.

Magna helicroi maceratum in ol. laurino, & de castoreo, dolores sedat, si cinnabrium admixtum sit.


Si vlcus remaneat post alia remedia, nec curatum fuerit, sufficiet partem vlceratam fumigare post detersionem, vel ossis castigationem. Et hæc sufficiant pro curatione per suffumigia.

Ex supradictis satis apparet argentum viuum antidotum, & maximè accommodatum remedium ad morbum Italicum, quia quomodocunque administretur, morbum curat. Nam sudores mouet, & ob tenuitatem partium siccat. Quod alia medicamenta non faciunt, quia vel adstringunt, vel sudorem impediunt. Argentum autem viuum siccando ob aeream quandam substantiam cum tenuitate, quam habet, curat, & suo calore moderato, non autem stupefaciendo vel refrigerãdo, vt aliqui somniarunt, aduersus quos in nostra digressione de argento viuo satis supérque disputauimus.

Curatio per vnguenta ex argento viuo ab empiricis primùm tentata fuit, qui cum scabiei, & illi generi tumoris, quod *achor* dicitur, & aliis huiusmodi conferre vidissent, eóque scabiem capitis & totius cutis curari, huic morbo accommodare non veriti sunt, eóque deinceps ratione optima, atque adeò fœlicissimo successu vsi sunt.


FINIS.

GVLIEL-



GVLIELMI RONDELETII DOCTORIS MEDICI, ET MEDICINÆ IN SCHOLA MONSPELIENSI PROFESSORIS regij & Cancellarij.

De compositione medicamentorum tam internorum, quam externorum libri duo, quorum prior est de internis.



ORBORVM alij à natura ob illorum paruitatem vincuntur: alij autem à medio vt illi qui in numero aucto, & situ consistunt, in quibus curandis natura nihil præstat. Alij à natura quidem vincuntur à medico adiuta victus ratione, chirurgia, & medicamentis. Aliquãdo sola victus ratione: quandoque chirurgia, & victus ratione: interdum victus ratione, & medicamentis: interdum tribus simul. Medicamenta subministrat medicus propria vnicuique caussæ, vel morbo. Primùm caussæ accommodat, deinde morbo, iuxta illud: vnamquamque caussam primùm abscindere oportet, deinde ad intemperiem factam venire Remedia autem iustam quantitatem postulant, ne fortiora quæ sunt, nouum morbum inducant, néue, quæ multùm imbecilla, parùm aut nihil vtilitatis præstent, & curationis occasionem retardent. Desideratur etiam medicamentorum contraria qualitas, & medicamenti forma, de qua nobis hic agendum. Cæterùm variis modis instituuntur medicamenta, vel ob affectus, vel ob partes læsas, vel voluptatis caussa, vel ob medicamenti conseruationem. Hinc fit, vt medicamenta aliquando liquida sint, veluti quando volumus celerrimè in aliquam partem medicamẽta defluere, aut partem aliquam humectare, aut cùm nolumus medicamentum diutius in vẽtriculo remanere, qualia sunt me-

Medicamenta variis modis instituuntur.

Quando liquida debent esse.

dicamenta laxantia, quæ ventriculum sua malitia infestant, vt sunt Veratrum, Thymelæa, Chamelæa, Brassica marina, vel medicamenta quæ ad obstructiones parantur. Multò enim faciliùs penetrant, quæ liquida sunt, quàm quæ spissa. Item & ea quæ ad mouendos menses, & vrinas, vel sudores præscribi solét, liquida forma esse debent. Aliquando autem dura & sicca parãtur ad caussas contrarias vt ad ventriculum & intestina resiccanda, constringenda, calefacienda & refrigeranda. Damus enim grana Piperis integra calefacturi ventriculum, hepar non item. Liquida igitur sunt medicamenta vt syr. aquæ, decoctiones & olea: Dura, vt pilulæ: sicca, vt pulueres, trochisci, qui magis ad conseruationem puluerum fiunt, quàm ad alium vsum: Item tabellæ tam alterantes, quàm laxantes. Media fiunt, vt his vtamur tam in forma spissa, quàm liquida: veluti cum diluimus Antidota & Opiatas, queque ad mellis cõsistentiam redigi solent, veluti theriaca, Mithridatiũ, Diaphenicum & alia huiusmodi, quæ forma boli componuntur, quæ addito saccharo aut puluere liquiritiæ deglutiuntur. Distinguuntur autem medicamenta à forma, ab effectu, & à partibus. Nã alia forma appellãtur syrupi, & alia clysteres, alia ab effectis purgantia, alia alterantia, cientia vrinas, sudores, hæmorrhoides. A partibus alia appellantur ocularia, hepatica, stomachica, & nephritica. Cæterùm quia ista non vna & eadem forma præscribuntur, satius erit formas medicamentorum præscribere, & proponere, facta priùs diuisione in medicamenta quę intro assumuntur, & quæ foris applicantur, & ea, quæ medio modo se habent. Quę intro assumuntur aut per os deglutiuntur, aut iniiciuntur per sedem, aut per vterum, aut per penẽ, aut per nares, aut per aures, vel per alia foramina sumuntur. Quæ deuorantur, sunt vel Antidota vel opiatæ, vel pilulæ, vel pulueres: vel liquida vt syrupi, & decoctiones. Quæ verò iniiciuntur, omnia liquida sunt, excepta Balano in anum, & pesso in vuluam immissis, & puluere, qui insufflatur in oculos, nares, & aures. Extrinsecus admouentur emplastra, ol. vnguenta, fotus, sacculi, balnea, pulueres, & huiusmodi. Medio modo ambigunt, nempe quæ apponuntur & iniiciuntur, vt sunt olea quædã, veluti oleum oliuarum

Quando dura debent esse.

Distinctio medicamẽtorum.

Medicamenta externa.

Internorũ diuisio.

Externorũ diuisio.

tiarum dulce, amygdalarum dulce, & alia olea, quibus vtimur aduersus venena: Omnia enim pinguia venenis resistunt. Et ad vomitiones prouocandas, necnon ad dolores partium internarum & inflammationes, vt oleum amygdal. dulc. recens paratum (quia vetus sua acrimonia dolorem excitat) dolores coli vteri, & ilei, pectoris, & renum soluit. Eodem oleo pectus inungimus, vētrem inferiorem (quia stomachus non est relaxādus) aliásque partes, quas volumus emollire, & laxare. Oleo ouorum cutis maculas emendamus, & dolores internos sedamus præsertim ab humore acri. Vlcera interna curamus addito Antimonio: quia siccat sine morsu: quo nihil est præstantius. Butyrum & intrò & extra assumptum valet, quemadmodum & omnes adipes. Collyria quædam & foris & intro assumpta conueniunt, vt Trochisci de terra sigillata, de bolo armeno. Trochisci verò albi Rasis in vlceribus vesicæ, vteri, & inflammationibus & doloris oculorum, & vlceribus admouentur. Quia tamen non possunt deglutiri, tantū extrinsecus admouentur. In summa omnes Trochisci, qui metallica recipiunt, iniici quidem possunt, sed non deuorari. Verùm hæc de medicamentis medio modo se habentibus. Quare superest vt de reliquis agamus. Hoc itaque lib. de medicamentis, quæ intro sumuntur, altero verò de his quæ foris admouentur, agendum est. Cæterùm intro assumpta, vt iam dictum est, aut per os ingeruntur, aut iniiciuntur: de quibus omnibus suo ordine.

Pinguia venenis resistunt.

Oleum ouorum quid præstat.

Trochisci albi rasis.

De ordine.

PArùm referre cuiq; videtur, quo ordine res quæque doceatur. Quod fuit in caussa vt quisq; hunc librum pro suo arbitratu disposuerit. Ego verò semper cum Galeno in scribendo, docēdóque, tum etiā in curando, methodum sequendam censui. Quare cùm res sint docēdæ secundum earū vtilitatē, primùm de Balano, deinde de clystere dicemus. Nam Balanus solet esse primum & facillimum remedium ad aluum sollicitandam. Quòd si Balanus nihil proficiat, tunc clysterem instituimus. Præterea & syrupos, medicamenta purgantia, post illa, Opiatas, Tabellas, Topica remedia. Hunc igitur ordinem sequi maluimus, quàm alium. Quare de balanis primùm

De Glandulis & Suppositoriis.

HVius remedij formam indicat, nominis ratio. Dicitur enim Glans siue Balanus à glandis similitudine, qua olim conformabatur. Barbaris autem suppositorium dicitur, quod supponatur, vel in anum mittatur. Quæ verò nunc cõficiuntur, glandium formam non referunt, sed pessorum potiùs. Teretes enim conficiuntur instar candellarum cerearũ dodrantali longitudine, vnde ab earum similitudine, vulgus cãdellas vocat. Ea autem longitudo inutilis est planè cùm facultatem expultricem non irritent glandes, nisi qua parte tangunt podicem, aut recti intestini extremum. Ea autem pars sensibilis maximè est. Satius itaque erit ad glãdis maioris similitudinẽ effingi, crassitiémq; digiti vtrinq; acuti, quò faciliùs ingerantur & egerantur, si integrè egeri debeant Formantur autẽ glandes, & suppositoria ad irritãdam facultatem expultricem recti intestini, vt expellat induratas feces, & diutius retentas ob duritiem & siccitatem. vel vt clysteres iniecti reddantur, vel vt medicamẽti iuuetur actio, aut acceleretur: dum intestina nihil habent lubricitatis à pituita: aut quia podex à frigore nimio ita est cõtractus, vt ne specillum quidem ingredi valeat: aut ob tumorem præter naturam, aut ob tumentes venas hæmorrhoides. Balanis seu glandibus vtimur, cùm clysteres ægri non admittũt ad hæmorrhoidas irritandas, claudendas, ad doloris sedationem, ad vlcera sedis, ad inflammationes, ad ventriculi subuersiones, ad vermes sedis occidendos, ad sedis & penis resolutionẽ, ad mensiũ prouocationem, & quãdo offendũtur partes clysterũ iniectione, vel in soporosis affectibus, in quibus somni profundi suspicionem timemus. Sũt etiam instituendæ glandes, cùm clystere non est vtẽdum: aut quia morbus, vt Enterocele, aut tẽporis breuitas non patitur clysterem parari: aut quia etiamsi clysterem dare instituamus, stercora obdurata clysteris iniectiones ad superiores partes non sinunt penetrare. Sollicitãda est igitur Balano facultas sopita. Fieri autem debent ex relaxãtibus astrictas partes, & facultatẽ ani mouẽtibus. Ad aluũ itaq; cõstrictam fiãt ex pinguedine porci saliti, vt in pueris, quod pinguedo, quę cuti adhæret, lubricet, & laxet ob pingue-

pinguedinem: salis verò ratione stimulet facultatem expultricem. Fiunt etiam ex radicibus lentum humorem habentibus, vt radice altheæ & maluæ sale trito inspersis. Candella sebacæa inditur, aut cerea oleo intincta. Fiunt præterea ex detergentibus, vt ex pediculo betæ, & pauxillo salis, quod facultatẽ mouet. Interdũ cùm nihil aliud sit præ manibus, paramus ex ficubus Massiliẽsibus astracto pediculo iuersis, ac sale conspersis. Laxat enim illud pingue ficus internum, & detergit, & granula illa cum sale, acrimonia sua, facultatẽ expultricem excitãt. Possunt & perfundi pauco oleo, quò faciliùs ingrediantur. Quandoq; amygdalas saccharo obductas supponimus. Saccharum enim dissoluit, & partes lubricat, atque ita detergendo, incitat ad alia crassiora expellenda. Ad eundẽ affectum parantur ex melle cocto indurato, cui salem communem adiũgimus, interdum salem ammoniacũm, vel gemmæ ad acriùs pungendum Aliquando hieræ vel benedictæ, vel stercus muris: acre enim est. Addunt mulierculæ quædam ad pungendum, pilos in tenuissimas partes dissectos ex melle, & sale tosto. Fiũt etiam glãdes propter alios affectus, quàm vt laxent. Cùm enim vlcus in ano est, ad formam glandis remedia redigimus: Ex melle tantùm, vt detergeant, consolident, & exiccent: Ex emplastris consolidantibus, vt emplastro diuino, de cerusa: vt sedent dolorem vlcerum, vel hæmorrhoidum. Hæmorrhoidum dolor sedatur glãdibus ex seuo, vel oui vitello indurato, vel cocto cum butyro, vel oleo amygdalarum dulcium. Vlcerum dolores sedãtur pauxillo opio, leuiter torrefacto, & myrrha castigato, addito emplastris. Pars enim illa facilè resoluitur, & malum contrahitur appositione narcoticorum. Glandes vlceribus & ano determinatæ duriores esse debent, quàm quæ ad hæmorrhoidum dolores, & alios tumores parantur. Debent enim hę esse molliores ne duritie sua dolorem excitent. Balani ex melle parati in oleo seruãtur. Prohibet enim mellis iam cocti, & indurati, dissolutionem. Multò autem meliùs infigentur butyro, aut axungia porci. Sunt itaque glandes figura magnarũ glandium quernarum, breues, & crassæ, vtrinque autem acutæ. Earum crassitudo augenda, vel minuenda pro cor-

Hæmorrhoides quibus sedantur.

poris constitutione. Pueris minores, iuuenibus, & adultis maiores. In Italia fiunt crassissimæ. Fiunt & suppositoria ex sapone, stercore muris, & aliis pulueribus.

De iniectionibus.

OMnes iniectiones in hoc cōueniunt vt liquidę sint, fiántque vel ad emolliēdum, vel laxandum, vel detergendum, vel sedandum dolorem, vel ad resiccādum: quandoque ad calfaciēdum, vel refrigerandum. Conueniunt etiam magna ex parte in materia. Nulla est enim pars quę maluam agrestem, vel hortensem, vel altheam, vel Brancham vrsinā non ferat, si vel emolliēda sint recrementa, vel pars relaxanda: quibus adiungimus semen lini, fœnugræci, & maluarum semina, quæ lentorem habēt cum qualitate quadam calida. Sūt enim aliqua medicamenta quæ lentorem habent, sed quia refrigerant, plus constringunt, quàm laxant, qualia sunt semina cydoniorum, psilij, pomorū, & aliorum fructuum. Ad detersionem cum emollientibus medicamētis fructus aliquos etiam adiūgimus, vt ficus, vuas, pruna dulcia. Nam acida magis astringūt, quàm emolliunt Fructus hi fortè magis ad detersionem, quàm emollitionē parantur. Ad detersionem communiter vsurpantur etiam beta, parietaria, caules, absynthiū, & omnes reliquæ herbæ amaræ, & nitrosæ, veluti iniectionibus vlcerum, vel ad occidendos vermes auriū, vel aliarum partiū, de quibus particulatim suo loco dicemus. Decoctū hordei integri semper ad detersionem ponitur. In quibus autē fortiùs detergendum & siccandū, lentes, fabas, orobos, & lupinos accipimus. Exiccant enim, & propter amarorem detergūt potenter. Fructus dulces detergere dicūtur, sed cū quadam emollitione, & relaxatione: vnde in clysteribus tātùm, & remediis pectoris apponendi sunt: iniectionibus partium induratarum ob callum, fistulámq; putrescentibus, aut emollientibus, flores, quales sunt rosarum, cētaurij minoris, cucumeris. Detergunt enim semina illa, quæ remollire diximus. Quare in illis tantùm iniectionibus, in quibus remollire & detergere volumus imponenda. Fiunt etiam iniectiones ad sedationem doloris, cum vlcere, aut inflammatione, vel sine vlcere & inflammatione. Sedātia dolorem sine vlcere aut inflammatione re-

Emolliētia & relaxantia.

Constringentia.

Detergēt.

Sedantia dolorem.

nt recipiunt pro materia medicamenta malactica,& relaxantia & discutientia, vt & emollientia superius enumerata extrinsecus, aut intrinsecus adhibita. Liquida infundūtur, item adipes & olea. Et quia eiusmodi dolores ferè semper fiunt à retentione excrementorum, vel ab intemperie frigida. Retētio autem excrementorum vel à nimia siccitate oritur, vel à nimio frigore, vel à nimia caliditate: ob id ab initio malacticis vel sedantibus dolorem est vtēdum, deinde ea adhibenda, quæ magis calfaciunt, vel magis resoluunt, vt quatuor semina calida maiora, vel ea quæ magis relaxant, & sine morsu, vt sunt olea illa temperata, quale est chamomilæ, ouorum, lini, amygdal. dulcium. Quòd si dolor oriatur ab inflammatione, malacticis adiungimus quæ magis, quàm illa malactica, refrigerare possunt in principio, vt folia violarum, lactucæ, endiuiæ, portulacæ, & cucumeris. Sin verò dolor fiat sine retentione recrementorum, non sunt reiicienda illa medicamēta, quæ leuem quandam astrictionem habent, vt solanum & similia, quæ non possunt dolorem facere. Nam quæ multum constringunt, potiùs dolorem augēt, quàm sedant, ob impeditam difflationem, in quorum numero recensentur cucumeres & cucurbitæ, pruna, sebesten, iuiubæ, quæ si decoquantur in aqua & oleo, dolorem sedant refrigerando, & laxando inflammationem: vt pomorum dulcium decoctum in aqua, vel iusculo, vel lacte, quibus non est præstantius remedium ad sedandum dolorem ex ictu bombardæ, si emplastrum ex his fiat in aqua, vel iusculo pulli, aut capitis veruecis, vel capi, vel lacte, quia aufert empyreuma. Quin & lac ipsum pręsertim caprę, & asinæ in vlcere vesicæ, aut alterius partis, quæ detersione egeat, dolorem soluit. Item mucilago seminis psilij, & cotoneorum, deinde semi. lini, vltimo loco, fœnugræci, mucilago seminis psilij, & cotoneorum magis refrigerando, seminis lini, laxando, & modicè calfaciendo, fœnugræci autem mucilago, aut decoctum, calfaciendo, aut resoluendo, magis quàm semen lini.

Quibus vtendum in retētione fecum. Relaxantia.

Quibus occurrimus dolori ab inflāmatione.

Lac capræ aut asinæ dolorem sedat.

Sedantia dolorem cum vlcere.

SI adsit dolor cum vlcere, primùm quæ leuiter detergunt & sine morsu, sunt iniicienda, ne excrementa

Detergentia sine morsu.

Ol. rosarũ quibus cõferat. detineatur, augeatur dolor, vt serum lactis, decoctum hordei mundati. Postea quæ dolorem sedant sine nimia relaxatione, & constrictione, quale est ol.ros.aut ouorum, quòd dolorem vlceris soluat & exsiccet. Vlcus alia olea non patitur, quia id non præstant, & vlcera sordida reddunt. Post detersionem iniicitur & axungia porci, in dolore vehementissimo dysenteriæ, vt & Galenus lib.simpl.medic,imperat. In non vehementi verò dolore seuum veruecis, deinde hirci, denique albumen oui fortiter agitatum, dilutum aquis plantaginis, solani, vel rosarum: dolores soluit in principio, & præsertim, qui sunt cum inflammatione, & in dolore vlceris toto morbi tempore. Albumen autem oui fortiter agitatum lenit partem, & excrementorum impedit contactum, & acrimoniam minuit, maximè si dolor fiat propter transitum recrementorum per partem multùm sensilem. Albumen oui post reiectionem & ante, iniicere oportet: Ante, vt pars non lædatur: Post, vt dolor factus ex acrimonia recrementorum sedetur, siue in anum, siue in vesicam, aut vterũ, siue in nares, siue in aliam partem, per quas fieri possunt iniectiones. Iniectionibus etiam resiccamus vlcera, partes nimiùm laxas, & humidas, & profundas. Si verò cum vlcere sit calor & fluor, resiccamus, & leuiter refrigeramus, vt in dysenteria, & vlceribus aliarum partium. & hoc cum leui quadam detersione. Ad id conuenientissimæ sunt herbæ refrigerantes & exiccantes, vt vtraque plantago, bursa pastoris, vel polygonum, (quorum succo non est præstantius remedium sistendo sanguini vndecunque fluenti) tapsus barbatus, solanum, folia myrthi, oleæ, agrimoniæ, ceterach, folia palmæ, herniariæ, salicis, rubi & semina quæ decoquuntur in aqua hordei. Solanum tamen à Galeno 5. simp. de indurantibus reiicitur, tanquam non satis exiccans. Superioribus adiungi possunt cortices mali punici, gallæ, nuces cupressi, mala cydonia immatura, mespila, dactyli immaturæ, nuces immaturæ, pyra syluestria, corna, oliuæ immaturæ, mora viridia, fructus myrtillorum, acini vuarum, & quæcunque magnam astrictionem habent & manifestam, cum leui amarore, vt folia pyri syluestris, & mespili. Hæc omnia siccant, astringunt, consolidant,

Ol. ouorũ
Vlceribus adhibetur
Axungia porci.
Curatio doloris dysenterici.
Seuũ hirci.
Albumen oui.
Herbæ refrig. & exiccantes.
Polygoni succus.
Adstringentia apertè.

lidant,& cicatricem inducunt in internis vlceribus. His ad maiorem detersionem mel.rof.saccha.rub.vel syr.de rof. siccis,vel saccha.rof. tabularum addimus. Ad reficcãdas partes laxatas, & nimium humidas, eligenda sunt quæ siccant cum quadam calfactione, tum quia partes refrigeratæ sunt, tum quia calida profundiùs descendunt, vt vehementissimè desiccant. Ad refrigerandum vel calfaciendum vsurpantur, quæ manifestè refrigerant,vel calfaciunt. Id autem raro euenit,vt partem aliquam internam vel calfacere tantùm, vel refrigerare conueniat, quin & simul humectare, vel exiccare,vel constringere, vel detergere oporteat. Et quia nemo ex vniuersalibus doctior redditur, ideo *paradigmata* quædam adhibenda sunt ad maiorem elucidationem. Primùm igitur agemus de ea forma, quæ frequentiùs iniicitur,vulgò clyster & enema dicitur. *Detergentia.*

De clysteribus.

FIunt clysteres ad emolliendum excrementa, ad expellendum,ad calfaciendum,refrigerandum,siccandum,astringendum,relaxandum, & ad dolores inflammationum sedandos, vlcerum inflãmationes, ad nutriendum,ad diuertendum, ad detergẽdum, arrodendum, consolidandum, ad vermes deorsum eliciendos & occidendos.Verum primùm ad sedis & intestinorũ affectus, deinde ad ventriculi,& splenis,renum,vesicæ,vteri,mesenterij.& aliarum partiũ vicinarum, Porrò ad corporis affectus,ad capitis materiam reuellendam,&(vt breuiter dicam)nulla est pars corporis,quæ aliquã ex clysteribus non sentiat vtilitatem, sed aliæ aliis maiorem. Verùm cùm operationes hæ sint diuersæ, nũquam possunt eadem materia perfici, vel scopo vnicuique affectui,vel caussæ cõuenienti. Oportet deligere cõuenientem materiam,& in formã liquidam redigere,quæ per fistulam iniici potest. Est enim iniectionis species magis cõmunis & frequens,à Græcis enema, quod interpretatur iniectio. Ab Ibide didicerunt homines hoc remedij genus & modum immittendi, quæ materiam rostro acuto & longo in ano aquam marinam iniiciebat. Est enim salsa ad facultatem expultricem mouendam & irritandam. Fiunt potissimùm ad excremẽtorum alui excretionem, *Quibus affectibus adhibetur clyster.* *Polyd. Virgil. lib. 1. cap. 1.*

aut intestinorum ablutionem, vnde nomen clyster accepit. Clyster enim ablutio est à verbo *clyso*.

Clysterum differẽtia. Clysterum multæ sunt differentiæ. Alij enim sunt laxantes. Laxantium alij sunt molles dicti, alij acres. Molles autem, qui ad molliendum excrementa alui dura parantur, quibus etiam ad partium sedis induratarum, vel contractarum relaxationem vti nihil prohibet.

Mollium clysterum antiquis materia erat aqua dulcis calida sola, vel oleum oliuæ, vel aqua & oleum, quæ antiquis fuit materia, & hodie esse potest. Sunt enim illa paratu facilia, & pauperibus vtilia. Oleum autem amygdalarum dulcium, ditioribus materia esse potest.

Communis clyst. materia. Communis materia est, decoctũ omnium specierum maluarum, vt altheæ, maluæ, quæ passim nascitur, hortensis, arborescentis, altheæ, vel geranei secundę speciei, & quæcunque humectant vel emolliunt, vel lẽtum succum habẽt, vt acanthus, decoctum fructuum, vt ficuum: seminum, vt lini & fœnugręci, florum, vt mal. liliorum: radices maluarum, vel liliorum idem præstare possunt.

Axungiæ liquatæ vim molliendi habẽt. Quare etiam molles clysteres dicuntur, qui ex multa axungia parantur. Parabitur clyster mollis, vel emolliens, vel ex aliquibus in hunc modum. Sunt qui delectantur magis compositis, quàm simplicibus, & paratu facilibus. Quare paradigmata apponemus, vt nostrorum formã habeamus, & antiquorum.

Emolliẽs. ℞. rad. mal. bismal. & lilior. an. qr. j. fol. mal & bismal. an. M. j. sem. lini ℥. j. fic. par. xx flor. melil. viol. an. p. j. anisi ʒ. iij. Decoquantur in iure pingui, vel in aqua fontis, & in ℔. j. diss. olei communis, vel butyr. recent. vel axung. porci ℥. iij. misce, fiat clyster.

Hic est purè emolliẽs. Nulla enim adduntur, quę vim emolliendi non habeant, excepto semine fœnic. vel anisi, quod addimus ad flatus discutiẽdos. Nam solent, quæ emolliunt, multos flatus gignere.

In decoctione mollium dissoluitur cassia sola, vel cassiæ ab ℥. j. ad ℥. ij. Emollit enim cassia ob humiditatem magnam. Olei dulcis ℥. iij. Hic clyster mollit, tensas partes laxat, dolores soluit, & inflammatas partes non irritat, aut exasperat.

Necesse

Necesse est aliquando non solùm emollire, sed etiam cum quapiam relaxatione & calfactione ob dolorem, túncque illa quæ emolliunt & calfaciunt, magis eligun-tur, vt fœnugræcum, lini semen, vel altheæ, vel rad. cum liliorum decocto. Oleum, butyrum, axungia ponitur in maiori quantitate. *Quando emolliendum cum calfact. & relaxat.*

In doloribus aliquando etiam oportet refrigerare, vt in febribus & inflammationibus ventris partium internarum: & tunc herbæ, quæ modicè refrigerant & emolliunt, sunt vsurpandæ, & quæ sine magno calore emolliunt. Sunt autẽ multæ, quę id possu t efficere, vt omnes maluæ, quæ parùm calfaciunt ob largam humiditatem, qua temperatur caliditas, quibus adiungimus folia viol. quæ ferè omni tempore inueniuntur. *Quando refrig. & emolliendum.*

Æstate verò folia cucurbitæ, melonum, cucumerum solùm habentur, quæ quidem emolliunt & refrigerant, sunt vsurpanda, & his similia, quæ frigiditatem cum humiditate habent adiunctam sine adstrictione. Nam quæ astringunt, in molli clystere non conueniunt, quanquam portulacam inter emollientia enumeret Oribasius, & plantaginem, & rosas, & alia multa, quæ potiùs astringunt, quàm laxent. Sunt etiã quæ acrimonia pungunt & detergunt, vt beta & decoctum alicæ. Hæc minus probari debent in emollientibus. *Herba refrig. & mollitẽtes.* *Hæc improbantur in emolliẽtibus.*

In refrigerantibus verò possunt, vel in principio inflãmationũ, vt plantago, portul. decoctum alicæ. Sed de his postea agemus. Nunc enim scopus est rectã demonstrare rationem, non autem omnia errata reprehendere, sed perniciosiora quæ sunt, tanquam digito demonstrare. *Clyster.*

℞. malua. viol. ana M. ij. flor. viol. bugl. ana p. ij. hord. mund. p. j. fiat decoct. in ℔. j. ß. diss. ol. viol ℥ iij. misce. Si verò facultas sopita sit, ad eam irritandam addenda sunt quædam, quæ facultatem expultricem moueant citra calfactionem & siccationem. Quare his adiũgemus succos herbar. irritantium, vt merc. betæ, in decoct. vel herbas ipsas. Hæc enim humiditatem nitrosam habent, vnde facultatẽ expultricem mouere possunt absque insigni calfactione. Conducunt detergentia dulcia, vt mel, sacch. loth de cassia, diaprun. simpl. vel salis parum. Fiet ergo clyster molliens, & acris, cuius forma talis est. *Clyster molliens & laxans a febr. intermittentibus.*

℞.mal. cum radic.bism.branch.vrsinæ,ciclæ, pariet. merc.(detergunt enim & stimulant,neque multum calfaciunt)ana M j.pass.fic.par.xx.sem lini ℥.j.anisi ʒ.ij.florum viol.melil.ana p. j. fiat decoctio in aqua,vel in iure veruecis, vel intestinorum,vel in iure mugilis piscis, vel saxatilium, vel ostreorum, vel aquæ maris, & in ℔.j.ß. diss.mel viol.℥ ij salis parum,fiat clyst.Emollit,deterget & laxat, neque multum calefacit. Quare conueniet omnibus febribus intermittentibus & continuis nõ multùm ardentibus,vel in illis ardentissimis, quando solicitanda erit aluus, addendo maiorem quantitatem refrigerantium,vt folia cucurbitæ,melonum,& semina etiam frigida maiora. Si verò dolor capitis adsit,prætermittere in omnibus clysteribus oportet, quæ caput replent & tentant,vt cuminum, fœnug.semen lini, nitrum, & alia odorata,vt docet Aetius.

Cautio.

De acrib. clysterib. *Herba acres.*

Acres clysteres sunt, qui pungunt & stimulant ventrem pungendo. Horum materia acris est,vt inter herbas mercur.cicla,atriplex,parietaria. Pungunt etiam & stimulant & multo magis succus earum per se vel cum decocto permixtus. Item salis omnia genera, sal cõmune, ammoniacum,sal gemmæ, nitrum. Compositiones omnes laxatiuæ,vt hiera omnis, benedicta, & quæ diagridium, colocynthidem, & alia purgantia recipiunt. Colocynthis autem & agaricus etiamsi per se decoquãtur,acrem clysterem faciunt.Parabitur verò acris sic.

Compositiones acres.

Forma clysteris acris sine magno calore.

R. Mercur. ciclæ, pariet.ana M.j. anisi, fœnic.ana ʒ.ij. fiat decoctio in aqua marina vel sal.& in ℔.j ß. diss.succi betæ,vel mercur.℥.ij.salis ʒ.ij.fiat clyster.

Si clyster acris sit, sine oleo,& emollientibus parari potest.Magis etiam stimulant & pungũt acria sola,quàm cùm talibus iunguntur. Nam nihil sanè est, quod magis obtundat acrimoniam medicamentorũ, quàm pinguia, vel multùm humida. Quare si oleum ponendum, antiquũ eligatur, aut omnino prætermittatur, nisi cum alia ratione cõueniat,vt ad doloris sedationem coli,vel aliarum partium.Hic autem clyster acris est sine magno calore. Quare in quibus timetur nimia calefactio, hoc vti licet,vel emollientes herbas addere,vel quatuor semina

frigida

frigida maiora. Cùm verò nihil prohibet vti calidis, vel potiùs, morbus aut symptomata suadet, benedicta hieráque ponitur, & omnes laxantes compositiones. Sal etiam nonnunquam hoc modo.

Clyster superioribus acrior & calidior.

R. Superioris decoctionis vel cõmunis ℔. j. ß. in qua diss. benedictæ ℥. j. mel. communis ℥. ij. succi mercur. ℥. iiij. salis communis ʒ. j. antiqui ℥ ij. fiat clyster.

In huiusmodi clysteribus dissoluuntur compositiones acres, quales sunt hiera benedicta, Indum maius, & similes. Sed illam magis eliges compositionem, quæ humori euacuando magis conuenit, & hoc faciendum, cùm ob imbecillitatem medicamenta laxantia vereamur præscribere, vel cùm medicamentum iniectum non operatur. Ad eius prouocationem clysteribus acribus vtendum, atque etiam in omnibus morbis soporiferis, & in quibus somni profundi propensio quædam est, cùm virtus expultrix multùm sopita est, vt in Lethargo, Sopore, Caro. Cùm etiam diuertere à parte aliqua, aut etiam vermes occidere volumus, eligendo tamen affectui materiam conuenientem, vt si ad Apoplexiam, & alios morbos frigidos clyster acris ex laxantibus parandus sit, assumimus herbas incidentes, & calfacientes, quę vulgò capitales vocantur, vt origanum, pulegium vtrumque, calamintha, melissa, hyssopus. Ex floribus verò flores rorisma. saluiæ, stechados. His adiungimus agaricum & pulpam colocynthidis, quæ in decoctione decoquitur in panno ligato, ex quibus parabitur clyster acris in hunc modum ad pituitæ euacuationem, & ad affectus capitis & intestinorum.

Quibus conueniũt acres clyst.

Herbæ capitales & flores.

Clyster ad morbos capitis frigidos & intestinorum.

R. Mercu. M ij. origan. calament. rutæ ana M. j. flor. centaurij minor. anth. stecha. chamomi. ana p. j. agar. in panno ligati ʒ. ij. vel colocynth. ʒ. iiij. anis. fœnugr. ana ℥. iij. fiat decoctio in aqua maris, vel fontis, in ℔. j. ß. diss. benedictæ ℥. j. vel nitri ʒ. ß. si in aqua dulci præparetur, fiat clyster. Cæterum oleum hîc prætermissum est, vt acrius sit, sed si addatur, antiquum sit, vel Irinum, vel rutaceum & similia.

Clyster ad enecandos vermes.

ACris clyster ad occidendos vermes, qui sunt in colo, vel recto intestino, addito oleo ad ℥. iij. suprà scriptus aptus est. Laxat enim, trahit, & amarore occidit vermes. Nam omnia sunt ferè amara, ex quibus componitur, vt flores centaurij, agar. colocynth. benedicta: vel fiat ex his, quæ vermes occidunt, qualia sunt omnia amara, & nitrosa, & acria, & oleosa. Amara verò sunt, flores centaurij minoris, absynthium omne, aristolochię omnes, cichor. abroton, puleg. oleum antiquum, amygdal. amar. oleum persic. petroleum, laurinum & similia: vel fiat decoctio in aqua, & collaturæ adde oleum, & fiat clyster: vel decoquatur in oleo, & oleum iniiciatur hoc modo.

Amara omnia ad occidẽdos vermes.

℞. absynth. Romani, seryph. abrot. ana M. j. lupinorum p. j. ß. flor. centaur. minor. p. j. fiat decoctio in ℔. j. diss. olei amygdal. amar. olei, laurini ana ℥. iij. misce, iniiciatur. Si autem sine febre sit, hæc præscribuntur, & vinum generosum additur, & fit coctio in oleo, de quo iniicitur ℔. j. Sin verò sit laxandum, additur hiera, benedicta, agar. in decoctione.

Ad ascarides.

QVòd si fuerint ascarides, id est vermiculi, quales in caseo inueniuntur, decoctum fiat in lixiuio debili, vel lixiuium ipsum iniiciatur, vel in lixiuio decoquantur sequentia, & iniiciatur per fistulam multis foraminibus perforatam in latitudinibus, & non in extremitate paratis, hoc modo.

℞. radic. gentianæ, aristoloch. rotundæ, vel longæ, clematidis, vel pistolochiæ ana ℥ j. florum marrhub. foliorum persici & absynth. ana M. j. lupini, vel orobi p. j. fiat decoctio in lixiuio, & aqua, æquis partibus: iniiciatur, sed sensim, & bis eadem hora: vtile est etiam istis hieram vel benedictam ad pituitæ euacuationem, & recti intestini detersionẽ dissoluere. In his etiam iniicere muriam oliuarum, vel persicum, vel vrinam, cui additur parùm fellis hirci, vel bouis, vel salis gemmæ. Parùm sumere vtile est.

Cùm vermes in ventriculo & superioribus intestinis sunt.

SI verò sunt in ventriculo, aut superioribus intestinis oportet eos potionibus occidere, & deorsum deturbare, vel clysteribus dulcibus elicere. Parantur autem ex decocto hordei vel tritici, vel ficuum, vel passularum hoc modo. *Frigida & amara herba.*

℞. hord mundati p. j. fic. par. x. anis. ʒ. j. fiat decoctio in ℔. ß. diss. mel. vel sacch ℥. iij vel sapæ ℥. iiij. fiat iniectio sine oleo & sale. Fugiunt etiam oleum omnia amara, & salsa, & acuta, dulcia verò & insipida sequuntur.

Cùm febris vnà cum vermibus adest.

SI febris adest, clysteres debent laxare, & vermes occidere & refrigerare. Fiunt autem ex amaris & frigidis, vt cichor. endiuia, scariola, portulaca. Fit decoctio in sero lactis, vel aqua fontis, vel decoctione pulli, & in ℔. j. ß. diss. mel. ros. colati ʒ. ij. succi ros. ʒ. ß. Vel loco illius syr. ros. ʒ. j. Nihil enim prohibet syrupis vti in clysteribus, si sua qualitate conueniant, & potissimùm hyeme, cùm succos herbarum non possumus habere, & hoc in diuitum remediis. Hic clyster refrigerat, laxat, & occidit vermes. Est autem aliquando necessarium occidere, & fluxum ventris cohibere, quem vermes excitant. Quare detergentibus amaris, non autem astringentibus vtendum, ne vermes occisi retineantur, & putrescant. Fiant ergo ex decoctione lentium vel lupinorum, & decoctione aquæ caulium, quibus addere possumus rosas, vel fructus amaros, vel myrobal. qui parantur hoc modo.

Ad occidendos vermes & vnà fluxum ventris cohibendum.

R. Lentium p. j. ros. p. ij fiat decoctio. In ℔. j. infunde per sex horas corticum myrobal. citrino. ℥. j. facta expressione iniiciatur in fluxu & vermibus, vel decoquatur cum herbis hoc modo.

℞. summitatum oleæ, & myrthi ana M. j. ros. rub. p. j. centaur. minor. p. ß. fiat decoctio, & iniiciatur. Vel sic.

℞. cortic. mali granati ℥. j. myrobal. citrinorum & chebul. ana ℥. ß. fiat decoctio in aqua hord. perfectè cocti & colaturæ ℔. j. iniiciatur.

℞. summitatum portul. M. ij. cichor. M. j. lentium p. j. fiat decoctio, iniiciatur. Pauca enim quantitas infun-

denda, quia ad rectum intestinum tantùm debet pertinere, & coli principium.

De clysteribus detergentibus.

VErùm posteaquam in clysteres astringentes & detergentes incidimus, non erit à methodo alienum de clysteribus detergentibus, deinde de constringētibus hoc loco agere. Detergētibus autem clysteribus vtimur in affectibus intestinorum, nempe in vlceribus, & inflāmationibus, in quibus resudat aliquid in intestina. Item in tenasmo. Fiunt ergo detergentes ex fructibus, cerealibus, floribus aliquibus. Detergunt autem dulcia, nitrosa, amara. Ex fructibus aliqui detergunt & leniunt, vt ficus, & passulæ. Quare in vlceribus non conueniunt. Alij detergunt & astringunt, vt myrobal. omnes, nucum cortex externus, quæ in vlceribus magis conueniunt, quia siccant. Ex cerealibus hord. furfur, alica, & triticum. Ex leguminibus orobus, fabæ, lupini, lentes. Flores detergunt fortiter, vt Centau. minus rosæ, & leuiter astringūt. Serum lactis etiam ex genere detergentium est, & vrina, & lixiuium. Quare deligere oportet conuenientem materiam, & illam accommodare: quanuis omne vlcus egeat detersione, tamē ob symptomata detersio augetur, vel minuitur, & nonnūquam prætermittitur, vt si dolor adsit vehemens. Si verò paruus sit, vlcúsq; profundum, si bilis syncera diu fluxerit, detergendum, sed leuiter. Quare à leuioribus incipiemus. Si verò sit cum magna pituitæ copia crassa, fortioribus erit vtendum. Primùm igitur detersorium leuamen, siue enema ex hordeo mundato est, quod conuenit in vlceribus cum dolore: deinde ex hordeo integro, postea ex lentibus, orobis & lupinis. Fiunt autem detergentes pro dysenteria, & tenasmo in principio, in quo non requiritur magna detersio.

Quibus detergētes cōueniunt aff. ct.

Detergētia.

Clyster detergens in principio dysenteriæ & tenasmi.

℞ Hord. integ. p. ij. fiat decoctio in aqua, & in ℔. j. diss. sacchar. rubri vel mellis communis ℥ j. misce fiat clyster. Si plus detergere oportet, vt in tenasmo, & illa pituitæ reiectione, decoctum lupinorum, vel orobi, vel lentium, vel plus mellis communis, vel rosati addemus. Si verò detergendum & siccandum magis sit, hordeum assumimus, minùs tamen mellis ponimus, vel saccha.

charum rof. tabulatum diffoluimus,quod deterget,& aſtringit & ſiccat & minus calfacit hoc modo.

Clyſter detergens & ſiccans.

℞. Hord.integ.aſsi p.ij.roſ. rub.p.j fiat decoctio diſſ. mel.roſ ℥.ß.ſacch.roſ.tabulari ℥.j.miſce capiat.Cùm autem,ſiccandum,conſtringendum,&conſolidandum eſt, herbas & radices addimus decoctioni ſiccanti, vt radices biſtortæ, tapſi barbati, plantag. fol. polygoni, myrthi, lantiſci, & ſumach. ſummitatũ pyri ſylueſtris,quercus: & tunc ſeuum hirci, vel herbarum ſuccum admiſcemus,ſed hoc ſolùm poſt iniectionem detergentis clyſteris iniici debet. Interea verò cùm vlcus deterſum eſt, fit hoc modo.

Clyſter aſtringens & conſolidans.

℞. Hord. integ.aſsi p.j. biſtortæ qr. j. foliorum plantag. & linguæ paſſerinæ, ſumach. an. M. j. fiat decoctio. In ℔.j diſſ. ſeui hirci ℥.ij. miſce, fiat clyſter. Detur poſt clyſteres deterſorium, vel purgatio excrementorum vétris. Vel ſic fiat ex decoctione & ſucco herbarum.

℞. rad. tapſi barbati ℔. ß.ſumach. plantag. vel myrthi, vel caudæ equinæ, vel herniariæ,vel polygoni an.M. j.cortic. mali granati,balauſtiorũ an ℥.j. roſ. rub p.j.fiat decoctio in aqua ferrata,& in ℔.j.ſucci plantag. ℥.ij. ſeui hirci ℥.j. ß. miſce.

Cùm dolor adeſt.

ACcidit aliquando vt ſit dolor, ob quem addimus ea, quæ etiam dyſenteriæ minùs conueniunt, vt ſunt ouorum vitelli,quæ quidem leniunt aſperitatem,& ſedant dolorem,quia illorum ſubſtantia lenta eſt,poteſt obducere inteſtina, & impedire abraſionem, hoc etiam facit ſeuum liquefactum, oleum omne vlceribus aduerſatur,eò quod illa reddit ſordida. Verùm ad doloris ſedationem oleum roſ. admiſcetur ad ℥.4. Non eſt autem ſigillandum & conſtringendum cùm ſedare dolorẽ volumus, quo tempore Galenus axungiam infundendam imperat lib.2.ſimplic. Ad eandem rem etiam hordeum mundatum magis aptum eſt, quàm integrum vel aſſum, cùm dolor adeſt. Vlcera inteſtinorũ nimis deterſa fiunt phagædenica, & maligna. Quare diligenter inſpicienda ſunt alui excrementa, ſi nigreſcant, fœteant, vel eadem

oleosa redoleant. Si minus doleant, aut nihil priusquam reddere vellent excrementa: tunc enim non esset inutile iniicere ea, quæ fortiùs detergunt, vt antiqui imperabant, qui muriam & alia ex sandaraca, itémque alia, quæ caustica sunt & astringunt, similiter vsurpabant. Quòd si quis hæc formidauerit, paret clysterem ex multis resiccantibus, & detergentibus.

Clyster fortiter detergens.

℞. lentium, lupinorum ana p. ß. foliorum myrth. oleæ, absynth. ana M j florum centaur. minór. rosarum rub an. p. j. fiat extractio in aqua ferrata, vel lixiuio debili, & in ℔. j. diss. mel ros collati ℥. iij. misce cap. mane. Sunt qui ex muria tales clysteres parant. Alij decoctionibus vnguenti ægyptiaci dissoluunt ℥ j. & iniiciunt: fortiores fiunt ab oleis antiquis, quæ hîc recensere non audeo, ne quis abutatur: quandoquidem vrunt, anum tanto morsu detergũt, vel exiccãt, vt periculosum sit ea iniicere. Quare oportet excrementa alui diligenter & attentè considerare, vt illam corruptionẽ statim cognoscamus. Cùm enim illa perfecta est, illam incurabilẽ ausim affirmare.

Clyster ad Tenasmum.

IN tenasmo iidem clysteres sunt ex vsu, diminuta tantùm quantitate. Sufficit enim minor quantitas, nec fistulam tam longam esse oportet, sed vndiquaque in circulo perforatam, vt in Ascaridum clysteribus imperauimus.

De clysteribus Vlcera intestinorum consolidantibus.

VLcera intestinorum, vt aliarum partium, postquam detersa sunt oportet ad cicatricem perducere, quod fit sarcoticis medicamentis leuiter astringentibus. Materia horũ erunt, quæ astringunt, folia, & radices vt consolida, hyppuris, polygonum, plantago vtraque myrth. oleæ, folia rosarum flores: hoc ergo modo parabitur.

℞. rad. tapsi barbati, & consolidæ maior. an. ℥. ij. caudæ equinæ & plantag. an. p. j ros. rub. p j. fiat extractio in aqua ferrata, & in ℔. j. diss. seui hirci ℥. ij. misce, capiat, redditis alui excrementis, & præcedente clystere detersorio. In his practici solent arida quędam apponere, vt sanguinem draconis, corallum, trochiscos albos Rasis, de spodio: sed hæc arida dolorẽ inducũt, cùm supra partem

tem exulceratam resident. Quare illa præterire suadeo, nisi cum cicatrix confirmanda, vel magis induranda esset. Tunc enim talia fieri possunt, si vt collyriũ, sint puluerisata: alioqui omnis puluis aridus, qualiscunque sit, dolorem inducet. Ea ratione antiqui pulueribus addebant oleum, & ceram, ad eorũ asperitatem castigandã. Quò si quis talibus vti velit, malim vnguentum album Rasis detineri potiùs quàm trochiscis vti, vel vnguento ex pompholige, vel ea eligere, quæ sicca & lenta sunt, qualia sunt, quæ ex terra sigillata, bolo armeno, rubrica fabrili, amylo, cerusâ lota, hæcque in cotem iniicere & miscere, vt solent pictores ad colores parandos. Id quod in oculorũ affectibus & partibus exulceratis est faciendum, fiat ergo hoc modo. *Error practic.*

℞. decoctionis clysterum ℔. j. In qua dissol. boli armeni ʒ. iij. iniiciatur. *Consolidans clyster.*

℞. hord. integ torref. p. j. plantag. fol. myrthi, ana M. j. florum ros. p. j. fiat decoctio. In ℔. j. trochiscorum alborũ ras. (dissoluti superioris memor vt collyr.) ℥. j. amyli ℈. ß. misce, iniiciatur. Si verò fluat sanguis, tales clysteres erunt ex vsu, qui primùm detergunt, & sanguinis fluxum retinent. Vel fiunt tales emplastris astringentibus, & sanguinem retinentibus.

Clyster sanguinem sistens in Dysenteria.

℞. radic. consolidæ maior. ℥. iiij. hyppur. burs. pastor. plantagin. sanguinar an. M. j. hordeum mundatum p. ß. fiat extractio in ℔. j. diss. succi plantagin. vel bursæ pastor. ℥. iij. albuminum ouorum fortiter agitatorum ℥. ij. fiat clyster.

Quòd si fortius remedium requiras, adde boli, vel rubricæ fabrilis ʒ. j. vel de carabe ʒ. j. misce & iniiciatur. Si affectus erit magis in superioribus intestinis, iniice magnam quantitatem, si verò circa sedem, vel in recto intestino, paucam, vt meliùs æger retineat. Nam quo diutius in eo est, magis prodest, si cum extrinsecis remediis ad sanguinis impetum. Si verò ex erosione, vel magnarum venarũ eruptione fluat, vtiles sunt in vera Dysenteria, in immoderato fluxu hæmorrhoid. In immodico fluxu muliebri, siue per vterum, siue per anum,

magis si in vterum per metrenchitem iniiciatur.

Ad lienteriam & diarrhæam.

Herbæ astringētes. Fructus astring. SI partes nimia humiditate longiores factæ sint, vel frequenti pituitæ defluxu in ventriculum, vt in lienteria, & diarrhæa, conuenit materia astringens, quales sunt herbæ aliquæ, vt tapsus barbatus, virga pastoris, plantago, folia myrthij, fructus oleæ, & oliuæ immaturæ, cortex mali granati, quercus, radix bistortæ Fructus verò vt mala co onea, mala syluestria, mespila, sorba, corna, pruna immatura, dactyli immaturi, glandes, nuces cupresi, castaneæ integumenta. Ex floribus rof. Paratur autem hoc modo.

℞. rad. tap. barbat. bistortæ ana ℥. iij. hippur. folior. myrrhi, & summitatum rubi ana M. j. pyrorum syluest. vel pomorum, vel castanearum par. xx. rof. p. j. fiat extractio in aqua ferrata, & in ℔. j. diff. acaciæ, vel hypocistidos ℥. ß. misce, iniiciatur post aliquam detersionem, per medicamentum purgans & astringens, vt rhab. vel myrob. aliquibus, vel clystere astringente. In lienteria, diarrhæa, alióve fluxu ventris constringit, & roborat. *Cautio.* In istis autem neque oleum, neque saccharum, neque ceram, aut alia quæ detergere aut laxare possunt, sed quæ siccant & astringunt, tantùm admiscenda. Addantur fructus, succi astringentium & herbarum, & tunc efficaciores redduntur in lienteria, & Tenasmo. Vinum etiam astringens, cum magna vtilitate. Ex residentia autem horum clysterum, addita mica panis & aceti, fiunt cataplasmata efficacissima. Deinde odorata adduntur, de quibus suo loco dicemus. In dysenteria, quia à nimia frigiditate & humiditate fit, ex astringentibus, calfacientibus, vel frigidis, calida erunt addenda. Sunt *Astringē. calida.* autem conuenientiora folia maioris cupressi, absynthij coma, radix cyperi, acori vulgaris, & his similia.

Ad lienteriam sequens faciet.

℞. Cyperi, tapsi, bistortæ ana ℥ j. absynth. foliorum Cupressi ana M. j. nucum cupressi n. iij. flor. rof. anthos, stechad. & saluiæ ana ʒ. j. fiat extractio in aqua ferrata, & vino astringente & in ℔. j. diff. hypocist. ladani ana ℥. ß. fiat clyster, iniiciatur.

Clyster

Clyster ad sedandum dolorem coli, ilei, vteri, & renum.

COli dolores fiunt pro diuersitate causarum. Nam si à flatibus, discutientibus potissimum dolorem sedamus: Si à distentione stercorum, euacuantibus: si à pituita vitrea, calfacientibus, cõcoquentibus, & euacuãtibus leuamus dolorem. Si à bile sine vlcere dolor colicus fiat, detergente & euacuante: si verò cum vlcere, detergentibus & acrimoniam frangentibus & his quæ vlcus contegunt. Est ergo communis omni morbo, in quo recremẽta sunt retẽta & indurata, vt emolliantur, ídque clyster mollis pręcedat, vel acutus & molliens, in colico autem dolore emolliẽs Ergo additur benedicta, vel hiera, deinde ad doloris sedationem intẽdimus, cùm caussa flatus gignẽs, vel retinens ablata est. Stercora retinet pituita vera, intemperies frigida flatus gignit Quare ad partium tensarum, vel contractarum relaxationem, & viæ obturationẽ & doloris remissionẽ paratur ex emollientibus, discutientibus & euacuantibus hoc modo.

Ad colicum dolorem.

℞. radic. bism. vel liliorum ℔ ß (malactica, relaxantia, & anodyna.) malua. branc. vrsinæ, absynth. an. M. j. fic. pa. xx. seminis lini, vel fœnu. ℥. j. vel ij (vel etiam prætermittuntur, vel in quantitate minore illud ponitur, ne lentore & mucilagine decoctum viscosum redditum ingressum per fistulam impediat) anisi, carui, fœnic. cymini ana ʒ. ij. vel ℥. ß vel ℥. j. flor. cham. melil. sambuc. ana pa. fiat extractio, in ℔ ß. dissol. benedictæ ℥. j. olei chamo. vel anethi ℥. iiij. vel butyri ℥ ij viui ℥ iij. misce, iniiciatur. Quòd si venter glãde priùs supposita, vel alio clystere acriori, vel pilulis euacuatus sit, ad anodyna veniemus. Quòd si non sufficienter euacuatus est, his fortiores dandi sunt, neque vtendum est de attractione ad partem: quia vis iniectionis ob intestinorum obstructionem altiùs non potest penetrare, neque attrahere humores, neque aliud quicquam facere contra nostrum præceptum, quod à Galeno dictum fuit de reuulsione, vel auersione facienda per partem contrariam, hoc de inflammatione dictum fuit, non de aliis affectibus partium, quæ meatus apertos habent, ad euacuationem faciendam sufficientes. In præcedentis clysteris paradi- *Præceptũ de auersione & remissione*

gmate obseruare studiosus debet, nos vitare debere nimiam quantitatem rerum viscosarum, ne transitus impediatur: & quod iniectionis quantitas pauca sit, ne distendendo magis dolorem augeat. Itémq; in hoc laxantia ponuntur medicamenta, quia sunt primi clysteres, ad eductionem materiæ. Euacuata igitur materia remaneat dolor à flatibus, vel à frigiditate humorum contractus. Quare ad discussionem flatuum & relaxationem partium, iniiciend. sequens.

Clyster sedans dolorem colicum.

℞. seminis anis. fœnic. ana ℥ j. seminis apij, petro. anethi. ana ℥. ß. florum cham. melil. sambuc. ana p. ij. fiat extractio in aqua & vino & in ℔. ß. diss. olei cham. & rutac. ana ℥. iij fiat clyster. Vel ex vino, & decocto nucum æquis partibus paretur clyster, qui citò discutit flatus, & dolorem sedat. Præterea omnia olea ad hunc affectum cum summa vtilitate iniiciuntur, quæ discutiunt flatus, vel partes dolentes laxant, vt oleum antiquum, chamo. liliorum, amygd. amar. anethi rutac. nucum, & similiũ, quæque magis sunt tenuium partium, ea altius, & citius per partes diffunduntur.

Olea consentanea.

Cùm dolor est à pituita vitrea.

Signa pituitæ vitreæ.

SI dolor colicus diutius perseuerauerit, & sentiat æger se quasi palo perforari, & intestinum frigus sentiat, verisimile est dolorem esse à pituita vitrea, & tunc ad alia remedia est veniẽdum, nempe ad clysteres multùm calfacientes, humores liquantes, & fundẽtes, deinde laxantes, & ex alto trahentes. Paratur autem hoc modo, & sedans dolorem.

℞. fol. myrthi, puleg. vtriusque marrh. calaminth. an. M. j. semin. fœnugr. ℥. j. semi. seseli, carui, cymini an ℥. ß. flor. cham. lauendulæ sambuci, anthos. stech. ana p. j. fiat extractio in ℔. j vel ℥. x. colaturæ diss. vini maluatici, vel vini albi veteris ℥. iij. olei anethi ℥. iiij. fiat clyster, iniiciatur bis in die. Oleum cham. sambuc. anethi, nucũ, de spica, castorei valent ad pituitæ vitreæ alterationem & coctionem: oleum autem commune & amygdal. dulc. imbecilliora sunt quàm vt possint humores congelatos concoquere. Axungia antiqua porci, gallinæ, anatis, & butyrum vetus, concoquunt, & detergunt. In his clysteribus

Olea ad pituitam vitream.

Axungia & butyrum.

ribus radic. attenuantes, calfacientes addi possunt, vt *Radices.*
enulæ campanæ. Siccæ etiam radices vt apij, petro. galangæ, quæ priùs decoqui in oleo debent, & post iniici.

Vinum hippocr. consentaneum.

MVlier quædã nobilis grauissimo dolore coli cum teneretur, vt nihil aliud ad manum esset, vinum hippoc. iniiciendum imperaui, & paulo post curata fuit. *Experientia.* Rusticus etiam qui vinũ emerat, aromatites ex melle ad hylaria celebranda curatus fuit. Vina autẽ hæc, vel saccharum, vel mel ad detersionem: hippocraticum verò vinum cinamomũ, aliud piper, zinzib. grana paradisi recipit. Quare non debet esse mirum si his remediis curetur. Curaui alium rusticum brodio, quod ex allio contrito in mortario, & oleo (albidum alij vocant, alij torridum) nam quæcunque incidunt, & attenuant, discutiunt, ob id curant, vt erysimi decoctum quo multos curaui, quod etiam ex vno efficacissimum est remedium. Castoreum & euphorbium si perseueret dolor, neque *Castoreũ & Euphorbium.* moueatur suo loco, ad id conferunt, & præsens, extremúmque est remediũ. Nam qui castorei ex vino bibunt ǧ. vj. & vini parum, cito curantur. Euphorb. etiam infunditur eadem quantitate, & alia. Lachrymæ periculosæ ob lentorem, quòd aliquando adhærent & non possint repelli, & occidunt, vt ex morte nobilis viri Gubernatoris Mõspessuli D. Gaudeti, id nobis fuit cõpertum. *Nota.* Nam pharmacopola cùm medici officio fungi vellet, insciis Guilberto, Griffio & Falcone, qui illum curabãt, iniecit sagapenum, ammoniacum, & alia dissoluta, quibus immissis subito, & repètè mortuus est. Verũ fient sequẽtes ad humorum attenuationẽ & pituitæ eductionẽ.

℞. radic. enul. camp. resiccatæ (nam recens flatus habet) iridis pyretri ana ℥. j. (Calefacit enim & euacuat) puleg. marrhub. origan. folior. rutæ ana M. j. baccarum lauri ℥. ß. flor. cham. aneth. ana p. j. mellis squillit. ℥. j agarici tro. in panno ligati ℥. ß. Indi maioris, benedic. an. ʒ. ß. vini maluatici & olei nucum ana ℥. iij. fiat clyster. In istis dissoluuntur omnes hieræ vt archigenis, diacober. hiera picra, trochisci alandal. diaphenicũ & indum maius, & quæcũque turbith & agaricum recipiunt vel turbit colocynth. & agaricus puluerisata, & in pãno ligata

Vinum nunquam prætermittendum. decoqui,& iniici debent. In his vinum nunquam prætermitti debet, quia cōcoquit materiam, sedat dolorem status discutiendo, & quodammodo reficiendo. Eligēdum autem vetus,& tenuium partium. *Olea antiqua.* Olea etiam superimponenda ad sedationem doloris,& cōcoctionem materiæ, sed antiqua & tenuium partiū. *Axung. buty.* Axūgiæ etiam aliquæ ad cōcoctionem & doloris mitigationem præcipiuntur: axungiæ porci sine sale, gallinæ, anatis plurimum prosunt, vt butyrum etiam vetus nō salitum: nam sal dolorē excitat. Quare in nullo dolore ponēdum, nisi in primo clystere, ad irritationem facultatis expultricis & hoc in stercorosa colica. Iuuatur autem concoctio aliis remediis, vt fotu, balneo, vnguentis. *Pilula.* Eductio autem pilulis ex lachrymis fœtidis, de euphorbio, aut opopanace, sebellinis & aliis, quæ sine myrob. paratæ sunt, addendo castorei quartam partem, vel euphorbij quintam partem.

De nephritico dolore.

Nephriticus dolor clysteribus curatur, vel leuatur, primi molles, vt in colico, deinde molles & discutientes, tundētes, & attenuantes, tunc molles & leuiter refrigerantes necessarij sunt, quales postea docebimus. Ad nephriticum dolorem ob calculi descensum per poros vrinarios ad vesicam, parabitur ex supradicta materia discutiente & incidente, citra calfactionem, & exiccationem, vt ex rad. altheæ, mal. glyc. gra. asparag. apij, petro. Aliæ enim sicciores, & calidiores calculum retardant, pituitam exiccando. Parabitur autem hoc modo.

Quæ discutiunt & incidunt: ℞. rad. altheæ, rad. gramin. aspar. glyc. ras. vel pedis columb. ana ℥. ij. beton. linariæ fol. fœni. marini ana M. j. anisi, semin. lini, fœnug. ana ℥. ß. flor. chamo. melil. ana p. j. fiat extractio in aqua, vel in iure pingui, & in ℔. j. dissolue butyr. recen. vel axung. porci recen. ℥ ij. olei scorpionū ℥. iij. mell. cōmunis ℥. ij misce, iniiciatur. Vel sic.

℞. mal. cum rad. M. ij. fic. pass. ana pa. xxx. seminis lini ℥. j. seminis mal. alchechangi, milij solis, apij, petro. ana ʒ. iij. baccarum lauri, & iuniperi ana ʒ. ij. florum hypericon. chamom. genist. ana p. j. fiat decoctio in aquæ & vini æquis partibus, & in ℔. ß. diss. olei liliorū, amyg. *Terebinthina.* amar. & scorpio. ana ℥. iij. terebinth abietis ℥ j. misce, iniiciatur. Quòd si larix ea sit, quæ magis tenuis & calens

est,

est, magis in hoc affectu commendatur, quæ sese facilè per abditas, & occultas partes insinuat, quod manifestè indicat odor vrinæ. Olet enim vrina violam perinde ac si per os sumpsisset. In huiusmodi clysteribus diutius herbas concoquere optimum, ne flatus gignant. Compositiones lenientes, vt cassia, catholic & aliæ fortiores ad id genus conueniunt magis. Nam quæ leniunt laxando partes, calculi descensum iuuant, aliæ veræ fortiter trahendo deorsum. Hoc tamen cauendum, ne plus trahant clysteres & siccent. *Cautio.*

Ad comminuendum calculum.

SI calculum comminuere volumus, cùm maior sit quam possit per poros descendere, calculum cõminuentem decoquere oportet, vt palyuri semen, raméta palyuri, id est, ramum nigrum potissimùm dictum, fiat hoc modo.

℞. rad. graminis, apij, petro, glyc, aspar. bism. ana ℥. ij. beton. saxifrag. fœnic. marini, lunariæ ana M. j. seminis alchecang. milij solis, seminis palyuri ana ℥. j. fiat decoctio in ℔. j. dissol. succi pariet. vel fœnic. marini, vel raphani ℥. j. olei scorp. ℥. ij. misce, iniiciatur. Decoquantur ramenta palyuri nigri in aqua, & vino albo, vel simili modo iniiciatur decoctum hyperici, vel succus cum decoctione. Succus portulacæ exiccatus, deinde in aqua aliqua, vel in decoctione dissolutus. calculos renũ comminuit. Si autem nephriticus dolor est ab inflammatione, clyster talis parabitur ex remollientibus, refrigerantibus & dolorem mitigantibus. *Succus portulacæ frangit calculum. Nephrit. ab inflamma.*

℞. mal. cum radic. viol. ana M. j. foliorum cucurb. M. ß portulacę tertiam partem M. j. seminis lini ℥. j. florum chamo. viol. an. p. j. hord. mund. p. ß. fiat decoctio in ℔. j. diss. ol. viol. & ros. ana ℥. ij. ouorum fortiter agitatorũ, n. ij. misce, fiat clyster. Si præcesserit alui euacuatio, vel cassia, vel clystere euacuante. Quòd si aliqua recreméta quæ detergunt leuiter, vel irritant citra calfactionem, admiscere oportet, vt decoctione diss. cassiæ recenter extractæ ℥. j. vel sacch. rub. ℥. j. vel succi ciclæ ℥. ß. vel cath. ʒ. vj. vel ℥. j. Hæc enim purgant leniendo, & non irritant partem inflammatam. Quando inflammatio est in renibus, ista in minori quantitate, & audacius dantur *Cautio.*

ne cũ vſurpetur maior quãtitas iniectionis altius aſcendat,& partem affectam lædat. Vel ſi inflammatio ſit in vtero,vel veſica, magis emollitioni, quàm irritationi intendendum Quòd ſi tum irritanda ſit aluus,id potiùs eſt balano, quàm clyſtere faciendum. Hîc clyſteres erunt vſui inflammationibus inferioris ventris,& ſedis.

Ad iliacam paſsionem.

SI verò iliaca paſſio fuerit, alio modo incedendum. Nam duo genera clyſterum iniiciuntur. Primi enim iniecti emollientes,leuiter detergentes,euacuantes eſſe debent,vt excrementa inteſtinorum inferiorum vacuentur. Nam cùm affectus ſit graciliũ inteſtinorum inflammatio,acres clyſteres non ſunt ex vſu,ne ad partem affectam excrementa trahantur à partibus remotis: neque etiam qui nimium detergunt,ne dolorem irritando augeant.Secundi erunt refrigerantes,relaxãtes, & acrimoniam caloris extinguentes.Primi parantur hoc modo.

Quid iliaca paſsio.

℞.rad.altheæ ℔.ß. mal.cum rad. M.ij.viol.M.j.flor. viol.&cham.an.p.j.fiat decoctio in aqua hord.vt habeat vim detergendi,& in colaturæ ℔.j.diſſ.mel.vio. vel caſſ. nouiter extractæ,vel cymi cum ſacchar.℥.j.ol.viol.℥.iij. miſce,iniiciatur.Si hoc clyſtere non purgetur venter ob fortem attractionem à parte affecta,addemus ſucci ciclę ab℥ ß.ad℥ ij.& mel.& caſſ.quantitatem augebimus. Secundi parantur ex lacte vaccæ recenter mulſo cum pauco ſaccha.vel mellie,ne concreſcat, & ol.viol.vel ex alio lacte, vel ex decoctione hord. mund. & quatuor ſemin. frig.maior.& ol.viol.vel amygd.dulc.aut ſi maximus ſentiatur æſtus,paretur hoc modo.

℞.mal.viol.ana M.j. quat.ſemin.frig.maior ana ℥.iij. pomorum acidorum p.x.florum viol.nenuph. bugl.ana p.j.fiat decoctio in ℔.j.diſſol.mucilag. ſeminis pſilij℥.j. ol.viol.vel nenuph.albumi.ouorum fortiter agitatorum ana℥.j miſce, iniiciatur liquidus. Veteres vehementia doloris coacti, colica remedia iniecerunt, quæ opium recipiunt. Sed quia cum opio caſtoreum,pyretrum,vel piper, ſinapi. & alia calidiora admiſcent, magis probamus arteriacas compoſitiones, quæ minùs calfaciunt & leuiter detergunt,modò non conſtringerent,quæ diſſoluuntur in ſapa,vel olei amygd.vel ol.lini. Iniiciatur primum

mum in parua quantitate. Minùs perniciosa sunt quæ deuorantur, quia in ventre meliùs & citiùs alterantur, quàm quæ in intestinis. Hæc pro principio, & ad euacuanda recrementa & doloris sedationem. Quòd si contingat ægrum posse euadere principium, & incrementum, sunt alij detergentes & resoluentes iniiciendi, qui parantur ex oleis chamom. anethi, amygd. amar. & vino. Verius ex decoctione florum chamom. melil. & seminis lini, prout sunt clysteres molliẽtes. Auertunt enim euacuando excrementa & deorsum trahendo prohibent ne ad ventriculum ferantur, & vomitione reiiciantur. Alij trahũt circa partem affectam, vel quando magna quantitas iniicitur, fere ad affectum veniunt, vel consecutione partem affectam refrigerant leuiter, vel calfaciendo relaxant. Hic affectus colicis & clysteribus curari debet, & auersionibus. Est enim ferè inflammatio erysipelatosa à bile, quæ per intestina descendere debebat, quæ retardata tumorem in ileo excitauit.

De affectibus Vteri.

IN affectibus vteri vtiles sunt clysteres propter magnum eius consensum cum recto intestino & aliis intestinis suprà positis, vtero intra ieiunum, & ob consensum, quem habet ex peritonæo, quod illas partes omnes integit, ligat, & suspendit. Si ergo dolor vel affectus vterum malè afficiat, iuuatur clysteribus. Quòd si id à flatibus accidat, vel inflammatio sit, vsurpetur clyster ad colicum dolorem, & flatus discutiendos præscriptus. Et si proprium vel ei accommodatum requirat, parare hoc non licebit.

Clyster ad flatus Vteri.

℞. mercur. arthem. matricar. ana M. j. flor. anth. stechad. chamo. ana p. j. apij, petro. ana ℥. iij. fiat decoctio in ℔. j. diss. benedictæ (si flatus discutiendi & materia intestinorum euacuanda.) ℥. j. ß. Sin minùs euacuandum, hieræ tantund. olei nard. ℥. iij.

Ad Vlcus Vteri.

SI verò dolor fuerit cum acrimonia vel erosione, qualis sentitur in carchinomate, vlcere corrosiuo, aut depascente, iniiciantur clysteres, sicut in dysenteria, detergentes vel sedantes dolorem dysentericum.

vel iniectiones, quæ iniiciuntur in anum, in vterum iniicientur.

Ad scirrhum vteri emolliendum.

SI vteri scirrhus emolliendus sit, clysteres emollientes vel sedantes dolorem, illi erunt vtiles, vel fiant ex malacticis, in oleo tenui & vino sine sale coctis, vt diutius remorentur.

℞. radic. altheæ quar. 1. corti. rad. vlmi ℥. 2. mal. M. 2. seminis lini, fœnugræc. ana ℥. ß. fic. p. xx. seminis apij, petro. & bismal. ana ʒ. 2. flor. chamom. melil. viol. & mal. hortensi, vel aliarum, si reperiantur, ana p. 1. fiat decoctio in aqua vel in iure intestinorum porci, si reperiatur, vel veruecis, vel iure pingui. Decoctioni adde pinguedinis porci, vel butyri recentis, vel ol. ℔. ß. iniiciatur ℔. ß. frequenter.

Alter emolliens.

℞. olei amygd. dulc. liliorum, & irini ana quar. 1. vini dulcis, vel sapæ ℥. iiij. fiat clyster, iniiciatur.

Axungia felis. Axungia felis, vel ius felis mirum in modum emollit, aut parui porci, aut anatis, aut anseris, aut anguillarum pinguium, vel mugilum, vel axungia illorum animalium ob partium tenuitatem & largam humiditatem. Medullæ etiam in vino dissolutæ iniiciuntur ad emolliendum cum terebinthina: sed potissimum laudamus porci & hominis. Sunt etiam efficaciores omnibus aliis. *Porci & hominis.* Vitulina & ceruina supradicta sequuntur. Styrax, calamin. aut opopan. si in multo oleo dulci diluantur, minus hærent & vehementissimè emolliunt. Vinum dulce his clysteribus additur, quia minùs siccát & magis emollit. Multò autem magis sapa, ob dulcedinem & aeream substantiam, in qua sita est dulcedo.

Ad vrinæ retentionem.

IN retentione vrinæ clysteres iniiciuntur, vt si ab inflammatione retineatur, qui ad inflammationẽ sunt instituti. Si à calculo, qui ad calculum communiendum, & ad crassos succos & grumos sanguinis vsurpandi.

Ad ascitem.

IDem clyster, si auferatur oleum, in ascite valet, cui addetur vrina pueri, vel si fermentum dissoluatur, aut si quæ aquas trahunt, in decoctione ponantur. In ascite

clyster fiet ex herbis siccantibus, & aquas trahentibus. Quare neque emollientibus, neque relaxantibus in his erit vtendum. Fiet autem hoc modo.

℞. pariet. ped. columb. rutæ, foliorum sambuci & ciclæ ana M. j. foliorum chamomil. vel brassicæ marinæ, vel thymeleæ ana M. ß. anisi fœnic. ana ℥. ß. apij, petro. ana ʒ. j. florum anthos, genistæ ana p. j. azari ʒ. iiij fiat decoctio in aqua fontis, in ℔. j. diss. benedictæ ℥ j. vrinæ pueri ℥. ij. misce, iniiciatur. In his autem sal addi potest, quia exiccat, & facultatē expultricem irritat. Clysteres hi robustis tantùm exhibendi sunt, & qui hæmorrhoidas non patiuntur, quas solent hi clysteres exasperare, non autem debilibus, in quibus ventris fluxum excitarent, quo frequenter moriuntur. Quare in desperatione, ne diffamentur optima remedia, experienda non sunt. Adduntur etiam eiusmodi clysteribus in decoctione radices: & hoc modo parantur.

℞. rad. apij, petro. gramin. aspar. rub. maior. pentaph. ana ℥. ij. azari, iridis recen. ana ℥. j. mercur. brassicæ marinæ, rutæ, ciclæ, vel cucum syluest. ana M. j. folior. genist. p. ij. fiat decoctio in ℔. j. diss. vrinæ impubis ℥. iij. benedictæ ℥. ß. salis parùm, fiat clyster.

Ad tympanitem.

In tympanite clyster dissoluens flatus & pituitam educens, qualis est ille coli, vel sic.

℞. fol. rutæ M. I. anisi, fœnic. carui, cymini, baccharum laur. ana ℥. ß. flor. anthos, stechad. ana p. I. azari vel agarici ℥. ß. fiat decoctio in ℔. I. diss. bened. ℥. j. ol. rutac. vel anethi ℥. 3. vini ℥. 4. misce. Idem in anasarca valebit, addito sale in magna quantitate.

Ad anasarcam.

In anasarca autem clysteres acres conueniunt, vt qui ad apoplexiam & soporosos affectus. Hoc tamen differunt, quòd in clysteribus hydropicorum oleum prætermittendum, vel rutaceum ponendum in parua quantitate. Proprius fiet hoc modo ex resiccantibus, & pituitam incidentibus, & euacuantibus sic,

℞. puleg. vtriusque, calaminth. sampsuci ana M. I. agarici in panno ligati ℥ I. anisi, fœnicu. seminis rutæ ana ℥. ß florum anth. stechad. ana p. I. fiat decoctio, in

℔.j.diss.muriæ.piscium, vel vrinæ pueri ℥. j. benedictæ ℥ j.misc,vel sic.

℞.rad.enulæ campan. & irid. recentis ana ℥. ij. azari ℥.j.fœnic. carui. sampſ. rutæ pulegij chamep.merc. ana M.j.ſeminis apij,petro.an.ʒ.ij. florum lauendulæ,geniſtæ an.p.j.fiat decoctio,in ℔.j.diſſ.benedictæ ℥.ß.mellis roſ.colati ℥.ij. ſalis communis ʒ. iij. iniiciatur frequenter. Euacuat enim pituitam, diſcutit flatus,incidit,& attenuat,humorum craſſitiem,& inteſtina calfacit.

Ad coxendicum dolorem.

IN coxendico dolore clyſteres tales ſunt faciendi. Si pituita in cauſſa,vltimus eſt ob azari quantitatem accommodatus,& prior ob muriam.Solebāt enim veteres muriam iniicere in coxendico dolore & vlceribus inteſtinorum depaſcentibus, vel trochiſcos cauſticos, vel chartam combuſtam. Verùm de his ſuo loco dicemus. Ad coxendicum itaque dolorem debent præſcribi clyſteres ad materiæ aduſtionem.Fiunt etiam alij veluti ad concoctionem, vel calfactionem materiæ dolorem gignentis,& dolorem ſedantis. Quare illi clyſteres vſurpandi ſunt cum multo ol.calfaciente,attenuante,vel relaxante.Ex horum genere habetur oleum chamom. liliorum, de ſemine lini,& illa, quæ calidiora ſunt, vt oleum irinum,ruta, de ſpica,nardinum & ſimilia.

Ol. Vtilia.

Forma clyſt.

℞. decoctionis præcedentis clyſt.℔.j.in qua diſſ. benedictæ, vel hieræ, colocynthi ℥. j.ol.aneth.vel ol.nucum(quod ob partium tenuitatē, vt de ſpica magis conuenit)℥.ij. miſ. fiat clyſter. Reſidentia autem huius decoctionis ſupra partem ponatur.

Aliud ad idem.

℞.puleg. vtriuſque,eryſimi, & iberidis ana M.j.ſeminis fœnug.rutæ azari ana ℥. j.flor. chamom melil ſampſuci & lauendulæ an p j fiat decoctio, in ℔.j.infunde agarici trochiſcati ʒ. iiij. benedictæ ℥. ß. ol. liliorum & amyg.ana ℥.ij ol. de ſpica ℥. ß. miſce. Omnia olea facta per ſublimationem ob tenuitatē cum vino iuncta,huic affectui proſunt,vt ol.de thymo,de rore marino,de mēta, de terebinthina. Primùm in decocto vel vino albo, vel vrina fiat clyſter. Ego ſolis iſtis clyſteribus breuiſſimo tempore hunc affectum curaui, ſine iberide,vel naſturtio,vel eryſimo.

Ad

Ad dolorem, qui æstate picrocholis accidit.

PArantur etiam clysteres ad dolorem; qui æstate picrocholis accidit: qui vt clysteribus acribus & calorificis augetur, sic temperatis dolorem sedantibus temperatur hoc modo.

℞. mal. bismal. ciclæ, mercu. ana M. j. quat. seminum frig. maiorum an. ℥. ß. seminis lini ℥. j. florum chamom. melil. viol. ana p. j fiat decoctio in aqua hord. & in ℔. j. diss. mel. ros colati ℥. ij. diaprun. soluti. vel ℈. de succo ros. ʒ. iij. vel cath. ℥. j. olei viol. & chamom an. ℥. ij. misce, iniiciatur. Deinde additur quod dolorem calidum mitigare possit, vt ol. ros. & viol.

Ad nutriendum.

AD nutriendum, clysteres aliquando sunt ex vsu, cùm ægri ob imbecillitatem, ætatis, vel morbi, vel teneram ætatem cibum deuorare aut deuoratum retinere non possunt: vt in vomitione, & alio affectu ventriculi. Intestina nanque concoquendi vim habent. Sunt enim ex eadem cum ventriculo substantia, & eundem situm habent. Quare alimenta, medicamenta alterare, & præparare possunt, à quibus per venas meseraicas hepar trahet. & inde sanguinem conficiet. Cùm autem imbecilliorem concoquendi vim habeat, necesse est ea, quæ iniiciuntur, facilioris esse concoctionis, & tenuium partium, quò faciliùs & citiùs trahantur à venis. Conueniens ergo materia talium clysterum in non febriente & capite dolentibus est vinum dilutum aqua hordei. Item ius capi, cremor ptisanæ, lac recens mulsum. Si verò febricitat, decoctum pulli, capi, vel aqua decoctionis pulli vel capi cum pauco saccharo. Oua dissoluta & tremula, saccharum in pauca quantitate ponendum, ne detergendo purget, neque sal eadem ratione, neque mel, neque oleum ne lubricet, iniici debet, nec magna quantitas, ne altiùs conscendat. Nunquam id fieri debet nisi post reiecta excrementa, vel cùm dormiuerit, alioqui excrementa miscerentur, & inficeretur id quod iniiceretur. Ne igitur ad reiectionem concitetur, faciendum est, accepto clystere vt superdormiat. Nam sic meliùs retinebunt ac concoquent. Si verò post assumptionem, aliquam quantitatem velit reddere, non

Intestina vim concoquendi habent.

Conuenien. materia.

Tempus.

est impediendum. Parabitur autem hoc modo ex supradictis clyster.

℞. aquæ distillationis capi, vel decoctionis ℔. j. ß. vel ℔. j sacchari ros. ℥. ß. misce, iniiciatur. Vel

℞. lactis vaccæ ℔. j. ß. mel. ℥. iij. iniiciatur.

℞. decoctionis hordei mundati in cremorẽ conuersi ℔. j. ß vini qr. j. misce, iniiciatur. Vinum addendum est ad distribuendum cremorẽ hordei, túncque augenda est ipsius vini quantitas pro crassitudine cremoris. Vel

℞. decoctionis pulli vel hordei perfectè decocti ℔. j. ß. vitellorum ouorum num. iij. vini ℥. iij. misce, capiat vt priùs admonui. hi clysteres ægrotos optimè nutriunt.

Ad appetentiam deperditam à satietate humore pituitoso.

QVibus appetentia deperdita est ob ventriculi satietatem & intestinorum, valent clysteres attrahentes & laxantes pituitam. Est autem pituita dulcis, quæ si in ventriculo vel intestinis sit, satietatem inducit maximam. Qnare vomitu, si in ventriculo, vel in medicamento purgante, vel clystere euacuanda erit. Hoc modo fit ad pituitam vacuandam.

℞. mercu. ciclę an. M. j. agarici in panno ligati ʒ. j. florum chamom. p. j. fiat decoctio in aqua hordei, vel vrina pueri, & in ℔ j. dist. benedictæ ʒ. ij. muriæ ℥. j. misce, capiat manè. Si verò appetentia deiecta fuerit, ob satietatem vel retentionem excremẽtorum, vtilis erit illa iniectio: in aliis casibus parùm prodest.

Ad prouocationem mensium.

AD prouocationem mensium clysteres parati ad retentionem vrinæ à crassis humoribus accommodari possunt, quibus addere possumus, vel benedictę, vel hieræ maiorem quantitatem, vel confectionem agarici.

Ad hæmorrhoidas irritandas.

AD hæmorrhoidarum irritationem fiat decoctio ex acoro, aristolochia, cucumere agresti, cæpis, & tum sale sine oleo iniiciatur, vel cum hiera, vel cum felle bubulo, vel porci, hæc enim sanguinem mouent.

De iniectionibus in Vterum, Vesicam & aures.

FIunt etiam iniectiones in alias cauitates, veluti in vterum, vesicam, aures, & sinus. Omnes autem hę inie-

iniectiones fiunt ad detersionem & euacuationem excrementorum, desiccationem calositatis. Erosionem, ad carnis regenerationem, & consolidationem vlcerum vteri. Eas autem tales fieri oportet, quales in dysenteria fieri præcepimus: hac tamen aduersione adhibita, vt si pars aliqua medicamenta determinata habeat, aut propter eius functionem, aut propter temperamentum, aut aliam quampiam occasionem, ea clysteribus iam præscriptis adiungamus, vt vterinis iniectionibus matricariam arthemis. tanacetum, aut propter exactum partis sensum, vt in mammis, & similibus etiam, quæ desiccant sine morsu, aut detergunt, eligimus, aut aliquid adiungimus, quòd aliorum medicamentorum morsum frangatvt Diosc. ferè semper medicamentis aurium vel rosaceum vel opium adiungit.

Quorsum fiant in vterum iniectiones & quibus patentur.

IN vterum fiunt iniectiones ad mensium prouocationem, quæ ex detergentibus medicamentis fiunt, qualia sunt amara, acria, nitrosa, non astringentia, & ex radic. aperientibus, seminibus, floribus, & odoratis in hunc modum.

℞. quinque radic. aperitiuarum, & rubiæ maior. ana ℥.ij. radicum eryng. & ciclaminis, iuniperi an. ℥. iij. matric. sabinæ, mercur. ana M. j. cinamomi tenuis, spicæ vtriusque propter odorem suauem quo vterus gaudet) azari ana ʒ.ij seminis nigellæ ʒ. ß. fiat decoctio in aqua & vino albo, vel in vino, & oleo chamom. Ex collatura fiat iniectio per metrenchitam.

Potest etiam fieri ex succis herbarum, vel radicibus prædictis extrahendo succum cum vino albo. Commodiùs fuerit ei decoctioni vteri ad defensionem addere lupinorum, & corticum fabarum an. M. j. si pituitosa fuerit mulier.

Ad detersionem vteri & vlceris post fœtum mortuum.

AD detersionem vlceris, vel excrementorum vteri retentorum, vel secundinæ putrescentis, vel post mortuum fœtum retentum fiunt iniectiones. Quare cùm ad excrementa vteri pituitosa detergenda paranda sit, decoctio facienda est, quales sunt clysteres detergen-

tes, & clyster ad Ascité præscriptus, & quæ fiunt ex huiusmodi medicamentis laxantibus dissolutis in eadem decoctione: fiunt autem sine oleo & sale, ne citiùs cogantur expellere: sed ex aqua, vino. vel lixiuio facto ex corticum fabarum farina: illúdque lixiuium debet esse debile. Nam è corticibus, vel caulibus fabarum tantum deterget, vt exulceret & tãtum siccat vt ossa spoliet: vel ex cineribus sarmentorum in valde humidis. Quòd si serosi humores, vel acres sint abluendi, iniectiones fient quales in dysenteria fieri diximus, nempe ex hordei decocto, saccharo vel melle rosato. Succus enim rosarum dissolutus in aqua cisternæ, vel hydromelite deterget. Vrina etiam pueri impubis diluta aqua, seri vices gerit. Decoctio leguminum idem præstat, quod etiam faciendum est in vlcere vteri: consideranda vlceris natura, & symptomatis, quæ vlcera comitantur. Nam si vlcus sordidum sit, qualia sunt ferè omnia, sine magno tamen dolore, & sanguinis fluxu iniicienda sunt, quæ fortiter detergunt, veluti quæ ex amaris & nitrosis parantur, in quorum numero est decoctum lupinorũ, fabarum, marrubij, radix ciclaminis, vel aristolochiæ, vel ex herbis amaris, vt ex decocto absynthij, marrubij, abrotani, arthemis. vel ex floribus centau minoris, rosarum sic. In illis autem iniectionibus dissoluuntur, mel aut vnguentum ægyptiacum, aut apostolorum, quando magna est putrefactio. Sin vlcus cum dolore sit, quæ detergunt sine morsu negligemus, adiungemúsque quædam dolorem mitigantia. Exempli gratia, cum decocto hordei mundati, cum succo plantaginis vel solani, vel albumen ouorum cum pauco sacch vel syr. de rosis siccis. Si cum fluxu sanguinis primùm astringentia frigida, quæ fluxum sanguinis sistunt, iniicimus, veluti succum plantag. polygoni, bursæ pastor. cum bolo armeno, sanguine draconis, aliisque astringentibus. Deinde quæ siccando leuiter detergunt, eligimus, vt

Detergentia. *Succus rosarum.* *Vrina pueri.* *Fortiter detergentia.* *Sine morsu deter.* *Astringentia.*

℞. fol. plantag. agrimon. ceterach myrthi, lentisci vel summitatum pyrorum syluestrium, vel rubi an. M. j. fiat decoctio in aqua fontis, vel extinctionis plumbi, & in collatura dissolue sacchar. rub. & mel. ros. collati vel syr. de ros. siccis ℥ iiij. pro lib. misce, fiat iniectio.

Fiunt

Fiunt etiam iniectiones ex succis & aquis distillatis prædictarum herbarum cum sero lactis, aut lacte calybeato ad desiccandum. Ad easdem intentiones fiunt etiam iniectiones in doloribus vteri, quales dictæ sunt in doloribus intestinorum, cum sine vlcere sunt. Iniiciuntur autem magna ex parte cum oleo, veluti amyg. dulc. aut amar. maximè cum sedare dolorem, & meatus aperire volumus Sin cum vlcere sit dolor, ol. cum vitellis ouorum: Sin autem ex flatibus, fiat decoctio ex seminibus carminatiuis, & herbis leuiter laxantibus, & detergentibus, & iniiciatur.

Ad scirrhos vteri & similes affectu.

INiiciuntur medicamenta in vterum induratum scirrho, aut propter eius densitatem, aut acrimoniam excrementorum, vt emolliant, fiúntque ex oleis & vino, & axungiis liquefactis, quando iniicienda sunt in colum vteri, vel decoctionibus malacticorum medicamentorum. Olea erunt amygd. dulc. & amararum. & alia olea spissa odoratis adiicienda præscriptis à Diosc. Qualia sunt vnguenta de croco, anethinum, narcissum, irinum, amaricinum, nardinum. Quæ quia non reperiuntur parata, oleis simplicibus supradictis radices irid. & narcissi, vel aliquid styracis, bdellij addimus. Decoctiones autem fiunt ex herbis emollientibus, quibusdam seminibus odoratis, vel herbis additis, vt

℞. radic bismal. & liliorum ana ℥. iiij puleg. vel origani, vel artemis. M. ß. seminis lini, & fœnugr. ana ℥. j. florum chamo. viol (Nam propter caliditatem, vel humiditatem rarefaciunt, & laxant partem calidis additis) melil. ana M. j. fiat decoctio in iure pingui intestinorum, vel in aqua, & vino albo dulci, non astringente, aut sapa, fiat iniectio. In summa in vuluam, & sinus possunt iniici quæcunque morbus postulat, diluta in liquidis, vel oleis, partibus, aut affectibus, aut symptomati accommodatis.

Ad suffocationem & descensum vteri.

QVòd si cum duritie vterus sursum feratur, & suffocationem faciat, obduratæ lachrymæ, vt styrax, & bdellium, iniici possunt. Si verò deorsum præcipitetur, galbanum recens, opopanax, assa fœtida, & sagapenum

erunt ex vsu. Quæ si recentes sunt, emolliunt, antiquæ verò digerunt. Recentibus verò similes redduntur, si in oleo amygd. dulc vel violarum diluantur, vt

℞. galbani & opopanac. ana ℥. j. ol. amygdal. dulc. & viol. ana ℥. ß. vini albi dulcis, vel sapæ q. ß. macerentur in sapa, vel vino per noctem, deinde liquefiant & colentur, rursus liquescant in oleis & iniiciantur. Alioqui ob lentorem & viscidıtatem difficilè iniiciuntur. Cæterùm hîc vinum pro aceto ponitur, quòd in aliis partibus apponeretur: sed quia vtero aduersatur, prætermittendũ est, & eius loco vino dulci, quod siccat minùs & magis emollit, vtendum. Idem faciendum de styrace, & bdellio in suffocatione vteri, & mensium prouocatione. Quòd si constringendus sit vterus, aut vlcus exiccandum, sequenti decoctione fieri poterit.

Constringens & siccans.

℞. radic. bistortæ (quæ maximè conuenit vtero: est enim astringens) q. j. cortic. mali granati, balaustiorum, myrtil. ana ℥. j. hippur. fol. sumach, & lentisci ana M. j. seminis viol. & plantag. ana ℥. ß. florum rosi. siccatum p. j. fiat decoctio: in aqua cisternæ vel ferrata. Dissolue aluminis q. j. fiat iniectio.

Iniectiones in sinus ad carnium generationem.

EAsdem decoctiones in sinus iniicimus ad detersionem primùm, addito melle ros. vt q. j. pro ℔. j. Deinde ad exiccationem sine melle. Quandoque cum resiccantibus, detersione iam facta, addimus myrrham, corticem thuris, radicem panacis, vel irinum, vel alia sarcotica ad carnis generationem, indicatione sumpta à parte, quæ magis vel minùs siccari debet.

Sarcotica.

Ad callum.

IN fistulas verò ad callum iniicimus lixiuium propter medicamentorum nitrositatem, in quibus decoquantur callum minuentia, vt radix veratri, aut vnguenta erodientia dissoluimus. quale est ægyptiacum, Apostolorum, & ea, quæ ex ærugine æris parantur.

Callum minuen.

Ad doloris sedationem.

AD sedationem autem doloris possunt iniici olea & alia anodyna, quæ non sunt ipsi vlceri inimica, vt rosarum, omphac. cydoniorum hypericonis, myrthi & vitel-

Olea vlceri amica.

vitellorum ouorum, & amygdalarum. Vel si repellendum sit, astringentia, vt rosomphac.& myrthi.

Ad vlcera in vesica.

AD curationem vlceris vesicæ vel coli vesicæ, similes fiunt iniectiones Primùm enim oportet detergentibus sine morsu vti, quales sunt iniectiones, quas ad dysenteriam præscripsimus, nempe ex decocto hordei, ex lacte, nisi vlcus sit fœtidum, & depascens. Tunc enim vtile est in iniectionibus dissoluere, aliquid ægyptiaci, quod cum mordicatione deterget: postea vbi vsi sumus vnguentis suprà dictis, sedare dolorem anodynis debemus, quale est quod paratur albumine oui, & aqua ros. simul agitatis. Serum lactis, decoctum hord. mundati cum capitibus papaueris, aut pauca quantitate radicis mandragoræ, aut additis trochiscis ex opio, quales sunt trochisc. alchechangi Ras. cùm opio dissoluti in cote. Narcotica autem ista nunquam adhibenda sunt, quando aut pus, aut aliquid aliud à parte affecta expellendum, aut detergendum est, sed duntaxat cùm volumus constringere, aut sensum partis minuere, ne scilicet medicamenta nimium acria sentiat. Iniectiones verò ad vlcera resiccanda fieri debent ex resiccantibus cum pauca astrictione. Nam nimium astringentia vrinam retinent, quæ retenta multùm torquet. Vrina siquidem acris, & mordax cùm per angustum meatum descendit, maiorem excitat dolorem, quàm si per partem laxam demittatur. Hanc itaque vnam arbitror ex caussis, cur vesica exulcerata dolorem non sentiat. Mentula verò etiam sine vlcere acerrimum dolorem sentiet ex pure vel pituita reddita vnà cum ipsa vrina. Parabitur autem efficacissima iniectio ad vlcus vesicæ hoc modo.

Ægyptiacum. *Anodyna.* *Narcotica quando vtendum.* *Cur vesica non sentit.*

℞. rad consolid. maioris ℥ j. quæ huic affectui conuenit, quoniam consolidat, & mucilaginem quandam habet necessariam, vt medicamentum parti adhæreat, & partis asperitatem leniat, quemadmodum in vlceribus intestinorum seuum ad eundem affectum addere solemus (caudæ equinæ, fol plantag. ceterach.) multùm enim exiccat, vt pilosella, quæ potest addi, & herniaria, & polygonum, ana M j. vel ß. florum ros. p. j. hyperic. p. ß. (Hypericum enim confert maximè calcu-

Hypericū. lo, & cicatrici vlceris vesicę: quia & calculum comminuit,& vlcus consolidat) fiat decoctio in aqua hord. vel extinctionis plumbi,aut ferri,fiat iniectio. Vel aquis distillatis, vt rhapontici, rosـ. vel plantag. vel hipur. Adidem valde litharg. puluerisatum & diu decoctum & per philtrum transmissum, iniectum vt prius, & lac virginale. Apponi etiam possunt quæcunque neruos consolidare creduntur: Pars enim magis neruosa est, quàm carnosa: ob id radix narcissi,propter mucilaginem,cauda equina,polyg.fœmina & quæcunque neruos consolidare creduntur, huic affectui maximè conferunt. Practici solent trochiscos iniicere, qui supra partem vlceratam adhærentes, solent dolorem excitare. Quare satius erit talia medicamenta decoqui, aut infundi: postea verò diligenter per philtrum transmitti, ne pars aliqua maneat aspera: Aut trochiscos illos in cote, aut supra marmor comminui diu,collyriorum more, vt pictores suos colores comminuere solent, quos antiqui in suis collyriis faciendis imitati sunt. Cortex mali punici, & pinearum decoctum insignem vim resiccandi habent.

Error.

De iniectionibus in aures.

INiectiones in aures aut fiunt propter inflammationes, aut vlcera detergenda, aut dolores, aut sibilos, aut surditatem. Quare propter inflammationem succi herbarum repellentium commodè iniiciuntur, aut earum decoctum ad refrigerandum & repellendum. Susci autem purificati facta residentia,aut colati efficaciores sunt. Quod si cum ros. iniiciantur, magis sedabunt dolorem. Ad doloris sedationem etiam iniiciatur lac recens mulsum, vel decoctum mandragoræ cum pauco croco, aut oleo violaceo per se, vel cum pauco croco,aut opio. In declinatione autem & post vsum narcoticorum admiscetur castoreum. Si somnus conciliandus,non est vtendum castoreo: quia calidum & siccum nocet: sed croco,quia vaporosus,vel styrace,vel aliis repellentibus. Idque intelligendum ad opium castigandum. In declinatione verò iniiciantur ol. ex vino, in quibus decoquitur origanum, puleg. calaminth. ruta. spondyl. & similes herbæ, quæ quanuis calidæ sint, in decli-

declinatione tamen adhibendæ ſunt,ad abſumptionem materiæ,etiamſi in principio fuerit calida.

Ad ſibilum & aurium dolorem.

SImilis fit iniectio in aurem propter dolorem à frigido humore & ſibilo,addito pauco aceto,aut ſeminibus flatus diſcutientibus,vt eſt cyminum,ſeſelli,ſemen porri, aut ſuccus. Eſt enim huic parti valde accommodatus. Prætereà doloribus, vlceribus, & aliis affectibus, in quibus detergere optimum,maximè conuenit. Quod ſi auris oppoſita alteri fricetur allio, dolor ſedabitur, quia materia inflammationis auris eſt humor frigidus. Id enim euenit in aurium doloribus. Succus porri præſens eſt remedium ad dolorem aurium à flatu,à materia craſſa,vt ait Dioſc.lib.2. *Succus porri.*

Ad aurium ſurditatem.

SVrditates fiunt ob diuerſas cauſſas. Nam aliquando ſurditas ex pure retēto oritur circa eam partem. Interdum à flatibus, aut materia collecta circa hanc partem. Interdum ob cicatricem obductam in ea parte. Ideò ex diuerſis iniectio cōſtitui poteſt. Si autem à craſſis humoribus & ſibilis fiat ſurditas, iniectiones ſupradictæ fient,quæ ad declinationem inflammationum inſtitutæ fuerūt,addito raphani ſucco, vel melle ſquillitico, vel aceto ſimplici,vel diuretico, vel ſambucino.

Ad cicatricem.

SI à cicatrice fiat ſurditas, difficillimè curatur, quia cicatrix auferri non poteſt,quemadmodum & quæ à ruptura tympani fit, nunquam curatur, quoniam cicatrix nunquam tolli poteſt.

A pure.

SI à pure collecto fiat,oxymellite,omphacio, & melle,œnomellite, ſucco centaurii minoris, ſucco porri, ſucco ariſtolochiæ, melle ſquillitico diligentiſſimè pars eſt detergenda: reſiccando verò tandem ex ſuffumigiis & iniectionibus, quæ fiunt ex vino & aceto, modò non ſit vlcus, in quo decocta ſit ſcoria, aut lithargirum,aut tuthia,au herbæ,aut radic. quæ inſigniter exiccant. Quippe cùm pars ſuapte natura ſicca ſit,medicamenta ſicciora poſtulat. Surditas autem à cauſſa occulta curatur potiſſimùm iniectione facta ex decoctione

corticis & foliorum fraxini mediani, occulta quadam proprietate; radix veratri nigri in vino, & oleo amygd. amar. aut oleo multũ resiccante, vt rutaceo & similibus. Iniectiones autem ad vermes aurium tales fiunt, quales superiùs descripsimus, vel quæ ad detersionem vlcerum accommoda sunt, & præcipuè quæ quandam amaritudinem habent, vt succus aristolochiæ, vel absynthij.

Ad sinus iniectiones.

INiiciuntur post calli erosionem iniectiones, quæ parantur ex detergẽtibus leuiter, & ex decocto hordei, vel in vino mellito, vel vino tantùm, vel in aqua vitæ, in quibus vnguenta sarcotica dissoluuntur, vel simplicia in tenues partes comminuta ad carnis generationem, vt myrrha, thus, cortex thuris, panax, aloë, sarcocolla, iris florentię hyperic. vel centaurium minus in parua quantitate, & corporibus vel partibus in quibus detergere oportet. Non consolida, radix narcissi, hippuris, syderitis, & similia. Vnguenta dissoluuntur, basilicum magnum, vnguentum aureum, emplastrum diuinum, & quę è simplicibus supradictis parantur. Ad cicatricem inducendam si intus sit vlcus, neque pituita lenta & crassa, iniectiones sicciores, & frigidiores, vt ex corticibus, balaustiis, malis punicis, & aliis supra dictis fortioribus additis mineralibus, vt cerusa, litharg. tuthia, cadmia, scoria ferri. Cum iniectionibus etiam enumerari possunt ea remedia, quæ gargarismata dicuntur, & errhina liquida.

Sarcotica.

Sarcotica Vnguenta.

De gargarismatis.

INstituuntur gargarismata ex diuersis rebus pro ratione diuersa affectuum. Fiunt itaque ad principium inflammationis oris & palati gargarismata repellentia ex aqua, & aceto & vino malorum granatorum acidorum, succo cotoneorum, succo mororum, aut pirorum agrestiũ ex aquis distillatis refrigerantibus & resiccantibus, vt aqua rosarum, plantaginis, caprifolij, peculi ros. myrtill. & similium. Ex decocto earum herbarum aut fructuum aut seminum, quæ neque ingratum odorem habeant, aut saporem, aut venenosam quandam qualitatem, veluti ex pomis, piris, prunis acidis, sorbis cornis, cotoneis malis, vuis immaturis, & summitatibus rubi, lentisci, myrthi, mali granati, vel punici, summita-

mitatibus vitis, ceterach, plantaginis, pilosellæ, quæ in vino decocta citissimè oris vlcera,& inflammationes curat,ligustri, citri & similium: Ex flor.rof.summitatibus berberis: Ex seminib.frig.minor.& eorum decoctionib. circa finem autẽ decoctionis addimus aceti parum. Addi possunt & cort.mali gran.balaust.citrini:sed linguam denigrant,nisi illud decoctum clarificetur,sed clarificãdo,magnam partem virium amittit.Efficaciora &gratiora sunt, quæ parantur, præ cæteris, ex fructuum succis & pauco aceto,quibus additur syr.de rof.siccis & myrth.& cotoneorum. Interdum repellendum & leuiter detergendum est,quia à partibus inflammatis semper aliquid resudat, quod est detergendum leuiter. Conueniunt igitur hordei decoctum vel mel.rof. In declinatione aut detergendum,& resoluendum.Conueniunt ergo herbę detergentes & digerentes.

Gargarismata ad oris inflammationem.

R Hyss.vel satureiæ,vel orig.M.j. Nam hæ omnes nec sapore nec odore sunt ingratæ, quibus addere poterimus flor.anth & stecha.ana p.j. glyc.raf.ʒ.j. pass.fic. an.p.xx.fiat decoctio in aqua hord.integri, & in ℔.j.ß. aut ℔.ij.ʒ.diss.mel.rof.collati ʒ iiij. Præscribẽda est autem horum medicamentorum magna quantitas, quandoque nimia collutione multum medicamenti absumitur. Hic autem medicamẽta præcedunt simpliciora gratiora,vt quæ ex aceto,vel fructus alicuius acidi succo parantur hoc modo.

℞.aceti communis vel rof. ʒ.iiij. aquæ cisternæ ℔.ß. misce,fiat gargarisma:facilè paratur. Itaque parantur ex succo cydoniorum, vel malorum granatorum non recẽtium,sed diu seruatorum, quibus aquæ aliquam quantitatem addimus, ad augendam molem medicamenti, & temperandã aciditatem,& ad partium calidarum extinctionem. Nam vt in aceto,ita in omphacino, aliisq; succis vestigium aliquod caloris reperitur,ex quadam veluti imperfecti putredine. Quòd si quis gratiora palato velit adiungere,addat sacchar.rof.pauca quantitate.Sapor enim ille dulcis astrictionem minuit.Ex paratu facilibus sunt gargarismata repellentia ex aquis antea enumeratis hoc modo.

℞.aquæ peculi rosſ vel plantag.vel caprifolij qr.j.aceti rosſ.parum,miſce,fiat gargariſma Fiunt ex decoctione fructuum,vel florum, vel herbarum: verùm,quæ ex fructibus parantur,gratiora ſunt,minúſque amara. Nã fructus ferè omnes immaturi,auſteram & aſtringentem habent facultatem,cùm vel acidi,vel acerbi ſint. Fiunt autem hoc modo.

Gargariſmata ad eadem ex fructibus.

℞.Ceraſorum acidorũ vel immaturorum leuiter contuſorum an.M.ij.coquantur in aqua ciſternę cum pauco aceto.In colatura addatur aceti parum.fiat garg. Eodem modo fit ex pomis,pyris,cornis,& aliis ſupradictis.Si autem deſunt ex ſuccis eorundem fructuum, vel ſyr.ſeruatis, tum etiam ex ſummitatibus arborũ & fructuum.Solent enim magis reſiccare & repellere.

℞.ſummitatum rubi, vel myrthi, vel pyri, vel vitis agreſt.M.j.piloſellę,ceterach plantag.an.M.j.ß.roſ.rub. p.j. (Roſæ enim ponuntur propter odorem, & propter aſtringentem vim, quandoquidem hæc omnia medicamenta gratum odorem habere oportet,aut omnino nullum, ut vſui apta ſint)fiat decoctio in aqua pluuiali.(Ea enim cũ ſit tenuium partium,efficacior eſt reliquis) & in ℔.j.ß. ſaccha.qr.j.vel ſyr.roſ vel mel.roſ.aut diamoronis, propterea quòd digerit ob mel miſtum, maximè quando à repellentibus ad digerentia tranſire volumus. Tunc enim aut ſapam, aut mel ſiue ſaccharum adiicimus, aut quantitatem dulcium augemus.

Detergentia gargariſmata.

Detergentia gargariſmata fiunt ad deterſionem dentium,aut ad eoſdem dealbandos, aut vlceris deterſionem,aut eius quod in ſummitate tracheę arterię collectum eſt,extractionem,aut quod ab inflammata parte excidat,aut ad dolorem dentium.

Ad dentium conſeruationem à putredine.

Ad dentium cõſeruationem, ſiue deterſionem fiunt gargariſmata,ſeu,ſi mauis collutiones determinatæ ex multùm reſiccantibus, ex aceto ſcillitico, aut ex diſtillatione ſaluiæ,ex roremarino, ſale & vino, ſi detergendi & dealbandi ſint. Talis enim collutio & cõſeruat, & mirum in modum dentes dealbat.

Ad dentium dolorem.

AD dentium dolores fiunt duobus modis gargarismata, nempe à dolore, qui ab incipiente fit defluxione, & eo qui fit defluxione iam facta. Ad dolorem itaque qui fit ab incipiente defluxione, parari debent ex astringentibus nullo, aut minimo calore præditis, veluti è radice pentaphilli, hedera, nucibus cupressi, vel gallis in aceto, aut vino styptico coctis hoc modo.

Ad dolorem dentium à fluxione incipiente.

℞. Radic. pentaphil. ℥. ij. hederæ M. j. radic. cyperi, nucum cupressi ana ℥ ß. fiat decoctio in aqua, & aceto, quod quidem gargarism. retinendum est in ore. Ad dolorem autem a defluxione iam facta, augeatur dosis calidorum vel discutiẽtium eam defluxionem, quæ in gingiuas recepta est.

℞. pyretri ℥ ß. rad. quinque folij ℥. j. caryoph. de cubeb. ana ʒ. ij. & piperis longi ʒ. ij. hederæ M. ij. fiat decoctio in vino astringente, & aqua, hácque decoctione vt priore, est vtendum.

Ad oris Vlcera exsiccanda.

AD exiccanda oris vlcera fiunt collutiones ex herbis, & fructibus refrigerantibus, & exiccantibus, in quibus dissoluimus alumin. ℥. j. vel ℥. ij. vini albi parùm loco aceti.

Ad oris fœtorem.

AD oris fœtorem fiunt collutiones, vt priùs, ex detergentibus, & odoratis, deinde ex odoratis, & resiccantibus tantùm hoc modo.

℞. hordei integri torrefacti p. j. rosa. p ß. corticis citri ℥. j. ß. caryoph. cinamomi crassi ana ʒ. iij. fiat decoctio in aqua cisternæ, ex qua, & pauco aceto colluatur os. Vel,

℞. radic. cyperi ℥ j. ros. rub. p. j. sandali citrini, & cinamomi an. ʒ. ij. fiat decoctio in aqua cisternæ, vel aqua chalybeata, colluatur os. Vel ex aquis distillatis odoriferis aliquot granis mosci i. 8. Vt

℞. aquarum myrrhi, ros. ana ℥. ij. aquæ ex floribus genistæ vel citri ℥. ß. mosci vel ambræ gr. vj. salis parùm. Quòd si ditiori paretur gargarisma, maior portio mosci, vel ambræ poterit dari.

Ad recrementa, quæ ex parte inflammata resudant.

AD ea verò excrementa, quæ ex parte inflammata resudant, supradictis vtendum, nempe sapa, melle, cum decocto hordei vel fabarum, vel lentium, aut aliorum detergentium.

Ad detersionem pituitæ, quæ partibus oris adhæret.

Herbæ incidentes.

AD pituitam viscidam & lentam detergendam, quæ partibus magis adhæret, herbas aliquot incidentes decocto addemus, veluti hyssop. origan. glyc. & similia. In collatura verò addemus mel squilliticum, aut oxymel aut ex syr. detergentibus aliquem, vt est syr. de glyc. de prassio, de stechade, qui potenter incidit, eadem proportione, qua de aliis suprà dictum est, videlicet pro lib. j. decoctionis adduntur ℥. iiij. syr. aut mellis. Verùm cum eodem gargar. interdum decoquimus humores à capite trahentia, veluti pyretrum, carthamum, radicem turbith, & ea quæ pituitam agunt, nec amara sunt. Amara siquidem, vt agaricus & colocynthis reiiciuntur. Non desunt qui medicamenta composita velint admisceri, quale est diaphenic. Indum maiu. Masticatoria autem magis conueniunt, & potentiora sunt: quia ob caliditatem maiorem, qua sunt prædita, & agitatione dum masticantur, potentius trahunt, quibus tamen non est vtendum in defluxionibus in pulmones.

Syrupi incidentes.

Trahētia à cap.

Ad vlcerum oris detersionem.

AD vlceris verò oris detersionem parabuntur ex decocto hordei, & quibusdam herbis, quę cum facultate detersoria desiccant & refrigerant, & constringunt. Vix enim vlcera absq; inflammatione reperias. Ex herbis & fructibus, & aliis eiusmodi eligenda sunt medicamenta, vt acrimonia, ceterach, plantago, summitates rubi syluestris, folia arbuti, pyri syluestris, myrthi, lentisci, &, vt breuiter dicam, si ex fructibus repellentibus, & istis herbis fiat decoctum, detergit, & leuiter astringit, in quo dissoluendum aut mel rosaut syr. de ros. siccis in maiori quantitate, quàm inflammationem, in minori verò, quàm in pituita educenda. Eadem etiam obseruanda sunt, quæ in vlcere vteri impetrauimus, si putrescat, aut cum dolore, vel fluxu sanguinis sit. Tunc enim similes iniectiones parandæ erunt, habita semper

Herbæ refrig. & constring.

partis ratione, quæ medicamenta neque sapore, neque odore ingrata venenosa ob periculum deglutitionis ferre potest. Quòd si fortè vlceris aliqua malitia sit, & aquam fortem, vel sublimatam desideret, non est gargarisandum, sed pars contigenda specillo, vel scalpello obuoluto bombaci, aut linteo partem contangimus, aut pars oris anterior abluenda, non gargarismatis, sed immissis tantùm aliquot guttis aquarum, rosarum, plantaginis vel solani in aquam fortem.

Ad Vlcera oris in morbo Italico.

CÆterùm quoniam in morbo Italico frequẽter vtimur emplastris, aut vnguentis ex argento viuo paratis, aliquando in aliis morbis: Argenti autem viui nidor per os iniectus dentes inficit, qui linguam, aliásque partes suo contactu exulcerat. Præterea pituitam liquefaciendo, defluxionem ad os excitat. Quòd autem argentum viuum id efficiat, argumento est, quòd si quis iisdem vnguentis vtatur sine argento viuo, nihil tale ei accidet, neque etiam si vnguenta argentum viuum recipiant, dũmodo aquam puram inter sudandum ore contineat, aut ante sudationem dentes ol. amyg. dulc. fricẽtur, nullam exulcerationem sentiet in labiis, aut buccis. Prohibet enim ejus asperitatem, & medicamentis acribus aduersatur, vt omnia ferè pinguia, cuiusmodi sunt ol. commune, butyrum. Ad horum autem affectuũ præcautionem vtimur gargarismatis ex ol. amygd. buty. aut iusculo pingui. Prohibent enim hæc gargarismata exulcerationem, & pituitæ defluxum non impediunt. *Argentum viuum.*

Cùm inflammatio circa os fieri incipiet.

VErùm cùm inflammatio circa os fieri incipit, vtilissimum erit pro gargarismate vti iure pulli cum pauco syr. violac. vt refrigerentur partes, & leuiter detergantur. Deinde danda gargarismata è cremore hordei sine saccharo, si iam vlcera fieri incipiant: Sin iam facta sint, addendum saccharum ros. tabulatum ad detersionem. Cremor enim hordei aduersatur asperitati vlcerum suo lentore, minùs tamen quàm pinguia, quæ facilè accenduntur, quæ ob id minùs vlceribus sunt accommoda. Vlceribus vtcunque detersis, & facta purgatione ad astringentia gargarismata veniendum erit, quæ

fiunt ex aquis,& decoctionibus herbarum. Ex aquis hoc modo,si sit magna inflammatio.

Ad inflammationem oris.

℞. Aquæ solani plantag. caprifol. ana qr.j.syr. rof.laxatiui ℥.ij fiat gargarisatio. syr.rof. laxat. magis refrigerat & deterget,quàm qui ex rof.ficcis paratur,qui magis exiccat, & astringit. Si vlcus sit exiccandum,fiat gargarisma ex aquis magis exiccantibus,vt

℞.aquę peculi rof vel myrtil.℔.ß.syr.de rof.ficcis ℥.ij.misce, fiat gargarism.Aut si guttæ duæ, aut tres aquæ fortis in prædictis iniiciatur,citissimè vlcera exiccabunt, & curabunt.Hoc gargarismate abluendi sunt dentes, vt suam albedinem recuperēt. Moderata autem erit huius aquę quantitas ne maior dolor sit,quàm æger ferre possit,neq; minor,quàm vt non sentiat. In his quæ ex decoctione herbarum fiunt, idem obseruandum. Nam si inflammatio adsit,magis refrigerandum: sin vlcus exiccandū,magis astringentibus vtimur, vt videre est supra cap. præced.Si autem decoquitur pilosella in vino albo cum quibusdam ex iam prædictis, multò citiùs curabuntur. Idem efficit herniaria, & polygonum mas. Hoc gargarismate vtemur cùm partes oris interiores detergendæ aut exiccādæ sunt. Nam si interiores, quæ sunt citra œsophagum,affectæ essent,penicillo tetigisse satis erit.

Pilosella & alia herbae efficaces.

De errhinis.

DE errhinis iam nobis dicendum est, quæ à naribus nomen acceperunt, quibus vtimur aut in detergēdis naribus, aut in euacuatione recrementorū anterioris cerebri.Detergentia autem fiunt iam ad pituitosa recrementa vacuanda illa,quæ in parte cōgesta sunt ratione vlcerū. Ad recrementa verò cerebri expurganda fiūt errhina pituitosa, vel biliosa, vt in arcato morbo,maximè cum oculi bilioso colore, & humore sunt infecti. Nec oberit in melancholico affectu melancholica adhiberi,vt in melancholia morbo,& ictero nigro. Verùm quia pituitosa frequentiùs per eam partem expurgātur, de his priùs agemus. Fiunt itaque purgantia ex calfacientibus,attenuantibus,liquefacientibus, & pituitam trahentibus,nisi in coriza, in qua resiccantibus & refrigerantibus tantùm ob humoris acrimoniam vtimur. Siquidem

quidem nimis tenuis & liquida aut calida plus iusto fluit, aut facultatem expultricem cerebri irritat, veluti in dysenteria, ob idq; purgatur cum multis sternutamentis. Medicamenta autem calfacientia & exiccantia citra vllam astrictionem, sunt herbæ capitales dictæ, calefacientes, siccantes, & vtcunque odoratæ: quia cerebrum odoratis delectatur, & pituita, qua maximè abundat cerebrum, vacuatur. Eadem hîc vsurpantur, quæ in gargarismatis discutientibus, minorem tamen delectum habemus. Nam & amara iniiciuntur, modò nimium fœtida non sint, quia talia cerebro sunt inimica propter spiritus. Hoc autem modo purgans fit.

℞. radic. pyretri irid ana ℥. j. puleg. calamint. origan. ana M. j. agarici trochi. ʒ. iij. florum anth & stechad. an. p. j. fiat decoctio in ℔. j. colat. diss. mel. anthos & squillit. ana ℥. iij. fiat caputp. At vulgus medicorum dissoluit mannam, sed imbecillior est, quàm vt possit dissoluere pituitam: mel potentiùs id efficit. Possunt autem in hac decoctione dissolui indum maius, diaphenicũ, aut hiera picra cùm fortiùs est trahendum, aut cum nulla fuerint in decoctione addita purgantia vt agaricus. Verùm multò satius fuerit medicamenta simplicia vt agaricum colocynth. turbith. vnà decoqui, quin & semen carthami, semina, brassicam marinam, & quæcunque serosa excrementa, vel pituitam trahunt. Huius verò ratio est, quòd compositiones illæ cùm sint spissæ, spissam iniectionem effecerunt, atque minùs permeabilem per meatus illos spongiosos & ossa spongiosa, imo magis nares obstruerent & respirationem impedirent. Multò magis probarem errhina ex succis herbarum pituitam trahentium, qualia sunt ex succo anagallidis parata, succo ciclæ, maioranæ in vino & melle, vel succo ciclaminis, aut cucumeris syluestris hoc modo.

Quæ magis à Rondel. probãtur.

℞. succi ciclæ, anagal. depuratorum ana ℥. iij. vini albi ℥. iiij. mel. ℥. ij. hæc propter consuetudinem, paruam vini quantitatem recipiunt, ne augeatur moles, atq; ita vis succorum minuatur. Ponitur autem vel ad penetrationem, vel ad molem augendã, & succorum acrimoniã minuendam. Fortiora fient hæc errhina, si succi fortiores melle tantùm excipiantur, & ad opiatæ consistentiam

reducantur: quæ vt efficaciora sint, addimus diagredium aut agaricum, aut colocynthidem, aut veratrum, quando opus est, modò nulla sit exulceratio, aut sanguinis fluxus, in quo nunquam tali errhino vtendum est. Errhina autem sic parata digito immittuntur in nares, vt diutius naribus inhæreant, & potentiùs trahant. Non enim impediunt respirationem, hoc modo.

℞. succi cucumer. asinini, aut ciclæ, aut mercur. aut ciclaminis. (Eius enim succus potentissimus est, ita vt in omnibus addi possit) ℥.ij agar. troc. ʒ.ij vini parum, fiat decoctio, quæ transcolentur, in colatura diss. mel. q. s. ad inspissationem, aut mel in decoctione ponatur sine vino contritúmque sit agaricum & decoquantur simul. Decoctio inspissetur ad mellis consistentiam. Sin medicamentum maiorem desideret coctionem, vt radix pyretri & veratri, decoquendi primùm erunt cum vino & melle, ne si diutiùs decoqui cogantur succi, vires suas diuturna illa decoctione amittant.

Errhina ad bilem purgandam.

SI quis ad purgandam bilem errhina præparet, addat succum ros. aut syr. ex infusione ros. aut parùm diagredij hoc modo.

℞. succi rosar. ℥. ß. diagred. ʒ. j. mellis parùm misce. Si nimium liquida sint, adde ad inspissationem farinę lupinorum parùm aut hord. aut orobi. Si autem ex syr. ros. laxatiuo parare velis, mel erit superfluum, propter saccharum quod est in syrupo. Additur autem mel non solùm propter detersionem, sed vt parti adhærere faciat medicamenta: habet enim lentorem quendam: habet etiam saccharum coctum. Eadem erit obseruanda diagredij proportio, nisi potentiùs trahere velimus. Tunc enim augere poterimus dosim diagredij à ʒ. ij. ad ʒ. iij. Si dolor huiusmodi medicamentis acribus excitetur, lac mulsum iniiciemus, detersis primùm naribus aqua valida, vel oleo rosato. Si verò calor sentiatur, aqua frigida, vel ros. vel plantaginis, vel vnguento albo Ras. intemperiem illam calidam castigabimus.

Errhina ad melancholiam.

SI ad melancholiam parentur errhina, pituitam purgantibus medicamentis, adiungemus medicamenta melan-

melancholiam purgantia, puta senam, polypod. thymũ, epithymum, & veratrum: ita fiet errhinum ad affectus melancholicos, in quibus cerebrum est læsum.

Errhina detergentia.

ERrhina detergentia fiunt, aut ad detersionem recrementorum in osse spongioso retentorum, aut congestorũ in ea parte, ratione alicuius vlceris, vt dictũ est. Si recrementa pituitosa detergenda sunt, vsurpabimus quæ præscripta sunt ad euacuationẽ, laxãtium quantitate diminuta, & aucto melle. Commodè autẽ fiunt, aucta vini quantitate. Nam detergentia vt œnomeli, & hydromel. vel decoctum hordei cum pauco melle sufficient.

Errhinum detergens pituitum.

℞. hord. integri p. j. lentium, vel lupinorum p. ß. marrubij aut puleg. M. j. sampsuci M. ß. fiat decoctio in ℔. j. diss. mel. anthos. vel squil. an. quar. ß. vel singulorum qr. j. misceantur: deinde attrahantur per nares.

Paratur etiam ex succis, vino albo, & melle, vt

℞. succi anagal aut ciclæ, aut ciclaminis qr. j. vini albi ℔. ß. mel. anthos. ℥. iij. fiat caputpurg.

Ad vlceris erosionis detersionem.

AD recrementorum vlceris detersionem fiunt iniectiones ex leuiter detergentibus, sine morsu, quæ etsi frigiditatem aliquam habeant, & leuem constringẽdi vim, ideò reiicienda non sunt. Pars enim frigida & sicca constitutione est naturali: vnde etiam similibus conseruanda, & vlcus exiccandum. Astringentia autem quia resiccant, & vlceris dilatationem impediunt, vsui sunt. Solent enim vlcera depascentia esse, aut virulenta, aut cum quadam carnis supercrescentia laxa, vt in Ozena, Polypo vlcerato. Præterea iam satis patens est vlcus, neque potest tenuis illa astrictio recremẽta retinere. Mitiora fiunt ex decoctionis hordei ℔. j. & ℥. ij. vel iij. mel. ros. colati quod detergit, & constringit leuiter. Si maior requiratur astrictio, syrupum de rosis siccis addimus. Refrigerat enim, exiccat, detergit, & astringit. Aut parabitur decoctio ex herbis amaris, aut summitatibus arborum. Amara enim illa & vtcunque astringentia, mirum in modum conueniunt in istis vlceribus, veluti quæ parantur ex summitatibus myrthi, oleæ, pyri syl-

uestris, rubi, oxiacanthæ, aut quercus, additis cæterach, plantagine, agrimonia. Nonnunquam etiam prætermittenda nõ sunt putamina malorũ punicorum, quæ *psidia* Græcè dicuntur, quia detergunt, & vlcera maligna curant. Liciũ, balaustia eadem ratione conueniunt. Additur etiã frequẽter vinum malorum granatorum acidorum.

Ad vlcera narium detergenda & exiccanda.

℞. summitatum myrthi, vel lentisci M. j. malorum punicorum integr. immatur. contuſ. nume. ij. fiat decoctio cum aqua & vino, si non adsit inflammatio: quæ si adsit, cum aceto contundantur, deinde fortiter exprimantur, colaturæ adde mel. rosa. colati ℥. iiij. errhinum, quo vtatur in tumoribus & vlceribus malignis potissimùm narium.

Possunt etiam fieri errhina vlceribus malignis curandis, ex succis plantag. solani, roſ. dilutis in vino albo, aut vino malorum granatorum, diminuta tamen mel. quantitate, & astrictoria facultate aucta. Sin vlcus fuerit cum carnis supercrescentia, aut polypo, aut carne putrida, dissoluatur omphacium paratum in vase ęneo (acquirit enim quandam ærugínem, quæ arrodendi vim habet) aucta vel diminuta quantitate, veluti sensus partis, ac magnitudo seu præstantia, seu morbus postulat. Detergit enim & carnẽ minuit. Aqua etiam fortis vulgò appellata temperata attrahitur, aut penicillo immittitur, ne partem sanam vrat. Vtile autem erit cùm medicamentis istis acribus, & multùm detergentibus vtimur, os plenum aqua habere ne in os eorũ aliquid elabatur, aut si delabatur, exceptum aqua vires amittat.

Ad fœtorem narium.

Ad fœtorem nariũ errhina parantur, quibus vtimur post errhina detergentia supradicta, deinde ex succo roſ. vel ex succo sampſ. aut alio succo odorato, aut aqua odorata. Sunt autem paranda liquida, vel spissa. Vt

℞. succi roſ. vel maioranæ ℥. ij. aquæ roſ. vel aquæ florum aranciorum, vel aquæ myrthi ℥. j. mel. roſ. colati ad adhæsionem, parùm, vel adde modicum gummi tragac. & arab. ad inspissationem, naribus admoueantur. Quòd si fœtor narium sit cum vlcere, ex succo roſ. tantùm, & aqua roſ. vel aqua myrthi parari debet. Si verò

à nimia

à nimia humiditate, aqua ex floribus citri, succus maloranæ, & alia calidiora sunt vsurpanda. Sed quia liquida facilè effluunt, & diu retineri nõ possunt, satius erit spissa reddere, vt diu retineantur. Fiunt autem spissa, longa decoctione, melle, vel mucilagine aliqua, vt cidoniorum, gummi tragac. vel arabici: aut fiat ex rebus consistentiam habentibus, vt styriace diluto pauco oleo, musto, vel amurca, dissolue in melle. Et hactenus de his, quæ per nares, & os assumũtur: nũc verò de medicamentis, quæ in ventriculũ per os ingeruntur & immittuntur.

D syrupis & decoctis.

MEdicamenta ea quæ per os in ventrẽ iniiciuntur, aut alterantia sunt, aut cõcoquentia, aut laxantia, aut corroborantia partium internarum, aut obstructiones soluentia, aut obstruentia, & constringentia, aut incrassantia, aut cientia vrinas, menses, sudores. Alterantia autẽ medicamẽta parantur, vel ad humores, vel ad partes, vel ad humores & partes simul. Ad humorum alterationem seruantur syrupi, in officinis parati, & aquæ distillatæ, & fiunt decocta ad syruporum dissolutionem.

De syrupis alterantibus.

PRimùm igitur de syrupis humores alterantibus agemus: deinde reliqua persequemur. Multi verò sunt syrupi à veteribus compositis, quibus sine delectu, & intempestiuè vtuntur medici huius temporis, quia illorum facultates titulo tenus cognouerunt. Quare nos in proprias classes, vt nullo eorum sit confusio, eos hoc modo distribuemus.

Primùm syrupos calfacientes cum quadam humiditate, qualis est syr. de borrag. vel syr. de bugloss. conueniunt, vbi decoquendus est humor melancholicus. Deinde sequuntur syrupi leni attenuatione modicè calfacientes, qualis est syrup. de capil. quo vtimur in febribus quotidianis, & omnibus aliis, in quibus obstructiones sunt mediocres, etiamsi sit fluxus ventris, quia pectoralis, sedans quoq; sitim in febribus ab obstructione. Alij sunt cum maiori caliditate & alteratione calfacientes, ex quorum numero est de bizantiis, qui post syrupum de capil. vener. dari potest. Valet etiam in compositis & spuriis febribus, & morbis qui ab hepatis, & lienis

Syrupi cõcoq. melãcholicam.

Ad obstructiones & febres quotidian.

Bizantij.

Incident. attenuãt. & detergentes. obstructionibus oriũtur. Præterea alij sunt, qui amplio-re etiam attenuatione calfaciunt, vt est de quinque radic. stechade, de arthem. de prassio, quo vtimur in maximis obstructionibus, & quibus lentus humor detergendus & attenuandus, vt in capitis, & articulorum affectibus frigidis, qui sine fluxione sunt & febre. Hi enim omnes incidunt, attenuant, & detergũt. Alij autem sunt syrupi cum quadam apertione calfacientes, vt syrupus de quinq; radicibus. Alij cum quadam apertione & corroboratione hepatis, vt de Eupatorio, & omnes alij, qui ex aperientibus, permixtis astringentibus aliquibus ad hepar determinatis, vt syrupus de absynthio, ex nostra descriptione. Alij autem calfaciunt cum leui astrictione, vt syrupus de menta, aut cum astrictione & detersione, vt syrupus de absynthio.

De 5. radicibus. De eupatorio. De mẽta.

Refrigerantes.

Violatus. de succo cucurbitæ. Endiuiæ simplex. Endiuiæ cõpos. acetos. simpl. cõpos. De nenuph. & papauere. De ros. siccis, myrth. De acetos. citri de succo acetosæ. De omphacio. Myrthinus. coton. De fumaria.

Diuiduntur præterea in frigidos, quorum alij refrigerant & humectant, vt syrupus violatus, de succo cucurbitæ, qui omnes conueniũt siti, & febribus hecticis, item calidis inflammationibus thoracis. Alij refrigerant, leuiter detergunt, & aperiunt, vt syrupus endiuiæ simplex. Alij potentiùs refrigerant, & leuiter aperiunt, vt syrupus endiuiæ compositus, acetos. simplex & compositus. Alij refrigerant & exiccant, vt syrupus de nenuphare, de papauere, qui sistunt defluxiones & retinent, dolores etiam soluunt stupefaciendo. Alij refrigerant, & siccant cum manifesta astrictione, vt de rosis siccis, & myrthinus. Alij refrigerant cum attenuatione, vt de acetositate citri, de succo acetosæ & de omphacio, vtiles ad refrigerandum in febribus putridis vel quando aperiendum est & refrigerandum. Alij refrigerant & astringunt, vt syr. myrthinus, & de cotoneis. Alij refrigerant & detergunt serosa recrementa, vt syr. de fumaria simpl. & compos. detergit enim & laxat, de quo suo loco dicemus.

Diuidimus & in syr. laxantes leniendo, vt syr. violaceus, ex multis infusionibus. In laxantis constringendo, vt syr. rosarum laxatiuus, syr. de brionia, de cheiri, de absynthio, de cichoreo, cũ rabarbaro, de fumaria, cõposito, vel de epithymo, qui purgat humores melancholicos.

Incrassan-

Incrassantes.

Diuidimus etiam in syrupos incrassantes, & sistentes defluxiones, vt est syr. de hyssopo, qui modicè id efficit: Syr. de iuiubis, qui id præstat manifestè: syr. de papauere, qui magis manifestè. In syrupos contraria facultate præditos, id est, qui fluxiones detergunt, & expectorant, vt est syr. de glycir. de prassio, de acetositate citri, & de omphacio.

De hyssopo de iuiubis.

Detergentes & expect.

Syrupi partibus determinati, vt pectori.

Svnt etiam syr. ad partes determinati, vt ad thoracem syrup. capi. ven. viol. de glycir. de hyss. de prass. Vel incrassantes, & attenuantes, vt de iuiubis. Quòd si astringendum, vt in sputo sanguinis, syr. de ros. siccis, myrthinus aliis præponitur.

Syrupi ventriculo conuenientes.

AD ventriculum referuntur, qui modicè calfaciunt cum quadam astrictione, vt de menta, de absynthio, conseruationis cortic. citri, conseruationis cortic. myrobal. sine cassia conditi sint.

Spleni & hepati.

SPleni aperientes conueniunt syr. & minùs astringentes. Hepati verò minùs aperientes, & maiori astrictione præditi. Omnes præterea syr. qui acetum recipiunt, magisque calfaciunt, & attenuant, spleni aptiores sunt, quàm hepati, ob humorem melancholicum crassum, & terreum, quem continet.

Vtero & capiti.

AD vterum syr. incidentes & attenuantes referuntur, vt de arthemis. de stech. de pass. Item qui paratur sine aceto ad obstructiones, vt de duabus radic. cùm scirrhis & obstructionibus vterus laborat, si mouendi sint menses & obstructio auferenda. Ad caput idem referuntur, qui ad vterum, sed primus syr. de stechad. deinde syr. de prass. postremò de arthemis. nihil enim est in eo, quod cerebro noceat, maximè cùm humorem crassum attenuare volumus & exiccare.

CORDI.

AD cor referuntur, qui succo melancholico coquẽdo sunt determinati, parantúrque ex modicè calfacientibus & temperatis, qualis est syr. de borrag. de

buglos. de pomis redolentibus & acetositate citri: quorum hi duo refrigerant, illi calfacere dicuntur. Potest Medicus volens refrigerare, calfacere, humectare, & siccare, vnum ex istis colligere. Considerandum autem, quid cum illa calfactione faciendum sit, laxandúmne an constringendum; veluti si quis refrigerare volens & constringere, pro syr. de cotoneis, & myrtil. vsurpet violaceum, is maximè peccet. In febribus ergo, in quibus est maxima ventris constipatio, syrupi lenientes aluum vsurpandi sunt potiùs, quàm qui refrigerando astringunt. Itaque cùm syrupos calfacientes, siue refrigerantes, volumus eligere, curandum est, vt cum parte inflammata, aut cum ea quæ materiam continent, conueniāt, veluti si affectus sit in thorace, & aliquid sit educendū, syrupum capill. ven. vel viol. vel de liquir. vsurpamus, quemadmodum cùm calfacere ventriculum volumus, syrupum de menta, qui cum leui astrictione calfacit: Vel syr. de hyss. qui calfacit, & leuiter deterget, eligemus. Quòd si singuli syr. ea quæ necessaria sunt, non præstent, additur alius quidam, veluti si ad expectorationem præscribatur syr. capil. ven. adiungatur de glycir. vel parùm mell. vel decoctum passul. vt liquir. Si bilis ab hepate educenda, citra eius debilitatem syr. de cichor. vel endiuiæ compositus rhab. additur. Sic itaque syrupi determinati fiunt vnicuique parti & caussæ.

Syrupi proprij defluxionibus.

DEfluxiones sistunt syrupi refrigerantes, & incrassantes. Quòd si defluant ad thoracem, syr. de papauere, de iuiubis, cùm ad alias partes, syrupis frigidis & resiccantibus, vt est syr. de ros. siccis, de myrtho, & aliis ne laxetur ventriculus.

Humoribus & partibus simul conuenientes.

HVmoribus & partibus simul conueniunt, qui medij sunt, vel minùs proprij, vel alicui parti ascripti cum aquis distillatis, herbarum decoctis: Veluti fiunt syrupi apti capiti, qui omnes sūt, syr. capil. ven viol. Vel eidem pituitæ excernēdæ sumptis hyeme, aut alio tempore, quo non licet alias herbas habere aquis distillatis, calfacientibus, & exiccantibus sine manifesta astrictione, vt aqua hyss. beton. origani, calaminthæ, vel prassij.

Apti capiti.

prassij. Aut si liceat herbas ipsas habere, decoctum earundem,& illud & præstantius est.

Partibus thoracis, & pituita detergenda.

THoraci & pituitæ detergendæ & incidendę, eorum, quæ pulmoni magis conuenire videntur, syrupos determinant, vt endiuia, enula campan. vngula caball, radix peoniæ, decoctum liquir pass. ficuum. Si verò materia inflammationem pariat, sitque tenuis, vt iam fluat, sumenda sunt, quæ inspissant, & leuiter detergunt, vt initio pleuritidis, catarrhi tenuis, peripneumoniæ, vt aqua hordei mundati, violarum, vel buglossi. *Deter. & incidunt.* *Inspissant detergũt.*

Quòd si materia iam defluxerit, sitque expectorãda, supradictis attenuantibus adduntur humida, quæ horũ siccitatẽ tẽperant, ne pituita exicceturita, remaneatque indurata in pulmonibus, vt sunt violæ, & earum decoctum, semina quæ frigida maiora, semina bombacis, mal. & pass. quæ omnia supradictis attenuantibus addi possunt. Detergunt & inspissant iuiubæ, decoctum hordei mundati, sebesten, semen papaueris cum liquirit. sapa, sacch. & mel, diachodium, vel syr. de papauere. *Humida ad expectorandũ.* *Detergẽt. inspissant*

Ad pituitam ventriculi præparandam.

VEntriculo conueniunt, quæ calfaciunt, & leuiter constringunt, aut quæ modicè refrigerant, & astringunt. Cùm autem pituita præparanda est, aut educenda, absynthio prohibet vti Galen. & aliis astringentibus, ne pituita magis inculcetur. Ergo eligenda minùs astringentia, quàm absynthium, vt beton. menta, hyss. origanum, aut aqua absynth. fœniculi, apium. Sin nulla supersit materia, vt plerũque contingit post magnam vomitionem aut fluxum ventris, medicamenta satis astringentia ponuntur, & assumuntur ad ventriculi laxati coniunctionem. *Calefac. & constring.*

Hepatici.

HEpati conueniunt leuiter detergentes, quales sunt aquæ vel decoctiones, quæ ex herbis amaris componuntur, astrictionem aliquam habentibus, vt sunt omnes intybi species, condrylæ, & sonchi. & leuiter aperiẽtes, vt spica nardi, absynthium: aut fortioribus etiam aperientibus additis, magis constringentibus, exempli gratia, vt syr. capill. ven. magis accommodetur hepati, *Intybi species.* *Capil. ve syrup.*

refrigerat enim & leuiter aperit obstructiones, dabitur cum aqua endiuiæ vel cichor. vt calfaciat autem, & corroboret, cum decoctione absynthij exhibere conuenit.

Splenitici.

SPlenitici fiunt additis attenuantibus & incidentibus decoctis, aquis & aceto in magnis obstructionibus & constringentibus, vbi est inflammatio minuenda, vt aqua portulacæ, ceterach, decoctio scolopendriæ, & foliorum & florum thamarisci, aqua extinctionis ferri. Illa enim splenem minuit constringendo, qui ob cauitatem & laxitatem suam flatus retinere solet, veluti multa alia astringentia, & etiam aperientia quædam, vt est cortex cappar. Spleni etiam accommodantur syrupi additis quæ serosa recrementa, & melancholica expurgāt, vt si detur syr. acetos. simpl syr. viol. bugloss. syru. endiuiæ compositus, enulæ campanæ cum decoctione mercur. vel fumariæ vel epithymi. Iidem conueniunt hepati, addito rhab. aut biliosis medicamentis euacuantibus recrementa, quæ in eo solent abundare.

Astringentia. *Aqua ferri.*

Vterini.

Vtero conueniunt syr. de arthemis. de stechade, vel alius extenuans sine aceto paratus, vt de prasio, quia quis vterinis determinatur. Sunt autem vterina, quæ fiunt ex his herbis omnibus, ex quibus conficitur syr. de arthem. hoc autem vtimur in affectibus frigidis, & humidis duntaxat, & cùm menses mouere, & refrigeratum ad concoctionem præparare volumus. In calidis verò affectibus, & vlcerationibus, & fluxionibus muliebribus, quia ad partem affectam excremēta attenuata deducunt, ab eis abstinendum est. Ad calfaciendum vero & extenuandum solo syr. de stechade vtimur, additis paucis, vel melle. Ad detersionem verò vteri syr. de hyss. de glyc. cum aqua arthemis. vel hyss. vel matric. datur ad vlceris detersionem cum decocto hordei, vel cichor. vel agrimoniæ, vel plantaginis.

De arthe.

Syr. ad Vesicam.

Vesicæ accommodantur omnes syr. sine aceto parati. Cùm verò aperiendum est & incidendum, aperientibus, incidentibus, & attenuantibus vtendum. Cùm autem magna vrget necessitas, etiam syrupis fortiter aperientibus, & oxymelite vtimur, quia vis aceti iam euicta est, antequam ad partem affectam perueniant, & pi-

tuita

tuita crassa ac lenta, aceti acrimoniam retundit, vt cum calculum in vretere retentum à pituita propellere volumus, oxymel. simpl. vel diuretico, squillitico vtimur, alioqui nunquam: quoniam acetum non minùs aduersatur vesicæ, quàm vtero, & fortè magis.

Syr. ad articulos.

ARticulis proprios nullos facimus syru. sed potiùs humori deferenti, aut defluxo. Si interdum syr. de stechade, & similes dentur, qui neruorũ affectibus cõuenire videntur, non propter neruos, sed propter pituitam illic contentam magis exhibentur. Magna enim est adhibenda diligentia, vt in affectibus articulorum conuenientes syr. præscribantur; quod faciliùs fiet considerata materia, nempe an calida sit an frigida, an propter defluxionem, vel decubitũ, id est, sensim citra defluxionem fuerit pituitosus, neque attenuãtia, neque multùm calida, neque nimiũ detergentia syr. sunt adiũgenda. Ea enim calida omnia defluxionem augent, neque danda sunt, donec cõstiterit defluxio, aut absumenda sit in parte materia. Eligantur itaque syr. resiccantes & leuiter astringentes vt syr. de rof. siccis, aut myrthinus. Ad calidum verò & tenuem humorem syr. de papaue. de iuiub. vsurpandi sunt, cum decoctionibus & aquis leuiter astringentibus, & inspissantibus. Ad humorem verò sensim in parte collectũ syr. de stech. mel. squillit. & oxym. cum decoctione saluiæ, arteriæ, puleg. vel beto. præscribimus: quia nihil est periculi defluxionem ad partem affectam facere, sed tantùm, quod in parte est infixum, attenuare ad faciliorem concoctionem, & digestionem, vel consumptionem in parte.

Ad sitim sedandam.

AD sitim sedandam syru. vtimur in febribus & aliis affectibus, in quibus sitis iuncta est, in quibus parãdis cura adhibenda. Nam si febris acris est & ardens citra magnas obstructiones, syr. viol. quia refrigerat & humectat, cum multa aqua datur. Sin cum obstructione & materia pituitosa, syru. acetos. simpl. vel syr. capil. vener. eligendus est. In siti autem restringenda omnes alios syr. nimium medicamentosos à cibo & potu negligimus; quanquam in digestiuis, aliísque potionibus

imperantur,quia quæ ad sitim sedandam frequenter assumuntur, grata esse debent. Digestiui verò simul assumuntur, ideò non tantùm curamus de gratia. Syrup.de acet.citri in pestiferis præscribitur,in ardentibus & malignis febribus biliosis, & sanguineis,ex aqua rosarum & sacchar. fit iulep, Alexandrinum vulgò vocatum. Aut ex aqua viol.bugl.& ros.in hecticis febribus & aliis morbis siccioribus oxysacchar.pro syr.acet.simpl.datur.Vbi refrigerandum & astringendum est, vt in cholera morbo,& fluxu ventris,syr.de ros.siccis cum multa aqua,qui etsi sit siccus, & astringens, vt retineatur, cum aqua datur. Hæc de syrupis in officinis paratis, nunc de syruporum tam simplicium, quàm compositorum materia, & cõpositione aliquid dicamus, vt possit medicus in quouis loco caussis singulis, & partibus aptos parare & præscribere.

De syruporum materia.

COmponuntur autem syr. ad refrigerandum ex frigidis,ad calfaciendum ex calidis,ad humectandum ex humidis, ad siccandum ex siccis, ad aperiendum ex his,quæ obstructionem auferunt: aut ad obstruẽdum ex obstruentibus, ad laxandum ex laxantibus,ad constringendum ex constringentibus, ad mouendas vrinas ex cientibus vrinas,ad mouẽdos menses ex cientibus menses,ad aquas ex aquas ducentibus,ad euacuationem bilis atræ ex melancholiam purgantibus, ad flauæ euacuationem ex flauam bilem agentibus, ad pituitæ expectorationem ex expectorãtibus, ad vomitus ciendos ex vomitionẽ prouocantibus,aut compescẽdos ex roborantibus ventriculum.Item ad partes vt pulmones, ventriculum, hepar,lienem,aliásq; partes valde remotas, ad quas medicamenta spissa peruenire non possunt, calfaciendas, refrigerandas, humectandas, siccandas, laxandas, constringendas, corroborandásque. Fiunt autem ex decoctione herbarum, aut radicibus, fructibus, seminibus floribus, & aliis quibusdam, quæ decoqui possunt, quæque vim in decoctione deponere possunt.

De aqua.

ELigantur herbæ fini,quem quærimus,respondentes. Decoquantur in aqua, cui additur ad conseruationem

nem mel, saccharum aut sapa: vinum verò aut acetum ad meliorem actionem. Aqua igitur illa eligatur, quæ sit tenuium partium siue attenuandum sit, siue aperiendum, siue calfaciendum. Ea autẽ est aqua pluuia, secundo loco fluuiatilis, tertio fontana, quarto putei. Ea autem optima est, quæ citò descendit per hypochondria, cuiusmodi est illa quæ est tenuium partium: quod facilè deprehenditur, si citò calescat, aut refrigescat, non autem pondere, vt vulgus existimat. Plurimùm etiam refert, ex qua aqua medicamẽta componantur, vnde Galen lib. *cata topous* rationem componendi diacodium docens, aquam pluuiam cæteris prætulit, cuius quantitas pro herbarum, radicum, & earum rerum, quæ decoqui debent, ac medicamentorũ præparandorom quantitate sumi debet. Plurimæ herbæ, nisi adsit magna aquę quantitas, citra vstionem decoqui non possunt. Augetur autem aquæ quantitas, cùm diutius simplicia decoquenda, aut nimiùm amara, & infusio priùs facienda. Nam radices, & quæ infunduntur, aquæ quantitatem maiorem expostulant, cùm diutius decoquenda sunt. Satius ergo fuerit pharmacopei iudicio relinquere, ac dicere, quantum sufficit nulla quantitate expressa.

Aqua optima.

De saccharo & melle.

SAccharum, mel, sapa, per se miscentur aquæ, interdum saccharum & mel, & sapa, nec his contenti veteres admiscuerunt penidias, male tamen, vt suo loco docebimus. Ex melle parantur syrupi, qui ad pituitæ detersionem, aut pectus, aut cerebrum refrigeratum confici solent. Magis enim incidit, calfacit, & excretionem mouet reliquis syrupis: vt syrupus de stechade, de arthemisia ab antiquis parati. Interdum ex sapa parantur medicamenta, quæ non inspissata diuturna decoctione syrupis respondent, inspissata verò eclegmatis, maximè autem cùm pituita detergenda est, aut expectoranda, aut sistenda, vt Galenus ipse fecit, quando parauit diacodium ad sistendas fluxiones ex sapa: Minùs enim defluxiones mouet, quàm mel, tum quia minùs est acris, tum quia astrictionem quandam habet, minúsque detergit. Quæ enim detergunt, multùm fluxionem excitant. Saccharum autem syrupis

Quãdo ex melle parandi.

Quomodo ex sapa.

admiscetur aliarũ partium, aliorúmque humorum. Horum quantitas augetur aut minuitur pro quantitate decoctionis vsurpandæ, aut pro sapore, aut quando diutius sunt conseruādi syr. aut gratiores parandi, exempli gratia: Decoctum rerum dulcium aut insipidarum paruam quantitatem saccha. desiderat: syru. verò amari aut qui diutius conseruandi, maiorem. Sic etiam succis magna ex parte plus sacch. quàm decoctionibus miscetur, quia succus efficacior est decocto, facileq; putrescit. Ad eius ergo conseruationem maior quantitas sacch. quàm mel. requiritur. Sic syr. de bugl. ex ℔. iij. de succo bugl. ex ℔. 3. sacchari paratur. Syr. de limonibus, quia magis acidus est & efficacior, ex ℔. 1. ß. succi limonum ex ℔. 3 sacchari. Syrup. ex æquis partibus fiunt, vt syrupus ex infusione florum nympheæ, florum ℔. 2. recipit, & sacchar. ℔. 2. In syr. ex multis infusionibus ros. & viol. succus libra vna quantitatem sacchari superat. Recipiunt enim infusionis ℔. 5. saccha. ℔. 4. Syru. ex multis infusionibus sacchari quantitatem maiorem recipit, ne perdatur vis laxatoria. Succorum apij, & fœnic. ℔. 4. sacch ℔. 4. desiderant, maximè si acetum addatur. Sed hæc satis de mellis & sacchari quantitate.

De vino & aceto.

VInum & acetum syr. adduntur humorum attenuandorum caussa, aut vt medicamentum penetret. Vinum album in mulieribus, in viris acetum, nisi vehemens sit dolor, aut nimius sensus in intestinis.

Succi cydoniorum.

SVcci cydoniorum & prunorum frequentissimè adduntur syrupis, ad ventriculi corroborationem, refrigerationem, laxationem, constrictionem, ad calfaciendas partes, aut refrigerandas, siccandas, aut humectandas. Facilè parantur syrupi ex succo, & decoctione earum, quas eiusmodi rebus faciendis accommodatas speramus.

De syrupis compositis.

COmpositi syrupi parantur in morbis compositis, aut in complexu multorum affectuum, iisque vtendum post vniuersalem aliquam euacuationẽ, veluti post sanguinismissionem, aut medicamentum purgans, aut in de-

in declinatione febrium, aut cum partim per vrinas, partim per secessum trahere volumus. Fiunt autem ex herbis, fructibus, floribus, radicibus, seminibus, herbis suprà enumeratis, non sine delectu. Nam si febris adhuc ægrum infestet, sítque biliosa, habeátque aliquas obstructiones, non omnes radices, aut herbæ sumendæ, sed hæ duntaxat, quæ citra calfactionē obstructiones aperiunt, recrementa purgant per apertas regiones citra partis alicuius dissolutionem.

Syrupus ad febres biliosas & vrinas ciendas.

℞. rad. gram. vel asparag. vel acetos. vel plantag. vel cichor. ℥.j. vel vnius horum ℥.ij. vel si omnes ponantur ℥ ß. scariol. cichor. bugloss. borrag. rostri porcini, dentis leonis, & herbarum capil. an. M. j. qu. seminū frigid maior. ana ℥. ß. semin. apij, petros. anisi ana ʒ. ß. flor. trium cord. an. p. j. fiat decoctio & in ℔. j. ß. diss. syr. acetos. simpl. ℥. iiij. sacchari q. s. misce, fiat syr. Si velis, ʒ. j. triasand. aut diarrhodi abb. arom. Si verò radices temperantur in aceto, non est necesse syrupum acetos. simpl. apponere, gratior tamen erit cum syr. Magis mouendis vrinis, quàm aluo ducendæ conuenit, & ob id maiorem radicum aperientium quantitatem, & quatuor semina maiora recipit.

Ad laxandum ventrem.

SI quis itaque ventrem laxare velit, adiunget ea potissimùm medicamenta, quæ humorem abundantem laxare possunt, vt si pituita euacuanda sit, plures ficus & passulæ addendæ sunt, sin bilis, pruna & sebesten admiscenda, & eorum numerus augendus, neque prætermittendi tamarindi, aut rhabarbarum, pro ditioribus: pro pauperibus, succus ros. aut syr. ex infusione ros. rhabarbari loco. In fine decoctionis vel clarificationis rhabar. ponitur, quia non decoquitur.

Si verò pituita educēda, aut obstructiones soluendæ, semen carthami ad ℥. ij. additur, & agaricum pro minùs delicatis, refrigeratis, magísque pituitosis: Polypodium, sena, epithymus, & semen cuscutæ pro melancholicis. Herba verò mercurialis pro omnibus, nisi venter valde affectus sit.

Ad refrigerandam & euacuandam bilem.

REfrigerans & euacuans bilem hoc modo paratur. ℞.rad.cichor.℥.j.glyci.ras.ʒ.ij.cichor.scariol.bu gloss.borrag.rostri porc. id est,sonchi,dentis leonis ana ʒ.prunorum, sebest.an.pa xx.pass.p.x.anis.ʒ.ij.tamarindo.electorum ℥.j.senæ orient.medullæ femin.cartha.ana ʒ.iij.flor.triū cord.p.j.fiat decoctio & in ℔.ß.sacch. q.s.fiat syr.addendo post clarificationem,vel in ipsa clarificatione succi ros.ʒ.ij.vel sy.ex infu.ros.℥.iiij.cinamomi ʒ.ij. misce.fiat syr. Quòd si pro diuite fuerit, vel delicato, vel moroso, aromatisetur vt gratior palato fiat, & vt efficacior sit, minúsque ventriculum lædat,aut aliam partem. Aromatisetur itaque syrupis odoratis & gratioribus medicamentis.

Contra igitur institutum faciunt,qui corallum temperant in clarificatione, cùm omnis odoris & saporis sit expers.Neque minus peccant, quia tragacanthū frigidum iniiciunt, aut lignum aloes,aut myrrham. Rhab. in aromatisatione additur,non propter odorem iucundum,aut saporem, sed quia ipsum decoqui nolumus,ne vim suam laxatiuam perdat, aut vim suam astringendi remittat,maiórque tum cinamo. quantitas additur, vt illius odor offuscetur.Idem est de agarico iudicium, cuius gratia zinziber addimus,& alia odorata.

Modus exhibend. apud maiores. Maiores nostri sine aromatisatione solebant syrupos simpl. & compositos propinare, sed post syrupi assumptionem tabellam vnam alicuius electuarij imperabāt, vt triasandali, diatrag. frig. diagal. quod etiam & nunc fieri deberet.

Obseruandum est hunc syrupum aperientibus radicibus carere, quia in morbis, qui fiunt sine obstructionis suspicione, datur, aut post vsum syruporum aperientium obstructionem vesicæ, fellis, venarum mesaraicarum, & meatuum, per quos bilis è venis,& ab hepate trahenda est. Et componitur ex intybi speciebus, quæ aquea quadam substantia refrigerant ventriculum, & hepar:amarore verò quodam detergunt, & astrictione leui partem,in qua maximè abundat bilis, roborant. Minori quantitate additur radix glycir. quàm si pituita educenda fuisset, aut obstructio auferenda, quia detergit,&

Quid obseruādum in hoc syrupo.

git, & aliorum amarorem cum saccharo temperat. Fructus item maiori quantitate additi sunt, quo bilis acrimoniam extinguant, & purgent, vt pruna, sebest. pass. tamarindi. Passulæ verò minori quantitate, quia dulces cùm sint, hepatis substantiam corroborant, maximè quę mundatæ non sunt, sed cum gigartis impositæ. Anisi ʒ. ij. iniecimus, non addito fœniculo, quia acrius est aniso, quod est dulce. Imponitur autẽ propter flatuum discussionem, & iniici debet quotiescunque aliqua decoctio paratur ex radicibus, fructibus, herbísque humidis. Ea enim omnia flatus gignunt. Quin in medicamentis purgantibus, in his semina odorata adiungi præcipit Hippoc. & quia sena tormina excitare solet in ventre, anisum, fœniculum, aut similia nunquam prætermittere debemus. Addimus etiam semen carthami, & senam, quæ minùs conuenire videtur, quod duplici facimus ratione, & quia nullus purus, & syncerus humor in corpore nostro reperitur: & quia bilis, si pituitæ admisceatur, medicamẽtis biliosis difficillimè trahitur. Sed cùm minor quantitas agarici vel medullæ carthami succo rof. vel scammonia adiungitur, multò faciliùs ea recrementa expurgantur. Huc accedit quòd bilis in corpore nostro non redundat, si quotidie à natura per intestina purgetur. Sed non expurgatur cùm vesicula fellis eam bilem ab hepate non trahit propter obstructiones, aut cùm ad intestina non transmittit. Optima igitur ratione medicamenta pituitosa, quæ purgant, & obstructiones aperire creduntur, iniiciemus, qualis est medulla carthami quæ obstructiones aperit hepatis, & pituitam mouet: & sena quæ pituitosos humores, & serosos purgat, cum melancholicis. Bilis enim si diutius in corpore remanserit, vertitur in melancholicam. Optimum est igitur senam addere in eiusmodi euacuationibus. Præterea omnia ista medicamenta si biliosis adiungantur, biliosorum medicamẽtorum naturam induunt, aut operationem iuuant ex Galeni sententia, qui scammoneo, pituitam purgat addito castoreo. Castoreum enim suo calore liquefaciendo pituitam, efficit vt diagredium meliùs pituitam purget, quemadmodum in hiera pura, aloe additis attenuantibus.

Intybus.

i. acinis.

Nullus humor syncerus in corpore.

Cartham.

Sena.

In hoc syrupo quatuor semina frigida maiora non sunt addita, propter multas caussas, nempe quia vrinas mouere nolumus: medicaméta enim nimium sicca non sunt, nec nimiũ calida. His enim de causis quatuor semina frigida maiora addi solent, & quia difficile fuerit simul & semel per vrinam, & ventrem humores exactè purgare, alterum enim alteri officit. Ponuntur autem in syrupis aperientibus, & mouentibus vrinas, in medicamentis pleuriticis, & thoracis ad siccitatẽ temperandam, vt docuit Gal. *cata topous*, agens de cõpositione medicamentorum pectoralium veluti si addatur enula cãpana, iris, hyss. decoct. medicamenta attenuantia, quæ calore & siccitate pituitam exiccent in pulmonibus, & expuitioni minimè aptam redderent. Semina item minora addita non sunt, vt fit in syr. alterantibus, quia in hoc syrupo non est necessaria magna astrictio, & magna pars herbarum aliquid astrictionis habet, vt pass. radix cichor. Adde quòd aperientia & laxantia multùm non recipit hic syrupus. Succi autem ros. ℥. ij. imperamus, vel syr. ex infusione ros. quia magis liquida liquidis conueniunt, quàm terrea, & succus, vel infusio ros. eodem modo laxat, quo & rhab. minùs verò constringit. Cinamomi ʒ. j. addimus. Nam vt in rhab. additur, sic & in hoc medicamento vt astrictionem imminuat, aut vt pituitam incidat. Agaricus in pituitosis additur, zinzib. miscendo parum, vt postea docebimus. Si rhab. addere quis velit, in clarificatione tantùm addat, aut diligentissimè tritum, & in panno raro ligatum suspendatur in syr. quod fieri solet vbi syrupum diutius seruare volumus, atque pro syrupi ℔. j rhab. ℥. j ponitur.

Semina frigida maiora.

Syrupi rosarum laxat.

Syrupus bilem alterans.

SYrupus bilem alterans fiet ex scariola, aut cich. sonchis, lactuca, & aliis frigidis & humidis herbis, aut ablatis supradictis laxantibus fiet alterans. Pruna, sebestem, tamarindi non solùm laxant, sed etiam acrimoniã extinguunt refrigerando, ideo syr. & eclegmatis iniici solent. Cùm autem alterationis caussa ponuntur, minori quantitate id fit, veluti cùm suspicio est de fluxu ventris, tunc parabitur sic.

℞. scar. lactucæ, rostri porc. bugloss. borrag. ana M. j. pruno-

prunorum, sebest.ana pa.v. quatuor semi. frigid. malorum ana ʒ.ij. anis.ʒ.j.flo. cord. p.j.fiat decoctio & in ℔. j.diss. sacchari q.s.fiat syr. Addi possunt,& syr.parati, vt syrup. de endiuia simplex & compos. oxysacc. & alij refrigerando & humectando bilem immutantes, vt syrup. viol.nenuph.de cucurbita.

Syrupi ad pituitam concoquendam & laxandam.

SYrupi ad concoquendam &laxandam pituitam fiunt. Coquuntur autem & præparantur calidis sine astrictione, attenuantibus, incidentibus, & detergentibus. Conficiuntur autem ex radicibus aperientibus communibus, & herbis calidis attenuantibus, & incidentibus & syr. beto.

℞. radic. apij, petro.fœnic. vel graminis, vel asparag. (Radices priores magis calefaciunt, & attenuant, vnde si febris non adsit pituitosa, vsurpantur, si cum febre, posteriores) hyss. vel betonic. vel marrhub vel puleg. vel calaminth.M.j. Recentes autem esse debent,ne nimium siccent. Si enim siccæ sint; satis erit ponere M. ß. Addantur semina frigida maiora ad siccitatem minuendam. Seminis anisi ʒ. iij. pass. mundatorum, fic. ana pa. xx. florum anthos, stechad. bugl. fl. borrag. ana p. j. radic. glycir. ℥.j fiat decoctio & in ℔. j. ß. diss. mell. despumati, vel rosati q.s. Aut mediam partem mellis addimus, & tertiam sæpe, si affectus aliquis sit antiquus in thorace, vel à thorace pituita expectoranda. Ex hoc syrupo multi fieri possunt, veluti ad coctionem pituitæ, detersionem, & expectorationem, aucta tantùm detergentium quantitate, & additis seminibus frigidis maioribus hoc modo,

℞.decoctionis precedentis ℔.j.cui adde pass. pa. v. dactylorum mundatorum(si dolor capitis non adsit,dolorem enim solent inducere) pa. vj. quatuor semin. frigid. maior ℥ ß.cum melle, saccharo, & sapa fiat syru. vt priùs dictum est. Pituita siue in cerebro, siue in thorace, aut ventre semper detergenda est, aut incidenda, nisi multùm tenuis sit, & fluat, vt in catarrho,& morbo articulari, in quibus neque multùm detergere, neque aliqua parte attenuare pituitā oportet, nisi constiterit defluxio. Quæ verò in thorace est, expectorantia magis,

quàm incidentia desiderat. Ideóque augetur numerus fructuum, adduntur semina frigida maiora, vt medicamentorũ siccitas minuatur, & ne in thorace pituita retineatur exiccata. Talis syr. pectoralis commodè radice ireos aromatisatur: sin in ventriculo ad pituitam collectam, cinamomo: sin ad pituitam cerebri & neruorum, zinzib. aromatisatur.

Ad pituitam laxandam è thorace.

IN syrupo laxante detergentia pituitam superare debent incidentia. Syrupo igitur pectorali addi imperamus, quæ sequuntur.

℞. Decoctionis superioris ℔. ij. in quibus decoque polypod. querc. recent. ℥. j. medullæ seminis carth. contusi ℥. ij. agarici troc. ʒ. ij. anis. fœniculi ana ʒ. j. fiat decoctio, cui adde mel. viol. vel rosati q. s. fiat syrupus: aromatisatur ℥. j. zinzib. & ʒ. ij. iridis.

Polypod. In hoc syrupo maior quantitas carth. quàm polyp. ponitur, quia polypod. quandam astrictionem habet, & ventriculum lædit. *Carthamus.* Carthamus autem cùm imbecillior sit, & magis conueniat pituitæ euacuandæ, ℥. ij. pondere ponitur. Agaricus propter amarorem, & satis insignem purgandi vim, minori quantitate ponitur. Anisi dosim auximus addito semine fœniculi ob medicamenta laxantia. Prætermisimus autem fructus acidos, veluti pruna, tamarindos, sebesten, & iuiubas, quia incrassant minúsque conueniunt in pituitæ eductione. *Quæ pituitæ educendæ conueniunt.* Passulæ & ficus in pituitosis, vt tamarind. pruna, & sebestem in biliosis conueniunt. Hæc omnia decoqui possunt in iure galli antiqui, qui sua facultate nitrosa laxat aluum, cui decocto si addatur sena, efficacius erit. Potest etiam addi succus ros. aut syr. ex infusione ros. ad mouendum aluum. *Bile agitata facilius agitatur pituita.* Bile enim agitata multò faciliùs mouetur pituita, quæ lenta est & admodum tarda, vel quia hic ex incidentibus & detergentibus componitur, quibus si adiungatur, commodè pituitam laxat, solétque illi esse pro vehiculo, & veluti calcar, vt in morbis per fluxionem factis videre est, in quibus etiam quædam bilis apparet. Tunc cinamomum & zinziber in maiori quantitate addi debent, quando syr. ros. vel succus ros. additur. Pituitam enim incisam & attenuatam euacuat, vt superiùs est

est ostensum. Semina etiam frigida maiora non expunximus, quia siccitatem istorum medicamentorum laxantium temperant & diluendo pituitam magis fluxilem efficiunt. Tenuis enim & aquea substantia, si crassæ permisceatur, fluxiliorem reddit.

Syrupi ad melancholiam.

AD melancholiæ euacuationem & alterationem syrupi parantur. Quòd si ab adustione bilis facta sit, bilem alterantibus alteratur, & eandem euacuantibus euacuatur, additis borrag. buglosſ. & aliis quibusdam temperatis, humectantibus, & discutientibus, vt capillis ven. & aliis herbis capill. quemadmodum si syru. de bugloſſ. aut borrag. aut decoctio earum herbarum, syrupus endiuiæ compositus sumatur, medicamentum alterans fiet hoc modo.

℞. endiuiæ, scariolæ, bugloſſ. borrag. viol. lact. port. ana M. j. paſſ. ℥. ij. seminum quat. frig. maiorum ʒ. iij. flor. cord. p. j viol. p. ij. fiat decoctio, & in colatura diſſ. sacch. q. ſ. fiat syr. Fiunt syrupi concoquentes & præparātes melācholiam, ratione splenis habita, quia in parte naturaliter cōtinetur melācholia, quæ ex adustione propriè non fit, sed potiùs quæ ex fece sanguinis prouenit. Fiunt, inquam, ex alterantibus & modicè calfacientibus cum quadam humiditate, vt ex radicibus communibus, & cortice radic. cappar. fraxini, thamarisci, genistæ coctis cum seminibus quat. frigidis maioribus, vel syrupum de fumoterræ, & borragine permistis. Sed ad syru. euacuantem melancholiam redeamus. Euacuatur autem melancholia, vbi syrupo præcedente pręparata fuerit, syrupo laxante bilem, cuius suprà meminimus, additis quibusdam medicamentis melancholicis, qualia sunt polypod. sena, epithymum, summitates thymi, semen cuscutæ. Cùm autem syrupo prædicto, aut syrupo endiuiæ hæc medicamenta adiunguntur, commodum erit quædam humida siccitatem eorum temperantia adiungere, qualia sunt quatuor semina frigida maiora, paſſ. aut radic. bugl. & glycir. raſ. aut fiat hoc modo.

Alterans melanch. ab adust. bilis.

Vacuans melācholiam.

℞. radic. bugloſſ. glycir. raſ. ana ℥. j. cichor. scariolæ, borrag & bugloſſ. fumiterræ, viol. mercur. an. M. j. paſſ. ℥. ij. quat. seminum frig. maior. & aniſ, ana ʒ. iij. senæ

Vacuans melācholiam.

orient. polyp. querc. origani, epithymi ana ℥. ij. tamarindorum ʒ. ß. trium florum cordial. p.ij.misce, fiat decoctio,& in colatura diss.sacch. q.s.cui adde syr. viol. ex multis infusionibus,vel syr.ros.lax. ℥. iiij. aut v. Hic syrupus purgando serosa recrementa biliosa &melancholica morbum melancholicum minuit. Et hoc potissimùm obseruandum in syrupis laxantibus & alterātibus melancholiam à quocunque humore adusto factam, vt sit insignis humiditas in eo syrupo. Caliditas verò ad melancholiam quæ citra adustionem facta est: modica refrigeratio ad eam,quæ per adustionem bilis facta est, & ad eam, quæ ex pituita & exiccatione fit. His obseruatis similes syr. parantur facilè ad eos humores adustos. In summa vsurpandi syr. concoquentes materiam, ex cuius adustione facti sunt morbi, & illis quædam adiungenda, quæ humectant in alteratiuo, & quæ laxant melancholiam in laxatiuo, vt in superiore syrupo videre licet, qui magna ex parte alterantibus bilem constat, cui adiungimus bugl. borrag pass. & alia, quæ modicè calfaciendo & humectando humorem melancholicum alterare possunt. Hæc in syrupo concoctorio. In laxatiuo autem polypod. & senam ad euacuationem adiungimus, & interdum cuscutam & epithymum, & alia fortiora & calida, cùm nimiam calfactionem non pertimescimus.

Ad pituitam vstam, aut melancholiam ex pituita ortam.

EAdem ratione syrupos concoctorios & laxantes pituitam vstam, aut melancholiam ex pituitæ adustione factā & incineratione paramus. Et quia pituita crassa non multùm differt à melancholia, teste Gal. cùm id quod tenue est, calore nimio resoluitur, illam tenuem humiditatem amittit, & in atram bilem vertitur: ideo syrupi concoquentes attenuare debent citra magnam caliditatē, & cum aliqua humectatione. Hoc itaque nomine differunt syrupi concoquentes pituitam, à cōcoquentibus melancholiam ex adustione bilis, quia syrupi concoquentes pituitam, calefaciunt, & non humectant, incidunt, attenuant, & detergunt, & eorū materia erit radix glycir. borrag. rusci, asparag. & herbæ dictæ capil. permixtis seminibus frigidis maioribus. Laxātes autem fient si aga-

Alterans melanch. ab adusta pituita.

si agaricus & medulla seminis carthami misceantur.

℞.rad.bugloss.borrag glycir.ras ana ℥.j.radic.graminis,asparag.recētis ana ℥.ij.herbar.capil.M.j.bugl.borrag viol.cham.chamep.vel melis vel marrhub an.M.ß.passul.mundatarum ℥.ß.quatuor semi.frig. maiorum ʒ.anis. ʒ.ij florum cham. bugloss borrag.viol.ana p.j.fiat decoctio,& in ℔.j diss.sacch.albi q. s.misce,fiat syru. aro.cum ʒ.j. zinzib.& ℈.j. cinamomi, hic syr. concoctorius est: fiet autem laxatiuus,si dosis pass. augeatur ad ℥.ij.quibus adiungi possunt ficus,merc. agaricus, sena, & polypod.hoc modo.

Syr.laxans pituitam & melancholiam supradictam.

℞.Rad.glyc ras.℥ j.radic.enulæ cāpanæ ℥.ß.Radices gram.& aspar.prætermitti possunt,sed hic syrupus detur post præcedentem,aut post concoctionem materiæ, sin secus fiat, possunt addi, sed minori quantitate. Nam, vti superius ostensum est, medicamenta aperientia,& vrinas mouentia, non recipiuntur in medicamentis laxantibus, nisi in pauca quantitate, vt scilicet adiuuent actionem medicamenti laxantis: vt nec in concoquentibus passulas addimus in magna quantitate, ne concoctionem perturbent laxando, vel leniendo,sed vt humectando iuuent humoris præparationem. Prætermittendæ igitur sunt, aut ℥. ß. tantùm sumenda addito mercur. M. j. capill.ven.M.ß.passul.mundatarum ℥. ij. fic.pa.x.anis.ʒ.j sem.melon.ʒ. ß medullæ seminis cart. & polyp querc.ana ℥. ij.agarici ʒ.ij.flor. viol.bugl.borrag.genistæ ana p.j. epithymi,cuscutæ ana ℥. ß. fiat decoctio in colat.℔.j.ß.diss.mel.viol.℥.iij.sacchari q.s.fiat syrupus arom. ʒ.j.zinzib.pro quatuor dosibus.

In laxantibus & concoquentibus quid obseruandū.

Syr. ad melancholiam è fece sanguinis.

ABsolutis syrupis concoquentibus & alterantibus melancholiam ex adustis humoribus ortam, veniendum ad syrupos cōcoquentes,& alterantes humorem melancholicum, qui fex sanguinis dicitur. Præparatur autem ille humor ad euacuationem medicamentis calidis, humidis & aperientibus splenis obstructiones,& humoris crassitiem incidentibus.Sunt autem ea, quæ superiùs recensuimus, vt bugl. borrag. pass. herbæ capill.radic.aperientes,cortex rapic.cappar.flores,folia

& radix thamarisci, & sambuci, enula campana recens data cum violis, species orcheis, behen verum & liquiritia: laxant etiam superiùs enumerata. Fit autem hoc modo syr. concoctorius.

Syrup. concoquens melancholiam praecedentem.

℞. Radic. bugloss. enulæ camp. liquir. ras. ana ℥. j graminis aspar. apij ana ℥. ß. radic. satyr. ʒ. vj. pass. ℥. j. herbar. capi. viol. melis. cichor. ana M. j. calaminth. chamed. chamepith. ana M. ß. quatuor seminum frig. maior. ana ʒ. j. seminis bombacis ʒ. iij. apij, petro. ana ʒ. ij. florum bugloss. borrag. anthos viol. ana p. j. fiat decoctio, macerentur radic. in vino albo & aqua, si scirrhus non sit in splene. Si verò scirrhus sit minuendus, in aceto macerẽtur. In colatura ℔. ij. diss. sacchari q. s. fiat syr. aro. ʒ. ij cinamomi: sumatur per quinque vel sex dies.

Concoquẽtes. Syrup. de borrag. viol. bugloss. capil. ven. in officinis parati concoquuntur. *Euacuãtes.* Euacuant autem syrup. de fuma. compos. syr. de epithymo, liquir. sambuci. Non sunt igitur permiscendi concoquentibus, sed cum laxantibus, Ad euacuationem igitur & dissolutionem syrup. compositorum laxantium fiet huiusmodi decoctio & ex ea etiam syr. fieri possunt mediæ decoctionis, qui per se assumi possunt.

Syrupi laxantes melancholiam.

℞. Cortic. mediæ sambuci ℥. j. polyp. ℥. ij. pass. mundatarum, ficuum ana pa. xv. summitatum thymi, epithym. senæ orient. ana ℥. j. agarici recent. tro. ʒ. ij. flo. viol. & genistæ ana p. ij mercur. M. j. aut ij. fiat decoctio, in ℔. ij. diss. melancholiam trahentia, vt confectionem hamech. diaphen. Sic igitur paratur laxatiua potio, quæ etiam ex superiùs enumeratis laxantibus fieri poterit, veluti additis compositionibus pituitosis ad pituitosos, biliosis ad biliosos. Ex eadẽ decoctione fiat syrupus sumptis colaturæ ℔. iij. & addito saccharo in suffic. quantitate vel syr. de fumar. composito, aut de epithy. q. s. coquatur ad perfectionẽ, & ex eo sumatur duobus diebus continuis cum decoctione mercur. pass. & cicer. rub. Accipiet singulis diebus continuis, priusquam intestina grauentur nouis decrementis, aliam bilem trahere potest secundus syrupus.

De educentibus aquas in hydrope.

POstquam in syrupos laxantes incidimus, de syrupis vrinas mouētibus & menses instituendus est sermo, præmissis tamen syrupis cientibus vrinas & aquas, deinde purgantibus, quorum nullam aut admodum paruam mentionē fecerunt maiores nostri: sed eam aquam euacuare volebant, & exiccare medicamentis siccis, vt pilulis mezerei, & his, quæ calidissima sunt, & febrem exiccant. Si autem syrupi dentur, citiùs à ventriculo in intestina descendunt, & aquam faciliùs trahunt. Sunt autem ea intestina, ex quibus multa sunt periculosa admodum,& iecoris,aliorúmque partiū robur dissoluunt, quale est elaterium, & ferè omnes tithymallorum species,thymelea,chamelea, cocc.gnidium. Syrupi ad mouendas aquas fiunt, aut vt per ventrem aquam trahant, aut vt per vrinas, eámque intra venas. Fiunt autem ex radicibus aperiētibus,herbis, fructibus, seminibus ad id determinatis,additis hepar quodammodo corroborantibus, ne eius substantia supra modum diffluat, & quia non fit hydrops sine læsione hepatis. Tales autem reperiuntur in officinis parati,vt syrupus de eupator. Mesuæ in intemperie frigida. Syrup. de cicho. & endiuia cum rhab. si à caussa calida oriatur. Idem præstabunt syr. de bizātiis,de duabus radic.si cum aqua absynth.vel decoctione spicæ celticæ & marrubij dentur. Vtiles sunt hi syrupi quia obstructiones soluunt, & aquas leuiter mouent,vel fiant hoc,qui sequitur,modo.

Syrup. ad deducendas aquas per vrinam.

℞. Quinque radic. aperitiuarum, vt radic. rub. maio.ana ℥.ij.radic.valeria.℥.j.herbar. capil. cichor. endiuiæ chamep.chamed.ana M.ß.absynth.tertiam partem M.j.seminis apij petro.seseli,azari ana ʒ.ij.florum genistæ & thamaris.ana p.j.fiat decoctio.

Si scirrhus sit in hepate aut splene,macerentur in aceto radices.Si autē sit Anasarca, & mulier morbida,in vino albo. In col. diss. syrup. aperientes vel saccharum. Possunt & addi passulæ, quanquam non mouent vrinas, sed ad intēperandas radic.aperiētes,quæ si sint antiquæ, interdum renes,hepar, & vesicam lædunt exulcerando. Aromatisentur semper syrup.hi vel spica nardi,vel aza-

ro, vel ſpica celtica, aut ſcenantho aut cinamomo, aut galanga: quia omnia hæc roborant hepar, & vrinas mouent. Dantur & aquæ diſtillatæ è radicibus, & herbis, quæ tenuioris ſunt ſubſtantiæ. Itaque aptiores ad vrinas mouendas & menſes, & ad obſtructiones liberandas. Hi ſyrupi recipiunt tantùm verè vrinas cientia, non autem ea, quæ aquea ſubſtantia id præſtant, vt quatuor ſemina frigida maiora, niſi cum hydrops eſt cum caliditate coniunctus, vel quando vrinam prouocare volumus, quæ à calculo, vel à craſſis humoribus ſubitò retenta fuit. In hiſce enim cauſſis nihil eſt periculi humidis vti, quod in hydrope faciendum non eſt.

Quæ roborant hepar & vrinas mouent.

Syrup. purgans aquas.

SYrupi purgantes aquas fiunt ex medicamentis aquas purgantibus ſuprà enumeratis, vt thymel. chamel. adiunctis corroborantibus & quibuſdam aperientibus, vt melior fiat eorum actio. Conuenientiſſimè his medicamentis vtimur in forma ſyruporum. Multò enim faciliùs diſtribuuntur per corpus, & aquas trahunt. Cõſiderandum verò, quæ ſit hydropis ſpecies. Nam tametſi in omnibus ſit aqua, differunt tamen quantitate. Nam Aſcites multùm aquæ continet: Tympanites minùs, plus verò flatuum. (Addenda igitur, quæ flatus diſcutiunt) Anaſarca pituitæ multum. Adduntur ergò incidentia, aperientia, & pituitam purgantia. Si aſcites factus fuerit ex intemperie calida, aut poſt inflammationem, hæc medicamenta adduntur ſyrupis modicè refrigerantibus: vt ſyru. de endiuia ſimpl. & compoſitus, ſyru. de cichorea cum rhab. aliiſque ſimilibus aperientibus, refrigerantibus, & corroborantibus hepar ſic.

Hydropis ſpecies diſtinguẽda

Syrup. ad aſcitem.

R. Paſſ. ℥. ij. fol. braſſ. marinæ M. j. thymel. vel chamel. M. ß. ſeminis hederæ, ſeminis ſeſeli an. ʒ. iij. fiat decoctio in ℔. j. diſſ ſyrup. endiuiæ ſimpl. ℔. j. vel ſyrup. endiuiæ compoſ. ℔. ß. fiat ſyrup. arom. cum ʒ. ij. cinamomi, vel ʒ. j. ſpicæ celticæ. Loco ſyr poni poſſunt ſpecies cichorij & herbæ capil. atque ſyrupus inde confici poteſt cum ſaccharo hoc modo.

Ad idem.

R. Radic, valerianæ, radic. rub. maior. & ciclaminis

ana

ana ℥.ij radic.apij, petro.ana ℥.j. endiuiæ non lotæ, scariolæ, herbarum capil. agrimon ana M.j. seminis hederæ (quod aquas mouet non minus quam thymelea) ℥.j. brass. marinæ M.j. chameleæ, thymel. ana ℥ j. pass. mundatarum ℥.iiij. anis. ʒ iij. fiat decoctio, & in ℔. j. ß. diss. saccha. q.s. fiat syr. arom. ʒ. iij. spicæ celticæ, vel cinamomi, dentur ℥.iiij per se, si sit mediæ decoctionis, vel cum aquis endiuiæ & cichorei, si sit coctus ad perfectionem. *Hedera Vrinas mouet.*

Ad anasarcam.

SI autem sit anasarca, his adiungenda erunt medicamenta magis incidentia, attenuantia, & alterantia, vt enulæ camp. rad. apij, petro. rub. maior. in maiori quantitate, & pituitam purgantia, vt agaricus, semen carthami, sena, polypod. aut medicamenta trahentia aquas decoquenda in syrupis ad pituitam purgandam præscriptis.

Si sit tympanites, fiet hoc modo.

℞. Pass. (quæ in roborando hepate non debent enucleari, sed cum gigartis poni, secus in detergentibus) ℥. ij. seminis petro. apij, seseli ana ʒ. ij. rad azari & valerianæ ana ℥. ß. mentæ, absynth. beto. ana M. ß. marrub. M. j. mercurialis brass. marinæ ana M. ß. senæ orien. & seminis carth. an ʒ. vj. florum anthos & genistæ ana p. j. fiat decoctio in ℔. j. diss. sacch. q. s. fiat syr. aro. ʒ. ij. diagalangæ, vel ʒ. j. aromat. ros. detur alternis diebus. Hic syru. compositus est ex odoratis aperientibus siccis (neque herbæ, vel radic. recentia ponuntur, quia flatus gignunt) & flatus discutientibus, quibus adiungimus pituitam purgantia. Tenuis enim & aquea pituita flatuum materia esse solet, in circo euacuanda, vt in tumoribus œdematosis fieri imperant medici. Præterea adiunximus aquas purgantia, diagalang. arom. ros. quæ ventriculum & alias partes roborant. His itaque remediis facilè educetur aqua, siue sit in peritonæo, siue in vtero, siue in aliqua alia parte, vt in thorace, vel capite, vel in tumoribus aquosis, phlictenibus flatulentis.

Cum hydrops est cum scirrho.

CÆterum si hydrops est cum scirrho splenis, tunc incidentia & splenetica adiungimus, vt cortic. rad.

capp. ſambuci, vel fraxini, populi, aut thamariſcis, ac in aceto macerentur & decoquantur, vt ſuprà dictum eſt.

Ad cacochymiam & menſium prouocationem.

FIunt & ſyrupi non multò his abſimiles ad cacochymiam, & prouocationem menſium, & aperientibus & prouocantibus menſes & vrinas. Syrupi autem prædicti apti ſunt ad mouendas vrinas, & menſes prouocandos, additis radicibus eryngij, foliis arthemiſiæ vel matricariæ vel ſabinæ. & aromatis ℥. j. vel ℥. j. ß. vel ij. cinamomi. Cinamomum enim & caſſia menſes mouent, licet recentiores ineptè corticem caſſię apponant pro caſſia antiqua, vel corticem radic. polemonij, quam caſſiam ligneam vocant. Cinamomum in his ſyrupis tantùm ab ℥. ß. ad ℥. j. vel ℥. ij. ponitur, & quo efficaciores ſint, vinum album tenue in clarificatione, ne vires amittat ac ſaporem gratum. Porrò cient vrinas ſyrupi facti ex duabus vel quinque radicibus, oxymel diureticum. Sed ſyrupi, qui parantur cum aceto, nō admodum apti ſunt. Acetum enim vtero aduerſatur. Fieri autem poterunt modo ſequenti.

Meſes mouentia.

Vrinas mouentia.

Syrupi ad menſes prouocandos.

℞. Quinque radicum aperientium ℥. iij radic. rub. maior. ℥. ij. radicis quinquefolij, id eſt, pentaphili & eryng. ana ℥. j. puleg. vtriuſque, calaminth. orig. ana M. j. quatuor ſeminum frigid. maior. ana ʒ. j. flor. anthos leuchoi ana p. ij florum geniſtæ p. j. fiat decoctio in aqua & vino, in quibus per noctem radic. macerentur, & in col. ℔. ij. diſſ. mel. deſpumati ℥. iiij. ſacchar. q. ſ. fiat ſyrup. arom. ℥. j. cinamomi. In hoc differt hic ſyrup. à ſyrupo prouocante vrinas quòd magis attenuat, incidit ac deterget craſſos & viſcidos humores obſtructionem facientes, & menſium profluuium prohibentes, in quo caſu hoc ſyrupo vtimur, aut ſimilibus. Nam ſi poſt longam ſanguinis effuſionem per vterum, vel per aliquam aliam partem menſes retinentur, idque ob ſanguinis penuriam, non dabuntur ſyrupi, quia magis adhuc exiccarent corpus. Dabuntur ergo paulò antequàm fluant menſes, aut quum inſtat tempus purgationis. Poſſunt etiam dari in retentione vrinæ ab eadem cauſſa orta. Dabitur etiam hic ſyru. ad vteri calfactionem, apertionem, & re-

Quo tempore exhibenda.

& resiccationem, ablatis seminibus frigidis maioribus.

Ad conceptum.

ET quò faciliùs concipiant mulieres, dari possunt per se illi syrupi vel cum decoctione arthemisiæ, & mercurialis, persicariæ, vel cum pauca quantitate syrupi de arthemisia, ad quæ vitia vsurpamus syrupum de stechade cum decoctione vel aquis prædictarum herbarum, aut syrupo de arthemisia, qui si dentur cum decoctione persicariæ maioris, multò erunt efficaciores ad conceptum.

De iulepis.

QVia frequenter plures aquas imperamus accipiendas post opiatas, quæ si diu permixtæ seruentur facilè corrumpuntur, ad earum conseruationem mel vel saccharum addimus. Ex aquis & saccharo iulep. conficimus, quorum vsus est post opiatas Syrupus simplex, qui ex floribus, vel ex vna tantùm herba conficitur, vocatur etiam iulep, vt iulep violatum, rosatum, & sic de aliis. Parantur autem ex aquis distillatis, & cum saccharo coctis. Saccharum autem conseruat suo lentore, ne putrescant, Vt

Iulep. ad sitim sedandam.

℞. Aquæ rosſ. ℔. j. sacchari ℔. ß. coquuntur, & fit iulep, vocatum Alexandrinum, quia vtuntur in Alexandria, ad sitim sedandam, sed in febrib. intermittentibus, & cum quibus est obstructio, non est ex vsu. Ex multis autem aquis fiunt iulepi veluti ad sistendum sanguinem imperamus,

℞. aquarum peculi rosa. sanguina. id est centinodiæ, burſ. pastor. ana qr. j. sacchari parum, fiat iulep, capiat post opiatam.

Ad hepatis refrigerationem.

SI ad hepatis refrigerationem fiat, aquas refrigerãtes vt lactucæ, cichoriæ, endiuiæ, solani, & aliarum eiusmodi eligimus.

Ad pectus.

SI ad pectus, viol. bugl. & sic de aliis. Aquas determinatas cognoscet medicus, ex iis quæ dicta sunt cap. de syrup. quare his contenti, ad alias medicamentorum formas veniendum.

De medicamentis purgantibus.

POst syrupos concoctorios aut ante; medicamentis purgantibus vtimur. Videndum itaque est quæ medicamenta ante syrupos concoctorios dari possunt, & quæ item post syrupos. Cæterùm medicamenta laxantia, forma distinguuntur, aut consistentia, aut quòd humori alicui euacuando, aut parti sint determinata. Distinguuntur præterea actione. Nam alia soluunt attrahendo, alia constringendo, alia lubricando, alia remolliendo. Formæ medicamentorum laxantium sunt in vniuersum duæ, nempe humida & sicca. Humida sunt, aut modo confectionis conformata, vt catholicum, cassia, diaphenicum, electuarium Indum, de psilio, confectio hamech, triphera persica, diaprunis simplex & solutiuum: aut forma liquida, vt serū lactis, succus ros. mercur. syrupus de fumaria compositus, de epith. de cichor. cum rhab. ex infusionibus multis ros. viol. decoctum fructuum, & aliorum quorum suprà meminimus. Sicca triplici sunt differentia, aut forma pilularum, aut electuarij, aut pulueris. Pilulæ sunt multiplices, de quarum differentia postea. Electuaria sunt, de succo ros. diacartham. de citro. Pulueres sunt diasena, diaturbith, & pleraque alia medicamenta, quæ in pulueris forma dari possunt, de quibus suo loco: verùm pro humorum ratione, quos euacuant, etiam distinguuntur. Nam alia tantùm recrementa communia expurgant, quæ *eccoprotica* dicuntur, quale aloe, & hiera, quę ex aloe & odoratis componūtur, vt hiera picra, Gal. catholicum, lohoth de caff. pulpa tamarindorum, sebesten, pruna, ficus paff. & ferè reliqua purgantia cum lenitione, & detersione, & lubricatione, vt decoctum caulium, ciclæ cum multo oleo, vel piscium saxatilium, vel aliorum humidorum.

Distinctio.

Forma duplex.

Bilem purgantia.

ALia autem sunt cholagoga, alia phlegmagoga, alia quæ bilem atram agunt. Purgantia autem bilem magna ex parte ex succo ros. vel earū infusione, ex rhab. scammoneo parantur. Quæ enim paruam eorum quantitatem requirunt, aut non laxant, vt in puluere triasandali, rhab & aliis pulueribus cordialibus; aut soluendo

mouent,

mouent, aut adiuuant alia medicamenta & aliorum medicamentorum vim sequuntur.

Phlegmagoga.

PItuitam purgantia recipiunt agaricum, turbith, colocynthid. polypod. medul. cartha. aut biliosa incidentibus, & attenuantibus permixta, vt diagrid. cum castoreo pituitam vacuat: aloe cum aromatibus pituitam mouet. Incidentia & attenuantia etiamsi cum detergentibus misceantur, pituitam euacuant, veluti si semina flatus discutientia, & alia incidentia crassiùs conterantur, & melle excipiantur, pituitam purgabunt, eam maximè, quæ in ventriculo, & intestinis collecta est.

Melancholica.

IDem præstabunt medicamenta melancholica, si incidentia quædam admisceantur, vt polypod. sena, mercur. cum anis. fœnic. cinamomo, & azaro, si ex vino vel melle dentur, pituitam purgant.

Composita phlegmagoga.

COmposita medicamenta pituitam purgantia, attrahentia sunt diaph. Indum maius, electuarium, diacarth. de citro solutiuum, puluis & turbith, pilulæ omnes ferè, quæ agaric. colocynth. & lachrymas recipiũt, vt fœtidæ maiores & minores, de opopana. ex colocyn. cocchiæ, de agar. & turbith, & similes.

Composita melancholica.

MElancholiam purgant, quę lapidem lazuli non assum recipiũt, vt veratrũ nigrum, tithymalum, epithymum, sena, polypod. cortex samb. decoctũ eiusdem, & vt summatim dicam, omnia medicamenta quæ crassam pituitam purgare creduntur, modò humida quædam, & calida admisceantur melanch. purgant: eam ob caussam diaphenicum, & Indum maius efficiunt. Confectio hamech. diasene solutiuum, & pilulæ omnes, quæ prædictorum medicamentorum aliquot recipiunt, quales sunt pilulæ Indæ, de lapide Lazuli, fœtidæ & similes.

Aquas purgantia.

AQuas purgantia iam priùs enumerata sunt, & quia, vt priùs dictum est, talia medicamenta potiùs dari debent in forma liquida, quàm vllo alio modo, in classes purgantium referemus tales syrupos.

Medicamenta secundum partes purgantia.

MEdicamenta talia dicuntur, quia è certis quibusdam partibus vacuant magis, quàm ab aliis: inde etiam cephalica denominantur, quæ pituitam purgant, quia in capite maximè pituita redundat, & quæ fortiter ab ea parte trahunt.

Hepatica eadem ratione dicuntur, quæ bilem purgant, sed cum quadam astrictione: hepar enim bilem laxantibus, quæ illud molestat, delectatur, modò leuiter astringant. Eadem caussa rhabarbarum amicum hepati dicitur, & anima hepatis, quòd sit ipsi familiare, & succ. ros. Euacuant enim & leuiter astringunt. Scammonium autem, quia astrictione caret, quanquam bilem euacuat, hepaticum medicamentum re vera non est, nisi priùs coquatur cum malo cydonio, aut detur cum myrobal.

Rhabarb. anima hepatis.

Splenitica, quæ artam bilem purgant, qualis humor in splene colligitur inde extrahitur.

Ventriculo conueniunt detergentia humores, citra ventriculi subuersionem, & laxationem, propter addita odorata, & ea præsertim, quæ pituitam detergunt, quæ in eo propter cruditates multa colligitur. Agaricus itaque maximè conueniet rhab. myrobal. & succus ros. ob astrictionem. Turbith verò, scammonium, & colocynthis sunt aduersissima, hiera picra, aloe, & quæcunque parantur ex odoratis & eccoproticis, apta sunt ventriculo, & intestinis. Syr. de absynthio si ex eo solo paretur siue succo cydoniorum, aptus erit ad bilis detersionem, & ventric. corroborationem. Vnde commodè exhibetur in fine tertianarum.

Pulmonibus verò & thoraci conueniunt fortiter pituitam purgantia medicamenta, indicatione sumpta à situ. Distant enim multùm ab intestinis, quòd ex Dioscoride colligere licet, qui asthmaticis absque pulmonum affectibus, quæ fortiter trahunt, maiori quantitate præscribit, ob loci fortè distantiam, & materiæ vacuandæ contumaciam.

Quæ medicamenta danda in morbis thoracis.

COmmendanda sunt itaque iure inter medicamenta composita laxantia, vt diaphenicum, indum maius, & alia quæ turbith, agaricum, & colocynthidem recipiunt,

piunt, & alia pituitosa, quæ neque myrobalanos, neque rhab. recipiunt, sed hoc in morbis sine inflammatione, in quibus aptiora sunt soluentia leniendo, quàm trahẽtia fortiter. Sufficiunt enim medicamenta lenientia ad euacuationem materiæ antecedentis quę est in ventric. intestinis, & primis venis. Quæ autem fundunt & agitant humores, maiorem defluxionem excitant, & nihil à parte inflammata euacuant, & impediunt expuitionem, in contrariam partem trahendo. Facta igitur missione sanguinis damus decoctum fructuum cum cassia, aut manna, in pleuritide, peripneumonia, & similibus. Quòd si fortè medicus vocetur incipiente defluxione, poterit rhab. supradictis admiscere. Rhab. sua purgatione, & astrictione defluxionem intercipit: idem efficit syru. ros. Quando autem materia iam parti impacta est, quæ spuitionem retinet, satius est eo abstinere, & eo tantùm in pleuritide biliosa est vtendum, vt in pituitosa agarico, & id cum præmeditatione faciendum.

Quæ in inflamatione adhibenda.

Quid faciendum incipiente fluxione.

De iuncturarum medicamentis.

AD iuncturas etiam quædam medicamenta referuntur, quæ arthritica dicuntur, aut quia à iuncturis pituitam trahunt, aut quia quibusdam additis pituitæ educendæ apta sunt. Ea autem sunt, quæ pituitam fortiter soluunt, qualia sunt quæ thoracis affectibus accommodantur, quia sine inflammatione, vel atrophia, vel sputo sanguinis sunt. Apta autem fient additis quibusdam, pituitam incidentibus, vt zinziberis hermodactyl. Behen albo, & rub. semine rutæ agrestis, sed sale gemmæ, radicibus pentaphyl. His autem tantùm vtendum est in morbis articularibus per decubitum humorum nõ per defluxionem factis, vel etiam per defluxum, si defluxio constiterit, & plenum corpus adhuc recrementis videatur. Nam tum illis vtendum est, quibus vsi sumus in inflammationibus thoracis, & ad capitis vel thoracis euacuationem vt agarico trochis. turbith, esula, aliísque pituitosis. Arthritica dicuntur, quia materiam, cùm fluit, euacuant, non eam quæ adhuc est in articulis. Illa enim topicis remediis excutienda est, vt quæ in aliis partibus non valdè remotis, vt in ventriculo. & intestinis collecta est, multò faciliùs euacuatur per vrinas & su-

dores. Arthritica medicamenta aut pleuritica affectibus vteri sine inflammatione conueniunt, & renibus, aliísque partibus valde remotis. Habent enim hæ partes meatus conuenientes, ad excrementorum vacuationem. In his enim sufficit materiam in corpore redundantem inspicere, eámque euacuare per partem in qua est, veluti per menses, eam quæ est in vtero, & vrinas, quæ in renibus, & vesica.

De potionibus.

POtio siue potus est medicamentum minùs liquidum, quàm syrupus, quia compositionem, & puluerum molem aliquorum medicamentorum recipit, vt laxantia, catholicum, diaphenicum, indum maius, & alia. Adhęc pulueres cordiales vt confectiones quę dissoluuntur in aqua, vel decocto aut syr. aliquo, vt gratior, & dulcior fiat potio. Fiunt ergo potiones laxantes, quibus vtimur pro minoratiuo, eradicatiuo post materiæ concoctionem. Cordiales ad virium corroborationem, spirituum restaurationem, conciliandum somnum, sedandum dolorem, frangendum calculum, ciendas vrinas, & menses, constringendum, siccandum, aut aduersus vim veneni, vt in peste, aliísque venenis, de quibus breuiter diximus, cùm de eorum materia in superioribus sumus loquuti. Forma igitur & proportio tantùm indicanda est. Fiunt autem ex decoctionibus, aquis, pulueribus, vel decoctionibus & pauco syrupo ad materiæ concoctæ eductionem vel aluum emolliendam.

Laxantes

Cordiales.

Fucus ad materiæ communis eductionem.

℞. Cath. ℥ ij. diss. in aquæ decoctionis hord. aut aquæ viol. ℥ iij. syru. viol. ℥ j fiat potio. Interdum verò syrupum ros. laxatiuum in maiore quantitate ponimus cùm magis laxare volumus.

Potio ad pituitam laxandam.

TAlis diaph. aut indum maius, aut minus recipit, aut syrup. capill. veneris aut mel. parum, vel si non sit morosus æger, nihil addimus, ne augendo molem imbecillius reddatur medicamentum, hócque modo fieri poterit.

℞. diaph. ℥ ß. diss. in pauca quantitate aquæ hyss. fiat potio. Minor hic quantitas vsurpatur, quia ad dissolutionem

tionem addere intendimus decoctionem pituitosam, aut syr. laxantem, aut indum maius, aut diacarth. aut de citro solutiuum.

Potiones ad melancholiam.

POtiones laxantes melanch. fiunt ex confectione hamech, diap. diasena solutiuo dissolutis in aqua fumar. bugloss. vel decoctione senæ, epithymi, mercur. vt

℞. polypod. querc. ℥. j. pass. ℥. ß. senæ orient. epithy. an. ʒ. ij. anis. ʒ. j flor. cord. p. j. fiat decoctio. In qr. j. dis. diap. ʒ. iij syr. ros. laxa. ℥ j misce, sumatur mane.

Fit autem decoctio, quando volumus vti medicamento minùs proprio, aut quãdo caremus proprio, aut quando magis conuenit propter caussam aliquam. Cùm verò confectione hamech vtimur, aquis sumus contenti, vel decoctione mercur. quia purgat satis eum humorem. *Quando vtendum.*

Potiones ad serosa excrementa.

AD serosos humores (vt in scabie) vtimur confectione hamech cum decocto purgante ichores humorum, de quibus supra, vt

℞. brass. marinæ M. j. pass. mundatarum ℥. j. anis. ʒ. j. fiat decoctio in iusculo (Alioqui brass. marina ventricul. & hepati noxam inferet) pulli vel galli, & in quar. j. diss. confect. hamech ʒ. iij. syrup. de fumaria ℥. j. misce & fiat potus.

De potionibus cordialibus.

POtiones cordiales fiunt ad virium imbecillitatem, quæ prouenit à magna euacuatione, aut spirituum dissipatione, profecta ab intemperie, aut alia. Ex pulueribus autem cordialibus alij calefaciunt, vt diamargar. calidum, diambra, diamosc. refrigerant diamargar. frigid. triasandal. Constringunt & superfluam euacuationem moderantur, diamargar. frigid. & triasandalum. In potionibus itaque cordialibus, quibus erit mediocriter constringendum, vsurpabuntur diamarg. frigid. & triasandalum: raro autẽ cùm aliquid per sputum euacuandum est, sed aliis potiùs, quæ nec fragmentorum lapidum preciosorum quantitatem recipiunt, nec astringentia vt aromatic. ross. diarrhodum abb. Confectio diamosci calefacit, vt dictum est (alij addunt & diairis.) Constringit electuarium de gemmis. In affectibus itaque *Calefac. refriger.* *In promouendo sputo his vtendum.*

Quibus vtendum in affectibus pulmonum.

pulmonum parua quantitas vsurpanda & admiscenda diatragacant. frigidum, & diairis. Confectio alchermes ad cordis confortationem valet, in quibus est constrictio non laxatio, veluti in quibus calor naturalis languidus est, & ferè extinctus ac humore melancholico perturbatus. Raro vtimur in fluxibus ventris & pauca quantitate, aut cum syr. de papauere vtemur, viribus debilibus existentibus.

Ad vires imbecillas in affectibus pulmonum.

℞. pul. diamarg. frig. ʒ. ß. diatrag. & diairis an. ʒ j. aquæ bugloss. & viol. vel capilli ven. an. ℥. ij. syru. viol. ℥. j. misce. Cor reficit, expectorationem iuuat, lenitque pectus. Nam syrup. viol. & aqua bugloss. asperitatem temperant, pulueres expectorationem iuuant. Cùm autem materia frigida est, & calor languidus, etiam datur confectio alchermes, sed temperata.

℞. confectionis alchermes ℈. j. diatrag. frigid. ʒ. j. aquæ viol. & bugloss. ana ℥. ß syrup. viol. ℥. j. misce, fiat potio, quæ corroborat, lenit, & expectorat.

Ad somnum prouocandum

SI verò prouocandus sit somnus in huiusmodi affectibus, additur syrup. de papauere in cordis affectibus, hoc modo.

℞. confect. alcherm. ʒ. ß. aquarum bugloss. borrag. an. ℥ j. syrupi conseruationis corticis citri ℥. ß. misce, aut syrupus de pomis redolentibus in affectibus æstuosis erit ex vsu Potiones cordiales ferè omnes cũ leui quadam astrictione sunt dandæ, præterquam in affectibus thoracis: in reliquis verò cum maiore vel minore astrictione, vt in fluxibus sanguinis à quacunque caussa factis, vel aliis fluxibus. Somnum conciliantes huiusmodi potiones fiunt ex humidis, frigidis, & effumantibus ad cerebrum. Ex humidis quandoque conciliatur somnus. Narcotica verò somnum non conciliant, imò potiùs stupidos reddunt: quibus tamen vtimur, cùm propter motiones immodicas corporis vires deiiciuntur, & quietem adhibere volumus, aut sensus communis ita ligatus, vt dolorem non sentiant, aut quando corporis motus somnum impedit. Somnum autem conciliantes fiunt sequenti modo.

Narcotica.

℞. aquæ

℞.aquæ viol. lactuc. ana ℥. iij. ſyr. viol. ℥. j. miſce, capiat ſerò. Hæc potio ſomnum conciliat, non ſtupefacit, & dari etiam poteſt iis, qui ſumpturi ſunt pharmacum, purgans poſtridie. Si verò ſyru. de papauere miſceatur, non item dari poteſt. Conciliant etiam ſomnum quæ ex lacte amygd. non cocto parantur, pauco croco aut iride additis, aut hoc modo.

℞. amygd. dulc. ℥. iij. contundantur & extrahatur lac cum pauca aqua fontana pluuiali, violariæ, vel lactucæ, in qua diſſ. ſacchari parum, croci ſcrupul. j. harum verò potionum vſus erit in debilibus, aut inflammatione aliqua laborantibus in parte interna thoracis. Abſtinendum verò, vbi dolor capitis grauedinem inducit, quia quædam recipiunt, à quibus eleuantur fumi ad caput. Ex nucibus & pineis ſimili modo parantur, præparatis fiunt huiuſmodi potiones, quibus vtendum eſt, vt diximus. *Quando abſtinendum.*

Potiones narcoticæ.

POtiones ſtupefactiuæ, quæ etſi quieſcere faciant, non tamen ſomnum inducunt, fiunt ex narcoticis, veluti ex ſyrupo de papauere nigro præſertim (minùs enim efficax eſt albo) Aut fiunt ex compoſitione, quæ dicitur requies, falsò Gal. aſcripta. Horum autem vſus eſt in pleuritide, in dolore articulorum vehemétiſſimo, aut capitis: non ita autem conueniunt doloribus internis, niſi in ſumma neceſſitate, ne videlicet retineatur materia in thorace, ventriculo, aut inteſtinis. Fiat autem hoc modo. *Quando vtendum narcoticis*

℞. ſyr. de papauere ℥ ij. aquæ nympheæ ℥. iij. fiat potio, detur hora ſomni.

℞. pul. requiei ʒ. j. diſſ. in aqua nympheæ, violarum & lactucæ, fiat potio, detur hora ſomni.

His potionibus adiunguntur pulueres cordiales, aut quia imbecillibus dandæ, aut quia veremur ne his ventriculus, hepar, aliæque partes naturales nimiùm refrigeratæ, debiliores reddantur, maximè quando frequentius iterandæ ſunt, veluti cùm cor confortare volumus & calfacere, confectionem alchermes addimus. Diamarg. frig. cùm corroborare quidem, nihil autem calfacere: diarrh. abb. vel aromatic. Roſ. ſi quando iuuandus *Pulueres cordiales.*

ventriculus, aut corroborandus, vt trisand. cùm iecur corroborandum. Vbi autem in fluxu ventris astringendum est, addimus diamargar. frigidum, aquam myrtillorum, vel prunorum syluestrium. Si in pectoris affectibus cogimus vti ob vigilias, addemus puluerem diatragac. frigidi, aut diaireos simpl. ℨ. ß. alij ℨ. j. Si ad sistendas fluxiones, dabitur cochleare vnum, aut duo, ídque noctis tantùm tempore, aut diacodium.

De Vomitum cientibus.

QVæ superiori parte ventriculi innatant, conuenit commodissimè per vomitum, nisi affectus pulmonum, aut constitutio corporis *pterigodeis* prohibeat, euacuari. Estque via breuior, ac maximè natura procliuis ad id, aut cùm nausea, vel cordis dolor, aut oris amaritudo adsunt. Fiunt autem ex laxantibus superius os ventric. vt oleis, & leuibus, cuiusmodi est agaricus, & conturbantibus ea, quæ in ventriculo sunt, vt est semen azari, radix eius, semen atriplicis, succus raphani vtriusque. Decoquuntur autem, aut in puluerem reducuntur, quibus admiscetur multa aqua tepida, vt & oleum, vt

℞. seminis atriplic. ℥. ß. decoquatur in aqua raphani, vel cum ℥ j. raphani, fiat decoctio cui addatur oleum, vel butyrum rancidum, vel parum fœtidum: fricetur ventriculi regio in circuitu. Deinde cibum capiat, & digito in os immisso prouocetur vomitus.

Aut ex azaro & semine genistæ fit, quæ duo ellebori modo vomitum prouocant decocta, aut contraria atque propinata ex aqua multa, & pauco oleo. Hæc dantur, quando cibus aut aliud quid faciliùs vomitione excludatur, vt vinum, & reliqua liquida. Cùm verò pituita lenta ventriculo adhærens euacuanda est, tunc incidentia & detergentia damus, vt in decoctione præcedente raphani radicem cum oxymelite, aut syr. acetos. simplici, & aqua tepida, vt

℞. rad. raphani ℥. j. azari ℨ. j. agarici ℈ j. fiat decoctio in oxymelite ad ℥. vj. sumatur manè, & retineatur aliquandiu in ventriculo, vt præparetur materia: postea moueat citò, & multū saliat, vel vehatur curru, aut nauicula si proximus sit stagno, mari, aut flumini, deinde digito in oleo fœtido immisso prouocetur vomitus. Incidenda

cidenda autem & detergēda est pituita, priusquam prouocetur vomitus. Vomitum etiam cientia danda sunt initio febr. quotidianæ, tertianæ non veræ, & quartanæ, vel his quę venena deuorant, præterquam his, qui ex esu fungorum periculo suffocationis laborant: Tunc enim ad partes inferiores sunt deturbandi: quod probatur eorum antipharmaco pigro agresti, & aliis astringētibus. Clysteribus igitur & medicamentis purgantibus deorsum deturbandi sunt, & os ventriculi claudendum astringentibus, vt malo cotoneo, piro syluestri. Qui difficultate respirandi laborant, aut sputo sanguinis, vel vlcere pulmonum vexantur, aut vertigine, aut suffusione, rarò ad vomitum ducere oportet. Quibus verò fluxus ventris est, aut vlcus aut articulorum dolor, vomitione auertendi in his sunt humores. *Quibus conferat vomitus & quibus non.*

De medicamentis siccis purgantibus, ac primùm de pilulis.

HActenus de differentiis purgantium medicamentorum in vniuersum: sequuntur nunc particularia, ex quorum numero sunt pilulæ. Ex medicamentorum siccorū numero sunt pilulæ & electuaria solida & pulueres. Hæc forma vtilior est, vbi medicamētum tardiùs operari volumus, aut vbi corpus humidum est. Easdem ob caussas fiunt pilulæ, tum etiam propter odorem, & saporem. Conficiuntur autem ex amaris, acribus, &, vt ex aloe, colocynthide, agarico, opopanace, ammoniaco, aliisque lachrymis, veluti pilulæ fœtidæ maiores, de euphorbio, de opopanace, sagapeno, & sarcocolla. Cæterùm differunt ratione partium, humorum operationis, & operandi modo. *Quomodò vtendum medicam. sicco.*

Pilulæ determinatæ partibus.

PArtium ratione sunt, quæ ad cerebrum, ad neruos referuntur, compositæ ex medicamentis pituitosis, aut è capite trahentibus, quales sunt pilulæ cochiæ, ex agarico, ex turbith, fœtidę, de opopanace, & aliis lachrymis, vt sarcocolla, euphorbio. Sunt & stomachicæ, quæ ad ventriculum referuntur, vt de hiera simpl. de aromatibus, ante cibum, sebellinæ, & aliæ multæ, quæ ex medicamentis stomachicis suprà enumeratis componuntur. Sunt & aliæ, quæ ad oculos pararunt antiqui, pi- *Ad cerebrum.* *Ad stoma* *Ad oculos*

lulæ lucis maiores & minores, eásque putarunt oculis conferre, quia medicamenta multa recipiunt, quæ apposita & intro assumpta ſiccando, aut detergendo oculos iuuant. Hæ autem veræ oculares ſunt, quæ ventricul. detergunt, ſi affectus per conſenſum ventriculi fiat, de hiera. Gal pilulę ſtomachicæ, ante cibum, de aromatibus. Si verò ſine conſenſu ventriculi, pilulæ euacuantes fortiter pituitam aptæ ſunt oculis, non quæ fœniculum, aut euphraſium recipiunt: illæ enim præferendæ in morbo facto per conſenſum, quæ nihil croci aut ſaltem paruam quantitatem recipiunt, vt myrrhæ, quæ caput replent, doloré capitis faciunt. Sunt & hepaticæ veluti pilulæ de rhab. vel quæ rhab. tantũ recipiũt.

Ad hepat.

Ad vterũ.

Ad vterum referuntur fœtidæ, & quæ neruis, & cerebro aptæ ſunt, ſi morbus frigidus, vel humidus ſit, vel retenti ſunt menſes, ob obructiones.

Ad articulos.

Sunt & artheticæ maiores & minores, vt pilulæ de hermodactyl. & ſimiles, quæ ex pituitoſis fiunt, quarum differentia duplex: quæ ex aſtringentibus, & modicè laxantibus parantur, illa in fluxu conueniunt. Altera eſt quæ ex fortiter trahentibus pituitoſis parantur, ſiue aſtringentibus, quales ſunt quæ ex lachrymis, colocynthide, turbith. & ſimilibus compoſitæ ſunt.

Pilulæ humoribus determinatæ.

HVmorum ratione pilulæ etiam diſtinguntur, quos ſcilicet euacuant Stomachicæ enim ſunt ferè omnes hæ, quæ ad recrementa bona euacuanda conueniunt, eccoproticæ dictæ. Billioſæ, quæ rhab. vel diagrid. pro maiori parte recipiunt. Pituitoſæ, quæ plus agarici, vel turbith, vel colocynthidis habent. Melãcholicæ verò indæ, de lapide lazuli, & omnes quæ veratrum, cianæum lapidem, vel armeniacum, ſenam, polypod. thymum, epithymum, cuſcutam, & alia ſimpliciter melancholicam purgantia, aut pituitam craſſam recipiunt.

Pilularum differentiæ ſecundum operationis rationem.

DIſtinguntur & pilulæ ſecundum operationis rationem. Aliæ enim laxant, aliæ aſtringunt, aliæ potius ſiſtunt, vt pilulæ de ſtyrace, pilulæ ad catarrhos, ex opio paratæ. Hæ ſiquidem omnes incraſſando defluxiones ſiſtunt. Aliæ conſtringunt & ſiccant, vt de bdellio,

quæ

quæ ex conchis venereis, etiam myrobal. parantur. Aliæ laxando astringunt, vt quæ ex rhab. & myrobal. tantùm conficiuntur. Purgant enim bilem & cõstringunt in dysenteria, & fluxu. Aliæ obstructionibus hepatis & lienis conueniunt, vt quæ ex pulueribus & trochiscis parantur. Aliæ laxant, vt quæ ex medicamentis laxantibus componuntur.

De differentia ab operandi modo.

OPerandi autem modo sic distinguuntur. Aliæ nanq; detergendo soluunt, vt stomachicæ, de hiera, & aliis amaris eccoproticis: aliæ constringendo, vt quæ ex myrob. componuntur. Aliæ attrahendo, vt quæ ex agarico & aliis leuiter attrahentibus fiunt. Aliæ fortiter trahendo cum magna perturbatione, vt quæ ex turbith. Aliæ fortiter trahendo & fundendo, scilicet quæ ex lachrymis parantur, vt pilulæ de euphorbio, opopanace, fœtidæ, & sagapeno. Earum autem vsus est, quando humores sunt congelati, & minimè fluxiles, vt est pituita vitrea & mucilaginosa. Cõtra verò nunquam illis vtendum est, cùm humores tenues & fluxiles sunt, sed potius moderatè attrahentibus. Astringẽtibus autem, cùm aliquid à ventriculo vacuare volumus, aut intestinis, aut membro robur addere, vt lienteria, & ventriculi subuersione. Pilulis etiam stomachicis vtendum erit, cùm ventriculi duntaxat recrementa detergere volumus, & hæ, quæ ad ventriculi detersionem & inflammationem parantur, duabus horis ante cibum sumi possunt, vt & quæ constringendo euacuant. Reliquæ verò post primũ duntaxat somnum, facta priùs coctione, & non ante.

De pilularum materia.

PIlularum materia est Aloë, quia alio modo cõmodè sumi non posset propter insignem eius amarorem, & quia emplastica est: ob eius enim viscositatem in pilulas redigi potest & alia arida coniungere. Admiscentur autem omnia arida laxantia, vt colocynthis, sena, turbith, agaricus, rhabar. myrob. omnes, & quæ ea medicamenta castigant, vt mucilago trag. propter colocynthidem, caro cydoniorum, rosæ, propter scammonium. Ingrediuntur etiam, quæ medicamentorum actiones iuuant siue laxando, siue attenuando, siue fun-

dendo, vt zinziber pituitosis additur, quia pituitam incidit, & attenuat sine magna resiccatione. Iungitur autem agaricus & turbith, non autem colocynth. quia illa nimis tenuis est, & intestina exulcerat. Quare incrassantia potiùs desiderat, quàm incidentia, & attenuantia. Rhab. spicam, vel cinamomum addimus, cùm eius astrictionem in obstructione pertimescimus. Sin verò laxandum sit, & constringendum, est nobis prætermittẽda, & potiùs deligendi myrobal. & mastich. Hæc enim constringendi, & resiccandi vim possunt augere. Adduntur etiam lachrymæ, & quæ detergunt, & molliunt, vt bdellium, & myrrha. Aut quæ fundendo soluunt, vt opopanax, euphorb. sarcocolla, sagapenum. Aut quę calfaciendo tantùm soluunt: aut incidendo & attenuando, vt semen apij, fœniculi, seseli, cinam. spica, carpesium, azarum, pulpa tamarindorum & sebesten.

Pilulæ pro biliosis, & ardori vrinæ obnoxiis.

PIlulis eiusmodi affectibus quæ conueniunt, adduntur pulpa tamarindorum, & sebesten. Fiunt autem hoc modo. Primùm enim materiam consideramus, quam euacuare volumus, & à qua parte, fortiter ne an moderatè. Nam si materia in ventriculo collecta sit, euacuanda eccoproticis, vel detergentibus tantùm. Parantur pilulæ, & ex aloe sola.

Ad pituitam in ventriculo.

SI pituita, additur cinamomum, azarum, spica, carpobalsamum, ad incisionem materiæ, myrrha ad detersionem, crocus ad coctionem. Ex his omnibus paratæ sunt pilulę de hiera, de aromatib. sebelinæ, & quę ante cibũ dicũtur. In his autem proportio seruãda est. Nã quò plura incidentia aromata, & quo maiore adduntur quantitate, eò magis minuitur quãtitas laxantium. Pauca igitur quantitate talia vsurpanda. Multò enim satius est, medicamẽta esse efficaciora & moderata, quàm maiori quantitate, & minùs efficacia. Hanc ob causam pilulæ lucis maiores, & aliæ multæ vituperantur. Tales enim pilulæ hebetantur multitudine medicamentorũ, ad quorum medicamentorum accelerationem diagridium quidam addiderunt. Satius tamen fuisset quædã prætermisisse, quàm diagridium, aut cinamomũ, aut colocyn-

thidem in pilulas recipe, fient autem hoc modo.

℞. aloes nõ lotæ (si magis purgare volumus) ℥ j. myrrhæ ℈ j. cinamomi azari, spicæ an ℈. vj. formentur pilulę v. pro ʒ. hæ pilulæ magnam quãtitatem aloes recipiunt, quoniam hæc sola laxat. Deinde plus myrrhæ additum est, quàm aliorum, quia quæ detergunt, quodam modo laxant: maiori itaque quantitate ponenda. Si verò alicui tenuis quędam humiditas sit in ventriculo, exiccanda, & ventriculus corroborandus, minorem quãtitatem aloes sumemus, & roborantium & rẽsiccantium maiorẽ quantitatem, sic. *Aloes non lota.*

Ad roborandum & siccandum ventriculum.

℞. aloes lotæ ß. cinamomi, scœnanth. spicæ nardi celticæ, carpobalsami ana ℈. ß. Cum vino formentur pilulæ sex vel septem. Tales autem pilulæ nõ recipiunt myrrham: Quòd si quis eam addere velit, minori quantitate addat, vt de aloe dictum est. Crocum prætermisimus, addi tamen poterit, vbi coctio ventriculi iuuanda, & in his, quibus non fit effumatio ad cerebrum à ventriculo, vt in suffusionibus, capitis doloribus, & vertigine: Tunc enim myrrha & crocus, ex Galeni sententia, prætermittenda: quia capitis dolorem inducunt. Interdum quoque aloe prætermittitur ob hæmorrhoidas, vel abluitur, quia ventriculus siccandus, & roborandus magis, quàm humor euacuandus, sed eius loco vel pulpa tamarindorum, vel terebinthina, aut ex syru. aliquis additur, aut mel ad conformationem, vel bdellium, si verum reperiatur, non myrrha, vt pharmacopolæ etiam nunc faciunt in pilulis de bdellio. Quod etiam in declinatione febrium squallidarum obseruamus, in quibus interdum pilulæ parantur ex addito succo absynthij, aut apij, aut succo smirnij pro myrrha. Hi namque succi obstructiones tollunt, & detergunt sine magna calfactione, non sine minori resiccatione, & partes internas roborant. Ex his pilulis fiunt aliæ pilulæ addito agarico, quando est obstructio, aut euacuanda pituita, aut addito rhab. vel succo rosf. vel syrup. rosf. laxatiuo. Si morbus sine obstructione sit biliosus, aut cum ventriculi relaxatione, magis euacuabimus, si illis scammonij, vel diagridij vocati aliquid addiderimus. Diagridium enim in biliosis *Quæ offendũt caput.*

Scammonium. quia minùs est tenuium partium, ob præparationem factam in malo cydonio: scammonium vero in pituitosis, & his quibus est obstructionum suspicio, quia magis tenue, & calidius hoc modo.

Pilulæ vehementer laxantes pro pituitosis.

℞. ex pilulis priùs ordinatis ʒ. agarici & mastichis ana ℈. j. scammonij gran. 3. vel 4. vel 5. vel 6. pro ægrotantis natura.

Pilulæ pro biliosis.

℞. puluer. de aloe lota in aqua endiuiæ ℈. j. rhab. ℈. 2. diag. gra. 2. vel 3. formentur pilulæ cum syr. rof. laxatiuo. Harum pilularum differentia animaduertenda. Superioribus enim descriptionem primam vsurpamus, in qua est aloe non lota, quando est suspicio obstructionis, quæ magis soluit, & scammonium pro diagridio accepimus. In altera verò descriptione aloem lotam, ne tam calfaceret, elegimus, & eius ℈. j. tantùm, quia maiorem incidentium quantitatem acceperunt hæ pilulæ. Rhabarb. autem ℈. 2. in addito syrup. laxat. rosa. siue diagrid. dari possunt, quibus ventriculus est malè affectus, aut cum tempus anni, virium imbecillitas, ventris lubricitas non permittit.

Ad bilem synceram in febribus.

FIunt pilulę ad bilem synceram, vel cùm febrem excitauit, & hoc in declinatione tantùm, aut cùm venter est admodum lubricus. In febribus enim medicamenta dura & sicca non conueniunt, sed quum æger alia forma medicamenta assumere non potest, cogimur vti pilulis, quales sunt à Mesue ad omnes febres descriptæ.

Pilulæ ad omnes febres.

℞. rhab. electi ʒ. ß. cinamom. spicæ ana gran. 6. tamarindorum ℈. j. succi apij ℈. ß. (quia minùs calefacit & astringit minùs quàm absynthium.) Temperetur rhabarb. cum spica & cinamomo in succo rosa. & cum eodem succo, aut syru. rof. laxa. for. pilulæ. Quoniam verò pilulæ istæ magnam molem habent, optimum est diagrid. gran. 2. pro 3. addere, infundendo vnà cum aliis prædictis, si æger liberam non habeat aluum, nec ferre possit, priùs iniiciendus est clyst. & assumptis pilu. imperandum vt bibat ℥. j. vel ℥. ij. syrup. viol. cum pauca quan-

titate

titate aquæ viol. vel bugloss. vt copia illa humoris temperet siccitatem medicam, & lenitatem his addat.

Forma alia pilularum ad biliosos.

FIunt etiam pilulæ alio modo, nempe ex electuario de succo rosaceo, vel myrobal. & scammon. Tales autem pilulæ adeò siccæ & astringentes, quæ ex myrob. formantur, in febribus non dabuntur. In morbis autem biliosis, qui sine obstructione sunt, vt in doloribus capitis à bile, & in morbis articularibus dabuntur, sine diagridio quidem in affectu qui sit cum defluxione, aut cum alui laxitate: cum diagridio autem pauco, vt acceleretur tarda aliorum euacuatio, in aliis morbis biliosis. Cæterùm ne videamur facere aduersus Galeni præceptum, quo docet celeriter purgantia non esse admiscenda tardè purgantibus, animaduertendum est diagridium accelerare aliorum tardam operationem, & non purgare, nisi ponatur in ea quantitate, qua possit mouere corpus, & purgare. Si autem admisceatur tardè purgantibus, nec diu maneat permixtũ, difficilem omnino faciet purgationem. Nam cùm in pilulis vel aliis compositionibus permiscetur myrobal. vel rhabar. eius celeritas illorum tarditate temperatur, quemadmodum tarditas illorũ, illius celeritate. Pilulæ denique ad bilis purgationem minùs frequenter dandæ sunt, sed potiùs dantur forma humidioris medicamenti.

Pilulæ ad pituitæ euacuationem.

DVæ pilularum differentiæ ad hoc negotium conficiuntur. Aut enim tenuis pituita euacuanda est, quæ fit in ventriculi intestinis, ad quam euacuandam fiunt pilulæ ex agarico, multis detergentibus, & paucis incidentibus additis ad tenuem pituitam.

℞. pilul. de hiera simplic. ℈. j. agar. ℈. ij. cum vino formentur pilulæ 7. Aut pituita crassior, & magis distans euacuanda, veluti quæ est in pulmonibus, cerebro, iuncturis siue articulis. In hac autem euacuanda agaricum trochiscatum, & in vino albo infusum, cui adiunctum sit zinzib. aut sal gemmæ, aut turbith, aut colocynth. aut trochisci alandal. sumentúrque hoc modo.

℞. pul. hieræ picræ ℈. j. agarici trochiscati ℈. ij. cum oxymelite formentur pilulæ 5. vel 6.

℞.agarici, turbith.ana ℥.ij. zinzib. salis gemmæ ana ℈.j.cinamomi, spicæ,myrrhæ, mastich.ana gra.6. cum oxymelite vel terebinth. formentur pilulæ.

Ex terebinthina verò conficiuntur pilulæ, quando affectus est in parte neruosa, aut in pulmonibus, aut in cerebro, aut cùm materia fundenda est. Ex oxymelite autem, cùm crassior est,& non fundenda,sed incidenda, & attenuanda.

Pilulæ ad fluxionē.

Fiunt & aliæ pilulæ ad pituitam fluētem, addita mastiche, aut myrobal. chebul. medicamentis phlegmag. Astrictionem enim quandam relinquunt post euacuationem,neque sinunt humores in alias partes defluere, quibus maximè vtendum in catarrhis & morbo articulari, aliísque morbis per defluxionem factis, vt in fluxu ventris,& cerebri hoc modo.

℞.agarici ℥.I myrob.cheb.℈.I.mastic.℈.ß.formentur pilul.7.cum melle ros.

In huiusmodi pilulis neque incidentia adduntur,neque multùm detergentia,quia defluxionem mouent. Si quis fortè velit odorata addere, sumat ea,quæ astrictionē quandam habent, veluti cinam. spicam nardi, pauca tamen quantitate. Agaricum autem trochiscatum non accipimus, quia materia, quæ educenda est,cùm sit tenuis & fluat,incidenda non est.

Agaric. nō trochiscatus.

Conficiuntur etiam pilulæ ad pituitæ crassæ euacuationem,additis pilulis de opopanace, sagapeno,aliísque multis, in quibus astringentia non conueniunt,nisi ea, quæ contrarias habent facultates, vt mastiche, quæ emollit,& astringit simul.

Pilulæ ad melancholiæ purgationem.

AD melancholiæ purgationem parantur pilulæ de lapide cianeo,& hæ quæ vulgò de lapide lazuli dicuntur. Istæ enim pilulæ & reliquæ aliæ, quæ magna ex parte componuntur ex melanagogis, purgant melancholiam. Verùm cùm sit humor terreus,& siccus non facilè fluit, maiore igitur difficultate trahitur à medicamento sicco. Satius itaque fuerit vti potionibus,aliísque humidioribus confectionibus. Præterea purgantia melancholiam crassarum sunt partium, nec facilè in pilulas reducuntur. Adde quòd ventriculum lædūt, vt lapis

Quibus purgatur melancholia.

Cianeus,

Cianeus, polypod. sena, thymus, epithymum, fumaria. Ne quis autem destituatur pilulis ad id determinatis, vtatur Indicis, fœtidis, de lap. lazuli.

Pilula ad serosa recrementa.

AD serosa recrementa vacuanda vsi sunt antiqui etiam pilulis de mezereo, quibus tamen non esse vtendum alio loco diximus. Ea siquidem medicamenta magna ex parte calidissima sunt, deinde remorando in corpore ipsum calfaciunt nimiùm. Huc accedit quòd illis pilul. sine ratione admiscent astringẽtia, cùm potiùs dulcia aut pinguia admiscenda forent. Hæc enim vim acrem meserei obtundunt, & lubricant: astringentia verò retundũt, & retinẽt. Satius itaque fuerit, vt diximus, vti syrupis, vel pilulas phlegmagogas conformare cum succo brassicæ marinæ, aut thymeleæ, aut similium.

Pilula ad Vrinas prouocandas & obstructiones aperiendas.

AD vrinas prouocandas, & obstructiones aperiendas parantur pilulæ, cùm æger medicamẽta necessaria ob fœtorem, aut ingratum saporem deuorare non potest. Veluti si quis ad hepatis, & lienis obstructiones aperiẽdas trochiscis de eupator. de rhab. aut de absynth. in formam opiatæ reductis, quia masticandi sunt, sumere non possit, imperamus tales trochiscos tenuissimè teri, & cum syrupo aliquo aut succo cuiusdam herbæ, aut oxymelite formari in pilulas.

Ad hepatis obstructionem, & aliarum partium.

℞. trochiscorum de absynthio ʒ. j. succi apij, vel syrup. de bizan. q. s. formentur pilulę paruę numero x. pro ʒ. j. dentur manè superbibendo parùm vini albi modice diluti ℥. iij. aquæ gramin. asparag. endiuiæ, capil. veneris.

Tales autem pilulæ forma minima & mole debent fieri, vt citissimè diluantur, obstructionésque tollant. Quò autem faciliùs, & citiùs venas subeant, vinum album, aut aqua, aut syrupus aliquis erit propinandus. Vel si quis velit obstructiones splenis, aut scirrhum minuere, hoc modo imperabit. *Ad obstructiones lienis aut scirrhum.*

℞. trochiscorum de cappar. vel de myrrh. ʒ. j. cum syr. acet. vel oxymelite formentur pilulæ x. pro ʒ. & plures

si fieri possint, quas capiat cum syr. acetos. ex cochleari, deinde bibat aquas gramin. & portulacæ ana ℥. ij. cum ℥. ij. syr. acet. simpl. vel oxymelite.

Iisdem ferè medicamentis, & eodem modo vtendum in prouocantibus vrinam, & menses. Trochisci enim de myrrha, & menses mouent, & obstructiones aperiunt, & fœtus mortuos expellunt, & secundinas, maximè si superbibant aquam graminis, & portulacæ, & liquidum aliquod medicamentum. Quòd si tales trochisci in officinis parati non reperirentur, parentur ad obstructiones hepatis, primum obseruatis his, quæ diximus in cap. de syr. secundum astringentia quædam admiscenda esse, & bilem purgantia cum astrictione, vel trochiscos de rhab. qui ad hepar referuntur hoc modo.

Ad hepar.

℞. succi absynth. depurati, & exiccati ʒ. j. spicæ nardi & scœnanti ʒ. ß. seminum apij & petros. ana ℈. j. puluerisentur subtilissimè, & cum pauco syr. endiuiæ fiant pilulæ paruæ, quibus aliquando addimus rhab. ʒ j. quia sua astrictione hepatis dissolutionem prohibet, & bilis aliquid educit.

Pro splene fortiores pilulæ.

℞. myrrhæ, asari, aristol. vtriusque, semin. cappar. aut florum ana ʒ. j. spicæ nardi, scœnanti ana ʒ. ß. apij, petros. agni casti ana ʒ. ß. cum syr. acet. aut oxymelite, fiant pilulæ paruæ.

Ad mouendas vrinas.

Pilulæ ad mouendas vrinas ex iisdem parantur. Nam quæ splenis obstructiones tollunt, quia acria sunt, vrinas etiam mouent, vt asarum, quando in tenuissimas partes reducitur, alioqui vomitum excitat, spica celtica, & alia permulta. Quæ verò ad lienem minuendum ex limatura chalybis fiunt, ad mouendas vrinas vsurpari non debent. Nimiùm enim exiccant, & astringunt, sed ea duntaxat, quæ superiùs diximus. Cæterùm ex sequentibus efficaciora parantur.

℞. carabæ ʒ j. gummi prunorum vel cerasorum, azari, seseli ana ℈. j. sem. apij, petros. spicæ celticæ ana ℈. ß. cum succo apij vel brass. mari. fiant pilulæ, quæ sumantur ventriculo purgato, & oxymelite superbibito, cum

aqua graminis,asparag.& apij.

Si quis in calculo minuendo vti velit pilulis, his adiungat semen paliuri, ocram, lapidem iudaicum, lapidem spongiæ, cinerem capitis muris,lumbricorum,scorpionum, & astragali leporis. Ea enim efficacissima sunt ad comminuendos calculos tam vesicæ, quàm renum hoc modo.

Ad renum & vesicæ calculum.

℞.pilularum postremò præscriptarum ʒ. ß. ocræ,seminis paliuri an. ʒ.j. cineris scorpionum,vel aliorum supra enumeratorum ℈.j reducantur in formam pilularum cum oxymelite, si calculus retineatur in poris vrinariis à pituita lenta. Sin adhuc sit in renibus, cum aceto, succo limonum, citri, vel malorum acerborum, vel cum succo hyperici, & superbibatur vinum dilutum aqua graminis, asparagi, vel saxifrag. aut decoctum fœniculi marini recentis, vel conditi cum aceto. Sin autem calculus vrinam retineat, tunc maior quantitas vrinas prouocantium addetur, si non retineat,minor. Hæc medicamenta excipiuntur interdũ terebinthina, quando scilicet vrina retinetur à frigidis humoribus. Calfacit enim & fundit humores. Interdum lenta quædam adduntur, vt semina mal. bismal. fœnugr. vellini, cùm scilicet timemus ne exulceratio in renibus fiat, aut vesica, ab asperitate, & acrimonia eorum medicamentorum. Adduntur præterea quatuor semina frigida maiora minutim incisa, cùm vrinam prouocare volumus, aut caliditatem aliorum medicamentorum minuere, & temperare,veluti semen alchecangi, opium, & alia narcotica veteres addere solebant in doloribus mitigandis, quod etiam interdum nunc fieri necesse est, vt cùm vehemens dolor ægrum cruciat. Permisceatur autem diu opium, si eo statim sit vtendum, dissoluatur in vino maluatico calido, & cum castoreo, myrrha, styrace diligentissimè permiscebitur hoc modo. *Castigantia opium.*

Ad dolorem calculi mitigandum.

℞. opij ℈.j.styrac.croci, myrrh. castor. ana ℈. ß. Incorporentur simul cum vino maluatico, & pistillo calido, in mortario calido diu permisceantur. His deinde addatur ʒ.j.pilul. postremò præscriptarum.

Ad vlcera renum & vesicæ.

IN vlceribus harum partium fiunt pilulæ, tum ex his, tum ex consolidantibus, & exiccantibus. Non enim possunt medicamenta astringentia integris viribus eò peruenire, nisi admisceantur, quæ tenuitate partium ea ad eas partes deducant, vt

℞.gummi tragac.& arab.leuiter assatorum,coral.rub, sang. dracon.boli armeni præparati secundum artẽ ana ʒ.ß. mastich. Lapidis iudaici ana ℈.j seminis melonum, alchecangi ana ℈.ij. seminis bismal. ℈.j. cum succo caudæ equinæ, vel narcissi, quia neruos discissos curat, & partibus neruosis prodest, formẽtur pilulæ. Quòd si vlcus inferat magnum dolorem ob caliditatem, semen papaueris addimus. Sin doloris vehementia suadet, opij paucam quantitatem castigati addimus. Castigatur autem ad dolorem colicum, & nephriticum supradictis medicamentis, id est, multum calfacientibus & concoquentibus, vt euphorb. castor. croco, pipere. Ad dolorẽ vlceris myrrha, styrace,vel thure. Ea enim & opium castigant, & vlcus detergunt citra magnam calfactionem. Idem esto iudicium in arteriacis aut pilulis ad retinendos catarrhos tenues, & vlcera pulmonis, quæ fiunt ex leuiter detergentibus & incrassantibus hoc modo.

Quibus castigatur opium.

℞. Gummi tragac. & arabic. ana ʒ.j.amyli ʒ.ß. corti. thur. styrac.an. ℈.j myrrhæ, succi liquir. ana ℈.j.opij ℈. j.cum sapa excipiantur, & reducantur in formam pilularum ʒ.j. fiant pilulæ x. ex quibus sumantur duæ vel tres tempore somni longè à pastu.

Ad pulmonum vlcera.

SI ad pulmonum vlcera hæ pilulæ parantur, assari debent gummi, & addantur terra sigillata, bolus armena, sang. draconis,mastichem,corallum,aucta detergentium quantitate. Quòd si vlcus fuerit sine inflammatione,pilulis pro defluxione factis sine vlcere opiũ, & quæ minus detergunt maiore quantitate sunt ponenda, & loco sapæ excipiendæ sunt succo de papauere,vel syr.de iuiubis, quoniam incrassare magis oportet, & refrigerare. Idem fiet in vlcere pulmonum, vesicæ, renum cũ inflammatione facto. & hęc habuimus de pilulis dicenda. Nunc ergo sequitur, vt de pulueribus dicamus.

De pulueribus.

OMnia ferè medicamenta sicca in pulueres reducuntur, non vt in eadem forma omnes remaneāt, sed vt in trochiscos, electuaria, antidota, opiatas, & alias formas reducantur. In forma autem puluerum remanent, quæ ad calfaciendum, refrigerandum, exiccandum, non autem humectandum conueniunt. Illa enim forma apta non est ad humectandum cum sit actu sicca: quanquam nostri practici puluere resumptiuo, & puluere diatragac. ad humectandum corpus frequenter vtantur. Sed hi pulueres recentes dispensari debent, hísque recenter dispensatis vtendum, reducendíq; in opiatas, ne eorum humiditas citò euanescat. Commodissimè autem parantur pulueres ad constringendum, & laxandum ventriculum, hepar, & intestina corroboranda, oculorum vitia, dentes, & vlcera resiccanda, ad contusa, ad dolores sedandos, & sudores arcendos. Differunt itaque pulueres operatione, & partium respectu. Quidam enim sunt capitales, stomachici, hepatici, alij ad constringendum apti, alij ad concoquendum, alij ad chyli distributionē iuuandam. Alij flatus discutiunt, alij menses & vrinas mouent. Alij vlcera resiccant, carnem minuunt, cicatricem inducunt, aut dolores sedant, sed nos à capitalibus incipiamus. Primus itaque vsus capitalium puluerum fuit, ad vlcera capitis resiccanda. Eos verò Medici ad cerebri exiccationem, capitis dolores, & defluxiones deinde vsurparunt. Exiccatiuus autē paratur ex insigniter resiccantibus, additis quibusdam, quæ sunt tenuium partium, & quæ sunt odorata, præterquā in dolore capitis. Odorata enim capitis grauitatem inducunt. In summa horum puluerum materia herbæ capil. exiccatæ sunt, vt beton. meliss. origan. & huius generis herbæ calidæ & siccæ, & vtcunque odoratæ, vt flores rosmarini, rosarum, saluiæ, stechad. vtriusque, centaurij minoris, hyperici, & similium, cortices mali punici, citri sicci, macis, thur. cinamomi, pini cortex & fructus. Item myrtill. nux moscata, coriandrum, sandali omnes, myrrha, thus, sang. draconis aliíque succi vel lachrymæ, quæ in pulueres reduci possunt. Adduntur & metallica, vt antimoniū in vulneribus duræ menyngis, antispodium,

Differentia puluerum.

Capitales.

Ad capitis dolorē à caussa frigida.

tuthia, alumen. Communiter tamen ex his parantur pulueres, vt pul. ad sedandum capitis dolorem, & corroborandum à caussa frigida, vt

℞. coriandri, ros. ana ℥. ß. nucis moscatæ, macis gariop. santal. omnium, granorum tinctorum ana ʒ. ij. fiat pul. tenuissimus, vt alcohol. Hic pul. medius est, & communis quo vti possumus in statu doloris capitis, & cùm caput corroborare volumus.

Ad capitis dolorem à calore, & ad phrenitidem.

SAtius autem erit pulueres refrigerantes, calfacientes, & medios habere, vt ad refrigerationem capitis, & in vehementi capitis dolore à calore, & in phrenitide. Conficitur autem hoc modo.

℞. coriand. ʒ. ij. flor. nymph. ʒ. iij. viol. ros. ana ʒ. ij. semin. lact. & papaueris an. ʒ. j. coral. rub. ʒ. j. ß. sandal. rub ℈. ij fiat pul. tenuissimus, quo sinapisetur pars capitis anterior. Hic pul. recipit partem quandam santallorum, quia sunt quædam admiscenda magis tenuia, ad aliorum penetrationem, propter quam occasionem aliquando admiscemus parùm spicæ, scœnanthi, florum anthos vel stech. irrigamus cũ oxyrrhodino, deinde sinapisamus. Fiet frigidior pro caussa maxima, vt in phrenitide, si capita papauerum, pro eius semine, & parùm corticis mandragoræ addiderimus, quod fieri non debet nisi in summa necessitate, & additis quibusdam calidis, ad eorum correctionem hoc modo.

Ad phrenitidem vehementissimum.

℞. Florum viol. nymp. ana ℥. j. ros. ℥. ß. flor. camom. ʒ. ij. cap. papaueris, vel cortic. mandrag. ʒ. j. seminis papauer. albi ʒ. ij. semin. anis. aneth. granorum tinctorum ana ℈. j. fiat puluis. Hic ad mandrag. & cap. papauer. albi castigationem adduntur, non omnia quæ calefaciũt, sed quæ tantùm calfaciendo somnum possunt inducere, vt semen anisi, anethi, crocus, styrax, radix iridis. Nam hæc omnia replendo caput fumis somnum conciliant, & vtcunque discutiunt. Neque omnino est reiiciendum castoreum in phrenitidis, & lethargi declinatione, quia illa frigida emendat, & inflammationem cerebri discutit, teste Dioscoride.

Ad calfaciendum & discutiendum in caussa frigida, & lethargo.

℞. Nucis moscatæ, macis, galangæ ana ʒ. ij. gran. tinct. cinamomi ana ʒ. flor. stech. rosmar. camom. ana ʒ. j. ß. cortic. citri sicci ℈. j. scœnanthi, spicæ celticæ ana ℈. ß. fiat pul. tenuiss. quo vtimur in declinatione phrenitid. aut lethargi, aut in somno profundo, maximè si addatur castoreum vel costus.

Ad capitis dolorem à vaporibus ortum.

IN dolore autem capitis à fumis orto abstinendum est à nimium odoratis, sed primùm fieri debet puluis repellens ad prohibendum ne fumi recipiantur in caput: postea ad discutiendũ ex digerentibus, & resoluentibus. In incremento debemus ex his duobus mediũ conficere medicamentum vt partim digerat, partim discutiat, vt

℞. flor. nymph. ℥. ß. coralli rub. balaustiorum, fol. sumach. exiccatorum ana ʒ. iij. santal. rub. cortic. citri ana ʒ. j. fiat puluis, vt alcohol. Hæc sunt inodora, aut non admodum odorata, quibus etiam addi possunt semina frigida minora vt port. endiuiæ, capitum papauer. baccæ myrthi. Post inunctionem ex oxyrrhod. inspergi debent, aut cùm puluerisantur, irrorari pauco aceto, & aqua peculi ros. Pro augmẽto verò talis redditur augendo quantitatem citri, santali, & granorum tinctorum, aut addendo flores rosmar. qui non multùm redolẽt. Difficile autem est puluerem digerentem citra odoratorum admixtionem conficere. Ex his itaque minus redolentia & caput minùs ferientia, sunt eligenda. In declinatione verò minùs religiosè id est obseruandum, quòd caput iam fortius redditum sit, nec fumi facilè iam tum caput conscendunt, factis frictionibus, ligaturis, & aliis necessariis ad reuulsionem, vt

℞. cyperi ℥. ß. flor. anthos ℥. j. cortic. citri sicci, granorum tinctorũ, sandali albi, & rub. ana ʒ. ij. misce, fiat tenuissimus puluis. Alio modo potest parari puluis qui multùm discutiet, citra magnum odorem, nempe si quis sumat quæ descripta sunt ad discussionem. Vruntur omnia in furno vasi crudo imposita, donec in puluerem reducantur, vt fieri solent antispodio. Discutiunt insigniter, præsertim sale addito, hoc modo.

℞. cranij hominis ℔. j. cornu cerui ℥. iij. coralli rub. garyoph. macis, cinamomi, costi an. ʒ. iij. cyperi, scœnanthi, stechad. spicæ nardi ana ʒ. iij. Vratur omnia simul in furno vasi crudo imposita, id est, fictili crudo nouo, vt dictum est. Extinguantur vino & aceto, si in forma pilularum vti volueris. Sin lixiuium propter eandem parare volueris, nulla extinctione opus est. Imbecillius enim redderetur lixiuium, & his adiungi potest, sit parua tamē quantitate. Quia si magna addatur, pilis denudat caput. Eadem de caussa, nec auripigmento, nec sandaraca, nec calce vtimur, nisi quando vrere volumus, aut pilos auferre. Ad capitis autem vulnus potiùs conficiatur ex sarcoticis maximè hoc modo.

Ad vulnera capitis.

℞. Myrrhæ ʒ. ß. granorum tinctorum, cyperi, iridis, sarcocollæ an. ʒ. iij. misce, fiat pul. Non incommodè adduntur sandali, & resiccātia, vt antimonium, tuthia præparata. Nam vt cutis capitis dura est, & sicca, ita siccioribus remediis est resiccanda.

Ad vlcera capitis manantia.

AD talia vlcera fiunt etiam pulueres: quibus vtimur post capitis detersionem, & longam frictionem. Confici autem debet ex insigniter detergentibus & resiccantibus, sed quia minùs adhærent, commodum erit priùs inungi caput melle, ol. lucernarum, oleo iuniperi, aut oleo nucum hoc modo.

℞. cineris nucum antiquarum ℥. ß. fuliginis furni ℥. j. ß. sulphur. ℥. ij. aluminis (Alumen enim constringit partes sanas, ideo impedit dilatationem morbi) & calchitidis ana ʒ. iij. litharg ℥ j. ß. misce, fiat puluis. vtatur vt dixi.

Ad pediculos.

QVòd si copia pediculorum fuerit in capite, ita parabitur.

℞. seminis staphisag. ℥. ij. salis communis ℥. j. aloë ℥. ß. cinabaris, id est, cynabrij ʒ. ij. fiat pul. tenuissimus, quo sinapisetur caput. Sin hoc remedio non occidantur pediculi, addi poterit parum sublimati, aut argenti viui extincti in sulphure.

Pul-

Pulueres pro ventriculo.

SVpra pectus non solemus pulueres apponere, vt supra ventrem, aut ad ventriculum calfaciendum, aut constringẽdum vtimur, inunctione tamen priùs facta ex oleis conuenientibus. Efficaciores enim sunt pulueres inspersi, quàm in formam linimenti redacti, vel cerati, quoniam parantur ex odoratis, & odorata coctione exoluuntur, nisi in diplomate decoquantur. Primùm enim animaduertendum est supra ventriculum non addenda esse calida, sine aliqua astrictione, neque nimium calida. Calida enim medicamenta calorem imbecillium resoluunt, maximè ea, quæ sine astrictione calfaciunt. Pulueres autem calidiores, aut minùs calidi fieri possunt, pro ratione intemperiei, & spissitudinis partium hypogastrij. Nam qui obesi sunt, partes valde spissas habent. Quare oportet medicamentum & fortius & tenuius esse, quò facultas medicamenti ad partem affectam peruenire possit. Qui verò extenuato sunt corpore, pulueres minùs calidos, sed magis astringentes desiderant: quia impediunt dissipationem natiui caloris. Parantur autem ex odoratis, quæ quandam astrictionem coniunctam habent, vt cinamomo, spica, nuce moscata, garyoph. galanga, pipere longo, ladano, hypocistide ad calfaciendum. Ex constringentibus frigidis vt rosis, santalis, coriandro, corallo, balaustiis, & similibus ad refrigerandum.

Ad ventriculum calfaciendum.

℞. Galangæ, cyperi, garyoph. ana ʒ. ij. absynthij sicci, mentæ siccæ ana ℥. ß. misce, fiat pul.

Ad calfaciendum & constringendum.

QVòd si simul calfaciendum & cõstringendum fuerit, adduntur calidiora, vt piper longum, aut maior quantitas præcedentium ponitur, additis constringentibus frigidis. Magis enim astringunt, quàm calida.

℞. absynthij, cyperi, mastich. macis ana vnc. ß. coralli rub. balaustiorum, sumach. myrtill. ana ʒ. ij. piperis longi, cinamomi crassi, sanguinis draconis ana ʒ. ij. fiat puluis tenuissimus, quo sinapisetur venter, & stomachus, priùs facta inunctione cum oleo mastichino, aut lentiscino, aut cytoniorum, & pauco aceto, cùm

astringendum est, aut vino albo pauco, cùm tantùm calfaciendum.

Ad flatus discutiendos.

QVod si flatus discutiẽdi fuerint, puluere priori vtemur, additis quæ flatus discutiunt hoc modo.

℞. galang. maior. & minor. cinam. spicæ nard. scœnanth. ana ℥.iij. cymini, carui maceratorum in aceto, apij, petro. an. ℥.ij. seminis rutæ ℥.j. misce, fiat pul. quo inspergatur venter melle perunctus & pauco vino, aut exceptus stercore bubulo, applicetur supra ventric. Animaduertendũ tamen est, ista discutientia adhibẽda esse circa vmbilicum parte inferiori, tum quia magis flatus redundant ea in parte, tum quia nimis odorata sunt, minúsque astringentia, quas ob caussas os ventric. contingere non debent.

Puluis pro ore Ventriculi.

FIunt pulueres ad calfaciendum, refrigerandum, exsiccandum, & astringendum os ventriculi superna parte, aut inferiore. Ad calfaciendum autem & exiccandum multi in officinis parati reperiuntur, nẽpe pulueres aromatici ros. diagalangæ, rosatæ nouellæ. Ad refrigerandum verò vtimur pulueris triasandali, diatrag. frigidi, & aliorum.

Ad constringendum os superius Ventriculi.

IN affectibus cereb. per consensum ventriculi; & in vomitu facto à nimia relaxatione ventriculi. Conficiuntur autem ex cõstringentibus & prohibentibus fumos, qui nullo odore, vel sapore malo præditi sunt, vt

℞. coriand. ℥. ij. coralli rub. vsti & loti (si nimia sit ventriculi humiditas) ℥. ß. anis. ℥. ij. ros. rub. cortic. citri sicci, carn. cydoniorum, vel sorborum, vel pyr. agrest. & exiccatorum, aut dul. diacytonitæ ana ℥. j. sacchari ros. tab. q. s. misc. fiat pul. Quòd si cum illa astrictione calfacere etiam oporteat, cinamomi non tenuioris, sed crassioris (quod magis constringit, & tentat caput minùs) ℥. j. addimus. Et quia hic puluis ad fumos conficitur, magnam ideo coriandri quantitatem, & carnis sorborum, cydoniorum, aut aliorum fructuum astringẽtium, paruam verò cinamomi, aut aliorum calidorum caput tentantium addimus.

Ad vomitum & ventris fluxum.

SI autem constringendum sit os ventriculi, ne vomitus fiat, paretur ex odoratis, & cōstringentibus, neque permiscebuntur euaporationes ad cerebrum.

℞.carnis cydoniorum exiccatarum ℥.j.corall.rub. ℥.ß.corticis citri sicci, seminis vuarum, vel florum labruscæ ana ʒ.ij.cinamomi crassi ʒ.j.ß.alias ℥.j sacchari rof. tab.q.s.fiat pul. ad fluxum ventris, si sumatur per dimidiam horam ante pastum. Si verò ad vomitum, post cibum, neque superbibi debet quidquam, neque in cibo liquido sumendus est puluis.

Ad iuuandam coctionem, & flatus discutiendos.

PVl. ad iuuandam coctionem, & flatus discutiendos paratur sic.

℞.anis.conditi ℥.ij.galang. cinamomi crass.ana ʒ.iij. piperis longi ℈.ß.cortic.citri sicci ʒ.j.sacchari solidi ad pondus omnium, fiat pul. qui sumi possit interdum ante, interdum post cibum, frequentiùs tamen ante, quàm post. Oportet enim ventriculum priùs calefieri, quàm alimenta iniiciantur, & calorem oportet esse in fundo, non in parte superiore. Idem vtilis est ad *anadosin*, sed illum dari oportet post primam concoctionem, ne cibum adhuc crudum, in venas, & in vniuersum corporis habitum deducat. Vt autem efficacior sit, & verè digestiuus, augēda est quantitas cinamomi tenuioris, & piperis: quoniam illa suo calore, & tenuitate partiū alimenti distributionem perficiūt. Quòd si eo tempore detur, ratione Galeni de tuenda sanitate, nullius erit pōderis. Eo enim loco vsum calidorū vituperat à cibo, propterea quòd cibum adhuc crudū citò distribuunt. Non poterit autem crudum cibum distribuere, si post perfectam ventriculi concoctionem detur hic pul. vt imperamus. Ipse tamen alio in loco diacalamiten & diatrium pipereum à cibo dedit, & forsitan eo modo, quo nos docuimus esse dandum. Non vitupero vsum elect. diagalangæ, aut arom. ros. aut similium, modò augeant ea, quæ magis accommodata sunt ad id, quod volumus facere. Verbigratia, si constringere volumus, corall. ros. diacytoniten, & alia huiusmodi addimus: Sin flatus discutiendi, anisum. Hoc autem notandum est, nimiùm odo-

Vsum calidorū à cibo vituperat Gal.

rata non conuenire affectibus capitis, factis à fumis. Satius itaque fuerit ex minùs odoratis parari pulueres & ab his abstinere, quæ moscum, ambram, crocum, & alia quæ caput tentant, recipiunt. Cæterum ego eos improbo, qui liquiritiam addere solēt: etiamsi *adipheys*, id est, sitim sedās sit, etsi aliàs aliquid astrictionis habeat. Dulcia enim os ventriculi relaxant, & flatus gignūt. Eos etiam improbo, qui nucem moscatam, & macem addunt, cùm oleosa sit, ac omnia huiusmodi ventriculū subuertant. Non abs re etiam additur semen fœniculi, & seseli, pulueribus flatus discutientibus, & digestiuis, vt ocularibus, quia tenuāt spiritus visorios. Cumino autem, carne, & semine rutæ parcè est vtendum, ob eorū saporem ingratum, & nimiam acrimoniam. Macerentur in aceto si ad digestionem cibi pulueres parētur. Sunt, qui nō verentur folia senæ pulueribus his addere, suámque opinionē stabiliunt authoritate Mesuæ senā oculis conuenire dicentis, quomodocunque adhibita sit. Non animaduertūt senam laxare, flatus generare, & ventris perturbationem. Nullo igitur modo conuenit his pulueribus stomachicis non laxatiuis. Sunt, qui euphras. & betonic. folia addunt: quod fieri potest, si pauca quantitate addantur, ne amaritudo medicamentum ingratius reddat.

Hæc à cibo improbantur.

Ad hydropem & cachexiam.

IN hydrope, cachexia & intemperatura frigida, & humida viscerum parantur optimi pulueres ex intestinis gallinæ, vel lupi, quia hæc animalia insignem habēt facultatem coctricem, additis quibusdam odoratis hoc modo.

℞. Intestinorum gallinæ cum interna ventriculi tunica, à carne separata & in vino albo abluta ℔. j. Vrātur in furno, deinde vino albo, & aqua absynth. extinguantur, & pro qualibet ℥. ponatur ʒ. j. galang. aut cinamo. aut singulorum ʒ. ß. vel ʒ. j. vel ℥. ß. sacc. ros. ℥. j. misce, fiat pul. Conficitur etiam ex spongia eodem modo vsta. Dabitur manè ante pastum, vt ventriculum exiccet.

Ad lateris dolorem.

AD id parantur pulueres ex priapo tauri, cùm defluxio

fluxio cessauit. Nam sic digerit humorem. Idem potest rasura dentis apri sumpta ex vino,&aqua cardui benedicti. Dabitur autem postea quàm confluxit humor. Materiam enim exiccando curat inflammationem.

Ad morsum canum rabidorum.

Fiebat etiam ex cancris fluuiatilibus, & gentiana puluis ad morsuram canum rabidorum, qui etiam fieri potest ex cancro marino,vel stagni marini.

Ad pulmonum vlcera.

AD id fiunt pulueres ex supradictis, additis terra sigillita,bolo armena,gummi tragac.& arabici,assis, vt,

℞.ciner.cancrorum,priapi tauri lotorum in aqua rof. an.ʒ.ij.boli arm.terræ sigill.gummi tragac.& arab.an.ʒ. j.seminis papa.albi, & quatuor semin.frigid.maior.incisorum an.℈.j.lyquir.raf.℈.ij.sacchari rof.tabul.ad pondus omnium, penidiarum ℥.j. misce, fiat puluis, capiat cum lacte asinæ, aut capræ, aut vaccæ, amota pingui aut butyrosa parte, vel chalybeato. Non multum intererit, etiamsi penidias prætermittamus.

Ad morbum articularem & capitis morbos à nimia humiditate.

℞.Cranij ℥.iiij.cineris cucul.& hirund.an.℥.ij.cineris priapi tauri vel castor.℥.ß.Verùm quia malè olet,auferri potest galãgæ crassæ ʒ.ß.sacchari q.ß.misce,fiat puluis. Detur manè superbibendo parùm vini albi diluti aqua betonicæ,vel callitrici.

Ad membrorum contusiones.

FIunt pulueres ad membrorum contusiones ex astringentibus in principio ad fluxum inhibendum. Quare non solùm in parte contusa, sed etiam in partibus vicinis inspergendi sunt tales pulueres præcedente inunctione olei astringẽtis,vt rof.myrtil. cotoneorum. Nam non solùm rof. sed etiam reliqua olea constringentia conueniunt, etiamsi vulgus solo rof.vtatur Possunt etiam retineri pulueres, si albumen oui fortiter agitatum supra partem adhibeatur, atq; hoc pro certissimo theoremate habendum est, nunquam puluerem aliquem aspergendum supra partem aliquam,nisi præcedente in- *Olea astringẽtia.*

unctione,aut perfusione alicuius humoris viscidi,vt retineatur,nisi in capite,vbi pili puluerem conspersum satis retinent, aut cum pul. bombace, aut lana excipiatur, & supra partem adhibeatur,bombace quidem,aut lana excipiatur, cùm refrigerare aut repellere volumus. Lana autem sordida cùm attrahere, & digerere, purgata verò & lota,cùm modicè calfacere volumus. Malè autem inungimus partes inflatas, & à flatibus relaxatas, vt in hydrope, œdemate, & aliis similibus dispositionibus. Redeamus ad contusa. Puluis igitur ad contusionem fit ex sem.myrtill. rof.siccis, aut rhab. aut capsulis glandium, aut gallis aut balaustiis, citrinis aliisque astringentibus, vt radice bistortæ.

Quibus excipiuntur pulueres.

Materia.

Ad ossa exscammanda.

AD ossa exscammanda, & extrahenda dum corrupta sunt,aut post vstionem fiunt pulueres ex sarcoticis vt myrrha,panace,thure,additis quibusdā, quæ sua proprietate existimantur trahere ossa,veluti radix cannarū, quæ aculeos,& festucas extrahit. Addunt etiam nōnulli pini corticem,sed fine delectu, & ratione. Nam hic puluis interdum quidem vtilis est, & efficax, vt in ossibus, quæ constant substantia rara,aut duabus tabellis,vt chirurgi loquuntur, qualia sunt os cranij,os coxendicis, os sacrum: Venas enim habent parte interiore,vnde ex ossibus carnē trahunt. At in ossibus densioribus & solidioribus minùs commendantur, quoniam in illis caro generari non potest in parte inferiore. Sunt igitur inuenienda remedia ficciora epispastica facultate prædita,vt est puluis paratus ex agarico, tartaro, & cineribus ossiū. Talis enim puluis propter agaric. humorem intus latentem, & ossa corrumpentem extrahit propter calorem quem habet,& vim trahendi pituitam. Præterea fæx vini vsta calore suo,& magna siccitate partes ægras à sanis secernit, & separat potissimùm in corruptionibus ossium à morbo Italico. Grossos item cum papaueris nigri foliis ossa extrahere scribit Dioscor. præsertim si vrantur, & in puluerem reducantur.

Sarcotica

Ad cicatricem inducendam.

AD cicatricem inducendam adhibentur pulueres sicci,nulla præcedente humiditate, tum quia multùm

tùm ſiccare volumus, tum quia puluis ſatis parti adhæret. Nam partes, quæ cute denudatæ ſunt, ſemper madeſcunt, & illa humiditas puluerem conſperſum ſatis retinet. Conficiuntur autem huiuſmoni pulueres verè & propriè epulotici, ex rebus carnem cõſtringentibus, conſtipantibus, condenſantibus, ac inſtar calli indurantibus, & exiccantibus, qualia ſunt cortex thur. mali granati, gallæ, oſtrea vſta, & corallum vſtum. Ex accidenti cicatricem etiam inducunt, myrrha, litharg. diphriges, charta combuſta, alumen vſtum, vitreolum, & alia quæ carnem colliquant, & extrahunt, modò ad exactum leuorem reducantur, & ſpecilli cuſpide leniter cõtangant partem affectam. Nam ſi maiore quantitate, & paulò largiùs quis vtatur, mordicant, carnem colliquant & vlcus concauant. Verè autem epuloticorum quo maiorem quantitatem impoſueris, eo citiùs cicatricem inducent. Ad vlcera autem plana, in quibus carnem minuere non oportet, talis fiat.

℞. cortic. thur. myrrh. litharg. cortic. mali gran. ana partes æquales, fiat puluis tenuiſſimus, & inſpergatur modicè. Aut fit ex carnem minuentibus hoc modo.

℞. aluminis vſti, æris vſti, aut ſcammæ æris ablutæ, gallarum, cortic. mali gran. ana partes æquales, fiat puluis tenuiſſimus, & inſpergatur modicè. Hîc autem obſeruandum eſt æs vſtum, ſcammam æris, & florem æris ablui in cicatrice inducenda, vt nonnihil cauſticæ facultatis amittant, magíſque epuloticum ſit medicamentum. Talibus autem medicamentis vtendum in corporibus ſiccioribus, & partibus minùs ſentientibus. Ad carnem autem comedendam fit puluis ex ære vſto, ſcamma æris, alumine vſto, chalcitide, aliiſque modicè vrentibus, & arrodentibus. Nam auripigmentum inſperſum carnes minuit, item ſublimatum, frequentiùs tamen vtimur alumine vſto.

Pulueres ad oculos.

Oculares pulueres ſiunt detergentes, detrahentes carnem, & cicatricẽ inducentes. Detergentes fiunt ex modicè detergentibus vt ſaccharo cando, ſtercore lacertæ, felle exiccato, cineribus hirundinum, myrrha, aloë. Quia autem oculus propter exactum ſenſum pul-

ueres non patitur, satius est uti in forma linimenti, aut collyrij, quod aliquid viscosi habeat ad puluerum retentionem. Puluis autem erit tenuissimus: Humectabitur oculus albumine oui, aut decocto fœnugræ. deinde inspergatur pul. albumine oui, quando pul. maiorem dolorem infert. Decocto fœnugræci cùm pars laxanda, aut materia concoquenda est.

℞. sacchari candi ʒ. ij. oss. sepiæ, stercor. lacerti ana ʒ. ß. myrrhæ ℈. j. fiat puluis tenuissimus. Quoniam si crassior esset, partes exasperaret.

Ad vlceris in cornea detersionem.

℞. Myrrhæ ʒ. ij. sacchari candi ʒ. j aloe ʒ. ß. Ad vlceris verò consolidationem fit ex sarcocollæ ʒ. ij. myrrhæ, thur. ana ʒ. j. sanguinis draconis ʒ. ß. fiat pul. Vlcera ad cicatricem perducta simili puluere, cicatricem in oculo, aut maculam crassam non contrahunt. Pulueribus ocularibus vtimur potissimùm in pterigiis. Nam pterigium ex carne contusa factum est, venis capill. oculorum copia sanguinis distentis, quæ sensum exactum non habent. ob id medicamenta detergentia, siue detrahentia ferre possunt. Præterea locus ille rotandus non est, puluerémque recipit, & continet. Insufflantur autem hi pulueres arrodentes, & carnem minuentes, donec ad panniculum adnatum peruentum sit. Conficiuntur verò ex variis rebus, sed efficacissimi fiunt ex supradictis, vt alumine vsto, scamma æris, & cæteris. Parantur quoque ex testa ouorũ dissoluta in aceto, aut parum vsta, item ex spõgia, aut testis mitulorum tenuissimè confractis. Citissimè minuitur illa pterigij supercretio, si mittatur sanguis, & frequens fiat corporis purgatio, victúque attenuante, & exiccante vtatur. Iisdem pulueribus vtimur ad ozenas, & polypos, sed propter fœtorem odorata quędam addimus, & nonnulla quæ magis astringunt exedendo carnem. Ex odoratis præstat cyperus, cinamomum crassum: ex constringentibus alumen, chalcitis, cortex mali punici.

Ad oris vitia.

IN oris etiam vitiis pulueribus vtimur, vel ad columellę exiccationem vel ad dentes detergendos, incarnandos, confirmandos, & fricandos. Ad columellæ autem

rem exiccationem fit ex pipe. præsertim longo, deinde albo, quia constringendi vim habet. Hunc autem puluerem ex specillo imponemus, & lingua depressa columellā contangimus, statim exiccatur, & densatur columella, quæ à pituita à cerebro descendente laxior, aut humidior facta est. Dentes verò deterguntur ex pulue. facto ex detergentibus non amaris, nec fœtidis, vt sale trito, osse sepiæ puluerisato, ouorum non vstorum puluere. Vsta enim malè olent: aut ex cineribus cornu cerui, coralli, vel panis hordeati hoc modo.

℞. salis commun. ℥. iij. panis hord. ℥. j. cornu cerui, aut dentium equi vel elephantis ℥. ij. extinguantur vino, & aqua rof. fiat puluis medius, id est, non radactus in tenuissimas partes. Oportet enim asperitate partium dentes fricari, & detergi. His puluerib. additur aliquid garyoph. vel cinamomi, vel mosci, ad oris gratiam.

Ad dentium incarnationem.

INcarnantur dentes potiùs ex corallo non vsto, iride, rof. & myrrha. Sed myrrha cùm sit amara, prætermittitur, nisi vratur: quia tunc amittit amarorem, & eius loco parum beniouini additur, & sarcocollæ modicum. Cinis cornu cerui, & cinis præscriptus ad detersionem etiam generant carnem, maximè in pauca quantitate. Firmantur dentes pulueribus factis ex astringentibus, non tamen omnibus. Nam quæ cōstringunt, non solùm dentes denigrant, sed etiam pilos vt galla, cortex mali punici, & pleraque alia: ideo corallo in puluerem redacto cum pauco alumine fricamus dentes. Conficitur autem pul. insignis ad dentes dealbandos, firmandos, & conseruandos hoc modo.

Puluis ad dentes dealbandos.

℞. Summitatum myrthi, lentisci, oleastri, saluiæ, rosmar. ana M. corall. rub. eboris, & dentium equor. ana ℥. iiij. ponantur in vase fictili, & simul vrantur, addito p. j. salis communis, donec omnia dealbata sint, deinde reducantur in puluerem crassum: cui adde garyoph. rof. cinamomi crassi ana ʒ. iij. fiat puluis. Et hoc pul. potest aliquis cum oxymelite squillitico opiatam conficere, & dentes confricare, aut mucilag. gummi tragacanti, aut arab. aut prunorum dentifricia longa conformare,

quibus exiccatis ad detersionem vti poterit, aut in forma pulueris vtatur. Hic puluis confert ad oris fœtorem humiditates resiccando, sed tunc moscum addere oportet ad oris gratiam.

Pulueres laxatiui.

Diaturbith, diasenæ. PVlueres laxatiui parantur in officina duo, vnus ex turbith, quem diaturbith appellant, ad laxandam pituitam, & pul. diasenæ ad melancholiam purgandam. Possunt & alij confici ad horum similitudinẽ, veluti ex rhab. ad purgandum bilem, ventriculum constringendum, & resiccandum. Ex agarico, zinzib. sale gemmæ ad pituitæ purgationem cum saccharo parantur. Item ex cineribus tartari vini albi. Laxat enim detergendo, & intestina exiccat. Cõficiũtur ex laxantibus, & detergentibus potissimum, quæ minori amarore, aut minus ingrato sapore sunt prædita, quibus pauca quantitate adduntur corroborantia, & horum operationem accelerantia, & castigantia, veluti cum ex turbith pul. paratur, parùm zinzib. additur: Cùm ex rhabar. parùm spicę, aut cinamomi: Cùm ex sena aut epith. sal. Nam si maiore quantitate adderentur vim laxatiuam imminuerent. Sal commune & sal gemmæ maiori quantitate adduntur, quia & humorem extenuando, & extergendo purgationem adiuuant. His pulueribus saccharum rub. vel mannam addere debemus, saporis gratia. Sed quoniam assumi non possunt hi pulueres sine substantia liquida, minùs frequenter in forma vtimur sicca, sed cum aqua aliqua præbemus, aut in decocto galli antiqui, cum pituitam purgare volumus: cum decocto mercur. quando atram bilem agere: cum aquis portulacæ & graminis, quãdo vermes occidere, & ex corpore eiicere volumus. Cum decocto hord. pul. rhab. sumitur, cùm detergere volumus: aut cum aqua plantag. quando constringere. Quidam etiam ex manna puluerem parant, nonnulli ex diagridio, saccharo & pauco cinamomo crasso, quo vtimur cùm ægros fallere volumus, ponentes scilicet in iusculo, aut pulpa prunorum, vel passularum.

Quomodo sumendi pulueres.

Ad vermes enecandos, & eiiciendos.

PArantur ad vermes etiam pul. Occidunt vermes pul. ex amaris parati, vt pul. hieræ, ex aloë, ex myrrha, ex semi-

semine santonici, quod semen contra vermes appellant: quibus vtendum, quando sine febre pueros infestant: & sine fluxu ventris. Solent enim fluxum ventris aliquando excitare vermes & amara nimium detergendo fluxum augent. Si cum febre infestent, dandus est pul. ex rhabar. cum aquis temperatis, & aperientibus, vt aqua graminis, & aspar. Si cum fluxu ventris infestent, & purgatio sit necessaria, pul. ex rhabar. dandu, erit, cum myrobal. citrinis, & aqua portulacæ. Sin purgatio non sit necessaria, sed corroboratione potiùs egeat, pul. diamargariti frigid. cum semine portulacæ & citri dari solet, & cum aquis prædictis addito syru. de aceto. citri, vel de limonibus. Conficitur item pul ex constringentibus & resiccantibus, quo vtimur in fluxu ventris post euacuationem, vt corallo rub. rasura eboris, cineribus rasuræ cornu cerui. Hic pul. ventrem astringit, & vermes occidit exiccando.

Absynth. quando vtendum.

Pul. post euacuatio.

Ad mensium prouocationem.

PArantur pulueres ad mensium prouocationem ex fortibus medicamentis ingratis & amaris, vnde in pilulas redigimus hoc modo.

℞. myrrhæ, cinamomi ana ʒ. j. sabinæ ʒ. ß. seminis apij, petros. spic. nardi, scœnanth. asari ana ℈. j. fiat pul. cap. ʒ. j. cum succo eryngij. In prouocantibus menses oportet multum humiditatis accipere, quia medicamẽta hæc non facilè perueniunt, neque distribuuntur in partes affectas, sed aliquando humores absumunt, & exiccant: ob id commodè datur post vsum balnei, vel post fotum, vt faciliùs penetrẽt ad partem affectam, & sanguis trahatur in eam partem.

Ad vrinas mouendas.

AD mouendas vrinas conficiuntur pulueres ex his, quæ verè mouent vrinas, quæ acria sunt & calida. Interdum admiscemus, quæ humiditate sua mouent eas.

℞. gummi prunorum, carabæ (quæ fundit sanguinem, & serosam substantiam ab alia separat) ciner. cancrorum ana ʒ. j. semin. apij, petro. alkekangi ana ʒ. ß. cinamomi, scœnanthi, azari ana ℈. ij fiat pul. tenuiss. vt alcohol: sumatur manè cochlear vnum, superbibendo cyathum vini albi, vel ex aquis prouocantibus vrinas, quales

ſunt aqua graminis & aſparagi. Poſſunt addi quatuor ſemina frigida maiora minutim inciſa, vt cùm vrina cum inflammatione, aut aliqua alicuius partis intemperatura retinetur, aut veremur, ne medicamenta illa nimis calida vlcus exaſperent, aut partis inflammationem excitent. Oportet enim iſtos pulueres diuerſos, & diſsimiles facere pro cauſſarum varietate. Nam ſi propter calculum retineatur vrina, ipſe calculus deturbandus eſt: ob id lapis iudaicus, ocra, aut talus leporis, & alia pleraque adiungenda, quorum ſuperiùs meminimus, cum de pilulis ageremus.

De formulis.

Fiunt hæc medicamenta ad fluxiones inhibendas, vel ad vlcerũ trachiæ arteriæ, vel pulmonũ curationem vel ad raucedinem, & tuſsim. Quædã hypoglottides dici poſſunt, quod ſub lingua diutius retineantur ad ſiſtendas fluxiones tenues, & acres. Fiunt autem inſpiſſantibus, & iis quibus electuaria parãtur. Differũt tamen ab electuariis, quod hæc arida eligantur, quæ vel mucilag. gummi trag. vel arab. excipiantur, vel ſyrupo, vel albumine oui vel terebinthina, & formentur, quibus reſiccatis vtimur, eligimus autem quæ magis ori grata ſunt vel ſaltem minùs ingrata, aut apia. Quanquam interdũ ex minùs dulcibus parari oporteat, propter ægri guſtum, aut quia dulcia nimis detergendo, & celerando defluxionem excitent, vt nos aliquando pro cardinale à Turnone parauimus, ex acacia, aliiſque acidis, & minùs dulcibus, ex quibus magnam percepit vtilitatem. Foramina enim illa quæ poſt vuluam ſunt, per quæ pituita expurgatur, laxa ſunt, & continuò fluit per ea pituita. Conſtringenda itaque pars illa eſt, atque hoc modo parandæ formulæ.

Pro relaxatione Vuulæ.

℞. Acatiæ ℥. ß. hypociſtidis ʒ. j. boli armeni, terræ ſigill. an. ʒ. ij. roſarum, ſpongiæ bedegar. radic. biſtortæ ana ʒ. j. amyli ʒ. iij. cum ſyrup. de roſ. ſiccis, & myrtill. addito pauco ſucco cydoniorum fiant formulæ paruæ, quæ noctu teneantur in ore. Aut maceretur gummi arab. in aqua peculi roſ. vel myrtill. addito pauco ſucco cydoniorum, fiant formulæ paruæ, quæ noctu teneãtur in ore. His formulis nonnulli ſpicam, vel cinamomum,

mum, vel nasturtium addunt. Spica autem ingrata est, & sapore feruido, vnde minus conuenit: nec nasturtium, nec cinam. præsertim tenue, excitat enim defluxiones. Si quis itaque cinamomo vti velit, ad crassorum præsertim penetrationem, aut potius odoris gratiam, cinamomum crassius addat, quod astringit, vel caryoph. pauca quantitate, vt

℞. boli armeni ʒ iij. gummi tragac. amyli an. ʒ. ij. acac. corticis mali punici an. ʒ. cinamomi crassi vel caryoph. ana ʒ. ß. cum syr. de ros. siccis fiant formulæ, quæ in ore teneantur.

Ad incrassandam materiam fit hoc modo.

R. Gummi tragac. arab. amyli an. ʒ. iij. seminis papauer. albi, terræ sigil. boli armeni an. ʒ. j. cum syr. iuiub. vel de papauer. trochis. pro nocte fiant. Quòd si expectorandum sit, aut inspissandum, ex penidiis, sacchoro, gummi tragac. & pauco succo glycir. parabuntur, vt

℞. penidiarum ℥. j. sacchari candi ℥. ß. gummi tragac. & arab. an. ʒ. j. anis. ʒ. ß. succi glycir. ℈. ß. fiant formulæ cum syr. iuiub. vel cum mucilag. gummi tragac. vel arab. extracta cum aqua rosarum. *Ad expectorationem.*

Ad tussim & raucedinem.

SI ad expectorationem, tussim, asperitatem, raucedinē præscribantur ex leuiter detergentibus hoc modo

℞. pinearum ℥. iij. sacchari candi ℥. j. excipiantur mucilag. gummi tragac. extracta cum aqua decoctionis lyquirit. hord. aut passul. aut temperabitur hoc modo.

℞. liquir. ras. contus. ℥. j. pas. mundat. ℥. iij. hordei integri p. j. fiat decoctio ad ℥. iij. in colatura adde gummi tragac. ℥. ß. quibus adde pinearum ℥. iij. sacchari candi ℥. j fiant formulæ cum pauco amylo, quibus sub lingua repositis vtatur.

Ad asperitatem trachiæ arteriæ.

AD trachiæ arteriæ asperitatem similes possunt fieri cum decoctione hordei integri. Ad vocis clarificationem additur farina orobi, vel fabarum. Cùm detergenda est arteria, pituita liquefacienda, aut tenuis exiccanda, & raucedo proueniat ob pituitæ in faucibus concretionem, cubebæ apponuntur hoc modo.

℞. farinę fabar. ℥. farinæ hord. ℥. ß. sacchari candi ℥.

iij. succi glycir. ℥ j. cum mucilag. gummi tragac. extracta cum aqua hord. fiant formulæ. Eligimus farinam fabarum, quia amara nō est, vt orobi farina. Si quis farinam orobi velit, facchari quantitatem augeat. Si parentur ad exiccationem, his addi possunt cubebarum ℈. ij Calefaciunt enim plurimùm & acres sunt. Addi poterit etiam piper, & alia quæ pituitam fundunt. Myrrha etiam huic affectui satis conuenit, propter amarorem verò reiicitur.

Ad pestem.

FOrmulæ etiam fiunt ad aeris pestilentis castigationem, quibus tempore pestis vtimur. Aer enim pestilens dum attrahitur, in ore elaboratur, & horum medicamentorum ratione castigatur. Tales autem formulæ non vno eodémque modo parari debent. Nam si constitutio aeris pestilentis sit calida, vt æstate, odoratis frigidis castigabimus, hieme verò calidis odoratis.

Aduersus pestem in æstate.

℞. rof. rub. florum viol. nymph. an. ʒ. j cortic. citri sicci, & semin. citri ana ʒ. ß. coriand. fandal. rub. & albi ana ℈. ij boli armeni ʒ. j. cum mucilag. gummi tragac. cum aqua rof. extracta fiant formulæ In hac compositione eligentur odorata minùs calida. Nam calida tempore calido ephemeram excitare possunt. Præterea omnes morbi pestis tempore fiunt pestilentes & contagiosi. Summopere igitur cauenda humorum agitatio, & calfactio. Quia autem hæc deglutienda sunt, parum boli addimus, qui inspissando prohibet humorem agitationem, & infectionem. Tempore pestilenti frigido faciliùs parantur. Medicamenta enim odorata sunt calida. Ex pulueribus igitur odoratis parari possunt hoc modo.

Tempore pestis quid fugiendũ.

℞. pul. arom. rof. diamarg. frig. an. ʒ. ij. boli armeni ʒ. j. ß. cum mucilag. gummi tragac. extracta cum aqua rosarum formentur pilulæ, quas teneat in ore, quibus addi poterit corall.

Ad oris fœtorem.

EX solo etiam mosco & saccharo parantur trochisci moscatelini dicti, ad oris fœtorem, qui tempore frigido vsurpantur, vt supradicti etiam, additis ad ipsum oris fœtorem granis tribus mosci. Et hæc de formulis, quæ sub lingua tenentur breuiter dicta sunt à nobis.

De instaurantibus.

INstaurantia medicamenta dicuntur, quæ ad virium imbecillitatem factam subitò vel ob morbum acutum, vel ob euacuationem immodicam fiunt. Parantur autem vel ex succo, aut iure carnis, pulueribus cordialibus, conseruis, & aliis, quæ spiritus instaurare possunt, vel odore, vel substãtia, & partes aliquas principes alterare. Fiunt autem tribus modis. Primùm hoc modo maiores nostri parare solebant. Carnes capi reiecta pinguedine sumebant, cui in partes diuisæ, lotæque vino, aut aqua cordiali conseruas admiscebant affectui, partíve accommodatas. Pulueres igitur & aquas additis quandoque panno aureo, catena aurea, & numismate aureo: quæ singula vitreo vase inclusa balneo mariæ decoquebant, donec pes capi in lebete suspensus sit, exempli gratia, in feb. ardentibus ad virium conseruationem.

℞. conseruæ viol bugl. nenuph. an. ℥. j. pul. diamarg. frigid & de gummi ana ʒ. ij. pannic. auri num. vj. aquæ rof. bugloff. acetof. an. ʒ. vj. ponantur omnia in vase vitreo diligenter concluso, atque pasta, vel luto satis obturato, quod vasi aqua pleno impositum decoquitur donec pes coctus sit.

Vt autem studiosi nostram componendi rationem intelligant, patefaciendi sunt errores, qui in hoc componendo committuntur, deinde nostram tanquam meliorem & faciliorem vsurpabũt. Hîc autẽ nulla habetur ratio medicamẽtorum. Nam carnem crudam pulverib. cordialibus admiscent, ac vnà decoquũt, obliti theorematis imperantis, vt quæ longam coctionẽ desiderant, tenuioribus & leuioribus nunquam in decoctione admisceãtur. Nam si quis velit carnem perfectè decoquere, adurentur pulueres, sin pulueres cordiales & odoratos non velint destrui, caro cruda plenè manebit. Nunquam igitur medicamenta bona parabunt. Neque recipiendum est illud perfectæ coctionis iudicium. Nã pes diutius decoquẽdus cùm sit, ob eius substantiam duram atque carnosam, non modò pulueres hoc iudicio perierunt, sed etiam ipsa caro nimiùm cocta erit, & exiccata. *Error.* *Impostura.*

Imposturam quorũdam prætereo, qui catenas aureas decoquũt, cùm nihil inde dissoluatur præter argentum

viuum, aut sordes, aut pinguedo quædam, quæ omnia tamen remanent. Nos autem loco carnis crudæ carnem semicoctam, aut ius coctum per quartam horæ partem sumimus, atque in aqua calida calefacere, & permisceri sinimus, deinde percolatum vtẽdum prębemus. Eo modo paratum neq; crudum, neque assum, neq; coctum nimis obtinebit, vt in thoracis affectibus.

℞. iuris capi perfectè cocti ℔. ß. aquarum bugloss. viol. ana ℥. ij. aquæ capilli ven. ℥. iij pul. diamarg. frig. & diaireos simpl. ana ʒ. ij. pul. de gemmis ʒ. j. panniculorum auri num. ij. misce, decoquantur in duplici vase per quadrantem horæ, coletur & vtatur. Parisienses pharmacop. carnes in alembico distillant, & aquam inde extractam conseruant, & ægrotis præbent, quæ aqua diu seruari non potest, cùm adeo tenuis sit, vt spiritus possit nutrire, & reficere. Non erit præter institutum si passulæ addantur, nuclei pinei, vel amygdalæ, potissimùm quãdo pars aliqua thoracis laborat. Si ad pulmonum vitia, ex detergentibus: si ad fluxum, ex constringentibus & exiccantibus additis nutrientibus odoratis, & cordialibus, vt in cibo sit medicina, & in medicina cibus, vt Hip. imperat. In affectibus thoracis abstinet ab astringentibus: in omnibus aliis leuiter astringentia cordialibus admiscentur, quia virium dissolutionem impediunt, & partem roborant.

Mos Parisiensis.

De medicamentis mollibus, ac primùm opiatis.

DE medicamentis in forma liquida & sicca iam dictum est: superest vt nunc de iis agamus, quæ mediam inter hæc naturam habent, quæ scilicet neque humida sunt vt syrupi, neque sicca vt pulueres, tabellæ, trochisci, pilulæ sunt. Ea porrò medicamenta conficiuntur ex succis humore quodam coniunctis, aut ex mollificatis substantia, vulgò opiatæ dictæ, & confectiones. Differunt autem opiatæ, fine, siue operatione. Quędam enim ad partium alterationem fiunt, vt ad ventric. alterationem, aromaticum rос ad cordis, confectio alkermes ex granis tinctorum: aduersus venena, confectio de hyacinto. Ad caput, aurea Alexandrina. Hæ omnes ferè calfaciunt, & exiccant. Nonnullæ verò fiunt ad doloris sedationem, vt confectio Philonij asyncrita, à colo verò colica

Differentia.

colica dicta est ab antiquis, quia narcotica. Aliæ ad laxandum vt hiera picra, colocynthis Archigenis. Lohoc de cassia, catholicum ad communia recremēta vacuanda. Ad pituitæ vacuationem, diaphenicum, indum maius, quæque ex phlegmaticis conficiuntur. Ad bilem, electuarium de psillio, diaprunis simpl. & solutiuum. Ad atram bilem, confectio hamech. Confectiones aut eccoproticæ fiunt, aut succus, aut herbarum decoctione ex caussa, aut pulpa tamarindorum, passularum, prunorum, ad insspissationem scilicet. Eodem modo duæ paratæ in officinis reperiuntur, diacass. & diasebesten, vt diacassia cum melle, & diacass. cum saccharo. Si quis delicatam admodū facere velit diacassiam, poterit hoc modo.

Ad recrementa communia euacuanda.

℞. mercur. M. ij. ciclæ M. j. pass. prunorum, sebest. fic. ana pa. xxx. anis. ℨ. iij flor. viol. p j. fiat decoctio & extrahatur pulpa pass. pruno. ficuum, sebesten, & cum pulpa cass. fiat opiata decoctione incorporata. Accipimus fructuum maiorem numerum, quia opus est illorum pulpa satis copiosa: quia pauca futura est extractis pelliculis & nucleis. Quæ si diu seruanda est, decoctioni addēdum sacchari q. s. atque in syr. coquēda, cū quo fit opiata: hæc excrementa communia purgabit. Si quis autem affectus pulmonis velit sanare glyc. addet. Ad reliquos autem humores vacuandos, addenda sunt medicamenta propriè trahentia succos eos, veluti si hæc compositio receperit rhab. aut succum ros. aut syr. ros. laxatiuum fiet tantum biliosa: Sin decoctioni addatur carthamus, agaric. polypod. pituitosa: Sin thymus, epithymus, sena, polypod. in maiori quantitate, quàm in priore decoctione fit melancholica. Hac vtimur ad ventris astrictionem sine aliqua affectione alicuius partis. Si sanus sit, potest tutò ex omnibus istis humidis & detergentibus aluum molliētibus parari, veluti si quis opiatam ex catholico & cassia paret, poterit addere senam, agaricum, cineres tartari. Si vlcus sit in renibus aut vesica, nullum ex his ponendum: Sena enim & agaricus exasperant partes affectas, quod & carth facit. Si autem calculo sit obnoxius, ficus possunt addi (à quibus abstinendum, si

Hæc communia excrementa vacuat. *Biliosa.* *Pituitosa.* *Melancholica.*

Cautiones.

Ficus.

vlcus adfuerit, quia vim habent suppurandi) quod in vlcere non est faciendum. Colico affectui obnoxiis, & aluum lubricam habentibus, non est opus addere cassiam. Cassia enim sua lubricitate lienteriam excitaret, & flatus gigneret, nisi priùs castigata fœniculo, aut aniso, aut aliquot granis piperis. In ardore vrinæ castigatur semine berberis, eóque modo fit opiata eccoprotica, neque vlceribus, neque colico dolori contraria. Cæterum si fieri possit, gratæ fiant opiatæ, mouendæ aluo accommodatæ, quæ nullis affectis partibus noceant, quod fieri potest, quemadmodum hæc semine berberis addito non admodum nocet sua acrimonia, aut aniso addito in flatulentis affectibus. Pectori autem, ventriculo, hepati, & neruis magis accommodantur, si vel succum in ea parte redundantem euacuent, vel ea quæ parti affectæ conueniunt, quæque eius læsionẽ impediunt, recipiant, veluti fit pectoralis ex pulpa pass. ficuum, & dactylorum, maximè autem additis agarico aut carthamo aut polypod. aut sena, atque inspissata syr. viol. si materia sit calida, aut si crassa sit materia, syrup. de glycir. vel paretur modo sequenti.

Cassia.

Pectoralis.

Opiata pectoris.

℞. polypod. querc. recentis q. j. liquir. ras. ℥. j. pass. enucleatarum, fic. an. pa. xx. dactylorum mundatorum, & parum maceratorum in aqua hordei: vel aqua & vino albo, num. x. anis. ʒ. ij. fœnic. ʒ. j. seminis melonum ʒ. ij. bismal. ʒ. j. flor. viol. p. j. fiat decoctio in sufficienti aqua, donec mollescãt fructus, cõtundantur, & trãsmittantur per pannum rarum canabinum, & colaturæ adde sacchari q. s. fiat syr. cum quo fiat opiata, cui addi poterunt agaricus, medulla carthami & sena in puluerem redacta. Talis autem compositio & capitalis & pectoralis erit, non quòd ad caput penetret, verùm quia humores capitis, quibus repletur, & infestatur, euacuet. Nec prohibet etiam si parum cinamomi addatur ad gratiam. Penidias autem addi prohibet, quia inspissant, & molem augent, & iuiubæ, etsi detersionis non sint expertes.

Capitalis & pectoralis.

Pro hepate.

HEpaticis affectibus, maximè qui cum obstructione fiunt, cõuenit præcedens opiata, paucis admodum additis,

additis, quæ & detergunt, & pituitam trahunt. Obstructiones auferunt materiam trahendo, aut potiùs ne fiat impediunt, aduersa pituita, ne in venas ingrediatur. Fit igitur hepatica, addita spica nardi, vel celticæ pauxillo, vel azaro, vel cinamomo. Ad obstructiones ab hepate calefacto eadem erit vsui. Verùm ad ventris obstructionem cum calefactione alio modo parabitur. Fructus enim feruorem bilis extinguentes vsurpandi sunt, vt pruna, sebesten, tamarindi, vt,

Extinguẽtes bilem fructus.

℞. prunor. sebest. ana pa. xxx. pass. pa. xv. anis. ʒ. ij. quatuor seminum frig. maior. ʒ. iij. flor. viol. bugloss. borrag. ana p. j. fiat decoctio in aqua endiuiæ & pulpæ fructuum extrahantur, & transmittantur, quibus adde tamarindorum ℥. ij cass. recenter extractæ ℥. iiij. seminis berber. ʒ. j. ß. rhabar. electi irrorati decoctione ʒ. iij. & cum vna decoctionis parte in syrupum redacta fiat opiata, vel cum syr. rosaceo laxatiuo addito cinam. ℈. j. sumantur manè, in forma boli ℥. j. aut in decoctione cichorij vel pulli.

Pro liene.

Splenetica fient illa pituitosa seu phlegmagoga additis senæ folliculis & cuscutæ seminibus, & si sumatur cum decoctione mercurialis, vt,

℞. decoctionis prędictę ad opiatã pituitos. ℔ ß. sen. orient. cuscutę, summit. thymi ana ℥. j. flor. genistæ, anthos, borra. & tamarisci, an ℥. ß. fiat decoctio, in qua diss. sacchari q. s. fiat syr. coctus ad perfectionem, quem inspissabis capiendo pulpæ cass. ℥. vj. pulpæ pass. & sebesten ana ℥. j. senæ orient. tenuiss. pulueris. ℥. j. ß. medullæ seminis carthami & epithymi ana ʒ. iij. fiat opiata.

Ad calculum renum & vesicæ.

Quædam etiam opiatæ fiunt ad calculos renum & vesicæ, ad vlcera & calfactiones earundem partiũ. Ad calculos parantur ex detergentibus, relaxantibus, & flatus discutientibus, leuiter incidentibus & prouocantibus vrinam.

℞. radic. bismal. ℥. ij. liquiri. ras. radic. eryng. ana ℥. j. pass. fic & sebest an. pa. xxx. anis. fœnic. an. ʒ. ij. apij, petros. ana ʒ. ß. florum viol. chamom. & genistæ ana p. j. fiat decoctio in aqua decoct. cicer. rub. in vnáque parte

decoctionis in syr. coctæ cum melle & saccharo, additis medullæ cass. ℥.vj. pulpæ fic. pass. extractæ, fiat opiata, de qua sumatur ad detersionem renum hora vna ante cibum, ne hi fructus vertantur ad alimentum.

Ad Vlcus renum.

SI vlcus adsit vel inflammatio, ardorem extinguẽtia, & leuiter detergentia sine morsu tamen, ex vsu erũt, ne vlcus irritetur, hoc modo.

℞. cass. recenter extract. ℥.iiij. tamarindorum electorum ad acrimoniæ extinctionem, & pulpæ sebesten ana ℥.j. mucilag. seminis psilij ʒ. vj. cum syrupo viol. fiat opiata, quæ sumatur cum aqua hord. vel decoctione pulli. Decoctio autem hæc ficus non recipit, quia sua acrimonia partem lædunt vlceratam, nec senam, quam idẽ facere credunt, nec dissolutionem flatus, nisi paucam anisi quantitatem quis velit adiungere. Præterea neque berberis semen addimus, nec vrinas prouocamus. Nam acida pungendo partem vlceratam lædunt.

Ficus & sena reiiciuntur.

Ad morbum articularem.

AD articularem morbum leniendum, communis, vel pituitosa sufficiet opiata, ad deriuationem tantùm, non autem eradicationem. Eadem sufficit ad recrementorum communium euacuationem.

Ad alterandum & confortandum.

FIunt & opiatæ ad alterationem & confortationem, quæ alteratiuæ & confortatiuæ dici possunt, quas pharmacopolæ cordiales vocant. Sunt tamen & stomachicæ, & ventriculares, pulmonariæ, renales, vesicales, articulares, cerebrales, neruosæ, menses & vrinas mouentes, & calculos comminuentes. Fiunt autem ea conseruis parti & morbo accommodatis, ex pulueribus, & syr. vel melle, vel his omnibus simul, vt ad ventriculum refrigeratum, calida ad relaxatũ, & fluentem sicca, & astringentia præscribimus: Vt ex conseruis conserua cortic. citri, eryng. anthos, zinzib. conditum. Ex pulueribus aromaticũ ros. diarrh. diagalan. rosata nouella. Ex aromaticis denique confectionibus, vt garyophil. ad calfaciendũ sine astrictione. Præterea ad alios affectus etiam dari possunt, vt capitis neruorum, & ad refrigeratum ventriculum & ad nimis humectatum talis fiat opiata.

Pro refrigerato ventriculo.

R. Conseruæ eryng. & cortic. citri ana ℥. j. florum anthos ʒ. iij. confect. aromat rosac. ℥. j. cum syrupo conseruationis corticis citri, fiat opiata, sumatur tribus horis ante pastum. Fiunt etiam opiatæ sine conseruis, ex pulueribus, aucta quantitate syrup. addito sacchare hoc modo.

℞. confectio. aromatici rosl. ℥. 1. diagalang. diarrhod. abb. vel rosatæ nouellæ ana ʒ. iij sacchari parum, cum syr. conseruæ cortic. citri, fiat opiata, sumatur ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum vini diluti aqua absynth. vel mentæ, vel fiat sic.

℞. zinzib. conditi cum saccharo ℥. j. pul. diarrhodi abb. ʒ. iij. aromat. rosl. ʒ. ij. cum syr. de menta, fiat opiata, capiat, vt dictum est.

Pro ventriculo relaxato.

QVòd si ea relaxatio sit cum larga humiditate tenui, & refrigeratione, post vsum pilularum hoc erit vtendum.

℞. myrobalanorum conditorum nu. 1. vel carnium cydon. (quæ magis probantur, quàm myrobalani) cortic. citri conditi, zinzib. conditi ana ℥. 1. confectio. aromatici rosl. ℥. ij rasuræ ebor. corall. rub. & vsti, & loti in aqua mentæ ana ℥. ij. ciner. intestinorum gallinæ, & lupi ana ℥. iij. cum pauco syru. conseruæ cortic. citri, fiat opiata, sumatur, vt dictum est.

Quòd si maior sit ventris relaxatio, & intestinorum, eáque cum fluore lienterico, tum augenda est magis astrictio in fine, veluti si addantur diacydonites ʒ ij quod magis astringit, aptior erit ad siccandum cum astrictione, & calfactione. Aut fiat sic,

Pro lienteria.

R. Myrobal. emblicorum nu. 1. (si papauer fuerit) cydoniorum ℥. 1. corticum citri conditi ℥. 1. pul. diacydonites ʒ. 2. diarrhodi abb. & rosl. nouellæ ana ʒ. 1. coral. rub. vsti ℥ j. ß. conseruæ acori collatæ & transmissæ per cribrum ʒ. vj. cum syrup. de cytoniis, fiat opiata, sumatur ante cibum.

Pro dysenteria.

SI verò est de dysenteria, refrigerandum erit & con-

ſtringendum. Conſerua itaque roſ. antiqua vſurpanda; caro cydoniorum: prętermittendum zinzib. cortex citri & alia. Fit autem ex aſtring & refrig. hoc modo.

℞. carnis cydon. conditæ ℥. j. conſer. roſ. antiq. ℥. j. ß. pul. coral boli armen. an. ʒ. ij. diamarg. frig. ʒ. j. cum ſyr. cydon. fiat opiata, ſumatur manè.

Quòd ſi magis aſtringendum, veniendum ad trochiſ. exiccantes, & conſtringentes, quales ſunt trochiſ. de ſpodio, de terra ſigillata, & ſimiles.

Ad refrigerandum Ventriculum.

AD refrigerationem tamen vſurpamus conſeruas, alias partes refrigerantes, vt

℞. conſ. roſ. nenuph an ℥. ß. pul. diamarg. frig. & triaſand. an. ʒ ij. diarrhodi abb. ʒ. ß. corall. rub. ʒ. j. ß. cum ſyr. viol. fiat opiata.

Ad humectationem Ventris, totiúſque corporis.

AD humectationem ventric. & totius corporis paucas paramus opiatas, quia & potu potiùs, quàm medicamentis humectamus. Quòd ſi quis vti velit, fiat ſic.

℞. conſeruæ rad. buglòſſ. & borrag. conſeruæ viol. & ſatyrionis (humectat enim, & pinei in morbis ſiccis & melancholicis, etſi excitent venerem, idem faciunt ob flatus, qui poſſunt diſcuti aliis medicamentis) an ℥. j. pinearum (quia humectant, ſed facilè conficiuntur, calor verò remittitur ablutione infuſarum in lacte, quat. ſem. frig. maior. mundat. ſem bombac. ana ℥. ij. carnis teſtud. præparatarum (quę habent humiditatem non facilè diſſipabilem) ℥. j. aniſ. ʒ. j. cinam. ℈. j. fiat opiata cum ſyr. de bugloſſ. vel borrag. Hæc humectat, refrigerat & nutrit, in qua additum eſt aniſum, quia, quę humectant, vt radic & earum conſeruæ flatus gignunt, ob id parum addendum cenſeo. Cinamomum verò ad gratiam tantùm & iuuandam concoctionem Diatragac. non conuenit, propter camphoram, quæ fortiſſimè exiccat. Puluis reſumptiuus non valet, niſi præparetur recenter, quia ſemina illa facillimè rāceſcunt. Præparatio teſtudinum & viperarum, vt concoquantur.

Pro hepate opiata.

AD hepatis alterationem & apertionem fiunt opiatæ ex his, quæ partem ipſam ſpectant, & alterationi ad-

ni aduersantur, quibus hepar calefit, refrigeratur, humectatur, & resiccatur. Cùm autem id fit, totius corporis habitus afficitur. Non enim fieri potest in tali parte alteratio aliqua insignis, citra sensum aliarum partium, quæ per venas sanguinem recipiunt. Itaque nullo existente affectu, aut paruo admodum, vt aliarum alterationes & inflammationes castigantur, ita vt eius partis, quæ ab hepate calefacto, refrigerato, humectato, exiccato totum corpus affectum similem sentit.

Ad calfactum hepar.

AD opiatam pro calfacto hepate præscribendam videndum est, num calefactio ex intemperatura traxerit originem, sine fluxu substantiæ, atque tunc pars tantùm alteranda est: Sin ab inflammatione, aut à bile retenta, tum refrigeranda est his, quæ leuiter aperiunt, nec prætermittenda, quæ non multùm constringunt. Conserua itaque rosf. caro cydoniorum aut alia hîc ex vsu non erunt, quia à parte inflammata alterantur: sed detergentia, & biliosa recrementa euacuantia erunt adhibenda. Conuenit ergo conserua capil. vene. quanuis ad primum gradum calefaciat, quia resoluendo obstructiones, refrigerat per accidens. Conser. item cichor. in hepatis inflammationibus multùm prodest, quia aperit obstructiones, & expurgat, viol. bugloss. borrag. non sunt aduersæ, quia humidæ, & minùs calidæ. Pulueres item, qui simili facultate præditi sunt, vsurpandi.

Ad calfactum hepar cum obstructione.

℞. conseruæ flor. cichor. & capill. vener. ana ℥ ß. conseruæ viol. ʒ. iij. pul. diatragac. frig. & triasand. ana ʒ. ij. quat. semin. frigid. minutim incisorum ana ʒ j cum syrupo endiuiæ, fiat opiata, quæ erit ad calfactionem obstructione, & inflammatione hepatis. Quòd si refrigerandum tantùm sit, nulla existente obstructione, omnes conseruas refrigerantes vsurpandas esse censeo, vt conseruam nenuphar. & similes.

Ad obstructionem maiorem in ictero.

AD obstructionem maiorem parantur, sed considerandum, quis affectus hanc sequatur an icterus, an aqua intercus. Nam si fuerit icterus, aperiemus cum quadam detersione, & refrigeratione. Si aqua intercus, ape-

riemus obstructiones exiccando, & facultates hepatis magis confortando seu roborando.

Ad icterum.

R. Conseruæ capil. ven. rad. apij ana ℥. j. ß flor. cichor. vel calendulæ ℥. j. pul. triasant. ʒ. ij. diarrh. abb. ʒ. j. quat. sem. frig. maior. minutim incisorum ana ʒ 2. cum syr. endiuiæ composito, fiat opiata, de qua cap. superbibendo aquæ gram. vel cichor. vel endi. ℥. j. Si autem sequatur aqua intercus, corroborandum est magis iecur corroborantibus & exiccantibus, vt.

Ad aquam intercutem.

R. Conseruæ flor. cichor. capil. vener. ana ℥. j. pul. diodori abb. & aromat. ana ʒ. iij. triasand. ʒ. 2. hepatis lupi ʒ. j. ciner. intestinorum lupi ʒ. ij cum syrup. de eupator. fiat opiata, sumatur ad quantitatem auellanæ, & superbibantur aquæ de absynt. ℥. ij. Tales opiatæ quodammodo ad caliditatem vergunt, & ad paruam refrigerationem vtiles erunt, quæ cachexiam facere incipit. Sin maior sit refrigeratio, dialaccam accipiemus, diacurcumam, aromat. rosa. diagalang & conser. radic. apij, hellenij, vel anthos, hoc modo.

℞. conseruæ anthos, & rad. apij, ana ℥. ß. confectionis aromat. ros. ℥ j. pilu. diarrh. abb. j. trochisc. de eupat. ʒ. ß. cum syr. de bizan. vel de menta, vel de eupat. fiat opiata, de qua cap superbibendo vinum dilutum cum aqua absyn. Adduntur etiam trochisci de absynth. de rhab. enulæ campanæ & endiuiæ.

Pro splene.

AD splenis intemperiem eodem ferè modo, & iisdem remediis vtimur, nisi quòd fortiùs aperimus obstructiones, atque imperamus, quæ splenem magis respiciunt, vt conseruam florum tamarisci, ceterach, scolopendrij, & potissimùm ex trochiscis de absynthio, vel de eupat. capparibus, vel similibus fortioribus, idque ratione materiæ, non substantiæ, sic.

℞. conseruæ radic. apij, (quia multùm aperit) ℥. j. conseruæ ceterach, & capilli veneris ana ℥. ß. pul. diarrhod. abb. trochisci de cappar. ana ʒ. j. cum syr. acetoso, fiat opiata, de qua cap. superbibendo aquæ fœnicu. vel ferratæ, vel port. vel rusci, vel asparagi, vel grami. ℥. j.

Splen

Splen autem intumescit non ob melancholiæ copiam, sed potiùs ob flatus circa illam partem congregatos, & retentos. Parãda itaque remedia ex constringentibus, & flatus discutientibus. Astringentia enim prohibent eius inflationem & eleuationem, & quod receptum est, discutiunt. Discutiunt autem semina maiora, & minora, semina apij, agarici, port. cortex tamarisci, malorum præterea astringentium cortex, si à flatibus tumescit, vel fructus vel semen. Aqua etiam chalybeata, vel ferrata, & chalybis rasura splenem minuunt prætumidum, vt

℞. conser. ceterach ℥ ij. trochisci de cappar. ʒ. j. diarr. abb. diagalan. ana ʒ. j. ß. limaturæ chalyb. maceratæ in aceto, & tenuissimè tritæ ʒ. iij. seminis portulacæ ʒ. j. fiat opiata cũ syr. acetos. simpl. ex qua sumatur quotidie ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum aquæ portulacæ, thamarisci vel syr. acetos. simpl.

Pro corde & palpitatione.

AD cordis alterationem parantur ex supradictis conseruis, & pulueribus cordialibus de quibus non plura: interdum tamen animaduertendum ad palmum, cardiacam, & palpitationem, maximè fieri, & parari opiatas cordiales. Fit autem palpitatio cordis potissimum à flatibus, qui sunt in crapula cordis, vel à copia aquæ in eadem collecta, pro quarum differentia parandæ sunt opiatæ diuersæ. Cardiaca autem oritur à paucitate spirituum, aut quia perturbantur à spiritu melancholico, aut ob eorum motionem & influxum. Confectio itaque alchermes principatũ obtinet in cardiaco affectu, quia spiritus crassos attenuat, & melancholicos à corde profligat. Conserua etiam de buglos. cùm sit temperata, spiritus gignit, & temperat, & fouet: hanc prodesse sæpius experti sumus, vel quia hilaritatem parit. Talis autem opiata sequens erit.

Cardiaca caussa. *Confectio alchermes* *Conserua buglossæ.*

℞. confect. alcherm. ʒ. ß. conseruæ radicis bugloss. ʒ. j. conseruæ florum anthos ℥. ß. pulueris diamarg. frig. (quod dicitur respectu alterius calidioris: nam & ipsum re vera calidum est) ʒ. j. cum syrup. de pomis redolentibus (qui valet ad hunc cordis affectum. Fit & compositus ex elleboro nigro, & aliis calidis ad melancholiam expurgandam) fiat opiata, qua sumpta superbi-

batur parum vini diluti aqua borraginis vel bugloss.

Pro palmo à flatibus, non ab aqua.

SI palmus fiat à flatibus, hæc non admodum erunt ex vsu, quia syr. de pomis ingreditur. Poma enim flatus, seu ventositatem seruant, vsque ad tertiam concoctionem, vt Auic. scripsit. Necessum itaque magis erit ea incorporare cum syrup. conseruæ cortic. citri, vel ex his parare quæ flatus discutiunt, & primam coctionem iuuant, in aqua multi flatus gignuntur, huiusmodi parabitur ex corroborantibus cor, & ventriculum, vt

℞, confect. arom. rof. ℥. j. diarrhod. abb. & confect. alcherm. ana ʒ. j. corticis citri saccharo conditi ℥. j. conseruæ bugloss. & anthos ana ʒ. iij. fiat opiata cum syrup. conseruationis cortic. citri cap. ante & post pastum (nam primas tenet ad iuuandam primam coctionem) superbibendo parum vini cum aqua mentæ, & absynthij diluti.

Pro palmo ab aqua.

QVòd si ab aqua fiat cordis palpitatio, euacuantibus elicienda erit aqua, & ægrotantes in otio retinendi, quia nisi moueantur, hoc morbo non corripiuntur. Opiatam autem, ne cordis affectum negligere videamur, parabimus, additis superioribus quibusdam partibus ex cordialibus resiccantibus, vt ex rasura eboris, cornu cerui, coral, rub. vsti, ossis de corde cerui. Vel fiat cinis ex pericardio bouis, quomodo vtamur, vt

℞. opiatæ præordinatæ ℥. ij. coralli rub. vsti, & loti aqua meliss ʒ ij, rasuræ ebor ʒ. pul. marg. ʒ. ß. cum syru, conseru. cortic. citri, fiat opiata, capiat serò & manè.

Pro capitis affectibus.

AD capitis affectus diuturnos parantur opiatæ diuersæ pro affectuum ratione, veluti ad calfaciendum, exiccandum, & refrigerandum: ad humectandum verò rarissimè, quin potiùs topicis remediis id peragimus, quàm opiatis. Fiunt etiam opiatæ ad morbos per consensum factos veluti in dolore capitis, & ventriculi per consensum facto. Præscribuntur etiam opiatæ, in quibus maior tamen est obseruanda cautio, quàm vulgus facit, qui praxim exercet. Omnes enim opiatas ex odoratis faciunt, non reuocantes in memoriam, quæ

scripsit

scripsit Hippoc. de odoris. Odorata enim muliebria ducunt, sed capitis grauitatem faciunt, vt tertio *cata topous* Gal. indicat de croco & myrrha. Parandæ igitur erunt opiatæ ad capitis affectus, vt in epilep. doloribus capitis per consensum factis, & in vertigine ex calidis exiccantibus, vel consumentibus materiam, citra vllam effumationem, in quibus parandis hic seruabitur ordo. Primùm igitur recipiant, quæ nullo modo odorata sunt, deinde quæ param admodum odorata sunt, quales sunt cineres odoratorum, & aliorum, quæ sua natura sunt inodora, vt corallum, cornua, ossa, lapides, & semina quædam pauco odore prædita, vt lactucæ, port. papaueris, coriandri, tametsi parum odoris habeant. Conseruæ præterea nonnullæ, quæ non multùm odoris habent, vt conserua viol. capil. ven. ceterach, acori vulgar. saluiæ, vel anthos, quæ paulò maiorem spirant odorem. Conserua verò stechados nimiùm caput tentat: zinzibet conditum, cortex citri, parum redolent: myrob. conditi cass. olent, ob id lauandi sunt. Audio præterea aliquid admisceri, cass. syrupo conseru. myrobalanorum. Quòd si ita est, inutilis sanè erit ad astringendum, vt practici putant. Præterea renouatur frequenter, imbecillior idcirco redditur & inefficacior.

Vtilissima hæc in frigida.

Conserua.

Pulueres omnes dicti capitales ambram, vel moscum recipiunt, aut crocũ & alia fumos excitantia. In morbis itaque, qui per effumationem fiunt, non sunt dandi, aut contra vulgarem opinionem, & cõsuetudinem exhibendi, id est, ante cibum, vt eam effumationem imminuat cibus suprà ingestus, quemadmodum multos dolores sedari vidimus sumpto cibo. Eam ob caussam tremulos, vertiginosos sumpto cibo meliùs habere experimur.

Quo tempore exhibenda.

Nonnullis cibo sumpto dolor cap. sedatur.

Ad morbos capitis frigidos.

AD morbos igitur frigidos, in quibus nullus est dolor, aut nulla effumatio, fiet hoc modo.

℞. conserue capilli vener ℥.j. conseruæ anthos, zinzib. conditi ana ʒ.iij. cineris hirund. ℥.ß. coral. rub. vsti ʒ.j. piper. tenuiss. pulu. ʒ.j. ß. cum syr. de stechade fiat opiata

Piper hîc ponitur, quia insigniter calefacit, & exiccat, & non est admodum odoratum, zinziber præterea

conditum non multùm olet. Insuper conserua anthos non multùm calfacit, & exiccat insigniter. Syrupis de stechade sine odore est, & alia medicamenta quæ huic alligantur. Omnia autem medicamenta, quæ huic affe-ctui conuenire videntur, simul colligata, in olla perfora-ta imposita in furno vrantur, donec in cineres rediganttur, qui postea lauantur, si timeatur odor vstionis. Sin fie-ri potest, bonum est empyreuma seruare ad maiorem calfactionem, vt

℞. summitat. rosmar. cinam. macis, nucis moscatæ, garyoph. ana ℥. ß. hirund. vel pellic. castor. priapi tauri an. ℥. j. vrantur, vt supra dictum est, & ex cineribus cum pauco saccharo & syrup. de stechade fiat opiata. Valet ad paralys. conuul. plenitudinem, & oculorum reumatis-mos, & aliarum partium, ad articulorum dolores à mor-bo Italico, & alios affectus, in quibus multùm exiccan-dum. Ex sale, item ostreis, spongiis, & plerisque aliis ma-rinis exiccantibus parari possunt ad capitis affectus diu-turnos. Tales enim plerunque à larga humiditate fieri solent. Sed de his satis.

Ad Vrinas, & menses mouendos, & ad Venerem.

AD opiatas cientes vrinas, menses, lapides commi-nuendos, & vlcera curantes venimus. Ad eos e-nim affectus non erit difficile parare opiatas his, qui pulueres, & syrup. idem præstantes cognouerunt, aut si ex conseruis obseruarunt quid quæque efficere soleat, veluti conserua eryng. & vrinam, & menses, & vene-rem mouet. Idem ferè efficit conserua radic. apij & pa-stinacæ agrestis. Difficile ergo non erit hoc modo opia-tam parare.

Conserua eryng.

℞. conseruæ eryng. radic. pastinacæ agrestis ana ℥. j. trochiscorum de myrrha ʒ. iij. cinamomi ʒ. ij. cum syr. de arthemis. fiat opiata, sumatur manè, deinde superbi-bat cyathum vini hippoc. vel decoctionis puleg. aut ca-lamintæ. Fit & vt diximus de pulueribus & pilulis assu-mendis propter eundem affectum viscerum. Hæc autem medicamenta minùs commodè in opiatarum formam reducuntur. Nam opiatæ & multum syrup vel conseruę vel mellis capiunt, & molem augendo vim medicamen-ti minuunt. Cæterùm si quis efficaciorem conficere stu-

deat

deat, conseruam tantùm permittat, & ex pulueribus, & herbarum succis paret, vt ad menses prouocandos hoc modo parabitur.

Ad menses mouendos.

℞. Succi eryng. succi sabinæ, & puleg. depuratorum an. ℥ iij. cinamomi, azari, myrrhæ, croci ana ℥ j. seminis nigellæ ℥. ß vel ℥. j. ß. simul incorporentur, & fiat opiata. Ad dulcorandum adde parùm syr. de arthem.

Ad calculum.

AD calculum simili modo parantur ex succo fœnic. marini, vel portulacæ, & succo seminis paliuri, vt ℞. succi port. fœnic. marini ana ℥. ß. seminis paliuri ℥. j. azari, & ocræ ana ℥. iij. cinamomi, seseli ana ℥. j. fiat opiata addito pauxillo syrup. de bizant. vel de quinque radic. Parantur etiam ex pulueribus, vt lithontripon, lapide Iudaico ana ℥. ß. vel pilulis additis, succis humidis vel syrupis.

Ad venerem excitandam minuendámve.

AD venerem tum excitãdam, tum minuendam præscribi solent medicamenta quæ formam opiatæ sortiuntur. Cùm enim hæc forma humida sit, & consistentiam aliquam habeat, diutius durare potest. Cæterum in opiatis venerem excitantibus, duo maximè requiruntur, scilicet vt substantia seminis augeatur, & id flatulentum fiat, aut acre: ob id quæ multùm alũnt præscribuntur, & cibus, & alia quæ semen augere possunt, quales sunt nuclei pinearum, pistaciorum, amygd. auellã. testiculi gallorum, cerebra passerum, quibus addi potest caro testudinum, semen fraxini, quod linguam auis vocant, cereb. porci cum origano paratum. Permulta flatus gignunt, quędam frigidiora sunt, quàm vt semen augeant, quæ verò calida sunt & flatulenta, ea prouocare creduntur venerem, vt bulbus eiúsque semen, radix vtriusque pastinacæ, satyra, orchis, eruca recens, origanum, erysimum recens, farina fabarum, castaneæ elixæ, & alimenta ex lacte parata, & semen lini, vt Gal. placuit, & quęcunque nimis sicca in lacte macerata, paratáque. Quòd si corpus ob nimiam refrigerationem ad venerem non excitetur, aut in mulieribus sopita sit venus ob nimiam humiditatem, vtilissima erit hæc opiata.

In venerẽ excitantibus duo requirũtur.

Venerem prouocantia.

℞.conseruæ radic. eryng. zinzib. conditi an. ℥.j. testiculorum gallorum decoctorũ in lacte ℥. ß. pineorum mundatorum & in lacte maceratorũ ℥.j amygd. auellanarum maceratarum in melle per diem naturalem an.℥. ß.seminis bulbi ʒ.j cum syr. conseruæ cortic. citri. fiat opiata, de qua sumatur ante pastum. In his autem resiccantia non sunt addenda, ne resiccando materiam absumant. Moscus autem & ambra ob odorem, & caliditatem quandam conueniunt, quia spiritus incendunt. Solus enim odor venerem mouet. In paulò autem calidioribus magis vtimur temperatis medicamentis, vt

℞.conseruæ satyr. ʒ.ij. cortic. citri conditi ℥.ß. auellanarum cum melle maceratarum numero x pinearum, & pistaciorum in butyro breuiter frixorum an. ℥. j. carnis testudinis decoctæ cum eruca ℥. ij cinamomi ʒ. ß. cum syr. conseruationis eryng. fiat opiata: sumat vt priùs ad quantitatem nucis magnæ, sed sobriè post alendum. Cœna enim copiosior, seminis acrimoniam obruit, & vim minuit medicamenti. Vtendum autem alimentis multùm nutrientibus.

Pro ijs quibus semen est acre & fluidius.

QVibus semen est acre suapte natura ad venerem excitátur, & citissimè semen reiiciunt, aut illis ob tenuitatem effluit, sine magno sensu, & ante secundũ concubitum, aut citiùs detumescit, atque languescit mentula, quàm mulier ad expulsionem parata sit. Hinc fit vt frequenter apud medicos conquerantur, ad quorum curationem non quæ venerem mouent, nec quæ eam extinguunt, sunt danda: sed quæ semen crassius, ac quæ flatus augent. Spiritus autem crassos reddunt castaneæ elixæ, poma, oriza in lacte cocta. Et quanquam hæc ad alimenta potiùs, quàm ad medicam referuntur, ex his tamen tale medicamentum possumus conficere, vt

℞. pinearum conditarum cum saccharo ℥. ij. radic. pastinacæ agrest. ℥ j caul. lactucæ & carnium cucurbitæ conditæ cum saccharo an.℥ j. ß. carnis testudinis coctæ cum oriza ℥.iij. cum syr. conseruationis satyr. fiat opiata, sumat ad nucis quantitatem tribus horis ante pastum. Hęc enim cum aliis topicis remediis mirum in modum prosunt.

Ad

Ad seminis profluuium, & Venerem minuendam.

AD venerem minuendam, & seminis profluuium diuersæ fiunt opiatæ. His enim qui salaciores sunt, ob seminis copiam, minuenda subtrahendo alimẽtum. Facilè enim sistitur impetus ille libidinis. Quòd si ob seminis acrimoniam sint salaces, aut partium caliditatem quæ perpetuò attrahunt, plusquam necessarium sit ad sui nutritionem, vtile erit medicamenta præscribere frigida, & sicca, aut sicca cum magno calore. Frigiditate sua semen minuit nymphea. Eius itaque conserua cum semine papaueris vsurpanda, coralli fragmenta, & lapides preciosi vt iaspis, cristallus, camphora, vt,

℞. conseruæ nymph. ℥. ij caul. lactucæ ana ʒ. j. coralli rub. & crystalli ana ʒ. iij. camphoræ ℈. ß cum syrupo myrtill. fiat opiata. Ad horum autem castigationem, quibus interdum ventriculus læditur, semen rutæ commodè admiscetur cum agni casti ℥. ß. quæ calore nimio semen resiccant, & extingunt. Si autem, qui cachexia laborant, aut atrophia, sint ad venerem procliuiores, & valentiores, longè alia ratione progrediendũ. Non enim à calore, aut seminis copia id pendet, sed quia semẽ flatulentum latiùs distendendo mẽtulam repletionis speciem præbet, & mẽbrum dilatando ad expulsionem disponit. Flatus autem fiunt à calore imbecillo ob cacochy. & quia atrophia laborant, aut malè dormiunt, hoc symptomate magis vexantur. Oportet itaque partes illas inferiores cõstringere, & flatus discutiendi, calorem intendendo, adiuncta facultate concoctrice hepatis, ventriculi, & venarum.

Quomodo agendum cũ iis qui cachexia ad venerẽ sunt proniores.

Ad ventriculi corroborationem.

AD ventriculi confortationem fit medicamentum ex confectionibus, & pulueribus supradictis. Hæc autem medicamenta multò meliùs in forma pulueris sine multo saccharo parantur. Nam saccharum & mel, aliáque dulcia ventric. laxando flatus gignunt & maximè quando humiditatem paucam adiunctam habent. Parabimus autem hoc modo opiatam.

Dulcia flatus gignunt.

℞. cortic. citri cum saccharo conditi loti in vino ℥. ij. confectionis aromatici rof ℥. j. anis. ʒ. iij. fœnic. ʒ. ij seminis rutæ & viticis ana ʒ. j. cum syrup. de menta fiat

Si folia mentæ ſicca apponuntur, præſtantiſsimum erit remedium. Minuit enim ſemen menta, & ventriculum corroborat aſtrictione leui & calfacit. Et quia ſemẽ homines audaces & furibundos reddit, communi prouerbio dictum eſt, tempore belli neque edendam, neq; ſerẽdam mentam. Ob mirabilem itaque mentæ facultatem ſyrup. de menta addimus, aut fiat ſic.

Menta.

℞. fol. mentæ ſiccæ ℥.ij. ſeminis viticis ʒ.iij. aniſ. fœn. ana ʒ.ij. ſeminis rutæ ʒ.j. corti. citri ſicci, coral. rub. vſti loti in aqua rutæ ana ʒ.ij. cum ſyr. de menta fiat opiata, ſumatur ad quantitatem fabę ante paſtum. Efficacior erit quàm ſi ex aromatico roſ. aut aliis pararetur, quia ob moſcum & ambram minùs conueniunt. Hic autem affectus accidit poſt veneris vſum immodicum, ob vaſorum dilatationem, aut potiùs relaxationem. Aliis igitur remediis, quàm refrigerantibus huic affectui occurrendum, ſcilicet iis, quæ iuuant concoctionem. Illi enim euacuati cum ſint, & refrigerati, flatus, qui affectum augent, gignunt. Ex conſtringentibus, & reſiccantibus ſic.

℞. conſeruæ enulæ camp. & anthos ana ℥. ij pul. irid. Venetiæ ʒ.iij viticis & rutæ ana ʒ.ij. rad. biſtortæ, & ſeminis vuarum ana ʒ. j. radi. cyper. ʒ. ß. fiat opiata cum ſyr. de menta, ſumat manè cum inunctionibus circa renes & pudenda illas partes aſtringentibus.

De colicis & arteriacis.

Fiunt autem colica medicamenta & arteriaca ea forma, qua & opiatæ, veræque ſunt opiatæ. Recipiunt enim opiũ, vnde nomen ſumpſerũt, vt mithridatũ, theriaca, philonium, aurea Alexandrina. Quoniam verò vſus ſuperiorum medicamentorum exoleuit hoc tempore, aut ſi quis ſit vſus illorum, non diſtinguntur ab arteriacis, è re fore putamus, ſi hoc loco rationem vtriuſq; poſt Gal. doceamus. Colica igitur medic. ſunt anodyna, quæ ſtupefaciendo partis ſenſum auferunt, & neceſſariò dolorem ſedant. Dolor enim nõ poteſt eſſe ſine ſenſu partis, cùm dolor ſenſus ſit triſtis. Quia verò tales colici dolores, vnde colica medicamenta nomen ſumpſerunt, fiunt à materia frigida, & craſſa, vel à flatibus medici ſolis frigidis non vtuntur. Calida autem ad materiæ præparationem, & concoctionem addunt, vt piper longum, vel

Colica.

vel nigrum,crocum,styracem, pyretrũ. Et quia hæc medicamenta anodyna, vt hyosciamus, papauer,mandrag. opium, sunt fœtida, & aduersa ob insignem vim refrigerandi,odoratis &calidis castigantur,vt castoreo,myrrha, croco,styrace,pyretro,vel euphorb.& aliis calidioribus. Semper enim hos dolores flatus comitantur, vt semine anisi,dauci,semine apij,petro,aliisque flatus discutientibus sedantibus dolorem, & odoratis,hácq; ratione Philonium est compositum à Philone. Asyncriton ab alio, vt pleræque aliæ compositiones.

Artheriaca autem medicaméta fiunt ad sistendas fluxiones tenues,vnde lyquirit. M. & alia medicamenta expectorantia addimus.Ex stupefacientibus opium, & castigantibus opium,quæ simul detergendi,& concoquendi vim habent,vt styrax,crocus myrrha. Addimus detergentia propter id quod iam influxit, vt opij & aliorum medicamentorum amarorum, adduntur & inspissantia, vt amylum,tragacan.bolus arm. terra sigillata quę excipiuntur syr.iuiubino,vel de papauere,vel violato. Tales multæ compositiones reperiuntur apud Gale. vt pilulæ de arnogloss. styrace, pilulæ contra omnes catarrhos apud Mesuem. Sed quia colicis medicamentis vtuntur nostri medici,& in colico,cum nephritico dolore,& doloribus vlcerum vesicę,& renum absque vlla ratione,indicandum nobis, qualia debent fieri medicamenta ad hos morbos à colicis diuersa, ne in vulgarem errorem incidamus. Quare hæ compositiones multa calida recipiunt, vt euphorbium, pyretrum atque multa alia aperientia,& incidentia vlceribus aduersissima. *Artheriaca.*

Duas itaque medicamentorum differentias possumus constituere: altera vtimur ad affectus à materia frigida, vt colicis doloribus, altera in pulmonum affectibus, aut vlceribus renum & vesicæ. Medicamenta dolori colico determinata,fieri debét ex superiùs enumeratis,vt opio, ex concoquentibus,vt pipere,& croco,ex discutientibus flatus,seminibus anis. apij,petro.vt *Colico dolori determinata.*

℞.opij ʒ.ij. castor. euphorb. styrac.myrrhæ, piperis longi & nigri ℈. j. seminis apij,petro.cumini,cinamomi ana ℈. ij cum melle despumato fiat opiata, quam magna quantitate paramus, quia diu permixtam esse, &

per sex menses conseruari oportet, antequam illa vtamur, quanquam aliter vulgus medicorum faciat, non sine magno ægrotantium malo. Quòd si huiusmodi compositio non reperiatur parata, diluimus opiũ vino maluatico antiquo, atque in mortario calido diu permiscemus castor. euphorb. myrrha, croco, vt eorũ acceleretur permixtio, maioremque calidorum quantitatem addimus, quia statim vti volumus, non in tota massa, sed in ea parte, qua vti tunc volumus. Parari etiam potest eiusmodi compositio colica ex pulueribus odoratis calidioribus opio, & syr. aliquo, vt si quis accipiat galangæ vel aromat. ros. vel diambræ, vel diamosci ℥. ß. opij diss. in vino maluatico, vel aqua vitæ ʒ. j. croci castor. ana ℈. j. cum syr. de stechade fiat opiata, de qua sumatur ʒ j. cum vino & aqua hyss. vel ex floribus citri, vel absynthij quos multùm conducere his affectibus frigidis frequenter sumus experti. Idẽ præstat aqua ex floribus croci. Ego autem non probo eos, qui dũ opium tẽperant, laxantia addunt vt benedictam. Talia enim medicamenta opio addita non laxant, atque ita inutilis est permixtio. Satius igitur fuerit, pro laxantibus discutientia flatus addere, & calida, quia opium castigant. His compositionibus vti poterimus in dolore nephritico, vel vterino. Sin nephriticus dolor adsit cum arenulis, commodiùs parabitur ex relaxantibus quibusdam, odoratis & narcoticis, vt,

Pro dolore nephritico.

℞. Liquirit. ros. myrrhæ, styrac. azari, spicæ celticæ, scœnanthi, seminis paliuri, alicacabi & bismal. an. ʒ. j. apij, petro. rubiæ maioris ana ʒ. ß. opij ʒ. ij. croci ℈. j. cum syr. capil. ven. & pauca terebinth. lota in aqua graminis, & vino albo fiat opiata, sumatur à ℈. j. ad ʒ. j. post vomitum, vel detergentia medic. dentur. Si verò ad dolores vesicæ cum vlcere parabuntur ex leuiter detergentibus sine morsu, & sedantibus dolorem stupefaciendo, & asperitatem vlceris auferendo, vt,

Pro dolore vesicæ cum vlcere.

℞. Succi liquir. ʒ. ß. myrrhæ, styrac. thur. mastic. ana ʒ. j. gummi tragac. & arab. ana ℈. ij. opij, cort. mandragor. an. ʒ. ij. papaue. alchecang. seminis endiuiæ plantag. & bismal. ana ℈. ij. cum syrup. iuiubarum, fiat opiata

opiata: sumatur ʒ. j. longè à pastu, superbibendo decoctionis hordei mundati parum.

De arteriacis.

ARteriacæ parantur ex detergentibus, & expectorantibus, incrassantibus modicè & asperitatem lenientibus, vt trachiæ arteriç asperitas leniatur, quod defluxit nõ retineatur, quod fluxum est, incrassando sistatur. Ob id incrassantia magis conueniunt, quàm astringentia, quia astringentia retinent quod iam influxit in pulmones, incrassantia autem non impediunt expectorationem, sed potiùs iuuant, si tenuis sit materia. Meliùs autem retinerentur hæc medicamenta in pilulas, vel formulas, quia diu retenta magis sistunt. Possunt autem hæc in opiatas reduci sic.

℞. succi glycir. styrac. gummi tragac. & arab. amyli ana ʒ iij. boli armeni ʒ. ij. opij ʒ. j ß. cum syr. iuiubarum fiat opiata, sumatur ʒ. j. longè à pastu. Præscribi igitur poterit ad vlcera vesicæ & renum. Deterget enim leuiter, aut saltem excrementorum asperitatem mulcet, & maximè temperat, si detur cum lacte ouis, vel cremore hordei valdè diluto, vel cum ouo crudo calfacto tãtùm. Similes opiatas conficiebant antiqui ad affectus hepatis, renum, vteri, & aliarum partium, & dysenteriam, quibus iam nos rarò vtimur. Si quis tamen velit vti, vtatur in vehemẽtissimo dolore, viribus tamen non exolutis, nec debilibus. Fiunt autem fortiora remedia, sed non nisi fortioribus corporibus dari debent.

Hepatica opiata.

HEpaticæ fiunt opiatæ additis hepaticis, vt si ad dolorem hepatis præscribatur, dabitur cum dialacca, aut cum diacurcuma addita ʒ. j opij pro ℥. j. confectionis diacurcumæ, vel dabitur ex puluere aromatici rosa. & triasand. vel diarrhod. abb & opio cum syrupo de absynth. In calido quidem affectu ex triasand. & diarrhodo, in frigido ex dialacca, vel ex diacurcuma.

Pro dolore in fluxu ventris.

AD fluxum ventris dysentericũ paratur ex resiccantibus, constringentibus, & narcoticis castigatis sic.

℞. acaciæ, hypocist. carnis cydon. sumach. gall. ana ʒ. j. coralli rub. vsti, & loti in aqua rosa. ʒ. j. ß. opij ʒ. j. cina-

momi crassi,& cyperi ana ʒ.ß. cum syr.de ros. siccis fiat opiata satis spissa, vt in forma pilularum vel morcellorum inuolutorum in nebulis, vt deuorari possint. Addi potest ʒ.j.ß.boli armeni,vel terræ sigillatæ.Tales compositiones reperiũtur apud Gal.*Κατὰ τόπους*. In lienteria non conueniunt, nec admodum in diarrhea,nisi vehemens dolor adsit,quod non frequenter fit.

Ad vteri dolores.

AD vterum parata est triphera magna sine opio.Ineptè autem fecerunt, qui opium sustulerunt, tali confectione.

Si autem in frigida constitutione vel ad temperandũ vti volebãt,cur alias potiùs opiatas magis delicatas,magísque conuenientes non temperabãt,aut etiam theriacam,mithridatum,auream alexandrinam, aliásque confectiones,quæ opium recipiunt, præscribunt? Aut si opium addere reformident,cur mandragoram etiam non expunxerunt,quæ non minùs aduersa est,quàm opium? Hæc autem fecerunt, quia ignorant mandragoram recipi, aut ignorãt qua ratione sine opio primùm instituta fuerit. Aliquis forsan voluit certa de caussa tripheram parari sine opio,vnde qui sequuti sunt,nulla animaduersione adhibita, sed ex fide practicorũ semper sine opio præscripserunt. Talis igitur compositio vtilis erit ad fluxum vteri. Vtemur itaque in doloribus vteri triphera cum opio,aut parabitur ex calidis flatus discutientibus, & narcoticis,si dolor adsit sine vlcere,vt,

℞.castorei,myrrhæ,croci, styrac. (quia menses prouocat, & aperit obstructiones sedando dolorem) ana ʒ. ij.radic.ireos,spicæ nardi, folij malabatri, azari an.ʒ.j. opij ʒ.j.ß.cum syr.de arthem.fiat opiata,sũmatur ʒ.j.superbibendo parum vini albi diluti aqua ex floribus citri. Ego ex odoratis & calfacientibus paraui hoc modo.

℞. pulueris diamosci, & diambræ ana ʒ. ij. castorei ℈.j opij.ʒ.ß. cum syrupo de arthemi fiat opiata,sumatur ʒ.j.vt suprà.

Si verò præscribatur ad dolores vteri à materia calida,vel à carcinomate depascente,aut vlcere depascente,aut purulento,non dabuntur talia medicamenta quę maiorem dolorem parti inferant, quàm auferant. Ex deter-

detergentibus itaque sine morsu imminuendo quantitatem, dolorem sedabimus, & acrimoniam excrementorum frangentibus, & partis affectæ sensum minuentibus, & vlcus excitantibus, vt

℞ bdellij (quod euocat & detergit) myrrhæ ana ʒ.j. cortic. thur. sarcocollæ, mastich. ana ʒ.j ß amyli, styrac. ana ʒ.ij semin papauer. albi, endiuiæ, plantag. ana ʒ.j. ß. cum syr. iuiub. fiat opiata. Quòd si dolor non sedetur, augeatur quātitas opij ad ʒ.iij. Si verò sanguinis fluxus adiunctus sit, ratione fluxionis astringentia augenda sunt, detergentia verò minuēda, quæ in istis affectibus pauca esse debent, quia detergendo partes superiores, partem affectam recrementis onerāt, sed supra partem affectam detergentia apponenda sunt, quod in aliis etiam vlceribus obseruandum est, nisi in ventriculo, & intestinis superioribus fuerit vlcus, ad quas partes citò medicamentum penetrat, sine multis recremētis, neque illorum ratio valet, qui purgato corpore hæc dari oportere dicūt, cùm ita non possunt purgari, quin semper aliqua cruda, & alia remaneant. Redeamus autem ad medicamentum constringens, & fluxum retinens, vt

℞. acaciæ ʒ.ij. sang. dracon. boli arm. terræ sigill. (quæ duo valent aduersus venena, non à proprietate occulta, sed substantia sua emplastica, & astringente, qua prohibent venena fieri per corpus) ʒ.ij. opij ʒ.j. cortic. thur. mastich. sarcocollę an. ʒ. ß. cum syr. de papauere. & myrtill. fiat opiata, capiat ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum aquæ plantag. & bursæ pastoris. & sanguinalis, quæ sanguinis impetū à quacunque parte fluat, sistere potest, maximè si ob tenuitatem fluat, aut facultatis expultricis irritationem, vt in crisi superflua accidere solet.

Bolus ar. terra sigil. valent aduersus venena.

De eclegmatis siue loboth.

Eclegmata Græci vocant, quæ interpretari possumus elingibilia, eo quod lambendo assumantur. Arabes autem loboth appellāt. Fiunt autem ad trachiæ pulmonumque affectus, vel minùs propriè ad linguæ asperitatem, vel ad alicuius partis inflammationem, vt oris, & columellæ. Labuntur vt sensim descendendo, diùque retardando tandem in trachiam arteriā penetrent. Quare

hæc medicamenta ſemper aliquid viſcidum recipere debent. Fieri ſolent ex materia conuenienti affectui. Nam ſi ad expectorationem detergentia materiam recipiũt: in vlcere & catarrho, detergentia pituitam: in coſtarum & pulmonum inflammationibus, leuiter detergentia ex vſu ſunt. Si ad vlceris exiccationem, exiccantia ſine magna deterſione. Si ad ſputum ſanguinis, leuiter conſtringentia & glutinantia. In ſumma detergentia omnia ſunt dulcia, amara, nitroſa, & quædam acria. Amara autem prætermittimus, quanquam antiqui myrrha, aliíſque amaris vſi ſunt: nos verò eorum loco, dulcia, leuitérque amara vſurpabimus, vt enulam campanam, conſeruam iris, & marrubij, atque etiam acria, vt ſquillam, eryſimum, hyſſopum. Præſertim autem dulcia, quæ alimentis annumerantur, vt saccharum, ſapa, vinum dulce, mel, ficus, aut earum decoctio, vuæ paſſæ, iuiubæ, dactyli, decoctum hordei, eiúſque cremor, ptiſana: radic. dulc. vt glyc. & detergentes, vt graminis radix recens: & acres, vt enula campana recens, iris, ſquilla, ſed & porrum his admiſcetur maximè cum dulcibus, quia pituitam craſſam incidendo, eius concoctionem adiuuat. Detergunt præterea amygdalæ, pineæ, auellanæ, & medullæ quatuor ſeminum frigid. ſemen bombacis: & viſcoſa, vt gummi tragac. arab. mucilago, ſeminis mal. ex conſtringentibus & refrigerantibus mucilago ſeminis pſilij, cydoniorum, albumen oui, & cremor ptiſanæ in ſputo ſanguinis per ſe, vel cum aliis permixta ſanguinem retinent. His adduntur conſeruę capil. ven. Syrupi ſatis viſcoſi ſunt, & ad expectorationem alias accipiendam ſufficiunt. Terebinthina interdum ad deterſionem, & calfactionem, & retinenda medicamenta his adiicitur.

Materia. *Detergentia.* *Dulcia.* *Deterg.* *Cõſtring. & refrigerantia.*

Ad catarrhum.

AD catarrhum tenuem in principio inflammationis, in quo inſpiſſare oportet, & leuiter detergere, hæc præſcribuntur.

℞. pul. diatrag. frig. ℥. iij. ſacchari candi, penid. ana ℥. j. ſyr. iuiub. q. ſ. fiat lohoth, capiat lambendo. In progreſſu autem, nimíſque tenui materia, additur diairis ſimpl. & pro ſyr. iuiub. violatus ponitur. Si materia magis craſſa ſit, vt in pleuritide, & peripneumonia à materia frigida

expul-

ex pul. diairis,& pauco diatrag. frig.syr.capill.de glycir. ad maiorem expectorationem hoc modo.

In pleuritide.

℞. pul.diairis simpl. ʒ. ij. diatrag. frig. ℈. j. sacchari candi ℈. ij.syrupi capil. & de glycir.an.℥. j. misce. Conuenit & in declinatione inflammationis à materia calida. Ad incrassandam & sistendam defluxionem fiat hoc modo.

℞.pulpæ iuiub.℥. ß.amyli ʒ.ij.gummi tragac.& arab. ana ʒ.j.;cum syr. de papauere, fiat lohoth,sumatur lambendo. Si magis incrassare,& inspissare volumus,terram sigillatam addimus vel bolum armenam, semen papaueris albi,vel maluarum aut melonum.

Ad mediocrem expectorationem hoc modo.

℞. Pulpæ pass. ℥. j. mucilag. fic. extractæ cum decoctione hord.℥. ß. enulæ campanæ siccæ ʒ. j.pul.diaireos simpl.ʒ. j.cum syr.de glycir.fiat lohoth. Aut sic.

℞. amygd. dulc. pinearum infusarum in aqua decoctionis hord. & glyc. ana ℥.j. ß.pulpæ pass. ℥. ß. seminis mal. & bombac,ana ʒ.ij. semin.anis.ʒ.j.succi glyc. ʒ. ij. cum syr.de pass.vel glyc.fiat lohoth.deterget,expectorat,& materiam crudam concoquit.

Aliud fortius.

℞. Squillæ in pasta inuolutæ,& in furno assæ ℥. ß.fortiter contundatur,cui adde succi glyc. ℥.ij. conseruæ enulæ campanæ ℥. ß sapæ & oxymel.simpl.ana ℥.ij.auellanarum ℥. ß.quat.semin.frigid.incisorum ana ʒ. iij. pinearum & amygd.dulc.ana ℥. j. pistentur simul,& reducantur ad formam lohoth.

Quoniam squilla nō semper reperitur,eius loco vsurpari poterunt trochisci de squilla,aut mel squilliticum. Veteres in his eclegmatis imperabant capil. ven. aliásque herbas,quæ difficulter triturantur,vt hyss. marrub. sed facilius decoquuntur.Ex his fiebat syr. valde coctus, deinde inspissatus,& ad formam lohoth redactus,vt

℞. marrh.capil. ven. hyss.calamint.ana M.j.pass.fic. dactyl.ana num 30.anis.ʒ.ij.glycir.ras.ʒ.iij. quat. semin. frigid. ana ʒ. ij. fiat decoctio in aqua hord. ad qr. j. cui adde pinearum ʒ. iij. gummi tragacan.& arab. pulueratarum ana ʒ. j. pulpæ pass. dactyl. & fic. diligentissimè

contusorum ana ʒ. ß. misce, & addita pauca quantitate sapæ, fiat lohoth.

Ad tussim.

FIt etiam lohoth ex butyro, saccharo & pauca terebinth. quo in catarrho à materia frigida, & pectoris constrictione dilatanda vtimur. Fundit enim, expectorat & detergit. Dantur hæc in tussi, quia à materia crassa, aut tenui tussis fit. Quòd si tenuis incrassanda sit, eclegma ex inspissantibus conueniet: Si crassa extenuanda, & detergenda, quæ ex squilla parantur, & aliis detergẽtibus, erunt ex vsu: vt fit in vocis clarificatione. Si tussis ob pus retentum excitetur, expectorantia leuiter detergendo conueniẽt. In asthmate eadem erunt præscribenda, spectata humoris materia. Qua re tantùm, quæ flatu discutiunt, addentur, vt anis. fœnicul. dulce, quia asthma à pituita spumosa, aut valde crassa fit. Ad sanguinis concreti expectorationem, & sputum eiusdem, aut fluxum inhibendum eclegmatis vtimur. Concretus itaque sanguis extergentibus, expectorantibúsque educitur, addito syru. acet. vel oxymelite. Sanguis retinetur leuiter astringentibus, emplasticis & refrigerantibus. Fortiter enim astringentia anhelitum cohibent, leuiter verò astringentia minimè, sed emplastica, vel lenta admista frigidis satis impetum sanguinis retinẽt. Frigida enim sanguinis feruorem extingũt. Astringentia, quibus vtimur sunt conserua rosantiq. caro cydon conserua cõsolidæ, quæ lentorem habere, & venas coalescere facit. Emplastica sunt amylum, gummi tragac. & arab. bolus arme. terta sigill vel argil. exiccando sanguinem sidunt, lapis æmatites, corallum, sang. drac. suo lentore & astrictione, carabæ suo lẽtore & siccitate. Sunt etiam ex vsu, quæ sanguinem coagulant, vt flos chameleon. flor. gallij, quos etiam spargularia vocant, flores salicis, & cannarum, semina portul. plantag. burs pastor sanguinal. alb. oui, syr. de ros. siccis, de papauere, myrtinus, de iuiubis, quando astringentibus adiungitur. Nam non solùm incrassat aut restringit ad retinendum sanguinis impetum, nisi cum aqua aut succo herbarũ enumeratarum detur, quibus additur succus portul. recens. Ad eundem affectum reperiuntur trochisci parati ex istis simplicib. vt, deter-

Quibus educitur sang. concretus. Astringen. conserua.

Emplastica.

Quæ coagulãt sãg.

de terra sigillata, carabe, bolo armena, de spodio, cum semine acetoso, quæ hoc modo parabuntur.

Pro sputo & sanguinis reiectione.

℞. conser. symphiti, & rosar. antiq. ana ℥. ß. gelatinæ cydon. conditorum saccha. ℥. j. trochiscorum de terra sigillata vel de carabe ʒ. ij. cum syr. myrtil. fiat ad modum lohoth. Solemus enim sic loqui, cùm apponuntur conseruæ, quia videtur habere substantiam nimis crassam. Additur hîc conserua symphiti, quia consolidat, & lentore suo retinet, & leniendo expectorationem iuuat. Ea itaque vtemur quoties retinendum, & expectorandum est. Conserua rosſ. antiq. modicè constringit propter saccharum. Trochisci constringunt & incrassant. Carnes cydoniorum hîc nō apposuimus, sed earum gelatinam: tenuiorum enim est partium, faciliúsque penetrat, quemadmodum syr. de cydoniis, vel eorum succus, qui magis conuenit in affectibus thoracis. Caro autem affectibus ventriculi sic parari poterit.

℞. gelatinæ cydonior. vel succi eorundem ℥. j. amyli, tragacan. ana ʒ. iij. terræ sigill. sanguin. drac. ana ʒ. ij. carabæ ʒ. j lapidis æmath. ʒ. ß. incorporentur simul, fiat lohoth. Quòd si minùs astringat, addi parùm syrup. myrthi, vel de rosſ. siccis. Ad dulcorandum parua quantitas sufficit, quia medicamenta sunt sine sapore. Eadem fient ex puluere prędicto, & albumine oui simul agitatis, si sensim deglutiantur, vt

℞. sanguin. dracon. ʒ. ij. amyli, tragac. ana ʒ. j. seminis portulacæ, papauer. vuarum ana ʒ. j. terræ sigillatæ, vel boli armeni, rosſ. rubrarum ana ʒ. ß. fiat pul. tenuiss. qui albumine oui crudo fortiter agitato, vt sit tenuium partium, excipiatur, sumatúrque eclegmatis loco, cui saporis gratia saccharum rosſ. tabulatum addatur. Ex succis recentibus sic fiet.

℞. succorum bursſ. pastor. sanguin. herbæ plantag. depuratorum propter crassitiem ana ℥. ij. amyli, sang. drac. ana ʒ. iij. corall. rub. gummi tragac. ana ʒ. ij. sacchari rosſ. tabulati q. s. incorporentur simul, & reducantur in formam eclegmatis. Infundantur gummi tragac. in succis. Si non satis lentus sit, addatur modicum albumin. oui, aut syrupi loco sacchari.

Ad pulmonum Vlcera.

FIunt eclegmata detergentia ad vlcera pulmonum, & trachiæ arteriæ, qualia præscripta sunt ad detersionem pituitæ, aut facienda, quæ consolidant, qualia sunt quæ ad sputum sanguinis præscripta sunt, nisi quòd hîc adiungimus, quæ vlcus magis exiccent, vt gum. tragac. arab. torrefact. & consolid. maiorem. Addere solemus conser. ℥. ros. antiq. corall. ciner. cancrorum fluuiatilium, vel marin. priùs lotorum in aqua hord. vel furfuris, quàm vrantur, aut auferatur salsedo, & post vstionem in aqua ros. addere solemus & semen, & cap. papaueris albi, cùm tussis nimiùm vexat infirmum, & vlceris consolidationem impedit, vt

℞. conseruæ symphiti & ros. antiq. ana ℥. j. gummi tragac. & arab. leuiter torrefactorum, ciner. cancr. fluuiatilium vel marinorum, ante & post vstionem lotorum in aqua ros. ana ℨ. ij. corall. rub. boli arm. terræ sigillatæ ana ʒ. j. semin. papaue. albi, & plantag. ana ℨ. j. ß. cum syr. de ros. siccis, fiat lohoth. Fit etiam ex syr. ros. laxatiuo, qui inspissatus in eclegmatis formam citra calfactionem deterget, vt

Tempus exhibendi lohoth.

℞. syr. ros. laxat. ℥. ij. succi glyc. ℨ. j. farinæ hord. ℥. ß. gummi tragac. vel arab. ℨ. j. fiat lohoth, sumatur manè tantùm, serò autem vtatur constringentibus. Manè autem vtendum est, quia dormiendo pus retinetur, vigilando verò pituitam defluentem intercipimus: exspuimus enim & pus incrassatum expellimus. Tempus itaque matutinũ ad purgationem accommodatius est, quàm aliud. His autem eclegmatis pulmonem vulpis addere debemus potiùs, quàm aliis. Nihil enim aliud præstat quàm exiccationem: quod vt meliùs præstet, & faciliùs, in puluerem reductus cum trachia arteria vri debet in furno, alioqui fœtidum nimis est remedium, & minùs gratum.

De tabellis.

DE tabellis autem superuacuum foret quidquam addere, nisi quòd eadem ratione fiunt, qua & opiatæ, id est, ex conseruis pauca quantitate, puluere, & saccharo. Coquitur saccharum in aqua parti vel affectui, vel caussæ accommodata, cui conserua admiscetur, & puluis parti accommodatus seu determinatus supra marmor per-

permixtus extenditur placentæ modo. Vel vt saccharum rosſ. tab. in orbiculos parantur, quibus vtimur. Sed quia conseruæ eas humidiores reddunt, sine conseruis paramus, vt ad ventriculi corroborationem, confortationem, & exiccationem.

℞. pulueris arom. rosſ. ʒ. ij. diarrh. abb. ʒ. j sacchari diss. in aqua mentæ, fiat elect. reducatur in tabellas ponderis ʒ. ij.

Simili modo fiunt cum conseruis ad hepatis, splenis, capitis, aliarúmque partium affectus.

Ad hepatis refrigerationem.

℞. Conseruæ florum cichor. & nenuph. an. ʒ. j. pulueris triasantal. diatragacan. frigidi ana ʒ. ij. sacchari diss. in aqua endiuiæ q. s. fiat electu. reducatur in tabellas.

De conditis.

CONdita non multùm differunt ab opiatis: Conueniunt siquidem materia, fiúntque ex conseruis, pulueribus, & saccharo. In hoc autem differunt, quod plus conseruæ recipiant, pulueris minùs, sacchari puluerisati plurimùm. Hæc magis grata esse debent, quàm opiatę. Nihil itaque amari, fœtidi, aut ingrati, & parum pulueris recipiunt. Pulueres enim propter nimium odorem ingrati sunt ægrotantibus. Ad minuendam autem mollitiem conseruarum exiccamus pul. sacchari albissimi, vt

Conditum refrigerans & constringens.

℞. Conseruæ rosſ. ℥. j. pul. diamarg. frig. ʒ. j. corall. rub. subtiliss. puluerisati ʒ. ß. sacchari q. s. fiat conditum.

Ad sitim & pulmonum inflammationes.

℞. Conseruæ viol. ℥. ß. conseruæ bugloss. ℥. ij. pul. diatrag. frig. ʒ. j. diamarg. frig. ℈. ß. sacchari candi, & albiss. ana partes æquales, fiat conditum, quod refrigerat, confortat, & humectat. Fiunt etiam ad confortandum, alterandum, constringendum, nunquam ad laxandum. Fiunt & constringentia & siccantia modicè, quibus à pastu vtimur ad oris constrictionem, & bonum anhelitum, vt

℞. myrobal. emblic. ablutarum in aqua rosſ. num. x.

cortic. citri, conseruæ ros. antiqu. carnium cydon. ana ℥.ß pul. corall. rub. & margariti tenuiss. pulueratarum ana ʒ.ij. diarrh. abb. & diacydonitæ sine speciebus an. ʒ.ß. sacchari ros. tabulati q.s. fiat conditum, de quo cap. post pastum. Ad spiritus fœtorem additur aromatic. rosatum & parum mosci, & diamosci vel ambræ. Conserua ros. antiqua debet addi, quia magis exiccat, recens magis laxat & humectat.

De pasta regali.

EX iisdem fiunt pastæ regales, ex quibus condita. Additur autem syrupus pauca quantitate, vt pasta siccior efficiatur opiata, humidior verò electuario. Fit que sic ad expectorationem in morbis pectoris.

℞. conseruæ capil. ven. conseruæ bugl. ana ℥. ß. pul. diatrag. frigid. diairis simpl. an. ʒ.ij. penid. sacchari candi, an. ʒ.ij syr. de glycir. parum, fiat pasta regalis, sumatur vt lohoch lambendo cum baculo lyquir. Conuenit expectorationi in morbis pectoris. Vniuersalis & communis hæc pasta est, qua in materia tenui & crassa vti possumus. In tenui autem materia loco syr. de lyquir. syr. de iuiubis apponemus, conseruam viol. vel syr. viol. in febribus autem calidis, & aridis ardentissimis, quæ ex pulpa passularum sic.

℞. pulpæ pass. ℥. j conseruæ enulæ campanæ diligenter contusæ ʒ.ij. pul. diairis simpl. ʒ.iij. cum syr. de lyquir. fiat pasta, quæ admodum expectorat. Itaque vtimur, quando materia multùm crassa est. Incidit & attenuat.

De masticatoriis.

MAsticatoria, oris sunt remedia ad affectus capitis, dentium, trachiæ arteriæ, ad pituitam expurgandam, quæ simplicia aut composita sunt. Simplicia sunt mastix, pyretrum, staphisagria, sena; & quæcunque purgant saliuam mouendo. Composita sunt ex his parata, & in puluerem reducta. In sacculis reponuntur, qui masticantur, aut pulueres, excipiuntur cera alba, quæ masticanda est manè ieiuno ventriculo, deinde expuenda cera. Eligenda autē, quæ non sunt saporis ingrati, quòd diu retineri in ore debeant.

Ad sedandos dentium dolores.

AD sedandos dolores dentium à materia in dentes defluxa fiunt ex radic. pyretri, cubebis, pipere vel aliis medicamentis calidis. Ad sputum sanguinis orti ex corrosione gingiuarum, aut trachiæ arteriæ masticabitur portulaca. Ad linguæ inflammationem eadem masticanda est, vel lactuca, aut aliud repellens.

De pandalis.

AD pulmonum & pectoris affectus vtimur medicamentis pandaleis appellatis, quorum forma ab Arabibus aut neotericis adinuenta. Gratior autem est eclegmate, neque ab electuariis differunt materia aut quantitatis proportione, verùm forma duntaxat. Electuarium enim in forma tabellæ, vel placētæ extenditur: Pandaleon verò integrum remanet, in pixide lignea coquitur, saccharum sufficienter infunditur, & concrescere sinitur, deinde cùm æger eo vultvti, frāgit cochleari aut cultro frustū aliquod, quod in ore retineat, vt tabellam, vel eclegma, & sensim transglutiat. Fiunt autem ex puluere & saccharo in aqua dissoluto, & rursus cocto ad perfectionem, vt concrescere valeat. Sunt qui cōseruas commiscent, nimis autem durum redditur pandaleon, aut alterutrum faciendum, vel minuenda est quantitas conseruarum, aut plus saccharum coquendum. Posset etiam cùm materia est viscosa, aut pro paupere parari ex melle cocto, & fortiter agitato, donec saccharo candidius reddatur, vt apud nos turrones conficiuntur, qui à torrendo dicti videntur. Solent confici ex auellanis, vel amygd. torrefactis, melle cocto exceptis. Possunt & hoc modo fieri.

℞. pinearum contus. & auellan. contus. an. ℥. ß. mell. cocti donec concrescat, qr. ß. reducantur ad formam pandaleon. vel turronum.

℞. pul. diairis simpl. ʒ. ij. piper. gran. v. mell. despumati & cocti q. s. fiat pasta solida, vel pandaleon, quo vtimur in materia crassa, vel lenta è thorace educenda. Piper enim additum aut zinziber pituitam calefacit, incidit, & attenuat, quò faciliùs educatur, nec saporem medicamenti deuastat. Zinzib. autem magis conuenit, quàm piper, quia minùs exiccat.

Ad incrassationem hæc forma minùs conuenit, quia mel nimium detergendo fluxiones excitat. Itaque in naturis & affectibus calidis, in quibus materia tenuis est, aut cùm febris adest, pastas duras seu pandalea ex saccharo conficimus hoc modo.

℞. pul. diatrag. frig. ʒ.ij. sacchari candi & albi, & penidiarũ ana ʒ.j. dissolue in aqua vio. & fiat pandaleon, capiat lambendo. Ad maiorem expectorationem ex pulueris diairis simpl. ʒ. ß. diatragacanti frig. ʒ.j. sacchari solidi in aqua rosſ. soluti q. ſ. fiat pandaleon. Multò autem magis deterget, si pulueris diairis Salomonis apponatur, vt

℞. diairis Salom. ʒ. j. diatragacan. frig. ʒ. ß. sacchari diss. q. ſ. fiat pandal.

Ad incrassationem cum conseruis.

℞. conseruarum viol. ʒ.iij. pul. diatrag. frig. ʒ. ij. sacchari diss. & perfectè cocti q. ſ. & vbi fuerit perfectè coctum, conserua viol. primum ponatur, & exiccetur paulatim donec fiat puluis, qui tritura non eget. Reponantur omnia in pixide, & fiat pandaleon.

Ad expectorationem etiam valet conserua capill. vener. deinde enulæ campanæ vel iridis, si reperiatur. Nec erit reiicienda conserua anthos, quia calfaciendo, & extenuando cum dulcibus mixta expectorat, vt

℞. conseruæ enulæ campanæ diligenter pistatæ ʒ. ij. conseruæ capil. ven. ʒ. j pul. diaireos simpl. ʒ. ij. sacchari dissoluti in aqua hyssopi, vel scabiosæ, melissæ, vel betonicæ q ſ. fiat pandaleon.

De Morcellis.

AD eosdem affectus & ad atrophiam paramus solida medicamenta ex amygd. pineis, medulla quatuor seminum frigid. maiorum, semine bombacis, vel papaueris ad somnum. Semina frigida maiora debent addi, quia alia facilè vertuntur in bilem, cum saccharo fiunt morcelli, vel placentæ, vel tartæ, coquuntur in furno. His adiungi debent flatus discutientia (quia semina frigida maiora ratione frigiditatis, & humiditatis pariunt flatus) sed parua quantitate addi debent, vt anisum, cinamomum ad gratiam: fœniculum dulce ad flatus & exiccationem. Cinamomum probo, nisi in fluxionibus

sibus incipientibus. Tunc enim magis astringens, quale est crassum, quàm illud tenue plus probarem. In hecticis & consumptis ex carne testudinum, paramus & aliis supradictis, non cancrorum: nam nimis facilè dissoluitur.

Ad detersionem fiunt sic.

R. Amygd. dulc. maceratarum in aqua hord. (ad detersionem ne facilè vertatur in bilem) vel viol. vel bugloss. recentium ℔. ß. pinearum eodem modo præparatarum q. j. anis. puluerisati vel integri (ne calfaciat, & penetret in venas) ʒ. ij contundantur & addito pauco amylo, & sacchari q. s. fiat pasta, ex qua conficiantur mors vel placentæ, coquantur in furno postquam panis extractus. Sin flatus sint in ventre & intestinis, anisum non debet conteri, si verò in venis, debet. Amylum nutrit, & vim emplasticam habet.

Ad phthisim & corporis emaciationem, vel atrophiam valet sequens compositio.

℞. pinearum & amygd. dulc. maceratarum in iusculo an. ℔. ß. carnium testudin. perfectè coctarum, vel ranarum propter nutritionem, vel cancrorum fluuiatilium ʒ. iij. medullæ quatuor seminum frig. maiorum, amygdal. ana ℥. ß. anis. ʒ. ij. cinamomi ʒ. j. sacchari q. s. amyli parum, fiat pasta cum pauco iure testudinum & vino, fiant morcelli, coquantur in furno. Ego verò carnis mistionem improbo, quoniã nimium in furno exiccatur, nisi in frusta scindatur, & cum iure paretur. Ranarum coxæ idem præstant: humiditatem enim quandam habent, quæ facilè non dissipatur. Vinum album addi volumus, vt magis nutriat, & faciliùs, & citiùs faciat penetrare reliqua alimenta. Anisum autem, quia humida & dulcia flatus gignunt, ad quorum discussionem conuenit. Addimus tamen, quia gratius & dulcius semen carui, cumini, apij, & fœniculi. Non recusarem fœniculum Italicum illud dulce.

Pignolatum.

Fit huic similis forma, quæ pignolatum dicitur, ex pinearum nucleis in sacchero bene cocto & dealbato impositis, & in morcellos redactis. Nos autem aliquando alia admiscemus & imperamus, vt in formam pigno-

lati reducantur, atque hæc forma fatigatis nobilibus medicamentis & fastidientibus alias medicamentorum efficaciorum formas, imperatur.

De manu Christi.

COmpositio quædam Arabibus manus Christi dicta est, ob iucunditatem: atq; ea duplex, simplex, & quæ cum perlis dicta. Simplex nihil aliud est, quàm saccharum rof. in formam morcellorum, ab eóque solummodo differt, quod saccharum dicitur tabulatum, quia in laminas, vel tabulas supra marmor extenditur. Manus Christi cum perlis fit, addito puluere perlarum, siue margaritarum tenuissimè tritarum. His vtimur in cordis affectibus. Alia vero medicamenta admisceri debent, aut possunt, modò perlis sint similia, nullo sapore, aut odore prædita, ne gratiam medicamenti perdant, vt si quis, dum fluxu ventris torquetur, manum Christi in ore detinere velit, parare poterit cum puluere coralli, qui inodorus est, vt in cordis affectibus cum raf. eboris, vel puluere ossis de corde cerui, vt exempli gratia.

℞. sacchari dissoluti in aqua rof. ℥. iiij. margarit. tenuiss. tritarum ʒ ij. coquatur perfectè saccharum & fiat manus Christi. Eadem ratione cum rasura eboris, vel cornu cerui, vel puluere fragmentorum lapidum preciosorum.

De dentifriciis.

VAriis modis parantur dentifricia, nempe forma opiatæ, aut solida sicca & firma. Nulla autem commodior est sicca, quæ fit ex puluere inæquali, aspero, & sicco, vel ex cineribus detergentium, & resiccantium, vt ex corallo, cornu cerui, conchis marinis, pane hordeaceo, gallis, & nucibus cupressi in furno vstis, vt

℞. cornu cerui, dentium equi ana ℥. ij. concharum marinarum aut pectinum, salis cōmunis, nucis cupressi ana ℥. j. vrantur simul in clibano, & fiat pulu. crassus quo fricentur dentes. Putamina ouorum, vel sepiæ ossa non vsta (fœtent enim) in puluerem reducta, commoda sunt ad dentifricia, quibus adiuncta sunt quædam odorata sapore non ingrata, vt cinamomum crassum, garyophil. Sin dentes corrosi sint & fœtidi, maiorem salis quantitatem addemus. Ex hoc puluere fiunt

opiat

opiatæ cum melle squillitico, vel syr. de rof. siccis, de quibus diximus cap. de opiatis. Ex hoc puluere fiũt dura & solida dentifricia ad formam pyramidis, si excipiantur mucilagine gummi tragac. vel arab parata ex aqua rosarum: longitudinis erunt digitalis, extremo, quod in acutum desinit, quadrato, vel rotundo, quibus in vmbra siccatis vtemur mane & post cibum. Fiunt etiam ex radicibus mollibus gingiuas non lædentibus, vt altheæ, & aliarum coctis in sale, alumine & aceto, vel aqua, quæ salem & alumen recipit, quibus in clibano siccatis & induratis fricentur dentes. Veteres ex lentisco dentifricia parabant, vt & apud nos fit. Possunt etiam ex myrrha aut alio ligno astringente fieri. Sunt qui ex fœniculi festucis ob odorem conficiunt. Cur autem id faciant, non video, cùm nihil astrictionis habeant prætérquam ob odorem. Si verò ex sale & alumine pararentur, vel ex radic. mal. vel bismal. meliores essent, vt,

℞. myrrhæ, mastich. thur. ana ℥. ß. cornu cerui vsti & loti, coralli rub. rof. santalini moscatelini, garyophillorum ana ℈. ij ossis sepiæ, aluminis rochæ combusti ana ʒ. j. lapidis pumicis ʒ. j. ß. salis communis combusti ʒ. j. fiat pul. vtatur cum radice maluæ præparata, vt dictum est.

De pessariis.

PEssarium & nasalia formæ sunt remediorum, quæ ad vterum referuntur. Est autem pessus (vt ex Paulo colligere licet) lana pexa, vel quodcunque aliud teres, digiti humani formam referens quo medicamenta sustinentur, eisque vtimur ad menses mouendos, supprimendos, vteri suffocationem, prouocationem excrementorum vteri. Nasalia eadem esse puto, quanquam nonnulli velint esse bombacem aut lanam pexam, qua pulu is excipitur, vt vtero adhibeatur.

Pessaria verò quoniam dura fiunt, ad formam suppositorij, quæ filo obligata noctu subiiciuntur, vt facilè, cùm visum fuerit, possint extrahi. Fiunt autem ex simplicibus vel compositis pro caussarum & affectuum diuersitate.

Ad menses mouendos.

AD menses mouendos fiunt ex calidis attrahenti-

bus acribus, facultatem expultricem mouentibus, vel ex radicibus aristolochiæ, ciclaminis, brioniæ, foliis abrotani, arthemis. saluiæ, puluer. puleg. mercur. calamint. semine nigellæ, & vrticæ, leucoy. Item ex lachrymis, myrrha, sagapeno, & opopanace. Ex compositis, vt hiera picra Gal. hiera colocynthi benedicta, triphera magna sine opio & mandragora parata. Fieri autem possunt duobus modis ex puluere, scilicet prædictorum medicamentorum excepto aliquo succo, & conformato in formam glandis, vt,

℞. myrrhæ, seminis nigellæ Romanæ & vulgar. ana ʒ.iij. saluiæ ʒ.ij. castor ʒ. ß. cum succo mercur. vel pauca terebinth. vel melle fiat pessarium. Aut puluis ponatur in sacculo confecto ex panno raro, addito pauco bombace, fiat ad crassitiem digiti maioris. Commodissimè autem his vtemur ex puluere benedictæ, quæ attrahentia plurima, aperientia & acria recipit, vnde ducit menses. Vtile enim est & necessarium medicamenta attrahentia apponi, cum sanguis in partem iam non influit, aut vt diuertatur, cùm ad pulmones, cerebrum, & mammas nimiùm influit. His etenim maximè vtimur, cùm vterum expurgare volumus excrementis in vteri cauitate collectis, addimúsque agaricum, & alia pituitosa, quia talis humor maximè redundat in parte, aut cholagoga: si biliosa, flaua, & serosa excrementa sint, hoc modo.

℞. agarici troc. ʒ.ij. pulu. benedictæ ʒ. iij. cum succo mercur. fiat pessarium, adde parum terebinth. vt meliùs vniantur medicamenta. Non enim debet agaricus in tenuissimas partes teri, sed in crassas duntaxat. Potétiùs enim trahit neque retinet, aut lædit vterum.

Ad vteri præcipitationem.

Fiunt ex discutientibus flatus, trahentibus valde, ex odoratis iucundis, hoc modo.

℞. beniouini, styrac. garyoph. ana ʒ. j. galliæ moscatæ ʒ. ß. mosci g̃. vj. fiat pulu. exceptus bombace, imponatur in vterum. Hæc autem simplicia reduci debent in pulueres, quia sunt selectissima, chara, & vtilissima ad hunc affectum, maximè autem si ciuetam, aut moscum recipiant.

Ad menses retinendos.

Fiunt & ex constringentibus, ac consolidantibus ad menses retinendos, vt,

℞. stercoris porci ℥. j. sang. drac. ʒ. j. boli armeni ʒ. ij. cum succo burs. pastor. aut plantag. fiat pessar.


Idem pessarium ablato stercore vtile erit in vlceribus vuluæ, addita cerusa, vel tuthia.

De trochiscis.

Trochiscorum forma tantùm fit ad medicamentorum conseruationem. Nam trochiscis non vtimur integris, exceptis, quos in ore retinemus. Trochisci enim de squilla in theriaca positi formam perdũt, dum in puluerẽ reducũtur. Item trochisci de viperis, diarrh. trochisci de rhab. & alij, quibus in opiatis vtimur. Tali autem forma fiunt, vt iam dictum est, vt pulueres in formam talem reducti diutius conseruentur, qui alioqui perirent, aut exhalarent: quod ex Dioscor. colligitur, qui imperat nardi celticæ radic. & cauliculos foliis abiectis tritos, secerni, vino excipi, & in pastillos redigi, atque ita in vase fictili diligẽter operto asseruari. Id autem conseruationis gratia fieri docet, cap. de cinamomo. Tritum, inquit, vino excipiatur, vmbráque siccatum, quo diutius duret, reconditur. Vtinam idem fieret de reliquis pulueribus cordialibus odoratis. Diutius enim conseruaretur eorum facultas. Trochisci enim sic obdurati ob duritiem & densitatem diutius resistũt aëris iniuriis. Pulueres verò minimè, quia tenues cùm sint, statim aër subit, atque ita alterantur. Cæterum cõficiendorum trochiscorum ratio hæc est. Reducantur in puluerẽ ea, quibus volumus parare trochiscos, si in puluerem reduci possunt. Quanquam & nonnulli trochisci formentur ex quibusdam, quæ puluerisari non possunt, ne eorum facultas deperdatur, vt de viperis, de squilla, & similibus, vt ex recrementis testudinis: sed fieri debẽt decoctiones, deinde vino, aut alio humore excipiuntur, vt odorati sint, aqua rosﾞ. excipiantur, vt trochisci de gallia moscata, de gallia magna, & vino ad ventriculi & hepatis apertionem vt diarrhod. Alij succo endiuiæ, vt trochisci de absynthio: alij succo eupatorij, vt de eupatorio appellati. Trochiscorum alij sunt laxantes, trochi-

ſci alandal, de agarico: alij aſtringentes vt de terra ſigillata, de ſpodio, de carabe: alij aperientes hepatis obſtructiones vt trochiſci de eupatorio, de rhab. Alij ſplenitici vt de cappar. alij ſedantes dolorem vlcerum veſicæ vt alchecangi. Quanquam autem Medicus ipſe non paret medicamenta, ſed paratis vtatur duntaxat, breui tamen indicabimus conficiendi rationem. Sumat itaque medicamenta arida, in puluerem reducat, ac reponat vſui futuro. Trochiſci ventri apti fiunt, ex quibus opiatam parandam docuimus prætermiſſis conſeruis. Eodẽ modo fiunt hepatici, & ſplenitici, & illi qui vrinas mouent, menſes, ſedantes dolorem, & vlcera ſanguinémque & alui fluxum reſtringentes. Tantummodo eligantur medicamenta parti affectæ determinata. Fiunt efficaciora remedia magis communia, quàm propria, & vera, vt multis remediis adaptari poſſint, quemadmodum theriaca antidotus eſt communis omnium animantium morſibus, ſic de reliquis. Fiunt etiam trochiſci ad affectus externos, vt ocularia medicamenta olim in trochiſcorum modum fiebant, vt ex Dioſcor. cap. de nardi ſpica patet, & ex Galen. in methodo medẽdi collyrium album Raſis, trochiſci formam adhuc retinet.

Præterea faciliùs aſportatur forma ſicca, & dura quàm liquida & molli. Poſſumus etiam, cum volumus, in pul. reducere, deinde in opiatas, vt diarrhodum.



GVLIELMI RONDELETII DOCTORIS MEDICI, ET MEDICINÆ IN SCHOLA MONSPELIENSI PROFESSORIS regij & Cancellarij,

De compositione medicamentorum externorum, Liber posterior.

PRÆFATIO.



SVPERIORI libro de internis, id est, de iis quæ in corpus ingeruntur, abundè à nobis disputatum est. Superest vt de remediis externis, id est, quæ exterius admouentur, agamus, quę sunt inunctiones ex oleis simplicibus, vel permixtis, & cæteris, quæ suo ordine explicabuntur: vt linimenta, vnguenta, cerata, emplastra, cataplasmata, pultes, sinapismi, collyria, sacculi, epithemata, fomenta, incessus, balnea, lotiones, suffitus. Cæterùm ab inunctionibus ex oleis tanquam medicamentis minùs compositis auspicabimur. Sunt enim olea veluti basis & fundamentum seu elementum ceratorum & vnguentorum. Fiunt interdum inunctiones ex vino & oleo, vt

℞. ol. absynth ℥.ij. vini maluatici ℥.j. fiat inunctio pro ventriculo. Interdum pluribus admixtis. Varius autem est oleorum ordo, vt.

Oleum

Oleum		Et calefacit
Nardinum Nucum Ricinum Lucernarum	Exsiccat	
Oliuarum recens Amygdal. dulcium Sesaminum	Humectat	
Amygdalarum Oliuarum Sesaminum	Relaxat	
De absynthio De menta Lentiscinum Mastichinum	Astringit	
Chamæmelinum Anethinum	Rarefacit	
Amygdalarũ amarar. Nucum Oliuarum antiquiss. Rutaceum De spica vulgari	Digerit	
De myrrha De iunipero De tartaro De frumento	Detergit	

Oleum

Oleum	Nymphex Myrtillorum Omphacinum		Exsiccat	Et refrigerat.
	De semine	Cucurbit. Melonum Violarum Cucumeris	Humectat	

PArtibus etiam adscribuntur olea, vt capiti ferè omnia, præter quàm de hyosciamo, quod nullo pacto conuenire potest. Thoraci ea tantùm quæ laxant & pectus dilatant, nisi sanguine è pectore fluente, in quibus vtimur astringentibus, sed non debent poni supra totum pectus. Relaxant, & pectus dilatant oleum amygd. sesaminum, de lilio, irinum, cherinum.

Diuersis partibus olea potissimùm conueniunt:

- Ventriculo
  - Moderatè calfacientia, vt sunt
    - De menta
    - De mastiche
    - De absynthio
    - Nardinum
  - Moderatè refrigerantia cũ astrictione, vt sunt
    - Cycionium
    - Myrtillorum
    - Lentiscinum
    - Ex semine vuarum.
- Hepati,
  - Quare ve ventriculo conueniunt: nam & constringi vult leuiter.
  - Obstructo
    - Nardinum
    - Amygdalarum amararum.
- Lieni, Quæ attenuant, vt
  - De caparibus
  - De fraxino
  - De spica
  - Irinum
  - De behem.
- Vtero,
  - Relaxantia & calfacientia, vt
    - Liliorum
    - Irinum
    - Cherinum
    - Anethinum.
  - Odorata, vt
    - De croco
    - De myrrha
    - Foliatum
    - Nardinũ, de spica, & olea frigida, de gagate, petroleum, & de castoreo.

Olea

- Olea conueniunt potissimum
  - Articulis omnia
    - Constringentia, quando constringendum, vt in defluxionibus.
    - Fortiter resiccãtia & digerẽtia cùm resiccandum & digerendũ, vt in declinatione morbi articularis.
      - De sulphure
      - De vitriolo.
      - De spica nardi.
      - Rutaceum.
      - Nucũ omnium communium
      - De nuce indica.
      - Nucis moscatæ & macis.
  - Neruis fortiter resiccantia, aut fortiter constringentia, cùm relaxatio timetur, vel paralysis, ob id conuenit maximè oleum.
    - Mastichinum
    - Lentiscinum

OLea, quæ flatus discutiunt in conuulsione sunt optima. Quanquam oculis olea nõ conueniunt ob partium tenuitatem & acrimoniam, antiqui tamen succo balsami (quod nonnulli oleum balsami vocant) vsi sunt in principio ad digerendum in suffusionibus, cùm sit succus tenuis, olei speciem referens: in cuius locum oleum de spica substituere possumus in suffusione oculorum cum pauca cera, vt quod tenuitatem partiũ non minorẽ habeat, vt oleum de myrrha in quibusdam affectibus. Alia olea aliis magis conueniunt, alia minùs. Vlceribus olea non conueniunt, quia sordida ea efficiunt, & humectant, cùm exiccari desiderent: interdum tamen ad mineralium asperitatem castigandam admiscentur constringentia, exiccantiáque: vt oleum rosac. myrthinum, lentiscinum. Iisdem affectibus cõueniunt quoque olea, quæ per calcinationem fiunt, vt oleum de vitellis quorum in cancro conuenit, quia coctione multa humiditatem deperdit, & ideo vim siccandi acquirit. *Vlceribus olea non conueniũt.* *Astring. exiccant.* *De vitellis*

Affectibus, quæ in cute sunt, conueniunt olea quæ potentissimè siccant, detergunt, & digerũt, vt oleum de *Ad vitia cutis.*

frumento, iunipero, oleum nucum rancidarum, gaiaci. hactenus de inunctionibus.

De linimentis.

Linimenta appellantur ea remedia, quæ extrinsecus adhibita, vel asperam partem lenire, vel dolorem mitigare, vel calfacere, rarefacere, & refrigerare, & exiccare, & humectare, vel discutere, & detergere, vel emollire, & maturare nata sunt. Si poneretur cera, cerata essent. Fiunt autem ex oleo aliquo antiquo, & axungia, butyro, & seuo liquefactis, vel aliis, quæ olei consistentiam habent, vel styrace liquida, succo balsami, myrrha liquida. Aliquando additur terebinthina, vel mucilago, vel medulla, quæ axungiæ similis est temperatura, & consistentia. Facultatem accipiunt ab oleo & aliis à quibus parantur. Fiunt autem ad omnes partes. Nam nulla verò vel à materia, vel ab affectu accipiunt.

Materia.

Linimentum ab olei irrigatione differt. Nam linimentum diutius adhæret, neque tam facilè effluit, vnde & ad calfaciendum, & ad maturandum, & ad sedandum dolorem magis conueniunt linimenta, quàm olea per se. Habent enim butyrum vel axungiam, quæ cùm sunt refrigerata, spissitudinem, & aliquam consistentiam seruant, minùs tamen spissa sunt, quàm vnguenta, vel cerata, de quibus postea.

Ad thoracis affectus.

Ad thoracis affectus veluti ad catarrhi concoctionem, vel ad sedationem doloris à materia calida, parantur hoc modo.

℞. ol. amyg. dulc. & ol. viol ana ℥. ij. buty. loti in aqua hordei mundati ℥. j. misceantur, illinatur pectus.

Si materia calida vel frigida iam impacta fuerit, sequens erit ex vsu.

℞. olei amygd. dulc. ℥. iij. butyr. recentis ℥. ij. axũgiæ gallinæ, vel anatis ℥. j. fiat linimentum.

Si verò materia frigidior crassiórque & continuatior sit ob lentorem, vt ea concoquatur, tale fiat.

℞. olei amygdalarum amarar. olei liliorum, vel irini, vel cherini ℥. ij. butyri rancidi loti ℥. j. axungiæ gallinæ & anatis ℥. ß. mucilag. semin. lini, & fœnugr. extractæ

cum aqua hordei & pauco vino albo ℥. ß. misce, & croco addito liniantur & latera, & pectus. His linimentis nihil prohibet addere quę sua natura aliquam mediam consistentiam habent, vt mucilaginem seminis, vel rad. altheę, vel styracem liquidam, vel terebinthinam, vel œsypum, quia digerit.

Ad tumores & dolores aliarum partium præsertim à materia frigida, in quibus relaxanda quæ cōstricta sunt, vel à quibus aliquid educendum ad partium separationem, talibus vtimur, nisi in quibus periculosa est nimia remollitio, vel relaxatio, vt in hepate. Verùm ad articulorum constrictionem, ad dolores spinæ, & totius corporis, tales inunctiones sunt faciendæ, quæ verè acopæ sunt, & lassitudines soluunt.

Si aliquid educendum est, veluti calculus è renibus deturbandus, aut infans ex vtero reducendus, aut facilius vomitio prouocanda, ora earum partium linimento relaxamus.

Ad splenis & hepatis duritiem. Ad duritiem splenis & hepatis addimus mastichen, vel ladanum, quæ molliunt & constringunt. Additur & spica, vel oleum lentiscinum, aut alterius leuiter astringentis, & calfacientis.

Ad vterũ. Eadem supra vterum apponimus addito pauco styrace, vel benioui, de spica, foliatum idem efficit. Cùm autẽ multa similia adduntur, vnguenti, aut cerati naturam recipiunt.

Ad dolores. Dolores cuiuscunque partis, qui à tensione fiunt relaxando sedantur. Ad partes inflammatas linimentis vtimur, vt discutiamus, maturemus, digeramus, & sedemus dolorem, vt in doloribus inflammationum auris, vel ani, vel alterius meatus. Linimenta parantur, quia magis parti adhærent, quàm olea minúsque obstruunt, aut grauant partem dolentem, quàm vnguenta, cerata, & emplastra. Idem faciendum censeo in vulneribus nimiùm resiccatis. *Ad inflāmationem auris & ani.* Ad dolorem ergo inflammationis auris, vel ani, tale fiet linimentum, quod dolorem sedet laxando, neque calfaciat plusquam par est, vt

℞. olei viol. ℥. iiij. mucilág. rad. alth. & seminis psillij extractæ cum lacte, aut iure pulli, vel aqua hord. mundati an. ℥. j. butyr. vel axung. porci, vel medul. porci recen-

tis, vel vituli ℥. ß. misc. fiat linimentum. Illinatur pars inflammata & ani & aurium. His medullam addimus, quia temperata non differt ab axungia.

Ad constringẽdũ non conuenit linimentum. Ad constringendum minùs conuenit linimentum, quia nulla est axungia quæ constringat insigniter: Seuum tamen hircinum, & bubulum, & taurinum ex Dioscoride constringit, sed non per se, quia fit potius siccando, quemadmodum frigida. Præterea astrictio fit potius rebus terreis, quàm aliis. Itaq; emplastra, vnguenta, aut cerata meliora erunt linimenta pro hoc scopo.

Humectãtia olea. Ad calfaciendum verò, humectandum, & siccandum linimenta fieri possunt. Humectant quæ ex oleis frigidis, & humidis fiant, vt quæ ex oleo viol. & cucurbitæ parantur, vel ex butyro recenti, addito pauco lacte recenter mulso, vel lacte quatuor seminum frigidorum maiorum, vel succo cucurbitæ, vel melonum, vt

℞. olei violar. ℥. iij. olei de semine cucurbitæ ℥. j. lactis recentis muliebris, vel butyr. recentis an. ℥. j. ß. misce, illinatur leniter pars humectanda tribus horis post pastum, præcedente fotu tepidè.

Exiccabimus si fiat ex oleis exiccantibus, vt

Exiccantia. ℞. olei irini & costini an. ℥. ij. pingued. gallinæ antiquæ salitæ, butyri saliti rancidi an. ℥. j veteris vini, & generosi parum, vel aquę vitæ, fiat linimentum.

Pinguia antiqua calidiora & ficciora sunt, quia eorum humiditas absumpta est. Huius medicamenti operatio ad resiccandum tarda est. Itaque si ad formam vnguenti referatur, efficacius erit, & quia diutius hærebit, & quia succos quosdam, & metallica, vel alia terrestrium partium recipiet, quæ potentissimè exiccant.

Refrigerantia. Ad refrigerationem partis quæ vel erysipelate, vel alia insigni inflammatione laborat, non tam conuenit linimentum, quàm embrocatio, ex succis, vel decoctionibus herbarum frigidarum, aut vnguenta, quæ magis refrigerant. Poterit autem linimentum parari hoc modo.

℞. mucilag. seminis psil extractæ cum aqua semperuiui, & pauco aceto, ℥. iij. succi plantag. vel solani ℥. j. olei nymph. vel de papauere vel hyosciami ℥. iij coquantur succi vsque ad consumptionem, deinde adde pomatæ ℥. ß. misce, fiat linimentum quo illinatur pars feruẽs.

Hæc

Hæc olea nō è rancidis & antiquis seminibus parari debent, sed recentibus, & non enucleatis. Linimenta calfacientia dolorem frigidum sedabunt, & inflammationis maturationem iuuabunt, si parùm ictiolæ addatur aut maior quantitas mucilaginis fœnugræci, vel vitellum oui, vel plus substantiæ emplasticæ habeat, sed multò magis si parum farinæ frumenti addatur. *Calfaciētia.*

Sin discutiendum aut dolor calidus sit sedandus, linimentum refrigerans vsurpandum, & hoc modo appropriandum, vt si repellendum, plus aceti, vel astringentiū imponatur, aut mucilago cydoniorum extracta cum proprio succo, aut succus polygoni, aut oleum myrthinum, omphacinum, quod ad doloris calidi sedationem sufficiat, nulla alia re admixta. *Ad dolorē calidum.*

Si tensio sit remittenda, linimentum humectans vsui erit: refrigerat enim & relaxat. Sin addatur oleū amyg. dulc. magis relaxabit, & multò magis dolorem sedabit, præsertim partium constrictarum. Hoc autem linimentis conficiendis animaduertendum est, vt si ad aures, vel alios meatus componantur, plus olei addamus, vt liquidius remaneat. Sin verò supra partē adhibeatur, vt minùs olei, plus butyri aut adipis, ne videlicet tam citò effluat. Sunt qui linimenta ab vnguentis hac ratione sola differre autumant quod ceram non recipiant, quorum sententiam reiicio, etiā si in linimētis pulueres adiiciantur, vt in vnguentis. Nam pleraque vnguenta sine cera parantur, quale est ægyptiacum. *Relaxantia.* *Curatio.*

De Vnguentis.

VNguenta crassioris sunt consistentiæ, quàm linimenta, & valentiora, & cùm nunc ex omni materia fiant, difficilè fuerit, eorum vnam formam præscribere, quæ omnibus conuenire possit. Enumeratis itaque quibusdam illorum differentiis, sigillatim illorum faciendorum rationem docebimus.

Vnguentorum quædam calefaciunt, refrigerant, exiccant, humectant, digerunt, maturant, detergūt, carne vlcera implent, cicatricem inducunt. carnem generant, digerunt, minuunt, absumúntque, abscessus rumpunt, partes quasdam corroborāt, dolores sedant, axiodyna, & acopa sunt, ventrem laxant: Quædam ex herbis recenti-

bus decoctis cum axungia fiunt, vt illud commune Populeonis: Ex decoctione herbarum infusarum per multos dies, ex quibus extrahatur succus viscosus, qui postea oleo ceráq; admixtus rursus decoquitur, & in vnguenti formam redactus seruatur, veluti quod ex althea paratur, Martiatum, & Aragon. Ex radicibus parata diutius macerantur in oleo, deinde contuso diligenter coquuntur, & colaturæ cera additur, vnguentum paratur, veluti quod Agrippæ attribuitur. Ex floribus paratur cum pinguedine & oleo. vt rosatum, quod ex axungia porci recēti, succo ros. & floribus maceratis fit, addito oleo ros. & non amyg. quod calefacit, & relaxat. Tamen amygdalinum scripsit Mesues. Metallica vnguēta & decoctione & sine decoctione parantur. Sine coctione sensim fundēdo succum, oleum, vel acetum, vt vnguentum diapharmacum & ex cerusa: coctura, veluti cum lithargyrum in oleo decoquitur, & alia metallica, vel cum succi herbarum in oleo decoquuntur ad eorum consumptionē, vt in vnguēto ex pōpholige. Succus solani in oleo rosato coquitur & absumitur, deinde metallica puluerisata oleo, in quo cera liquefacta fit, insperguntur. Omnia fere vnguenta oleum, ceram, vel terebinthinam recipiunt, nisi cum pinguia hæc repugnant scopo, vt si conficiamus ad gangrenas, & putrida vlcera, prætermittitur oleum, pinguedo, resina, & cera, & cū melle, aceto, vel vino decoquuntur, fiúntq; vnguenta, vt illud nobile ægyptiacū, quod ad gāgrenas confert, & vlcera antiqua, in quibus carnem putridam detrahere oportet, & putredinem arcere. Ex aceto itaq; melius. Simile est illud Mesue vnguentū, sanans vlcera antiqua, quod aloēm, myrrhā, succos absynthij, chelidonij, & plantaginis recipit. Psoricum etiam Mes. ex lithargyro, calchanto, ærugine, vel aceto fit vnguentum ex plumbo apud Nicolaum. Vnguentum de Minio, de lithargyro cocto, vnguentum de cerusa coctum, vnguentum Nicolai contra scabiem, & alia multa, quæ diligens lector potest obseruare. In his affectibus siquidem oleum minùs conuenit, ob id sine oleo & cera parantur. Cæterùm quamuis medici, & chirurgi vnguentis & emplastris vtantur, paratis magis, quàm quæ ipsi præparent (quia forsitan minùs nota est illis vnguentorum & emplastro-

Ægyptiacum.

plastrorum componendorum ratio) nos tamen quæ ad partes referuntur, & ad caussas affectuum hoc loco docebimus, à capite initium sumentes.

Pro capite vnguenta.

Capiti ergo paramus vnguenta ad morbos propulsandos, vel præcauendo, qui consortij lege fiunt, vt in calidis doloribus, vertigine &c. Fiũt autem pro affectuum varietate, in quibus obseruandum est, ne indicationes sumptas à partibus negligamus; veluti si calfaciendum, refrigerandum, aut exiccandum sit cerebrum, validioribus remediis id faciẽdum est, indicatione sumpta à situ. Cerebrum enim situm est in parte profunda. Si extra caput, siccandum fortiùs, quia cutis valde dura & sicca est, & minùs sensibilis: inde fit vt illa medicamẽta ferre possit. Fiunt vnguenta excellẽtia ad dolores capitis calidos, vt in principio cuiusque doloris facti per consensum partium infernarum, vt vertiginis, & in initio epilepsiæ, quæ per consensum fit, ex oleis refrigerãtibus & astringentibus, vt repellantur humores, & fumi, qui recipiuntur, vt feruor, & sanguinis ebullitio desinat. In talibus non parùm aceti addẽdum ad penetrationẽ. Fiũt autẽ vel ex oleo rosaceo, omphacino, vel myrtino, vel cydoniorum, vel alio astringente, cera alba, rosis, coriandro, semine myrti, lactucæ, & aliorum eiusmodi, vel ex succis herbarum repellentium, vt, *Refrigerantia & astringentia olea.*

℞. olei ros. omphac. ana ℥. iij. coriand. ros. rub. myrtillorum coralli ana ʒ. j. ceræ albæ q. s. aceti parùm, fiat vnguentum, quo vnguatur anterior pars capitis. Vel ex siccis sic.

℞. succi summitatum vitis, plantag. & solatri an. ℥. j. olei ros. omphac. vel cydoniorum vel nenuph. ℥. iij. Decoquantur vsque ad consumptionem succorum, quibus adde ceræ albæ q. s. seminis berberis, seminis coriandri, & endiuiæ an. ℥. j. myrtill. ʒ. ij. misce, fiat vnguentum addendo aceti q. s.

Si dolor à fumis oriatur, idem fieri poterit, nisi quòd emplastra minùs valent, quia discussionem nimis obstruendo prohibent. Sed post hæc, olea vnguentis addimus ad discutiendum, & resoluendum quod collectum est. Sunt autem opportuna, quæ caput non tentãt, quale *Olea capiti opportuna.*

est oleum amyg. amararum, oleum chamom. & sambuci, & nardinum. Alia enim nimis odorata capitis grauitatem inducunt, vt anethinum, oleum de spica, irinum, nucum: quibus vtendum non est in declinatione, in qua fortiora, & resoluentia fortiter sunt adhibenda. Neque timendus est dolor capitis, corpore purgato. Est enim aliqua ex parte materia, quæ magis molestabat, discussa, tenuis videlicet. Fiunt etiam ad resolutionem materiæ relictę, calidæ ex mediis, frigidæ ex calidis summè. Medium est, si statim ex oleo anethino paretur, vt

℞. olei anethini & chamom. an. ℥ iij. flor. chamom. & melil. sambuc. anthos, stechad. ana ʒ. ß. nucis moscatæ, & macis ana ℈. j. ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum, addito pauco aceto, vel vino albo ad penetrationem. Hoc conuenire potest in phrenitide, & dolore capitis. In declinatione verò vinum album cõueniet, in principio acetum.

Si materia sit frigida & contumax fortioribus & summis vtendum est. Vt

℞. Olei nucum, & irini ana ℥. ij. olei rutac. ℥. j. nucis moscatæ, caryophil. macis, piperis, piretri, castor. ana ʒ. j. ceræ citrinæ q. s. aquæ vitæ parùm, fiat vnguentum quo illinatur pars affecta. Conueniet in doloribus frigidis & longis, vt in catarrho, catoche, caro, apoplexia, & lethargo. In affectibus, in quibus sensus non est exactus, fœtida & nimium odorata non sunt reiicienda. In huiusmodi itaque affectibus stuporem inducentibus oleum de spica, petroleũ, & fœtida vsurpamus. In quibus verò est exactus sensus, aut dolor primùm incipit, reiicimus quæ grauiter offendunt nares, & dolorem capitis iam factum augent. Ad vlcera multùm exiccantia vsurpamus. Cùm enim cutis, quæ ossi integit, vel quæ parum carnis, aut omnino nihil habet, durior, sicciórque fit, exiccanda est, indicatione ab eius temperatura sumpta. Miscenda itaque erũt myrrha aloë, iris, panax. & quæ fortiùs siccant, vt antimonium, lithargyrum calchitis, sulphur, bitumen, tuthia. Ferre etiam possunt emplastra facta molliora, vt in oleo rosarum vel irino, liquefactum emplastrum de Ianua, de gratia Dei, diacalchiteos, diuinum, & contra rupturam.

In doloribus frigidis.

Exiccantia.

In vlceribus capitis manantibus parabuntur ex summè

mè exiccantibus & resoluentibus, vt ex fuligine furni, alumine, sulphure, sandaraca, auripigmento, cineribus nucum, vel testis erinacei, vel hypocampi, vt,

℞. olei nucum, olei lucernarum, & de iunipero ana ℥.ij. calchitid. ℥. j. nucum vstarum cum testis, granorum iuniperi ana ℥ ß. ceræ rub. parum, fecis aceti acerrimi ℥. j. fiat vnguentum. Curat omnia vlcera capitis manantia, quod citius efficiet, si cinabaris ʒ. iij. vel sublimati ʒ. iij. recipiat, vel ℥. j. argenti viui extincti cum ʒ. iij. sulphur. (Argentum enim viuum extingui potest, vel sulphure, vel aceto, vel calcinatione.) Si affectus sine sudore curandus sit, vt is qui sine morbo Italico accidit: Si verò cum sudore vt in morbo Italico, cum axungiis, vel oleo amygd. dulc. est extinguendum. *Quibus extinguitur argentum viuum.*

Ad alopeciã ophiasímque parãda sunt ex fortiter digerentibus, & resiccantibus. Abstinẽdum autem ab his, quæ depilant, vt auripigmento, sandaraca, calce. Quanuis enim non prohibent pilos renascere, grauiter tamen ferũt infirmi, quod reliquum est pilorum deperdere, vt,

℞. olei de iunipero, & de abrotano ana ℥. ij. cineris erinacei terrest. ℥. ß. cineris pellis talpæ, & vrsi ana ℥. iij. abrotani vsti ʒ. ij. cineris vespar. ʒ. ß. ceræ candellarum nigrarum q. s. fiat vnguentum. Vtile est hoc vnguentum, nisi à morbo Italico proueniat alopecia. Tunc enim facta inunctione totius corporis miscendum erit vnguentum paratum cum hidrargyro, & conueniet post sudationes. Siccat, digerit, pilorum procreat generationem, & pilos relictos conseruat, si pili decidant ob relaxationem pororum post sudationes frequentes, fiant vnguenta ex constringentibus, vt ladano, acacia, hypocistide, aliísque astringentibus, vt, *Constringentia poros cutis.*

℞. olei myrtill. vel cotoneorum ℥. ij ladani puri ℥. ß. hypocistid. acaciæ ana ʒ. ij. aluminis ʒ. j. ceræ albæ q. s. fiat linimẽtum, quo vngantur post detersionem capitis factam cum lixiuio debili in quo rosæ decoctæ sint. Sed de lixiuiis plura suo loco. Hæc vnguenta huic caussæ efficacissima sunt.

Quòd si ob vitiosos humores radices pilorum erodentes, ob alimenti defectum, vt in hecticis, decidant, parùm valebunt. Quòd si ab acribus humoribus, vt in

morbo Italico, post euacuationem vniuersalem aliquam factam, relaxantibus, & areoticis aperitiuis potius vtemur, vt humor per poros cutis expellatur, nec diutius in corpore remoretur, quibus addenda sunt temperantia, quale est lac, & inter alia oleum amygd. dulc. fiet autem hoc modo.

℞. olei amygd. dulc. ℥ ij. butyr. recentis ℥. j. lactis ℥. iiij. Butyrum & oleum cum cera liquescant, quibus vtcunque refrigeratis misceatur lactis quantum ebibere poterit, vnguatur frequenter sero & manè. Abluatur sero lactis, vel lacte ouillo, aut bubulo, aut lacte amygd. dulc.

Psilotra duplicia.

HInc sequuntur vnguenta psilotra. quæ ab effectu ita vocantur, quòd scilicet pilos corrumpant, & decidere faciant. In his autem componendis magna est adhibenda diligentia, & in applicandis magna dexteritas requiritur. Duplicia autem sunt, vnius generis quæ depilant, alterius, quæ renasci pilos prohibeant. Quæ depilant, fiunt ex calce, sandaraca, auripigmento sine axungia, vel oleo, sed cum lixiuio, & sapone molli, quoniam etiamsi aliquid olei habeat, calx castigat, alioqui oleum vim sandaracæ, & auripigmenti obtundit. Fiat hoc modo.

Depilãtia

℞. saponis gallici mollis ℥. j. sandaracæ auripigmenti ana ʒ. iij. calcis viuæ ℥. j misceantur simul, & applicentur supra partem, quam depilare volueris. Sin aqua vel lixiuio priùs abluatur pars, citiùs penetrabit. Caue autem ne diutius parti adhæreat. Vrit enim cutim, quam postea vnguento ex calce decies extincta in aqua rosacea & oleo rosarum, aut vnguento de cerusa curare oportet. Vbi euulsi erunt pili, hoc efficacissimo oleo renasci prohibentur.

℞. olei hyosciami vnc. iiij. salamandræ num. iiij. scolopendriæ num. x. lepores marinos, & vrticas marinas ana num. iij. salis ammo. & fossilis ana ℥. vj. decoquantur simul, quibus decoctis adde sanguinis vespertillionis ℥. ij. ceræ albæ parum, fiat vnguentum, vngatur pars, & fricetur spongia vel alcionio. Et ne oboriatur inflammatio, oleo hyosciami foueatur. Vtatur diu & frequenter.

Aurium

Aurium vnguenta magis exiccare debent, at partibus internis liquida potiùs iniiciuntur, vel linimenta fiunt potiùs, quàm vnguenta. Nihil itaque iam de vnguentis aurium dicemus. *Ad aures vngueta.*

Ad oculos vnguenta.

OCulis vnguenta non præscribuntur ex oleis, sed ex pomata, vel vnguento rosato, & mucilagine fœnugræci, vel aliis rebus opportunis.

Fiunt autem ad palpebras affectas, vel ad curationem corneæ. Palpebris autem adhibentur, vt frequenti nictatione detergantur. *Ad palpebras vngueta.*

Et quanquam oleum oculis sit mordax, veteres tamē opobalsamum quod oleum balsami vocant apponebāt, in cuius locum substitui potest nostrum de spica, quod eam partium tenuitatem habet, quàm opobalsamum. *Oleum de spica.*

Ad inflammationem itaque oculorum & palpebrarum fiunt hoc modo, quamuis collyria liquida, vel linimenta magis conueniant, quàm vnguenta. *Ad oculorum & palpebrarum inflāmationē.*

℞. pulpæ pomorum decoctorum in lacte, vel cum aqua ros. ℥. ij. contundantur diligenter, deinde adde aquę periculi ros. & myrth. ana ℥. ß. mucilag. seminis psilij. Adde tuthiæ præparatæ ℥. ß. incorporentur simul, & fiat vnguentum Vel fiat sic.

℞. vnguenti ros. loti in aqua peculi ros. ℥. j. tuthiæ præparatæ, & acaciæ ana ʒ j. incorporentur, fiat vnguentum quo vnguantur palpebræ.

Si inflammatio sit cum defluxione, & scabie, & rubore, vnguentum sequens erit ex vsu ex caphura, cerusa, mucilag. gummi tragac. *Inflāmatione cum defluxione.*

℞. pomatæ ℥. ß. tuthiæ, trochiscorum alborum ras. ana ℥. ß. vitrioli romani ℈. ß. vnguantur palpebræ.

Ad inflammationem digerendam sic parabitur.

℞. Mucilag. seminis fœnugræci loti in aqua fœniculi, & in eadem extractæ ℥. ß. sarcocollæ nutritæ cum lacte ʒ. iij. aloës, myrrhæ, croci ana ℈. ß misce, fiat vnguentum, applicetur palpebris. Digerit enim & detergit.

Ad detersionem suffusionis & cicatricis extenuationem, ex fellibus vel melle parantur.

℞. Fellis vaccæ ʒ. j. fellis vulturis, vel milui, vel galli,

ʒ.ß.mel. rosacei colati ʒ. ij. ossis sepiæ ʒ.j. stercoris lacerti ʒ.ß. misce, fiat vnguentum, quod seruetur in vase æneo, vel,

℞. omphac. inspicati vel coctione, vel solis exiccatione, & murcæ præparatæ ana ʒ.j. saccha. candi ʒ.ij. mucilag fœnugr. ʒ.iij. tuthiæ præparatæ ʒ.j.ß. misce, vngantur palpebræ.

Ad genarum scabritiem, scabiem & vlcera.

Ad genas vngueta. ℞. Omphac. acaciæ ana ʒ.j. tuthiæ præparatæ ʒ.ij. cerusæ lotæ, antimonij ana ℈.iij vnguenti ros. ℥.ß. misce, vngantur genæ, cui adde cinerem myrtill. lotorum in aqua periculi ros.

Ad lach. fluxum. Ad lachrymarum fluxum vnguenta parabuntur, non ex nimium astringentibus vel fortius exiccantibus, quia talia carnem, quæ est in canthis oculorum, absumunt, sed ex sarcoticis admixtis emplasticis, & leuiter astringentibus, vt,

℞. corticis thuris, mastich. sarcocollæ ana ʒ.ij. gummi tragac. & arab torrefactorum ʒ.j. tuthiæ præparatæ, antimonij, ana ʒ.ß. sang. dracon. puri, acaciæ & amurcæ inspissatæ ana ʒ.ij. misce, fiat vnguentum, vngantur canthi oculorum, & totæ palpebræ.

Ad ægylopas.

AD ægylopas, quas lachrymales fistulas vocant, fiunt vnguenta & ad præcautionem, & ad curationem. *Prima ægylopis occasio.* Ad præcautionem conueniunt vnguenta illa prima dicta ad lachrymas. Nam ferè prima ægylopis occasio est frequens lachrymarum descensus, quæ genas ab osse separantes & diutius in parte hærentes, os humectantes, à suo temperamento immutant, deinde corrumpunt: quo corrupto nihil prosunt medicamenta, sed ad chirurgiam confugiendum est, & os vstulandum, nouacula priùs carne incisa, & cute, deinde sarcoticis & sicciotibus cicatricem inducemus. Non est autem prætermittendum defluxiones acres citiùs abscessus facere. Quare priusquam vel purgantia, vel topica remedia instituamus, distinguemus à qua caussa fiat, calidáne an acri, vel à frigida & humida. (Potissimùm enim ab aurib. siquidem hæc erodunt, & abscessum faciunt citiùs; si à frigidis longiori tempore.) Exempli gratia, Si corpus serosis & cri-

& acribus humoribus abundet, ab acrimonia fieri coniiciemus. Talis enim plerunque est habitus externus, quales sunt humores in corpore redundantes. De signis autem alio opere tractabimus, nunc de medicamentis. Si fiat continuus in oculos humorum defluxus citra ruborem, & copiosius partes relaxatæ, & tumefactæ appareant, & gena inferior aqua plena inspiciatur, initium certè erit affectus, atque tunc oportet vnguenta lachrymas sistentia fortiora reddere, aucta tuthiæ antimoniique dosi, quibus proderit chalcitidem, & alumen adiungi, vt, *Initium affectus.*

℞. antim. chalcit. alumin. ana ʒ. iij. sang. drac. corall. rub. (quia suo pondere prohibet abscessum) ana ʒ. ij. litharg. ℥. ß. ol. rosi. ceræ rub. ana q. s. aceti parum, fiat vnguentum, quo vngatur pars affecta. Et quia emplastri forma huic scopo accommodatior est, ex his emplastrũ paramus diminuta quantitate ol. vel lithar. cocti in aceto, oleo de succo palmæ, aut pyris syluestrib. Si defluxio acris fit & mordax, humor incrassandus est, & pars constringenda, ne tam facilè suspiciat.

℞. litharg. cerus. lotæ, antimon, ana ʒ. iij. tuthiæ præparatæ, plumbi tenuissimè puluerisati ana ʒ. ij. succi plãtag. & palmæ, ol. ros. ana partes æquales: coquantur ad consumptionem succorum: addito pauco aceto, in quo dissolue ceræ albæ q. s. fiat vnguentum vt supra dictum est, addẽdo in fine opij torrefacti leuiter ʒ. ß & comprimatur pars eo emplastro, vel supra vnguentum laminæ plumbi adplicentur, quæ pressam partem retineant: in quibus vnguentis eligenda sunt, quæ ponderosa, vt facultate siccandi & refrigerandi, & pondere suo comprimendo iuuent, quemadmodum in enterocele faciendum docebimus. Magnes itaque, plumbum, antimonium, cerusa, lithargy. & tuthia valẽt, & dormiẽdum est in partem contrariam, vt vnguentum premat partem. Radices bistor. quinque folia tapsis barba. vel cortex rhab. idem præstant in aceto maceratæ, exiccatæ, & in vnguenta redactæ. Lapides ponderosi, vt lapis Iudaicus & marmor cum oleo prosunt.

Ad spoliationem ossis fiat vnguentum ex agarico, tartaro, myrrha, & melle, quod ossi imponitur. Aliud *Ad spoliatione͂ ossis.*

autem ex emplastro diuino optimum fit, ad inducendam carnem.

Ad affectus narium.

AD narium affectus fiunt mollia vnguēta ad polypos exedendos & extirpandos, & ozenas extirpandas. Fiunt autem vel ex causticis vel septicis, vt auripigmento, sandaraca, reagali, sublimato, præcipitato, vel ex cathereticis, id est, imminuentibus carnem, vt flore æris, squamma æris, flore petræ (qui fortè est salpetrę) hęc autem omnia si reducuntur in vnguēta, id sine oleo & pinguedine fieri oportet: quia pinguia omnia extinguunt acria medicamenta, & mortificant. Cũ sapa igitur & melle, vel omphacio parabuntur, quibus etiam arrodentia cum astrictione admiscenda, vt chalcitis, calcantum, misy, sory, alumen vstum. Fiunt hoc modo ex cathereticis. Pulueres melle excipiuntur vel omphacio inspissato, & parato in vase æneo, aliàs non eroderet, vt

℞. squammæ æris, æruginis æris ana ʒ.ij. omphacij ℥. iij. incorporentur simul, & fiat vnguentum, quo illiniuntur tantùm partes affectæ, vel

℞. sandaracæ, vel auripig. chalcit. præcipitati an. ʒ.ij. mellis q. s. fiat ad formam linimenti. Vel si fortius velis, adde omphacium. Hæc si maiora, addito multo melle, vel succo mali granati, vel plantag. vtilia erunt ad ozenas curandas in principio, vt auferatur pars affecta malè & corrupta: tandem ad sarcotica veniendum parti accōmoda, id est, sicciora, quale est illud quod multũ aloes, myrrhæ, sarcocollæ, carabæ, cerusæ, plumbi vsti & loti, & lithargyri recipit, vt

℞. aloes lotæ, aquæ plantag. ʒ iij. myrrhæ electæ ʒ.ij. radic. irid. sarcocollæ ana ʒ.j. cerusæ, antimon. tuthiæ, minij ana ʒ. ß. olei hyperici & ros. ana ℥.ij. mel. ros. cola. ℥.j. succi granorum punicorum, & pilosellæ, vel linguæ passerinæ ana ℥. ij. Coquantur succi cum oleis, deinde mel, postremò puluerisata diligenter inspergantur, & ad vnguenti formam reducantur. In istis vnguentis nunquam prætermittantur detergentia quædam; quia in eis partibus retardantur communia recrementa, & propria vlceris. Vide autem ne nimiùm detergant: vel alia astringentia addēda, ne nimiùm detergendo ad partem

tem reuocentur recrementa capitis. Non obetit si cera addatur his vnguentis. Nam vbicunque oleum ponitur, & cera poni potest, sed quia lachrymæ, & alia satis viscosa sunt, & emplastica, cera & resina, & terebinthina omitti possunt. In vnguentis ad ozenas præparatis, quia morbus est fœtidi odoris, fugienda sunt fœtida, & potiùs odorata admiscenda, quemadmodum itidem illius gran. apposuimus, & quia sarcoticum. Sin diuiti paretur vnguentum, adde mosci ℈. ß. musci arborũ, vel benjouin, vel cyperi, vel rosarum ʒ. j.

Ad affectus oris vnguenta.

AD oris affectus rarò aut nunquam vnguenta instituimus, quia nauseam mouent, & ob largam humiditatem non possunt adhærere. Gargarismata igitur vel alia remedia instituuntur, vt aqua sublimata, aqua fortis temperata, vel eclegma aliquod ex his, quæ ori grata sunt, tum odore, tum sapore. Nec me latet gargarismatis admixtum ab aliquibus esse vnguentum ægyptiacũ, quod nõ improbo, cùm illud ex melle, aceto, & flore æris sit confectum. Sic etiam vnguenta hoc modo parata sine oleo, cera, pice, resina, aut adipibus possunt ori accõmodari ex melle, vel sapa, vel ex omphacio. Si quis ad oris vlcera vnguenta constituat, in memoriam reuocet theoremata in medium proposita, cùm de gargarismatis ageremus: quo loco admonuimus, vt medicaméta illa ingrata, vel ob grauem odorem, vel saporem, astrictionem, & siccitatem insignem magna quantitate habere debeant, aut tam propè œsophagum non apponerentur, ne in ventriculum deuoluantur. Nam ferè illa omnia efficacissima ad oris vlcera venenosa sunt, vt litharg. chalcitis, sublim. cerusa, sed commodè potest parari ex acacia, omphacio, alumine, & aliis hoc modo. *Cautio.* *Ad oris vlcera.*

℞. acaciæ, omphac. ana ʒ. i j. mell. ros. colati ℥. iij. rad. irid. ʒ. ij. alumi. ʒ. j. ß. cortic. thur. ʒ. j. misce, fiat vnguentum: applicetur parti ad diuersionem vlcerum, & post diuersionem minuendum est omphacium ad ʒ. j. & augendum alumen ad ʒ. iij.

Succus pyrorum agrestium, vel sorborum, vel cytoniorum in melle decoctorũ cum magna vtilitate ponitur. Siccat enim & astringit, quod necessarium est, quia *Succi astringen.*

partes internæ oris multùm humidæ sunt ob saliuam, quæ vim vnguenti minuit, & laxæ sunt, vnde serpit vlcus, & pascitur semper: itaque constringendum est. Fit vnguentum ex farinis non amaris, melle ad detersionẽ, butyro ad maturationem, vel axungia ad exiccationem, si torreantur. Ad maturationem.

℞. farinæ tritici ℥. iiij. coquantur cum sapa vel butyro, vel oleo, & parti applicentur. Ad detersionem ex farina hordei, vel orobi, vel fabarum, magis siccabunt si torreantur, vel in furno coquantur priùs, deinde misceantur. Hæc autẽ forma potiùs inter pultes, quàm vnguẽta debet referri. Ex vstis etiam, vt ex corallo vsto cornu cerui, ebore, sale, alumine vstis, pane vsto, ex antispodio, & melle, vel sapa. Ad desiccationem efficacissima parari possunt hoc modo.

℞. coralli albi & rub. cornu cerui vstorum ana ʒ. ij. ostreorum vstorum ʒ. j. mellis, vel sapæ q. s. fiat vnguentum. Quod si acetum addere volueris, vel ex oxymelite, efficacius erit. Vel sic.

℞. salis communis in furno assi (quia magis resiccat) ℥. I. aluminis ʒ. iij. rosſ. rad. bistortæ ana ʒ. j. excipiantur oxymelite, & leuiter coquantur, fiat vnguentum, quod potentissimè siccat oris vlcera. In syrupo myrthino vel rosſ. vel citri coqui debent, & vt ægyptiacum, parari sine oleo & cera.

Ad faciem vnguenta.

AD faciem ornandam siue fucandam, & ad faciei morbos fiunt vnguenta. Fucatur facies aut dealbatione; & genas rubras faciẽdo & labia, de quibus multa in libello nostro de fucis diximus: breuiter tamen hîc dicemus vnguenta potissimùm fieri ex axungiis & dealbantibus, vt vnguentum illud vulgò citrinum dictum à citro, ad dealbandum potissimùm paratũ est, axungiámque porci recentem, vel pomatam, vel seuum hœdi, vel capræ potissimùm recipit. Nec etiã est reiicienda asini, cati, neque hominis axungia, si religio patiatur. Oleo etiam aliquando vsurpamus, quæ ex amygdalis dulcibus præsertim, vel cucurbitæ semine, vel cucumeris, vel melonum paratur, è quibus hæc minùs calfaciunt, & cutim leniunt, conueniúntque iis, qui cutim squalidam habent.

Vnguentũ citreũ.

habent. Medullæ cruris vituli, & veruecini maximè cõueniunt, si fundantur recentia in aqua fabarum, si detergendum, vel cum aqua nenupharis, si sanguis in faciem influens, sit temperandus, seruetur ad vsum. His adduntur alba quædam vt borax, sublimatum bene extinctum, vel cerusa. Sunt qui marmor, alabastrum, vel conchas (quas porcelanas vocant) in tenuissimum puluerem redigant, & vnguentum parent, de quibus plura lib. de fucis. Sin ad castigationem alicuius rei præter naturam vnguenta fiant, pro natura rei parabuntur, vt ad tubercula, quæ *psydracia* vocantur, ex lytharg. butyro, axũgia. Si ad nigredinem cutis, vel maculas, vel panos, fient detergentia, quæ nocte illinentur, manè verò deterguntur, & fuci adhibentur. Fient autem ex radic detergentibus vt ari. brioniæ, cucum. irid. vel serpent. Ex farina faba orobi, cicerum: ex florib. faba. ex viridi æris, sublimato leuiter extincto, quando exedenda sunt aliqua. Ex ol. de vitellis ouorum, de tartaro, sinapi, amygd. amar. frumenti, myrrhæ. Paradigma vnum apposuisse sufficiet, vt cõpositionis rationem agnoscant. *Radices detergẽtes.* *Farina.* *Olea.*

℞. rad. cucum. & brion. ana quart. j. rad. irid. & serpen. ana ℥. j. incidantur & temperentur in sero caprino, vel vrina pueri per sex dies in vase æneo, deinde decocta, donec mollescat, diligẽter in mortario cõtundãtur, & per setaceum transmittantur, addendo parum decoctionis, quibus adde adhuc olei ouorum & amyg. amar. ana ℥. j. fari. faba. non excorticatarum ℥. ij. virid. æris ʒ. j. sublim. leuiter extincti in succo citri ʒ. ij. axung. porci & terebinthinæ lotæ ana ℥. ij. liquescat axungia in oleo & terebinth. deinde misceantur omnia in mortario, & fiat vnguentum, quo vngatur facies serò, manè autem abluatur aqua distillationis peponum, vel fabarum recentium. Deterget mirum in modum maculas, & tubercula exedit. Mitius fiet hoc modo.

℞. olei ouorum. ol. myrrhæ ana ℥. j. farinæ fabarum ℥. ß. rad. irid. & aristoloch. ana ʒ. ij. succi rad. cucumer. & serpentar. ana ℥. j. decoquantur succi cum oleo ad consumptionem eorum: postea adde terebinth. lotæ ℥. ß. & omphacini inspissati ʒ. j. reducatur ad formam vnguenti addito pauco melle, vngatur facies serò & manè.

Detergatur sero lactis, vel aqua florum fabarum, vel nenupharis, vel aqua distillationis vuarum dulcium. Fieri potest aliud efficacissimum ex fellibus.

℞. fellis Ouranoscopi, vel aliorum piscium, quorum fel flauum non est, neque nigrum, neque viride ʒ. j. mellis optimi ℥. iij. omphacini ʒ. ß. sacchari candi ℥. j stercoris lacertæ ʒ j. misce, fiat vnguentum: vngatur serò, mane abluat faciem cum aquis supradictis, vel cum decoctione hordei mundati parùm cocti, ne nimiùm faciẽ splendere faciat. His vnguentis sufficiet semel in mense vti, tribus aut quatuor diebus, antequam prodire velit: & prius probari debent in parte aliqua occulta. Quòd si acrius sit, tunc axũgia cati, vel oleo ouorum, vel amygdalarũ dulc. temperari debet. Nõ enim omnes eadem sunt carnis mollitie, aut duritie. Experiendum itaque est primùm, vt dixi. Si enim brachium, aut coxam, in qua expertum fuerit, læserit, nimiùm detergendo, multò magis faciem, cuius cutis mollior & rarior est. Cùm autem vtetur, videat ne diutius permittat parti hærere, sed potiùs iterare debet, alioqui partẽ lęderet. Quod intelligendum de his, quæ sublimatum non extinctum, vel æruginem æris recipiunt.

Ad pectoris & colli vitia vnguenta.

AD colli & pectoris vitia fiunt vnguenta potius, quã emplastra, quia faciliùs adhibentur. Fiũt itaque ad anginas, strumas, & parotidas, quæ in hoc conueniunt, quod semper ex relaxantibus, & lenientibus, & digerentibus fiunt. Satius enim est humores ciere ad extra, quàm ad intra.

Ad parotidas. Ad parotidas suppurandas & discutiendas vnguenta, deinde cataplasmata paramus, fiúntque ex oleis digerentibus, concoquentibus, relaxantibus, vt oleo cinamomi, liliorum, amygdal. de semine lini: ex butyro, & axungia porci, anatis & gallinæ, ex œsipo, dialthea, aliísque similibus relaxantibus, & emollientibus, & digerentibus modicè.

℞. olei cham. vel liliorum vel amygdal. ℥. iij butyr. recent. vel axungiæ porci ℥. ß. pinguedinis gallinæ ℥. j. farinæ seminis fœnugræci ʒ. ß. flor. chamomil. melilor. ana ʒ. ij. ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum.

Idem valet ad strumas factas, & antiquatas, in quibus nulla est defluxio: sed cùm incipiunt, oportet alia vnguenta parare, quæ maiorem vim habeant discutiendi, exiccandíque materiam iam defluxam. Si itaque ex nucibus cupressi fiat vnguentum ex sale & aliis, non dubito quin discutiat, quod experientia comprobauimus.

℞. nucis cupress. numero x. fic. pa. vj. rad. cannæ ℥. ß fiat decoctio in oxymelite, facta expressione adde salis communis, & cineris spongiæ, & chalcitidis ana ʒ. iij. misceantur, & fiat vnguentum, quo vnguantur partes duræ. Cùm iam humor congelatus est & scirrhum fecit, ad alia vnguenta descendendum est, quæ scirrhos emolliendo curare possunt, vel sanguinem trahunt, & faciunt, vt suppurentur, vt

℞. opopanac styrac. bdellij ana ℥. ß. dissoluantur in oleo amygd. dulc. & irino q. s. quibus adde mucilaginis fœnugr & ficuum extractæ cum vino albo an. ℥. ij. radic. irid. Venet. puluerisatæ ℥. ß. rad. gladioli eodem modo exiccatæ & puluerisatæ ℥. j. propolis veræ ℥. iij. misce, fiat vnguentum, vngatur pars. Ad suppurationem cataplasmata apponemus, quia plus caloris habent, illúmque diutius seruant.

Ad anginam.

AD anginam factam digerentia & exiccantia vnguenta sunt ex vsu vt siccent, quicquid in parte collectum est, ac vnguentis emollientibus & relaxantibus, quibus adiungemus stercus hirundinum, vel nidum, aut cinerem eorum, vel stercus columbarum, vel gallinarum. Hæc enim excrementa & defluxiones siccant, absumunt, & digerunt ob bilem, qua referta sunt, vt

℞. dialtheæ & œsypi ana quarta. j. nidi hirund. ℥. iij. rad. iridis ʒ. ß cum oleo irino, vel liliorum, fiat vnguentum, vngatur ceruix. Vnguentum resumptiuum in officinis paratum etiam vsurpatur, sed illi addenda fortiùs digerentia propter oleum viol. mucilag. gummi arab. & tragac. & seminis cydoniorum, quæ si ab vnguento expungantur, efficacius & aptius fiat pro his affectibus, in quibus relaxatio necessaria est. Hoc itaque modo erit temperandum.

℞. vnguenti resumptiui ℥. ij. butyr. recentis & axung. porci ana ℥. j. stercor. hirund. vel columbarum ℥. j. ß. olei irini & liliorum vel chamom. ana q. s. fiat vnguentum, vngatur pars, vel fiat vnguentum ex adipibus accommodatis.

Ad pectus Vnguenta.

AD pectoris constrictionem, vel maturationem, & cócoctionem eorum, quę in membranas costarum continentur, fiunt vnguenta ex relaxantibus & digerentibus. Quæ verò aliquo modo astringunt, aut summè siccant, non sunt temerè supra pectus apponenda, nisi cùm affectus est in musculis, ex partibus externis. Vtimur vnguento resumptiuo, quod satis conuenire videtur, si mucilago gummi arab. & seminis cydoniorum auferatur. Emplastra enim illa vel resolutionem impediunt vel suppurationem procurant, aliis admixta. Semper itaque oleũ amyg. vel chamomilæ, vel aliud, quod rarefaciat vel relaxet, adiungimus, vt superiùs docuimus in vnguentis ad Anginam. Vel sic paramus.

℞. olei amygd. dulc. butyr. recen. ana ℥. iiij. axung. gall. ℥. ij. iridis, croci ana ʒ. j. ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum, vngatur pectus. Quod si frigidior sit materia, additur oleum anethi, amygd. amar. liliorum, radic. enulæ camp. hyss. mucilag. fœnugr. seminis lini, dialtheam, œsypum & sulphur. Si affectus sit in musculis, terebinthinam abietinam, & lariceam in laterum doloribus, quemadmodũ & picẽ summa cum vtilitate. Cõcoquunt enim, digerunt, dolorem soluunt, & ad extra trahunt.

Ad thoracem Vnguenta.

IN sputo thoracis, quòd à thorace venit, vtile est vnguento vti, quod astringat sanguinísque impetum cohibeat. Quod deprehenditur si nõ sit splendidus, & spumosus, sed nigricans, & aliqua pars thoracis doleat, neq; impedit, quod supra diximus, relaxantia esse vsurpanda. Nam si fluxus admodum vrgeat, iubet Galenus vsurpari olea astringentia, vt myrthinum, melinum, & alia. Ponuntur enim duntaxat hæc super thoracis partem aliquam, non per totum thoracem. Hinc fit, vt minùs impediatur respiratio. Parabitur itaque hoc modo.

Signa sanguinis è thorace.

℞. olei myrtill. vel ros. ℥. ij. mastichi. vel lentisci ℥. j. sang.

sang. draconis, cortic. thur. ana ʒ.j. boli armeni, coralli ana ʒ.ij. ceræ albæ q. s. fiat vnguentum, quo vngatur pars dolens tantùm. Sanguinem compescit, vt vlcus, quod sæpe fit curat.

Ad Phthisim vnguenta.

IN phthisicis si retineatur sputum, apponendum est vnguentum illud ex adipibus, & oleis relaxantibus temperatum, sed non continuò, vt practici iubent, quia illa maturando, aut putrefaciendo mortem accelerant. Vtilius itaq; fuerit vtcunq; refrigerare, & astringere partem, & exiccare, vt vlcus factum coalescat, & applicare supra regionem vlceris, quod vlcus deprehenditur ex dolore, & colore. Conueniet ergo illud vnguentum sanguinem retinens, si addatur terebinthina cum lithargyro & farina hordei torrefacta, & sarcocolla, vel sic, *Quomodo deprehenditur vlcus.*

℞. ol. rof. olei lentisc. vel mastichini ana ℥.iij. sarcocollæ nutritæ in vino albo, vel lacte, cocti thur. mastich. myrrhæ an. ʒ.j cineris cancrorum ℥.ß. farinæ hord. torrefacti ℥.j. terebinth. abietis, mell. ana ℥.ij. misce, vel ex cineribus cucurbitæ fiat vnguentum, vel

℞. cinerum cortic. cucurbit. ʒ.j. boli armeni ℥.ß. excipiantur butyro & cremore hord. fiat vnguentum, applicetur post expectorationem.

Hecticis linimentum refrigerans & humectans vsui erit, & accommodatius vnguento: sin vnguentum malis, adde ceram albam lotam cum decoctione hordei mundati, vel cum aqua viol. vel bugloff. *Ad hecticos vnguenta.*

Ad hepatis affectus vnguenta.

HEpatis vnguenta ferè omnia aliquam astrictionem desiderant, aliquam dico ob affectus in quibus astrictio non conuenit, vt in magnis obstructionibus, in scirrho hepatis. In refrigerãdo hepate plus est periculi, quàm in calfaciendo. Admiscenda ideo quædam calida, sumpta indicatione à facultate sanguificandi, quæ calore perficitur. Fiunt igitur refrigerantia cum quadam leui astrictione. Nam post febres tertianas refrigerare oportet, nec multùm cõstringere propter obstructiones, vt in ictero. Non leuiter itaque peccant, qui ceratum, vel vnguentum sandalinum vsurpant in hisce caussis. Refrigerat enim & astringit non leuiter. Quare cùm refrigerare *Vnguentum sandalinum.*

Vnguentũ rof. oportet, citra magnam astrictionem, vnguentum rosaceum sandalino præstat: quod si nimiũ cõstringat, violaceum, vel de nenuphare addemus, aut flores violarum, succum endiuiæ & scariolæ, sic frig. sine astrictione fiet, vt

℞. vnguenti rof. ℥.3. olei viol. ℥.2. santali albi ʒ 1. cerus. ʒ. 2. aceti parum, fiat vnguentum. Santalum album vel rub. iecur roborat, leuitérq; astringit, sed cerusa lota refrigerat sufficienter. Aliis addi posset spica celtica ad penetrationem, & refrigerationem nimiam castigandam. Fiunt etiam olea ex seminibus frigidis maioribus, quæ refrigerant citra astrictionem. Cùm refrigerandum cum astrictione est, tunc vnguentum sandalinum vsurpandum, vel tale est parandum ex refrigerantibus & astringentibus, quorum magnus est numerus, vt

℞. olei myrtill. vel cydoniorum, vel rof. omphacij ℥ 3. seminis portulacæ, endiuiæ, scariol. ana ℈. 1. corall. boli armeni ana ʒ. 2 myrtill. balaustiorum, spicæ nardi, sandali rub. ana ʒ. ß antispodij ℈. 2. ceræ albæ q. s. fiat vnguentum. Hîc addatur spica & sandalum ad visceris confortationem & caloris naturalis conseruationem. Vbi aduertemus insigniter astringentia non esse apponenda, cùm nulla appareat occasio, cur ita constringere oporteat. Præterea hepar nimium exiccaretur, & obstrueretur, atque impediretur sanguinis in vniuersum corpus distributio, quæ est necessaria ad corporis nutrimentum. Siccamus aliquando satis insigniter, veluti in hiposarca, sed minùs constringimus, quia obstructiones sunt auferendæ, & hepar est refrigeratum, quod calfieri oportet eiusmodi vnguento.

℞. olei nardini, de absynth. ana ℥.3. spicę nardi, schenanti, asari an. ʒ. 1. antispodij facti ex myrrho, vel ex corall. rub. vel ex cornu cerui ʒ 2. florum anthos ʒ ß seminis apij, petro. ana ʒ. 1. ceræ citrinæ q. s. vini maluatici quantùm poterit bibere, vel id adde tempore inunctionis. Calfacit, roborat, exiccat, & aliorum penetrationem iuuat. Valet idem vnguentum in omni affectu hepatis cuius caussa frigida est, vt in cachexia, quæ ab intempestiua frigidæ potione euenit, & in tympanite, quando caussa frigida est. Solet enim caussa calida hydropem excitare. Cùm ergo à caussa frigida fit, conuenit aucta

dosi

dosi sem. apij, petro. Si calida sit, erit quidem calfaciendum, sed moderatè, vt,

℞. olei de absynt. ℥ iij sandal. omniũ. coral. rub. vsti & loti in aqua absynt. & cichorij ana ʒ. j seminis endiuiæ, scariolæ an. ʒ apij, petros. anis. an. ℈ ij. ceræ q. s. fiat vng. hepat. Tempore inunctionis adde vini maluatici parũ. Vtile etiã fuerit in caussa quædã eligere, quæ citra calfactionẽ hepar iuuare possint, quale est oleũ ex hepate ranarum, galeorúmque omniũ. Est enim eorũ hepar adiposum, & in oleum resoluitur, si in partes diuisum in olla, vel sartagine coquatur, deinde exprimatur. Sed cæteris omnibus præcellit hepar caniculæ, & centrinæ. Corroborãt enim citra calorem, & emolliendo iuuant, si scirrhus adiunctus sit. Nec improbo mastichen, styracem, & spicam celticam adiungi vt efficaciora reddantur. De eorum facultate plura libro nostro de piscibus. Paratur ergo vnguentum corroborans facultatẽ sanguificandi ex hepate istorum piscium, quod similitudine substãtiæ iuuat, pinguedine, humore, & calore tẽperato emollit, vt,

℞. olei hepatis Galei ℥ iiij. spicæ nardi schen. azari ana ʒ. ß. mastic. bdellij, myrrhæ, styrac. ana ʒ. iij. Si scirrhus adsit, dissoluantur in oleo, quibus adde terebinthinæ abietis ℥. j. ceræ citrinæ nunquam calfactæ, vt extrahitur ex aluearijs q. s. fiat vnguentum, tempore inunctionis, adde vini maluatici parum, vel fiat sic.

℞. hepatis lupi terrestris nu. j. coquatur in oleo amyg. dulc. cui adde radic. irid. ʒ. j colentur, & in colatura dissolue sordium aluearioruũ siue propoleos ℥ iij. styrac. bdellij myrrhæ, ammoniacique ana ʒ. iij. spicæ celticæ, & scœn. ana ʒ. j. fiat vnguent. quo vngatur hepar induratum. Tempore inunctionis adde vini albi parum.

Ad effectus splenis vnguenta.

IN splenis affectibus frequentius vsurpare solemus hoc vnguẽtum quàm in hepate. Solet enim prõptiùs scirrhum pati ob sanguinem crassum, quamuis hepar quoque ob sanguinem lentum & crassum, quo nutritur, scirrhum patiatur, vt docet Galenus. Hoc autem interest inter malactica, hepatica, & splenetica, quòd minùs relaxationem aut emollitionem splenis timemus, quàm hepatis. Ea de causa & radicibus maluarum, altheæ, &

Quid interest inter hepatica & splenetica vnguenta emollientia.

aliarum sine discrimine vtimur, quibus in hepatis affe-ctibus vti veremur, nisi in maximo discrimine. Præterea quæ liquefaciendo humores emolliunt, & verè emolliẽtia sunt, vt bdellium, ammoniacum, galbanum, opopa. ferè reiiciuntur, aut saltem his recentioribus, aut in minori quantitate vtimur. Quæ itaque in hepatis scirrho vsurpamus, eadem in splenis scirrho vsurpãtur, dissoluta in aceto squillitico, vel in oleo tenuissimarũ partium, vt

℞. ammoniaci, bdellij, opop. diss. in aceto squillitico ana ℥.2. radic. liliorum, vel bismal. decoctorum in axungia porci, vel oleo amygd. dulc. vel amarar. ℥.2. styra. myrrhæ, irid. ana ʒ. 3. mucilaginis seminis, fœnug. extractæ in vino albo ℥.2. terebinth. & propoleos an. ℥. 3. misce, fiat vnguentum. Nec erit inutile semen flatus discutiens addere. (Solẽt enim plerunque flatus abũdare circa hãc partem, vt in colo) vt semen viticis, apij, petros. ʒ.1. vel ʒ. 2. Vnguenta autem non nisi post fotum adhibeantur. Potest etiam aliud sic parari, quando exactè obduruit.

Discutiẽtia flatus.

℞. radic. mandrag. q. 1. diuisæ in partes decoquantur in oleo seminis lini, vel sesamini, vel amygd. addito pauco aceto contundantur, & per cribrum passentur, quibus adde opop. diss. in aceto squillitico ℥.2. styrac. myrrhæ, bdellij, seminis alchech. ana ℥. ß. ceræ nouæ vel propoleos, & terebinth q.s. croci ʒ.2. spicæ celticæ, & scœnant. azari, vel viticis ana ʒ. 1. misce, vngatur splen. Tantam vim emolliendi habet hoc vnguentum, vt etiam ebur emolliat. Itaque non erit vituperandum, etiamsi mandragoram recipiat. Nam etsi frigida sit, est etiam sicca. Huc accedit, quod calefacientia, quæ hoc vnguentum ingrediuntur, vt spica, crocus, vitex, azarum, & pleraque alia, quæ satis supérque calefaciunt, vt eius frigiditatẽ obtundant. Intumescit splẽ plerunque ob flatus, quia mẽbrum laxum est, & caussæ optima sunt exiccantia, & modicè cõstringentia, vt portulacę semen cũ vitice, cyperus, azarũ, scoria ferri, corallum vstum, & alia huiusmodi, vt

Tumori lienis ob flatus quibus obsistendum.

℞. olei nardini & de absynth. ana ℥. ß. seminis agni casti, port. cappar. vel de fraxino ana ʒ.2. apij, petros. cumini in aceto macerat. ana ʒ. j. corall. rub. vsti, & scoriæ ferri ana ʒ.1. ß. ceræ q.s. fiat vnguentum, cui adde tempore inunctionis aceti q.s. vng. regio splenis.

Ad

Ad splenis obstructiones valebit vnguentum factum ex oleis obstructiones soluentibus, rarefacientibus, & attenuantibus, vt

℞ olei amygd. amar. vel de cappar. vel de frax. ℥.iij. seminis apij, petros. genistæ, asari ana ʒ.ij. spicæ celticæ, scœn. ana ʒ.j. seminis lauendulæ ʒ. ß. ceræ q.s. fiat vnguentum: adde parum aceti tempore inunctionis.

Ad tumores splenis minuendos fiunt vnguenta, quæ ventrem laxando, & lienē euacuando prodesse creduntur, vt vnguentum vulgo dictum Arthanita magnum, & paruum. Sic enim vocant Arabes ciclamen, è quibus magnum magis laxat, alterū spleni magis accommodatum. Talia vnguenta parari possent minori impēsa, neq; tanto calore prædita sine oleis laxātibus, quale est oleū ricinū, ol. ex semine thymeleæ, ex radicibus cucumeris. Aliorum enim acrimoniam obtundunt, sed ex succis & farina & melle. Solebāt enim veteres farinis succos herbarū & radic excipere, quos corpori applicabant, veluti Gal. 2. ad Glauc. parat vnguentum ex succo semperui ui ad inflammationes, in quo farinam hordei ponit, non vt resoluat, (nam in principio adhibet) sed vt succum exhibeat, & excipiat. Magis enim conuenit farina hordei, quæ magis refrigerat & exiccat, quàm tritici, quæ calfacit, & suppurat, efficitque vt non solū in principio, sed etiā in incremento conueniat, veluti ex succis splenē minuentibus, attenuantibus, & purgantibus serosa & melancholica recrementa, in quorū numero sunt succi mer. rad. cucumer. ciclam. rad. sambuci, quibus addunt nonnulli succum polypod. quer. qui videtur parùm laxare ob astrictionem, sed aliis adiunctis id faciat. Succus thymeleæ, chameleæ, brass. marinæ, thithy. mal. lythar. & laureolæ. Attenuat succus aristoloch. & quodammodo purgat, vt succus apiorum vsurpatur. Ciclam. succus quia laxat, & splenem iuuat. Succus mercur. quia laxat, quemadmodum & sambuci succus. Polypod. quer. quia laxat & constringit: Cucumer. quia attenuat & emollit & laxat. eodem modo succus apiorum, iridis, quia attenuat. Ex istis autem succis vnguentorum tria genera conficiuntur, primū ad lienis tumores: alterum vētrem laxans: tertium serosa per ventrem, & vrinas euacuans.

De arthanita.

Farina hordei, & frumenti.

Purgātia serosa & recremēta melancholica.

Primum. ℞. Succi ciclaminis ℥. vj. succi cucumer. agrest. vel mercur. vel sambuc. vel ebuli ana ℥. iij. farinę lupinorum q. s. & vini mal q. s. fiat vnguentum.

Secundũ. ℞. Succi sambuci & mercur. ana ℥. iij. mell communis & farinæ orobi, vel lupinorum ana ℥. ij. misce fiat vnguentum, farina eligenda est amara, vel nitrosa, quia pungit, saltem non impedit alui emollitionem. Si quis velit addere olea, faciat hoc modo.

℞. olei cicini, id est, ricinini, vel sesamini, vel irini ℥. ij. ciclę, cucumer. ebuli ana ℥. iij coquantur leuiter, cum liquefacta cera applicentur. Neque erit præter institutũ succum aliquem tenuantem istis admiscere, veluti succum iridis, aristoloch. vel apij vel aliorum: ut odorata, vt myrrham, styracem: aut lachrymas, vt ammoniac. opopanacem. Soluũt enim & attenuant. Vel fiat hoc modo.

℞. olei cherini vel irini ℥. iiij succi aristoloch. vel cucumer. agrest. vel ebuli ℥. iij. ammoniac. bdellij, opopanac. diss. in prædictis oleis ana ℥. ß terebinth. butyr. saliti ana ℥. ij ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum quod attenuat, laxat & emollit.

Ad Ventrem Vnguenta.

VEntrem laxantia vnguenta parantur ex supradictis succis & laxantibus medicamentis. In his neque olea sunt necessaria, neque pinguia, neque purgantia castigare solent, vt vel retardare, sed solùm ea quæ vel augere, vel accelerare possunt, vel humorem quodammodo præparare vel meatus reserare. Hinc patet error Nicolai, qui ex succorum magno aceruo vnguentum præparatur, in quo succum cucurbitæ & capil. ven. addit, & aliorum quæ nihil extrinsecus laxant. Primùm enim vnguentum ex veratro vtroque paratum, succum cichorij, acorum & semperuiui recipit. Paratur efficacissimum hoc modo.

Error Nic.

℞. succi mercur. ciclamin. & cucumer. agrest. ana ℥. iij elleb. vtriusq; colocynth. ana ℥. ß. diagrid. ʒ. ß. fellis tauri ℥. ij farinæ lupini ℥. ß. mel parum, fiat vnguentum: vngantur partes vmbilici, & inguina post fotum ex relaxantibus, & emollientibus. Idem potest etiam aquas purgare, maximè si ex succo brass. marinæ, vel thymel. vel cham. fiat.

Ad mouendas Vrinas Vnguenta.

Fiunt etiam & vnguenta ad mouendas vrinas, si retineantur à grumo sanguinis, vel à crassis humoribus. Ea autem fiunt ex oleis, succis, & pulueribus acrium vrinas prouocantium, vt ex succo apiorum & cressonum, & similium, oleo amygd. amar. scorpionum, vt,

℞. succi radic. raphan & cressorum ana ℥. ij. succi apij & petro. ana ℥. j. olei scorpio. ℥. iij. olei spicæ ℥. ß. terebinth. ceræ ana q. s. azar. & seminis apij & petrof. ana ʒ. ij. misce, vngatur regio renum, vesicæ, & perinæi, vel,

℞. axungiæ cuniculi ℥. j. succi fœni. marini recenti, vel conditi cum aceto ʒ. j. ß. azari, spicæ celticæ, fœni. ana ʒ. j. olei scorpion. & nucum ana ℥. ij. ceræ & terebinth. parum, fiat vnguentum.

Ad sanguinem coagulatum idem valet, efficaciúsque erit, & magis determinatum, si bituminis ʒ. j. addideris, vel olei petrolei parum. Non statim his vnguentis vti oportet, ne vena, quæ nondum coaluit, rursus aperiatur, sed paulò post, & quando symptomata retentionis vrinæ multùm vrgent. *Ad sanguinem coagulatū Vnguēta.*

Ad Vermes Vnguenta.

Vermibus è ventre eximēdis conueniunt ea vnguenta, quæ laxant ventriculo imposita. Itē quæ fiunt ex amaris medicamentis, occidendis, & expellendis vermibus conueniunt, quæ ex amaris & acribus fiunt, vt,

℞. succi vtriusque persicar. vel foliorum persicæ arbor ℥. j. olei amyg. amar. vel de absynth. ℥. ij. petrolei ʒ. iij. fel is bouis & aceti parum. farinæ lupinorum ℥. ß. misce, fiat vnguentum addita terebinth. vel pice. q. s. ponatur supra vmbilicum. Fiunt alia, quibus vtendum in febre, quæ cum fluxu est, vt,

℞. farinæ lentium ℥. ß. cornu cerui, & coralli rub. vstorum ana ʒ. i. seminis citri & portulacæ ana ʒ. iij. olei rof. & myrtill. ana ʒ. ij. succi limonum ℥. iiij. misce, fiat vnguentum addita pauca quantitate terebinth. aut ceræ rubræ, ponatur supra vmbilicum. *Ad febr. Vnguēta.*

Si febris cum vermibus citra fluxum fit, ex amaris minùs calidis fiat, vt,

℞. succi rof. succi limonum, vel aranciorum ana ʒ. ij. olei viol. ℥. iij. agarici ʒ. ij. rhabarbari ʒ. j. fellis bouis &

aceti parum, ceræ q.s. fiat vnguentum. Aloë, Myrrha, & reliqua amara apposita occidunt vermes, & deturbant inferiùs, si superior pars ventris vngatur. Nunquam enim inferior pars inungenda, quia vermes hæc fugiunt tanquam venenum.

Ad ventriculi affectus vnguenta.

AD oris ventriculi aliarúmque eius partiũ affectus fiunt vnguẽta pro caussarum varietate. Hoc autem commune habent, quòd semper moderatè astringentibus corroborandæ sunt ventriculi partes. Sin emollire oporteat scirrhum aut duritiem vẽtriculi, minùs emollientibus id est faciendum, vel contrariam facultatem obtinentibus, vt mastiche, oleo mastich. de myrrha, styrace, & ladano. Relaxetur gula seu œsophagus, ita vt summa cũ difficultate cibũ possit transmittere, potũ autem minimè, quia minorẽ crassitudinem habet, nec cõprimi potest: ad quem affectum parari debent vnguenta ex calidis astringentibus, aut aliqua astringentia calidis miscenda. Calida astringentia sunt cassia, id est cinamomum crassum, cyperus, mastix, ladanum, hypocistis, caryophil. macis: Vel calida, vt stæchas, rosmar. hyssopus, saluia, quibus adiungimus nuces cupressi, & rosas, vt,

Affectio œsophag.

Calida astringentia.

Calida.

℞. olei mastich. & cydoniorum ana ℥. iij. ladani, hypocistid. & acaciæ ana ʒ. ß. caryophil. nucis moscatæ immaturæ ana ʒ. ij. myrobal. citrinorum ʒ. iij. ceræ q.s. fiat vnguentum.

Si hoc satis non calfaciat, addantur flores rosmarini, stechad. saluiæ an. ʒ. ij. & dosis myrobal. minuenda, hoc vnguentum non supra ceruicem, nec supra asperam arteriam, sed in lateribus colli applicare conuenit, neque retro, vt Galenus voluit, neque ante, quia ad partẽ affectam penetrare non posset ob asperam arteriã, retro ob vertebras colli, sed per latera colli facilè vis penetrat.

Ad oris ventriculi relaxationem valet idem vnguentum, vel simile parti appositum circa 13. vertebram ad latus sinistrum. Nihil refert etiamsi pars anterior inungatur. Nam calfacto ventriculo etiam os incalescit facultate communicata, sed multò citiùs os per posteriorem, vt corpus ventriculi, per anteriorem medicamentis appositis curatur, ob situm partium.

Ventricu-

Ventriculo parantur vnguẽta calida & frigida, quanquam vulgus ventriculum semper calfacere velit, constringere, aliquando laxare & emollire. Rarò astringentia in vnguentis imperamus siue refrigerare, siue calfacere, siue exiccare velimus, sed calidioribus vnguentis plus astrictionis inesse oportet, refrigerantibus minùs, quia quæ refrigerant, ferè semper constringunt, & robur per accidens seruant. Calida verò laxando soluunt, ideo calfacere debent pro intemperaturæ excessu. Si multùm recessit, multùm: si parùm, parùm.

Si ad coctionem iuuandam fiant vnguenta, aliáque remedia externa, vt linimenta, cataplasmata, temperata sunt, vt quæ in abscessibus suppurare debent. Omnis cõcoctio fit à calore moderato, & temperato: quę igitur iuuant innatum calorem, illum temperatum prouocare debent in nobis, non cum excessu. Talia igitur erunt, *Ad iuuandã coctionem vnguenta.*

℞. olei mastich. & mentæ ana ℥.ij. spicæ nardi, nucis moscatæ, caryophil. an. ʒ. ß ros. rub. ʒ ij. ceræ parùm, fiat vnguentum, vngatur duabus aut tribus horis ante pastũ, addendo tempore inunctionis parùm vini albi, vel clareti: moderatè calfacit & adstringit, calorem conseruat, & concoctionem iuuat. Si verò frigidior sit, tardiùs concoquit, & flatus multos gignit. Addemus itaque, quæ magis calfaciunt, & flatus discutiunt.

℞. ol. de absynth. & ol. nard. an. ʒ. ij. galangę, caryoph. mastich. cyper. an. ʒ ij cumini, foliorum anthos an. ʒ. j. ceræ q. s. fiat vnguentum.

Si in ventriculo cibus fluctuet ob largam humiditatẽ: aut sit per se relaxatus, ne amplecti possit cibum, & liquida exeant excrementa, tum siccare magis oportet, & constringere, quod apertè fiet, si superiori vnguẽto sandali, coralli vsti, cortic. citri, cinamo. crassi an. ʒ. ß. & aceti parùm addiderimus.

Si verò refrigerare tantùm velimus citra constrictionem magnam, vt in febrib. hecticis, & temperaturis calidis, vel cùm adhuc superest in ventriculo materia aliqua euacuanda, vnguento sequẽti, vel simili vtetur quod refrigerat, & ventriculum roborat, ne materiã retinet, sed potius deorsùm deturbatos ventriculi confirmando sic,

℞. olei rosa. & omphacini ℥. iij. coralli rubr. coriand.

ſandali albi, florum labruſcæ, & cortic. citri an. ℥. j. ceræ albæ q. ſ. fiat vnguentum, vngatur oris ventriculi regio, addito pauco aceto tempore inunctionis, quod non ſolùm iuuabit penetrationem, ſed etiam refrigerabit, & cõſtringet. Neque eſt quòd acetũ repudiemus ob neruos, quia integris viribus eò non peruenit, imò & ſyru. acet. & alios ſyru. ex aceto compoſitos iniicimus. Quid igitur eorum contactum externum verebimur præter rationem? Si refrigerare, relaxare, & humectare (quod raro fit initio) velimus, fiant hoc modo.

℞. olei viol ℥ ij. olei nenuph. & amygd. dulc. ana ℥. j. ceræ citrinæ q. ſ. fiat vnguentum, linimẽta tamen in hac cauſa magis conueniunt. Ventriculum laxamus, cùm aſtrictus eſt nimium, vt in magna inedia, aut cùm vomitum prouocare volumus. Paratur autem vnguentum ex modicè calidis & relaxantibus, conturbantibúſque os ob fœtorem, quo potiſſimùm os ventriculi inungimus. Talia ſunt galbanum, aſarum, aſſa fœtida: vt,

℞. ol. liorum, amygd. butyri rancidi ana ℥. ij. agarici, azari tenuiſſimè pul. ana ʒ. ij. ceræ nouæ (quia magis relaxat) q. ſ. fiat vnguentum. Agaricus & azarum conturbant ventriculum, & butyrum rancidum. Nam ingratus ille odor vomitum ciet, quem multo magis prouocabunt fœtidiora, vt ammoniac. & bitumen: vt,

℞. fæcis olei liliorum, ol. communis antiqui, & fœtidi ana ℥. j. dialtheæ ℥. ß. ammon. diſſoluti in ol. ʒ. ij. ſucci cucumer. agreſt. vel raphani agreſtis, vel ciclaminis ʒ. j. ceræ parùm fiat vnguentum, quo vngatur os ventriculi. Additur & in iſtis vnguentis mucilago, ſemin. fœnugr. Vngendæ ſunt partes lateris colli, quod fit cùm eſt neceſſe multùm vomere, vel in quibus difficulter prouocatur vomitus, vt partes ſuperiores relaxentur, & tunc partes inferiores conſtrictæ ſunt, quò facilius ſurſum aſcendant excrementa. Quando conſtringendum eſt, eligimus conſtringentia ſimul & odorata vt reficiant, vbi conſiderandum eſt, calfaciendum ne ſit an refrigerandum, vt in cholerica paſſione, & vomitu ſanguineo refrigerandum, & conſtringendum.

Ad lienteriam Vnguenta.

IN lienteria verò calfaciendum & aſtringendum, in dyſente-

dysenteria refrigerandum & constringendum. Distinguenda itaque quæ refrigerãdo constringunt, ab iis quæ calfaciendo id præstant. Calfaciunt constringendo cyperus, galanga, mastix, caryophil nux mosc. omphocina, spica nardi, cortex thur. thus ipsum. Nullum verò ex his insigniter id præstat, quia astrictio insignis esse non potest cum caliditate, nisi astrictio proueniat ab adustione, vt misy, sory, chalcitis. Quare si magis constringere volimus, addenda quædam frigida terrea vt gallæ, cort. mali gran. balaust. citrini, rosæ, spodium, bedegar. alumen vinacea, coral. bolus arm myrthi folia & fructus, cydonia, pruna syluest. mespila, corna & sexcẽta alia, quæ diligens lector in hãc classem reuocare poterit. Ex astringentibus calidis modicè astringens paratur hoc modo, *Calfaciũt constringendo.* *Constringentia frigida.*

℞. olei mastich. ol. de absynth. an. ℥. 1. cyperi, caryoph. nucis mosc. ʒ vini maluat. limaturæ cortic. thur. ana ℥. 1. ceræ albæ q. s. fiat vnguentum. Hæc cum calore leuem habent astrictionem. Quare si quis fortiùs constringere velit, addat vinaceorum, balaustiorum, radic. bistortæ ana ʒ. 2. tempore inunctionis parum aceti. Iuuat enim constrictionem & penetrationem.

℞. myrth. & cydon. ana ʒ. 2. coral. rub boli arm aloes, rad. bistor. & gallarum ana ℥. 2. acaciæ, hypocistid ladani ana ℥. 1. ceræ albæ q. s. fiat vnguentum, quod & refrigerat modicè vel parum calfacit.

Constringere & refrigerare non est operosum. Nam quæ frigida sunt, quodammodo constringunt, & quæ insigniter constringunt, magna ex parte sunt terrenæ substantiæ adustione, vt chalcit. misy, sory, melantheriani. Fiunt itaque vnguenta ex oleis astringentibus, quorum parua est dosis, vnà cum aliis astringentibus, vt,

℞. olei rosſ. omphac. cydoniorum ana ʒ. 2. gallarum cortic. mali granati, balaustiorum, myrtill. spongiæ, bedegar. bistortæ ana ℥. 2 boli armen. ʒ. ß. acaciæ ʒ. 1. ceræ quat. semin. fiat vnguentum, cui adde aceti parum. Acetum ponendum, vel aliqua tenuium partium, vt penetrare faciant astringentia, & terrea, quæ sibi aditum præcludunt constringendo, & sæpe fluxionem ventris augent apposita, vt aliquando vidimus: quia constipata cute & partibus superioribus comprimendo expellunt.

Quam ob causam non vitupero eos, qui in his vnguentis spicam, vel cyperum, vel cinamomũ in pauca quantitate addunt, quod alia nimis crassa penetrare faciant, tum etiam quod ventriculi, & aliarum partium functio, siue actio non nisi calore perficitur, qui sopitus semper excitandus, fouendúsque est.

Ad intestina & ventric.

INtestinis & ventriculo eadem vnguenta præscribuntur, nisi quòd non semper necessaria sit illa astrictio, præterquam in fluxu vẽtris. Sed discutientia flatûs maiore quantitate ponenda, tam ob flatus, quàm ob frigidiorem temperaturam, & excrementa pituitosa, quæ in illis abundant. Ad calfaciendum itaque flatus discutiendos, & dolorem sedandum sic fiet,

Ad flatus discutiendos.

℞. ol. nardi. & rutac. ana ℥. 2. apij, petros. ana ʒ. 3. florũ cham. melil. ana ʒ. 2. piper. galangæ ana ʒ. 1. ceræ q. s. fiat vnguentum: tempore inunctionis adde vini albi generosi, vel maluatici parùm: vngatur manè reiectis recrementis, vel post clysterem.

Si dolor colicus sit vehemens, fortioribus erit calfaciendum & discutiendum, vt

℞. olei anethini, rutacei ana ℥. 3. ol. de spica ℥. 1. ß. seminis rutæ, cumini, baccarum lauri, apij, petro. ana ʒ. 1. spicæ nardi, galangæ ana ʒ. ß. ceræ q. s. fiat vnguentum, vngatur ventris pars media. Adde etiam tempore inunctionis vinum maluaticum.

Ad affectus vteri vnguenta.

AD vteri præcipitationem & inflationem valent eadem vnguenta, addito pauco vino maluat. Ad vteri item obstructiones à crassis humoribus, ob quos mẽses non liberè fluunt. Sed ne hoc vnguentum materiam exiccet, & absumat, temperandum erit multo oleo liliorum, vel amygd. dulc. vel cinamo. vel axung. anser. vel galli. vel butyro. Hæc relaxando efficiunt, vt menses sine dolore, & molestia fluant.

Ad prouocationem mensium non fluentium ob obstructiones determinatum faciemus ex illis relaxantibus, aperientibus, & prouocantibus menses & vrinas, vt

℞. ol. amygd. amar & liliorum ana ℥. 1. ol. cherini, vel irini ℥. 2. spicæ celticæ, scœnanth. azari ana ʒ. 3. seminis

apij,petro.ana ʒ.3.terebinth.& axung.anseris veteris ana ℥.2. ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum, quo vngatur regio pubis,renum,& inguinum, addendo vini maluatici parum. Addũtur & succi herbarum calidarum, & tenuium partium vt apij,succus pedis columbini,arthemisiarum, pulegij,& similium. Supra pubem,renes, & inguina applicantur vnguenta ad partus facilitatem, sed addenda sunt, quæ parturientes iuuant, vt aristolochia rotunda, vel longa,& similia,vt *Ad faciendum partum.*

℞. olei amygdal.dulc. & butyr.recentis ana ℥.2.axungiæ porci,& gallinæ ana ℥.3.aristoloch. rotundæ,& longæ ana ʒ. 3.cinamomi tenuioris, asari, styrach. myrrhæ ana ʒ.1.ceræ nouæ q s.applicetur supra os pubis,aut circa caudam,& emunctoria, post vsum fomenti ex maluis & aristolochia.

Idem vnguentum conuenit ad secũdinæ eiectionem, & fortiora adduntur,vt agaric.colocynt. Iuuat enim expulsionẽ cuiuslibet rei irritando facultatem expultricẽ. *Ad secundinarum eiectionẽ.*

Ad retentionem fœtus vnguenta.

AD fœtus retentionem plus valent aliquando vnguenta quàm emplastra, exempli gratia, cùm mulier abortire solet ob sanguinis copiam & acrimoniam, aut caliditatem nimiã, quæ partes relaxat, si emplastra apponantur,suo contractu calorem augent,plúsque nocent quàm iuuant Vnguẽtum præterea altius penetrat, quàm emplastrum,fiet autem hoc modo, *Aborsus causa.*

℞. olei ros.omphac.vel cydoniorum, vel myrthi ℥.3. radic. bistor. ℥.1.boli armeni,coralli rub.ana ℥.ß. balaustiorum ʒ.3. ceræ rub.q.s.fiat vnguentum,addendo aceti,quantùm ebibere poterit,diluti aqua peculi ros.vngatur regio ventris, & renum frequenter,& antequã multus sanguis effluxerit.

Valet idem ad mensium superpurgationem. Si hoc non simus contenti,aliud parandum ex retinẽtibus sanguinem refrigerando,condensando,vel astringendo, vt *Ad superpurgationem mens.*

℞.ol.nenuph.℥ 1.cydon.℥.3.boli arm.acac.sanguinal. ana ʒ. 3. balaust.spong.bedegar.alumin.ana ʒ.1.ceræ albæ q.s.cui incorpora aceti quantùm ebibere poterit,diluti in aqua peculi ros.plantag. vel bursæ pastor.vel earum succo. Idem efficacius fit cum succus porri additur.

Animaduertendúmque est nū grumi sanguinis post retentionem remaneant, nec putrescant, & suffocationem aliáque symptomata prouocent. Quæ multùm siccant, sanguinis impetum sistunt, vt

℞. oss. sepiæ ℥. ß. coral. vsti, sanguinal tuthiæ ana ʒ.2. alum. ʒ.1. ol. cydonio. & myrt. ana ℥.2. succi plantag. vel burs. past vel polygoni, vel hernialis ℥.3. addito pauco aceto simul misceantur, fiat vnguentum diu agitando. Qui ceram velit, addat albam. Coquantur parùm succi, deinde omnia simul misceantur.

Ad sanguinis impetum sistendum.

Sanguis è naribus, pulmonibus, thorace, renibus, vesica, hepate, intestinis, hæmorrhoidib. dentibus & ab vtero fluens semper retinēdus est, nisi per crisim, vel per menses, vel per hæmorrhoidas naturaliter & moderatè fluat. Retinetur potissimū auersione per sanguinis missionem, vel cucurbitas, vel ligaturas, item epithematis, vel emplastris, vel vnguentis supra venas impositis, per quas defluat ad vulnus, vel venæ apertionem. Nā in vulnere satius est puluerē inspergere, quàm alio modo medicamenta adhibere, quia citiùs sanguinem sistit, inspissat, conglutinat, & coagulat, qui posteà venam obstruit, & sanguinem foras erumpere prohibet. De vnguentis igitur, quæ circa partem apponuntur, dicemus, quæ parantur ex pulueribus frigidis, & constringentibus, album oui, vel succis herb. súntque ea ferè agglutinantia, vt quæ ex bolo, sang. drac. thure, mastiche, aloe, bistor. & sanguine exiccato parantur. Efficaciora autem fient si pili leporis vel papi florum salicis, aut alterius herbæ addantur. Succi sunt plantag. polygoni, herina. caudæ equinæ, bur. past syderit. albumen oui agitatum, mucilago, gummi tragac. & arab. sunt agglutinantia, vt

Quando sanguis retinetur.

Puluer. frigidi & constring.

Succi.

℞. gallarum cortic. interior. castaneæ, vel cortic. mali granati, vel balaustiorum ana ℥. ß. boli arm. ℥.1. sang. draconis ana ʒ. 3. cum albumine oui excipiantur, fiat vnguentum: vel sic,

℞. ol. myrtill. vel ros ℥.3. succi burs. pastoris vel polygo. ℥.2. gallarum, balaustiorum. radic. bistortæ ana ℥. ß. ceræ albæ q. s aceti parum, fiat vnguentum. Hæc vnguenta non sunt ponenda supra os venæ fluentis, sed

Locus cui apponūtur

paulò

paulò infra supra regionem, per quã venæ ad illud permeant, & potissimum in ea parte, in qua magis ad extra se prodit, vel cùm sanguis influit in caput, vnguenta hæc in lateribus colli, in quibus venæ & arteriæ positæ sunt, apponenda erunt, & circa emunctoria, quando in aliquod membrum descendit, vt in principio arthritidis, misso sanguine, & non existente venenosa materia, aut in magna quantitate. Si sanguis à pulmone fluat, vtile erit imponi vnguentum supra renes, & totam spinam, quia magna vena & arteria spinæ incubat. Sin è vulnere fluat, supra emunctoria illius partis læsæ. Nec improbo super vulnus imponi, si posit. Sin per sedem, supra renes, vt etiam cùm per vesicam secernitur, circa perinæum, vel arteriam, vnde fluit sanguis.

Si à pulm. fluat quo loco apponenda. Si à vulnere. Si per sedem.

De vnguentis quæ ad chirurgum spectant.

SVperest vt de vnguẽtis chirurgicis agamus, quæ fiunt ad maturationem abscessuum, vlcerum detersionem, carnis generationem, inducendam cicatricem, ad psoram, luem veneream, cicatrices dealbandas, & emolliẽdas, de quibus omnibus breuiter dicemus, ne chirurgis curationem vlcerum & tumorum præripiant iuniores medici, qui nihil non audẽt. Initium autem sumemus ab vnguentis morbũ Italicum curantibus, de quibus multa scripta sunt à diuersis authoribus. Plerosq; tamen errare video, & vnam eandémq; vnguenti descriptionem omnibus præscribere, nullo habito delectu, & nullius caussæ distinctione, sed eodem vnguento & scabiem Italicam, & dolores articulorum, & capitis, & vlcera curare nituntur. Primùm itaq; morbi essentia cõsideranda est, caussa affectus, & symptoma. Morbus hic in frigiditate & nimia humiditate consistit, quæ à secunda coctione, deinde à tertia, quæ fit in membris externis, (multò autem magis in particularibus) suam naturam mutuatur, quod indicat curatio, quæ constat non tantùm ex resiccantibus, sed etiam ex euacuantibus, vel ex sanguinis missione, vel ex ambobus: quia caussa continens & immediata, quæ est humor collectus in ambitu corporis, his nõ euacuatur, sed curatur sudoris prouocatione, deinde vrinæ: Tertiò & vltimò purgatione frequenti & continua, quæ ob suam frequentiam corpus siccat insigniter, quæque

Error multorũ in curãdo morbo Italico.

Essentia morbi Italici.

Curatio.

constet ex his, quæcunque sudores moueant insigniter, vel exiccent extrinsecus, vel intrinsecus, quæ morbum hunc euincant, vt vnguenta sudorifica, potiones ex ligno Gaiaci, rad. apios, salsæ parillæ, & aliorum multorum.

Cautio in curatione. Antequam vnguenta præscribantur, diligenter considerandum est, num affectus sit in cute, carne, ossibus, periostio, aut capite, costis, sura, brachiis, vlna. Si enim in cute sit, vlcera excitabit vel papulas, vel scissuras manuum, vel cutis efflorationes. Si sub cute, alopecias, si sub periostio, dolores membrorum: si in ossibus, exostoses. *Quid considerandũ in curatione.* Deinde consideranda est humoris consistentia, sítne tenuis an crassus. Nam tenuis in cute effiorescit, crassus sub cute latitat, periostio, vel osse. Deinde videndum nũ humor alicuius partis substantiam corruperit, vlcus fecerit in carne, vel carnem in osse: nam secundum horum diuersitatem vnguenta varia sunt præscribenda. Nam quæ vlcera curant, & scabiem, mitiora sunt sed ficciora: quæ dolores curant, calidiora, & magis relaxantia, quæ exostoses fundentia & resiccantia.

Ad dolores capitis & articulos curandos.

AD dolorem capitis & articulos curandos fiunt vnguenta *acopa* dicta, vt ex adipibus pectorale magistrale sic à Nicolao appellatum, resumptiuum, dialtheæ, martiatum, arragon. si argentum viuum addatur, vt

℞. axung. porci non salitæ ℔.1. butyr. recent. axung. galli. & anatis an. ℥.3. ol. irini vel laurini ℥.4. euphor. ℥.1. terebinthinæ lotæ in aqua vitæ ℥. 3. argenti viui extincti in axung. porci ℥.5. ceræ nouæ parum, litharg. ℥.2. misce, fiat vnguentum. *Quæ non conueniunt.* In his neque cinabrium ponendum est, neque sublimatum, neque sulphur, quia nimiùm extingunt argentum viuum & sudores retinent, sed post sudationem conuenire possunt ad resiccanda vlcera. *Quæ conueniunt.* In istis omnes axungiæ conueniunt, olea omnia calida resoluentia & calidiora, & magis tenuium partium, quia plus penetrant, & resoluunt, & sudores mouent. *Oleum amygd. cũ argẽto vi-uo non debet poni.* Oleum verò amygd. nunquam poni debet, vbi est argentum viuum, quia experientia comprobatum est, oleum hoc vim argenti viui extinguere. Gummi conueniunt dissoluta in vino vel oleo, non in aceto, vt galbanum, myrrha, opopanax maximè in pauca quantitate, & in antiquato morbo,

bo, vt in exostosi. Additur etiam castoreum, staphisagria, & alia calidiora. Si itaque morbus sit antiquatus, & cum doloribus capitis, vel sunt exostoses, ex his vltimis parantur vnguenta hoc modo.

Quæ conueniunt exostosi.

℞. axung. porci non salitæ antiq ℔ 1. axung. anat. & gallinæ ana ℥.2. olei laurini & irini ana ℥.3. olei de spica ℥.1. ß. staphisag. myrrhæ, styrac. opopan. dissoluti in aqua vitæ ana ʒ.3. terebinthinæ lotæ in aqua vitæ ℥. 3. argenti viui extincti in axung. porci ℥. 6. resinæ & ceræ parum, fiat vnguentum. Hic animaduertendum est vnguentis istis diutius vtendum esse. Primùm enim inungendæ sunt omnes partes sanæ, vt humores eo trahantur. In declinationes verò partes tantùm affectæ, vt quicquid in parte collectum est, discutiatur exactè & diutius sunt inungendæ, vt humor altè latitans sensim liquescat, ac trahatur, & crassum cum tenui euacuetur, quod pauci nostri tẽporis faciunt, & hinc fit, vt post vsum remediorum plerunque morbus maior appareat, vel recrudescat, vel qui non apparebat sese manifestet.

Curatio exostosum & doloris cap.

Error multorum.

In papulis si morbus consistat, vel in scabie, vel vlceribus paruis vt in herpete: tunc parabitur vnguentum ex modicè calfacient. & rarefacient. & detergent. desiccantibúsque. (Priùs autem mittendus est sanguis, & corpus purgandum) quale est vnguentum enulatum, aucta dosi argenti viui, & addito oleo, de iunipero, vel irino, vel laurino, vt

Curatio morbi alia pro ratione symptomatum.

Sanguis miss. & purgatio.

℞. axung. porci ℔. ß. butyr. recent. ʒ.3. olei chamomil. ℥.4. irini ℥.2. myrrhæ, styrac. ana ℥. ß viridis æris ʒ. 2. argenti viui extincti in succo limonum, vel lapati acuti, vel enulæ cam. ℥.4. subl. ʒ.2. litharg. ℥.2. terebinth. ℥. 2. ceræ parum. fiat vnguentum. Hoc differt ab aliis, quia axung. porci ℔. ß. tãtùm recipit, quia nimium humida est. Butyrum autem quamuis simile videatur valet etiam ad psidrachia, id est, pustulas, & papulas paulùm supra cutem eminentes. Præterea recipit æruginem æris, quæ etiã si videatur impetũ sudoris per se impedire, vlcera tamen & vitia cutis detergendo curat. Extinguitur argentum viuum in succo limonum, vel citri, vel lapati acuti, vel enulæ, quia hi succi scabiem curant, & additur sublimatum: quia siccat vlcera, psoras, scabiem, &

Butyrum.

Quæ vitia cutis emẽdant.

cutis vitia. Lithargyrum, quia siccat, consistentiam vnguenti auget, & argentum viuum retinet. Terebinthina valet ad dolores soluendo, & resoluendo, si aqua vitæ abluatur, sic detergendo iuuat. In quibus nimia cutis laxitas timetur, aut nimia calfactio, additur oleum ros. & cerus. Quia verò nimium sudores impedit, in vniuersali vnctione non conuenit, sed in partis alicuius vlceratæ intemperie conuenire potest, vt alia metallica.

Vlceribus morbi Italici conuenire potest vnguentum quod suprà scriptum est, si vlcera priùs sint vtcunque detersa. Nam exactè ob malitiam, quam habent, detergi non possunt, quæ multò satius est detergi vnguentis detergentibus, quàm si vnguentis istis detergantur. Deinde vnguenta applicanda in parte affecta, & toto corpore. Diutius autem inhærere debent in parte vlcerata, aut admiscendam vnguentis aliis sarcoticis. Hoc vnguentum magis idoneum erit vlceribus, ob cinabrium, quod magis siccat, minùs autẽ sudores mouet, præsertim cinabrium nostrum factitium ex sulphure & argento viuo, quia argentum viuum sic extinctum nullius est efficaciæ propter ablatas illi vires à sulphure. Errant igitur, qui argentum viuum sulphure extinguunt, maximè cum sudores moueri oportet, ad corporis exiccationem. In particularibus autem vnguentis (quando exiccandum) partium exulceratarum conueniet cinabrium, aut cùm post vsum Gaiaci, & aliorum prouocantium sudores vti volumus vnguento ad curationem vlcerum, vt

℞. vnguenti marciati ℥. 3. seui hircini ℥. 4. olei irini ℥. 3. myrrhæ ℥. 1. virid. æris, irid. styrac. an. ʒ. 2. terebinth. lotæ in aqua vitæ ℥. 3. resinę, ceræ ana ℥. 2. argenti viui extincti in succo limonum ℥. 4. cinabr. thur. masticis ana ℥. 2. misce, fiat vnguentum, quo vngantur partes exulceratæ à morbo Italico, & vicinæ.

Hîc vnguentum marciatum ponitur, vel aragon, sic dictum pro *arigon*, quasi iuuans, ab *arigo*, quia mirificè valet ad vlcera antiqua, seuum hirci, quia siccat admodum. Cinabrium hîc positum dosi minore ob argentum viuum. Reliqua omnia vlcera tergent & siccant. Non me latet ex terebinthina, argento viuo, & aqua vitæ fieri vnguen-

vnguenta, vel etiam ex sola axungia, & argento viuo. Experientia autem comprobaui omnes, qui eis vsi sunt, in tremorem, aut conuulsionem incidisse. Sed si quis velit ex paucis conficere, satius fuerit cinabrium cum terebinthina vel sublimatum tantùm cum aqua vitæ, cera, vel resina, vel axungia miscere. Sed prima multò securiora sum expertus. Hîc obiter est notandum ea vnguenta, quæ cinabrium, cerusam, lithargy vnguentum, vel oleũ ros recipiunt, minùs prouocare sudorem. Cùm itaque corpus sudoribus erit euacuandum, ab illis abstinendum censeo.

Experientia argenti viui.

Quæ minus prouocant sudorem.

Ad psoram vnguenta.

AD psoram, lichenes & eiusmodi cutis vitia paratur tale,

℞. olei de iunipero ℥.2. olei nucum ℥.1. tartari albi ℥. ß. vitreoli. salis cõmunis, sulphur. ana ʒ.3. terebinthinæ lotæ cum succo limonũ ℥. 2. litharg. ℥. j ß. ceræ parùm, fiat vnguentum. Si morbus fuerit contumax, adde sequentia, argenti viui ℥. 2. sublimati erit ʒ.2. efficacius. Applicatur post balnei vsum & purgationem, vt remollescant crustæ, & citiùs penetret, vel sequens,

℞. olei de iunipero ℥.3. litharg. auri ℥. 4. olei lucernarum & nucum ana ℥.2. tartari vini tenuissimè puluerisati ℥. 1. ß. vitrioli, salis communis ana ʒ.3. incorporentur simul & adde succi plantaginis & limonum ana ℥.3. aceti squillitici ℥.1. incorporentur simul, & fiat nutritum.

Tempus exhibẽdi.

Ad herpetes.

AD herpetes fiunt ex succis herbarum siccantium & adstringentium vel detergentium cum mineralibus.

Si enim herpes exedens sit, erunt ex vsu constringentia, quæ impediunt ne serpat, vel exedentia quod corruptum est, insigniter exiccantia, qualia sunt mineralia. Proinde succi isti lactucæ, solani, semper viui non sunt addendi, quia sunt humidiores, licètque refrigerent, nõ tamen astringunt, vt Galenus 2. ad Glauc. docuit, & libr. 14. method. fiat itaque hoc modo.

℞. succi plantag. & summitatum vitis, vel labruscæ ℥.2. succi polygonij ℥.3. lithargyri ℥. 1. tuthiæ præparatæ & antimonij ana ℥. ß. aloës citrinæ ʒ.3. ceræ parum, fiat

vnguentum addito pauco oleo myrthino, vel rof. omphacino.

Si verò herpes exedat carnem, vtile erit omphacium vnguento addere, quòd carnem corruptam auferat & castiget. Deinde ad alia mitiora veniendum, & cicatrix inducenda. Vnguentum ex pompholige addito alumine citissimè curat.

Ad scabiem communem.

AD scabiem communem sufficit vnguentum enulatum, vel quod ex resiccantibus paratur, quale quod à pauperibus conficitur ex oleo communi & sulphure simul mistis, vel sic,

℞. litharg. cerusæ lotæ ana ʒ.1. myrrhæ, styrac. liquidæ ana ʒ.2. salis communis ʒ.2 sulphur. viui ʒ. 3. argenti viui extincti in succo limonum ℥.1. olei rof. q. f. ceræ parum: fiat vnguentum, vngatur vola manuum, & postea fricetur totum corpus manibus iunctis.

Ad pruritum vnguenta.

AD pruritum parantur vnguenta, quæ vel humorem salsum, vel serosum & acrem per insensilem vacuationem purgent, discutiant & detergant hoc modo.

℞. radic. lapati acuti, & enulæ campanæ an ℥.1. decoquantur in aceto & contusa per cribrum passentur, quibus adde olei irini ℥.4. salis communis ℥.1. myrrhæ ʒ. 2. *Pruritum sedantia.* litharg ℥.1. ß. ceræ parum, fiat vnguentum. Si propterea non esset pruritus, addatur parũ argenti viui quod pruritum sedat maximè, qui à paruis pediculis vulgò (cirons) vocatis excitatur, vel addatur sublimati parum. Post exiccationem vel discutionem materiæ, remanet sensus ille pruritus, quem auferre oportet addendo ipsi vnguento oleum hyoscy. quod refrigerando pruritum aufert mirum in modum. Vel fiat sic,

℞. vnguenti pomphol. ℥.2. olei hyoscy. ℥.1. ß. fiat vnguentum, vngatur locus pruriens. Post horum vsum vtile est corpus balneo, vel lauacro detergente frequenter abluere, quia quæ in cute remanent, pruritum excitant. Prima lotio fit lixiuio, altera ex decoctione fabarum, rof. & hord. tantùm.

Ad

Ad sedandum dolorem vnguenta.

IN doloribus sedandis seu leniendis maximè vnguentis vtuntur chirurgi, & ad concoctionem tumorum, & maximè vomicarum, & ad detersionẽ puris, & ichorum, ad absumptionem putridæ carnis, ad carnis generationem, & ad cicatrices inducendas. Ad dolores sedãdos potiùs vtimur linimentis, quàm vnguentis, vt suprà dictum est. Linimẽtis ergo præscriptis ad dolores auriũ, vel aliarum partium vtemur, vel vnguento resumptiuo in dolore qui fit, cùm suppuratur materia. Est enim emplasticum & maturando, & relaxando doloris sedatiuũ. Si à materia calidiore oriatur, adde olei violati, vel hyoscyami aliquid, vel vtere vnguento ros. addito oleo hyoscyami, vel violato. Vnguento populeonis recẽtis, sedatur dolor à materia calida. Vnguenta verò calida vt dialtheæ, & œsypus dolores frigidos sedãt, quibus addẽdum oleũ amyg. Ad dolorẽ calidum & inflãmationem suppurandam vtuntur chirurgi foliis hyoscyami decoctis & axungia porci, vel vnguento ros. miscentur. Tale autem in illis partibus, quæ ob multũ sensum vehemẽter dolent, vt sunt pudenda, mammæ, apponendum est. *Vnguentum resũptiuum.*

De maturantibus vnguentis.

MAturantia vnguenta ex suppurantibus fiunt, quæ calorem temperatum, vel nostræ temperaturæ similem habent per se, vel temperatura aliquibus aliis, súntque emplastica. Fiunt ex oleo communi, & sesamo, & amygdal. aliísque tẽperatis. Sed admiscẽtur cera, pix, vel resina, vel seuum, vel farina tritici, vel vitelli ouorũ vt augeatur vis emplastica. Habent chirurgi vnguenta parata Basilicum maius & minus. Minus verò suppuratorium est: maius non solùm suppuratorium est, sed etiam deterget nonnihil & carnem generat ob myrrham & olibanum. Ad vomicas itaque concoquendas & apostematosa sordidáque conuenit. Hinc etiam inter sarcotica numerantur à Guidone in suo antidotario. Pix dissoluta in oleo communi vnguẽtum facit. Fit vnguentum ex oleo & ouis duobus modis. Quod fit ex integro ouo, & oleo violaceo, sedat dolorem inflãmationum & suppurat. Eo autem vtendum, cùm dolor magnus est ob suppurationem. Nam albumen oui licet sit frigidum, *Basilicum maius & minus.*

refrigerando vnit calorem, & emplastica sua substantia suppurat. Cùm itaque dolor magis sedandus est, oleum violatum. Cùm suppurandum, oleum amygd. dulc. vel commune vsurpandum. Hoc autem vtendum est post abscessuum apertionem, vt dolorem ferro & igne excitatum, leniamus: Cùm suppurare vel concoquere volumus, ex vitellis ouorum tātùm, & oleo communi, quod multò citiùs faciet, vel si tantillum terebinthinæ addatur; quod potissimùm fit in neruosis locis, vt iuncturis.

Vnguentum resumptiuū

Vnguentum resumptiuum satis emplasticum est, & temperatum ad maturationem iuuandam, accelerādámque suppurationem, vt & dialthea, quāquam inter malactica à Guidone enumeretur. Sed non minùs materiæ crassæ est suppuratorium, quàm emollitiuum. Recipit enim resinam, colophoniā, ceram, terebinthinam, semen lini, & fœnug. gummi hederæ, galbanum, quæ omnia vim emplasticam maiorem habēt, quàm vt decet malactico vnguento, quanquam etiam aliquid substantiæ emplasticæ inesse oporteat, nō autem tantam, quin aliquid debeamus à parte dura euacuare: itaque facio suppuratorium. Verum quidem est à squilla aliquid digestionis habere, sed & radix illa viscosam habet substātiam ad suppurationem materiæ contumacis iuuandam, licet Guido chirurgorum princeps vnguento aureo pro incarnatiuo vtendum esse doceat.

Aureum.

Concoctorium tamen & maturatiuum dicimus esse, vt Basilicum, imò multò magis ob crocum, resinam, colophoniam, masticben, & alia multa *peptica*, vt olibanum. Illo igitur vti poterimus etiā pro maturatiuo vomicarum & vlcerum. Sin quis incarnatiuum velit efficere, addat myrrham, & olibani augeat quantitatem. Si quis alia ratione conficere ex oleis & axungiis volet, vel in forma cataplasmatis, vel pulta vt parti affectæ supponatur, sic poterit conficere. Ad vulnera quidem & vlcera ex farina tritici, oleo, & seuo, fiat forma vnguenti. Vel ex terebinthina, oleo, seuo, & pice, vel colophonia vulgò dicta, quæ magis digerit ob pinguedinem deperditam, quàm maturet, Est enim fex olei de terebinthina. Multum itaque olei communis & amygd. ponendum est, vt magis cōcoquat, quàm digerat. Hactenus de suppurantibus vel maturantibus. Hîc tamen

men lectores admonitos volo emplastra metallica fieri vnguenta maturantia, si oleo multo dissoluantur, vt & reliqua emplastra hoc modo dissoluta, vnguenta fiunt, id docente Galeno qui emplastrum diachalcitidos & aliis ceratis hoc modo dissolutos in duplici vase, ne costura vterentur, faciebat vnguentum.

De concoquentibus.

AD materiam calidam concoquendam aptissimum est emplastrum diachylum parùm dissolutum oleo violaceo vel amygdalarum. Illud autem parare oportet ex oleo recenti non vteri, quia magis temperatum recens, & aptiùs concoquit, vetus magis digerit, vt omnia exemplaria habent. Fit autem id emplastrum ex mucilagine rad. maluæ, seminis psilij, hyoscyami, lini, & quæ ob emplasticam substantiam calorem naturalem accipiunt ab oleo. Lithargyrum non impedit maturationẽ, & ipsa vi emplastica temperatur. Hoc vnguentum temperando calorem, & retinendo concoquit, maximè vbi feruor est magis, vt in inflammatione erysipelatosa, vel erysipelate phlegmonoso. In simplici inflãmatione diachylum communi oleo dissolutum maturat. Paratur ex fœnugræc. & lini semine, radice altheæ, oleo & lithargyro. In materia crassa & frigida non erit reiiciendum diachylum magnum, quod recipit & temperata, & emplastica, nec refert etiamsi succum iridis, & squillæ recipiat: facient enim ea ad materiæ incisionem & præparationem, & tẽperaturo lithargyrum. In abscessu à materia crassa emplastrum de mucilagine conuenit. Neque mirum videri debet malactica aliquando maturantia fieri respectu materiæ frigidæ, vel crassæ. Non enim calfaciunt supra primum gradum. E conuerso fit vt maturantia malactica fiant, cùm pauca materia est, neque multum congesta: hæc enim contingunt propter materiæ dispositionem, quæ facit vt agens aut debilius aut fortius opus suum peragat in materia.

Diachylũ

De detergentibus.

VNguenta detergentia fiunt ad vlcerum sordidorũ & depascentium detersionem. Ex detergentibus alia sine morsu, vt dulcia, alia cum leni morsu, alia cum vehementi detergunt. Cum morsu detergunt acria &

nitrosa, amara & salsa: sine morsu dulcia tantùm: Cum leni morsu dulcia & acria vt mel, saccharum candum. Detergentia, siue detersoria vnguenta dicũtur, quæ mediocriter detergunt, corrosiua, quæ id fortiter efficiunt. Detergunt enim non solùm pus crassum, sed & carnem corruptam detrahunt, & supercrescentem minuunt. Fiunt ex ærugine æris, oleo, & cera, vel ex ærugine & melle tantum, vel ex aceto, melle, & flore æris, vt ægyptiacum vulgò dictum. Fiunt autem ex lachrymis vt ammoniaco galbano, opopanace, bdellio, arrodentibus permixtis, vt in vnguento apostolico, aut in vnguento ceraseos. Quia verò hæc cum nimio morsu arrodunt, & detergunt, adduntur pinguia ad eorum acrimoniam, & asperitatem leniendam, cera, terebinthina, oleum. His admiscentur sarcotica, quæ modicè detergunt, vt aristolochia, myrrha, thus, in apostolico, in ceraseos verò sarcotica, aloë, lithargyrum in vtroque. Meo iudicio satius esset multò ab iis abstinere cùm fortiter est arrodendum. Parùm enim aut nihil iuuant, quia eorum operationes planè inter se pugnãt. Alia enim vlcera replent, alia concauant, sed quæ eorum acrimoniam temperãt, sunt addenda, vt oleosa, pinguia. In istis cathereticis vnguentis admiscent & septica, & sarcotica, vt in vnguento Auicennæ à Bruno & Guidone vsurpato in vlceribus sordidis & putridis, quod & calcem auripigmentum rubrum recipit, licet vulgata exemplaria Guidonis tragac. rub. legant, pro auripigmento rubro. Addemus autem totam compositionem.

Vnguentum apostolorum.

℞. auripigmenti rub. ℥. j. calcis viuæ, aluminis, corti. gran. ana ʒ. vj. thur. gal. ana ʒ. iij. cerę, olei rof. fiat vnguẽtum, hoc vnguentum proportione respondet trochiscis Andromachi, nisi quòd trochisci vitreolum recipiunt, & myrrham. Fortiùs itaque detergunt, & arrodunt, neque ceram, neque oleum habent, quæ medicamentorum acrium frangunt vim, & acrimoniam. Rursus tragac. legitur pro auripigmento rubro, cap. de arrosiuis. Hic notandum vltimum hoc vnguentum magis conuenire putridis vlceribus quàm simpliciter sordidis, ad carnem putridam auferendam, quia recipit cortices mali granati, & gallas quæ constringunt, & indurant, & deter-

detersionem minuunt, quamuis amari sint cortices. Sed quia ad vlcera putrida paratur, optimum illud quod potest & carnem minuere, & saniem insigniter exiccare, vt putredinis auferatur occasio altera, nempe humiditas, quæ putredinis causa est, & mater. Alia sunt detergentia ex amaris, & aliis nitrosis, vt ex succis herbarum, myrrha, centaurio, omphac quod arrodit fortiter, ex melle, saccharo & farinis detergentibus, vt hordeo, fabarum, orobi, lupin. ex succo apij, absynth. vel centaur. minor. si non timetur inflammatio. Si verò calidior sit pars, his addemus succum plantag. vel chelidon. vel crassulæ, id est, aysoi vel telephij, myrthi. Fit igitur hoc modo ad detersionem abscessus in inflammatione.

℞. suc. apij. plantag. ana ℥ 2. farin. triti. ℥. 1. vitellorum ouor. num. 2. coquantur succi cum pauco melle, deinde alia addantur. Nec erit præter institutum si addatur ol. rosa. vel commune. propter dolorem. Nam tota materia cocta non est. Oleum igitur commune & farina triticea cum vitellis ouorum concoquunt materiam calidam, & dolorem sedāt. Temporis autem progressu oleum prætermittitur, & far. tritici mutatur ad far. hord. vel fabar. si magis sit detergendum, vel orobi, vel lupinorum. Incipiendum autem à mitioribus, deinde ad alia progrediendum. Hinc fit vt ex tritico primùm fiat, secundò ex farina hordei & speltæ hoc modo,

Farina tritici.

Farina hord.

℞. mell. ros. ves mell. cocti ℔. ß succi apij qr. 1. farinæ hordei ℥. 4. coquantur & reducantur ad formā vnguenti. Cùm pars neruosa affecta est, addenda est terebinthina hoc modo,

℞. mell. cocti ℔. ß. terebinth. quart. 1. succi absynthij, vel centaurij ℥. 1. misce, fiat vnguentum. Cùm ex pure male olente deprehendimus esse putredinem, myrrhæ parum addimus: si vlcus detersum esse videatur, myrrhæ dosis augenda est, addendo olibanum, vel iridem, vel colophoniam, & loco terebint. lytharg. deinde ad sarcotica nos conuertemus. Si sanies crassior fuerit, lachrymas quasdam addemus, & galban. opopa. bdellium, ammon. dissolutasq; in vino & oleo antiquo, vt cùm durities abest, ob congelationem humorum magis, quàm ob copiam hoc modo,

℞.galbani,opopa:an.℥.3.dissoluatur in vino antiquo, & rad.irid ℥.ß.ol.terebint.q.s.fiat vnguentum. Lachrymæ hic non dissoluuntur in aceto, quia acre est,nec nisi in putridis, quæ ferè sensum amiserunt,est admiscendũ, vt in vnguento ægyptiaco,quo vtimur in putridis,& gangrenis duntaxat. Vinum autẽ antiquum tenue attenuat, calfacit,exiccat,minúsque nocet,potissimùm circa partes neruosas.

Ægyptia.

Fortia. Ex herbis & earũ succis fortia fieri possunt vnguenta, & media,& mitia. Fortia ex chelidonia & centaurio contusis,& melli admistis. Fortiora ex succis,vt succo iridis, squillę,& melle squillitico. Media ex succis absynth.beton. Imbecillia ex succo plantag.cichor.agrest.quod habet vim detergendi. Agrimonia,callitric.ceterach. detergunt, sed minùs id præstant ob astrictionem. Succus rosar.mediocriter deterget, & vsurpari potest. & succus betæ,qui deterget ob nitrositatem, & alia nitrosa infinita, quæ neglecta iacent ob medicorum negligentiam, quorum maxima pars simplicium facultatem ignorant, nec à consuetis etiam si destituantur, ne latum quidem vnguem audent discedere: interdum ex syrupo rosato laxatiuo,& farina hordei paratur vnguentum ad maiorẽ detersionem: Ex syrupo de rosis siccis ad maiorem exiccationem & detersionem.

Media. *Imbecilla.*

Detergẽtia fieri possunt ex emplastris in officinis paratis,vt in maturatiuis superiùs monstrauimus,hoc excepto,quod in eorũ dissolutione minùs olei requiritur,nisi acre emplastrũ mitius reddere velimus,sed vino dissoluimus,mel.pauco,ol.ros. vel myrthi, vel antiquato, vel succo herbæ, vt si quis basilico, vel in eius defectu oxycroceo.parare velit vnguentum,temperabit hoc modo,

Oxycroceũ

℞.emplastri oxycrocei ℥.2. dissolue in vino rubeo,ol. & melle,vel in oleo tantùm,fiat vnguentum.

Fit ex maturantibus, & attrahentibus, & detersoriis. Recipit enim crocum,picem,ceram,colophoniam,terebinthinam, quæ concoquit magis quàm detergit, myrrham,ammoniacum, galbanum ad detersionem. Hoc vtemur in putridis & vlceribus factis ab abscessu pituitoso,frigidóque detergendo.

Ceroneũ. Sin morbus fortius detersorium requirat, ceroneum disso-

dissolutũ erit vsui, quòd plura detergentia & attenuantia accipiat, & præter alia cerapinum, aloen, opopanac. mastich. & bdel. alumen, styracem vtramque, & litharg. Emplastrum de gratia Dei, vel de ianua eodem modo dissoluta in vnguenta vertuntur, ad capitis vlcera. Detergunt enim non modò capitis vlcera, sed & aliarum partium, maximè neruosarum, & durarum. Qui corrosiuum cupit, sumat emplastrum Andromachi secũdum Nicolaũm, quòd vnguento ad Auicen. relato proportione respondet, recipítque seui arietini, & picis ana ℥. 18. gũmi pini ℥. 8. sandaracæ veræ, & auripigmenti (quæ simul reperiuntur) aluminis scissilis, & calcis viuæ ana ℨ. 3. ammoniaci dissoluti in vino rub. & oleo ℥. 2. fiat vnguentum aucta dosi olei. *De gratia Dei.*

In depascentibus & corrosiuis, vel virulentis non solent præscribi detergentia; sed tantùm malactica; quæ repellunt & siccant vlcera, vt vnguentum ex litharg. cerusa, vel plumbo, vel antimo. vel minio, vel pompholige, vel vnguento rub. desiccatiuo, vt illud Mesue de cerusa, cui addunt argentum viuum (cùm adest pruritus, & præcessit morbus Italicus) vitriolum, & florem æris. In vlceribus dispuloticis à facultate occulta vnguẽtum triapharmacum Mesue, vnguentum de litharg. cocto & crudo, de cerusa cocta & cruda. Reducuntur autem ea vnguenta vel ad fórmam nutriti, & dicuntur cruda, quia litharg. & cerusa non coquuntur, sed oleo vel aceto, vel succo aliquo excipiuntur, sensim instillata, & agitata in mortario sine cera fiant. Si cum cera, alba eligenda, & in oleo liquefacienda, & pistando cerusa admiscenda, & aliud medicamẽtum eodem modo fit de cerusa crudum: coctum autem, si ex succo paretur & cera. Succũ tamen decoqui oportet, & cerã liquefieri, deinde puluere aspergi, & paratum est vnguentum pompholigos vocatum, & desiccatiuum rubrum. Vnguentum de plumbo crudum est, quia ceram non recipit, sed oleum & mineralia, vt litharg. cerusam, antimonium, plumbũ vstum, & oleum rof. Oleum rof. & myrthinum hîc vsurpantur, quia siccant & astringunt, sed & lentiscinũ & mastichinum addi possunt. Cùm autem siccandum & astringẽdum sit, eos probare non possum, qui rubrum desiccatiuum ex oleo *De cerusa*

parant violaceo, quod minùs humidum est, & myrthinum magis conuenit. Nos autem cum vnguenta vnguentis miscemus, rosaceum, & populeum miscemus, præsertim cùm dolor, vel calida intemperies adest. Vnguentum citrinum per se valet ad siccanda vlcera, & maximè ad cicatricem inducendam. Cùm vlcera his vnguentis non cedunt, sed magis serpunt, & recrudescunt, statim conjicimus aut esse cacoëthes, aut dispuloticum, aut cheroneũ, aut telephum, aut propter os corruptum, aut propter carnem subiectam intemperatam, & humore acri redundantem, aut defluxionem quandam esse. Os corruptum incisione aut cauterio auferimus, carnem malè affectam sanam depascentem, & corrumpentem, nec sinentem cicatricem induci, cauterio vel vnguentis, vel pulueribus arrodentibus, causticis castigamus, & ad viuum arrodi permittimus. Quod vt fiat, vnguentis primùm tentamus, tanquam mitioribus, deinde ad trochiscos & ad alia arrodentia sicca, quæ fortiùs operantur, transimus, & vnguenta illa corrosiua detrahentia vsurpamus: vt quæ recipiunt florem æris vel æruginem, vel chrysocollam, vel sublimatum, vel præcipitatum, vel lapidem cianeum. Hæc enim detrahunt carnem & minuunt, corruptámque exedunt.

Rosaceũ, populeum. Vnguentũ citrinum.

Defluxionem vel vlcus depascẽs iis quæ corrodendo, vel vrendo constringunt, castigamus, vt sandaraca, auripigmen. chalcitide, misy, sory, & alumine. Sin alia vsurpantur astrictionis expertia, gallas addimus, corti mali gran. nuces cupressi, aliáque constringentia. Hoc modo reperies parata apud Gal. Auicen. & alios, vt illud quod citatur à Guidone, cap. de vlcere cum proprietate ex lib. ıẜ γ̃ κ̃ᵽα̃. Recipit autem lapidem lazuli pro chrysocolla substitui, cadmiæ, aluminis, chrysocollæ, viridis æris ana partes viij. floris æris, scammæ æris vstorum ana partem j. gummi cupressi partes quatuor, ceræ, olei rof. vel myrthini ana q. s. fiat vnguentum. Hoc vnguentum summa cum ratione compositum est. Nam cadmia potenter siccat, alumen siccat & astringit, & carnem flaccidam, quæ humorem nimiũ continet, contrahit. Chrysocolla crustas gignit, quæ paucis cognita est. Non enim ea est, qua nunc aurifices vtuntur, sed est mineralis,

&

& viridis & frequenter cum lapide Cianeo, vel lazuli reperitur, súntque eiusdem facultatis. Si itaque desit chrysocolla, lapis lazuli substitui potest, súntque eiusdem facultatis, aut secunda æruginis species apud Diosc. quam chrysocollam Gal. etiam vocat. Est autem ærúgo æris parata cum vrina pueri. Addit præterea Galen. in hoc vnguēto florem, & scammam æris vsti ad maiorem corrosionem, & gummi siue resicam non à pino, vel larice, vel abiete, at ex cupresso, quæ & tenuitate partium & astrictione quadam prædita est, in cuius locū mastichen substituendam censeo ob astrictionē ol. ros. vel myrthi eligitur. Est enim vlceribus necessaria quædam astrictio etiam insignis, quia partes illæ laxæ excrementa suscipientes ob laxitatem, & curationem vlceris retardantes constringuntur, ne morbus serpat: tum quia alia medicamenta detrahentia, arrodentia, & vrentia dolorem excitando calfaciunt, & fluxiones excitant. Præterea si astringentia aliis astrictionis expertibus admisceantur, fit vt illa non tam promptè penetrent, aut altiùs descendant, sic affatim rodendo plus doloris inferant. Hac itaque ratione tibi vnguenta paranda sunt. Vnguētis, præcipitatum & sublimatum addimus; quæ putrefaciendo, & minore cum dolore detergunt maximè, vt

℞. vnguenti albi ras. ℥. 1. sublimati ʒ. 1. misce. Aliud,

℞. trochiscorum albi ras. cum opio ℥. 1. vnguenti populeonis ℥. ß. argenti viui vel sublimati ʒ. 3. fiat vnguentum. Dosis augetur cùm satis efficax non est: minuitur cùm nimium arrodit, vel calfacit.

Si quis vlcus exactè curare velit, & carnem corruptā vel malè affectam castigare vel arrodere, efficacissimum hoc erit.

℞. omphac. inspissati, vt Diosc. docet ℥. 1 diluatur aceto pauco & reducatur ad formam vnguenti, & parti applicetur. Sin maiorem dolorem inferat, fiat sic.

℞. vnguenti ros. ℥. 1. de cerusa ß. ompha. ʒ. 8. misce, fiat vnguentum, vel

℞. vnguenti populeonis ℥. 1. omphac. amurcæ præparatæ ana ℥. ß. calcit. floris æris an. ʒ. 2. cadmiæ, vel tuthiæ ʒ. 3. misce, vtatur. Sin æger tolerare non possit, temperare oportet, aut omnino cauterio vti, deinde his vel su-

praedictis vtendum. Argentum viuum congruè his vnguentis additur.

De sarcoticis.

SArcoticis tanta est cum detergentibus cognatio, vt eadem esse videantur, tantùm differunt secundũ magis & minùs. Nam carnem generantia siue carnis generationem prouocantia extergendi quandam facultatem habent citra morsum cum siccitate aliqua, vt quod crassum est pus detergatur: tenue autem & aqueum exiccetur. Detergentia verò magis detergunt, quae cicatricem inducunt, fortioribus sarcoticis similia sunt. Nam desiccant talia, & astrictionem quandam habent, qua carnẽ densant & cõstringũt, & veluti in callum vertunt. Sarcotica autẽ sunt fortiora, aut fortissima, aut debilia. In carne generanda & vlcere exiccando cõseruanda est partis temperies. In pueris igitur & mulieribus mollibus, mollíque carne praeditis, ex aloë, colophonia, mastiche, fari. hord. mãna, thure, & pauco melle sarcotica paramus: vt

℞. thur. mastich. an. ℥. ß. coloph. ℥. 2. ol. ros. & mel. q. s. fiat vnguentum. In eiusmodi etiam corporibus basilicũ maius addita pauca myrrha & thure, & pauco mel. sarcoticum est, vt etiam vnguentum aureum. Fortiora parantur pro corporibus mediis in siccitate & humiditate carnis, vt ex aristolochiis, panace, iride, farina orobi, & lupinorum, cadmia, litharg. & pauca quantitate fortissimorum: fiat hoc modo,

℞. aristoloch. rotundae, irid. cortic. thur. ana ʒ. 3. mastich. myrrhae, aloës, cadmiae ana ʒ. 2. mel. parum, fiat vnguentum: vel,

℞. fol. consolidae, pilosellae, betonic. hyperic. caudae equinae, verbenae ana M. 1. decoquantur in vino, & contundantur, deinde adde mel. terebinthinae ana ℥. 3. thuris, mastich. sanguinis dracon. myrthi ana ʒ. 3. fiat vnguentum: vel sic,

℞. succi radic. iridis ℥. 2. vini parum, mell. ʒ. 3. cadmiae vel litharg. ℥. ß. aloes, myrrhae ana ʒ. 3. fiat vnguentum: vel,

℞. succi radic. narciss. ʒ. 2. succi verbenae, hyperici, caudae equinae ana ℥. j. olei antiquiss. ℥. 2. colophon. ℥. 1. gummi elenij seu aethiopicae oleae, myrrhae, sang. drac. mastic.

mastich. aloës ana ℨ.3. concoquantur succi cum oleo & pauco melle ad inspissandum, quibus admiscemus pulueres reliquorum. Efficacissimum est, replet vlcera concaua carne, & recentia subitò consolidat. Huius ordinis erit vnguentum ex emplastro diuino confectum, dissolutum in oleo communi, quod ferè ex puris sarcoticis cõstat. Huius etiam ordinis sunt, quæ ex fortissimorum pauca quantitate parantur, admixtis imbecillibus. Fortissima sunt antimonium, plumbum, ostreorum cinis, cochlearum caro, pix, resina, colophonia, chalcitis vsta, rasura panni, alumen, sarcocolla, farina orobi, lupinorũ calx extincta, vel lauata septies, emplastrum diachalciteos, addita myrrha, vel sarcocolla, vel indo, dissoluta in oleo rosaceo. Tale erit vnguentum, quo in corporibus duris & siccis, vt agricolarum & aliorum fortissimorum vtimur, & vlceribus partium vehementer siccarum, vt plantæ pedis, aurium capitis, & quæ humectantur fluxu alicuius humoris. Tale autem erit. *Fortissima.*

℞. cineris ostreorum, calcis viuæ septies lotæ aqua plantag. ana ℥. ß. cadmiæ, antimonij, cerusæ, chalcit. tostæ & lotæ aqua rosſ. ana ℨ.1. sarcocollæ, picis, colophon. ana ℥.1. cum melle fiat vnguentum.

De epuloticis.

EPulotica medicamenta sunt, quæ vlceribus æquatis, & carne plenis cicatricem inducunt siccando & cõstipando, & veluti callum indurando. Commodiora autem sunt in forma pulueris, quàm alia forma, deinde in forma emplastri, denique in forma vnguenti. Ratio est, quod insignis densatio, & exiccatio est necessaria, vt in carne molliore, & quodammodo laxa cicatrix callúsque quidam est. In forma pulueris medicamenta & meliùs adhibentur, & valentiora sunt, nec quidquam recipiunt, quod actionem retardet, vt oleum, ceram, resinam. Breuiter itaq; docebimus, quibus parari posit vnguentum epuloticum, enumerata priùs sylua, è quibus conficitur, ex quorum numero sunt quædam, quæ primò & integra facultate id præstant, alia quæ ex aliqua parte tantùm, alia quæ per accidens. Vera epulotica sunt, quæ cum astrictione quadam carnem indurare, & exiccare possunt, cuiusmodi sunt alumen, galla, omphacitis, acacia, *Vera epulotica.*

cortex mali punici, balaustia, citrini, nux cupressi, myrthi semen, bolus armena, magnes, lapis iudaicus, litharg. Alia sunt epulotica propter vstionem, qualia sunt catheretica, quę ad modum naturalem & salubrem reducunt, à *catereo*, purgo, vt flos æris, scamma æris, quæ si vrantur, lauentur, detrahunt, desiccant, carnem densant, & cicatricem inducunt. Vruntur quædam, vt melius in puluerem reducantur, vt ostreę: quædam, vt maiorem vim habeant siccandi, vt aristolochia, quæ vsta sarcotica est, & cicatricem inducit, coria bubula, cortex vlmi, quercus. Cicatricem etiam inducunt, quæ astringunt sine magno morsu in pueris, mulieribus, & partibus humidis natura, non autem superfluitate excrementitia & aduentitia. Ex verè epuloticis vnguenta paramus, vel illis sarcotica admiscemus, vt

℞. aloës, sarcocollæ, myrrhæ, iridis ana ʒ. 2. litharg. cerusæ ana ʒ. 3. cortic. mali granati, vel balaustij ℥. ß. cum melle crudo fiat vnguentum. Vel si quis oleum ros. vel myrrh. vel cydoniorum, vel aliquod aliud astringens addere velit, potest in siccioribus naturis, vel partibus & locis humidis. Ex primis & secundis paramus hoc modo.

℞. lithargy. aluminis, floris æris vsti & loti, plumbi vsti ana ʒ. 3 balaustiorum, boli ar. vel cinerum ostreorũ ana ℥ 2. olei myrthi ʒ. 3. vini parum, seui hirci, & colophoniæ ana ℥ 2. misce, fiat vnguentum. In siccissimis naturis & partibus, vel constitutione humida & regione, vel in vlcere prope emunctoria, à quibus semper aliquid recipit, vel prope meatus excrementorum. Ex fortioribus paramus hoc modo.

℞. aristolochię vstæ & lotæ, nucis cupressi, balaustiorum vstorum, ostreorum vstorum ana ʒ. 2. aluminis, floris æris vsti & loti, chalcitidis ana ʒ. 3. mellis, vini astringentis q. s. fiat vnguentum.

Nonnulli ex succis herbarum, vel herbis epulotica parant, sed talia sunt primi ordinis, nisi fortiora addantur. Axungia antiqua porci si addatur, per multos dies prius est maceranda in aceto, & salita esse debet. Seuum enim hirci efficacius est ob maiorem siccitatem. Colophonia potius vsurpanda, quàm terebinth. vel lauanda cum aqua vitæ, aut pauco aceto ros. herbæ quædam

dam vim constringendi & siccandi habent, siccæ tamen recentioribus meliores. In summa quę valent ad coria densanda, quia frigida & sicca sunt, eorum vsum probarim, vt folia myrthi, folia rhu. coriariorum, & alia pleraque, quæ in hunc ordinem referri possunt, ex Diosc. vt ea, quæ sequuntur, hippuris, centaur. verbenaca, plantago, folia cupressi, quercus, ilicis. Radices sunt efficaciores, vt radix tormentillæ, bistortæ. Cæterum omnia sunt in puluerem reducenda, aut vino astringente, aut aceto, vel succo astringente, vt cydoniorum, pyrorum, temperanda, quibus seuum addendum est, in formámque vnguenti reducenda. Argentum viuum his admixtum valet, sed præsertim in vlceribus morbi Italici, & disepuloticis, & extinguendum aceto, vel sulphure. Cinabaris etiam conuenit in istis, & sublimatum extinctũ in succo limonum, vel pyrorum agrestium. In delectu horum medicamentorum diligenter est obseruandus totus habitus corporis, vel morbus adiunctus, vel cõstitutio morbi, vel caussa morbi, vel superexcrescentia carnis, vel defectus. Nam si vlcus non sit æquum, sufficient prima remedia quæ carnem generant, & cicatricem præparant, ita vt pars tandem plana reperiatur. Si enim vlcere cauo existente, detrahentibus vteremur, absumeretur humiditas necessaria ad carnis generationem, vlcúsque remaneret & profundius fieret. Si verò ad carnis supercrescentiam istis priùs vtamur, cicatrix quidem inducetur, sed inæqualis & fœda. Vtendum itaque fortioribus, vel imbecillioribus detrahentibus, vel constringentibus carnem laxam. Morbi etiam causs. conseruanda ad eligendum epuloticum conferens, veluti quæ argentum viuum recipiunt, si à morbo Italico nascatur, cinabrium, sublimatum, & alia necessaria, quę potissimum siccant. Si propter defluxum fiant, fortiter desiccantia & constringentia sunt vsurpanda, vt quæ ex balaustiis, alumine, chalcitide, gallis, & aristoloch. vsta parantur. Si verò vlcus ob decubitum humorum, qui à calore partis imbecillo sit, vel à malo totius corporis habitu oriatur, eligẽdá, quæ calorem iuuent, & robur parti addant, vt mastix, radix bistortæ, cortex thur. aristoloch. nux cupressi. Si ob habitũ totius corporis humidiorem,

ficcioribus & fortioribus erit vtendum, quia talia vlcera difficile coalescunt. Si ob acres humores à toto corpore, vel ob partis temperiem calidamq́; ex ficcioribus & frigidioribus parandum est remedium, vt ex corallo, bolo armena, tuthia, nuce cupresfi, fang. dracon. cerufa, litharg. maceratis in aceto, & cum albumine oui incorporatis, vel vnguentum de plumbo, aut de tuthia, aut ex pompholige ad hoc parandum, admixtis quibufdam ex numero enumeratorum priùs. His diutius vtendum est, adhibita optima victus ratione, & quiete partis laborantis. Agglutinantia quæ funt, quomodo à farcoticis & epuloticis differant, quis eorum fit vfus, & qua methodo fint permifcenda, dicendum est.

De glutinantibus.

GLutinantia ab effectu dicta funt, quòd glutinent, vel coniuncta retineant, Græcis *collatica*, quòd partes tanquam glutina coniungant. Sunt autem auftera, aftringentia, vt Gal. vifum eft, & ficcantia, qua in parte cum farcoticis, & epuloticis conueniunt: differunt verò ratione maioris & minoris, à farcoticis, quòd farcotica minùs ficcent, & abftergant. Nam quæ carnem generant aliqua ex parte detergunt. Glutinantia verò ne minima quidem in parte detergunt, fed multùm ficcant quicquid in partem vlceratam influit, & abfumunt, vt pars vacua fit recrementis. Neceffariò autem vi quadam repellendi prædita effe debent, aut fumma ficcitate, vt defluxionem, & inflammationem prohibeant, aut ita ficcent, ne pus, aut fanies fiat, cum epuloticis magis conueniunt. (Nam aftrictionis aliquid epuloticum habet) fed epuloticũ minùs ficcat, conftipat, aftringit, & denfat. Quædam in diuerfis corporibus idem præftantq́; vt corporum humidorum vulnera cicatrice obducant, & ficcorum vulnus fimplex glutinent, vt bolus armena vulneri pueri infperfus cicatricem inducit albumini oui permixtus. Vulnus fimplex glutinant fang. drac. calx lota, aloë, ariftolochia non vfta. Glutinãtia medicamenta funt impofita vulneri iuncto, & bene cõfuto, vel ligatura, vel affulis coniuncto, itẽ farcocolla, gũmi elenij, fuccus hyperici. In vulneribus fimplicibus recentibus, in quibus nulla facta eft contufio, nullius rei deperditio, nihil in eis

extra-

extranei inductum, nil sanguinis concreti, nullus sanguis sit à magnis venis, aut arteriis influens, labra statim coniungenda sunt,& ista remedia adhibenda Si paruum sit, & in parte quæ non multùm tensa sit, sufficiet adglutinãs medicamẽtum imponere. Sin maius sit, ligatura aut sutura, aut alio modo coniungendũ est, & medicamentum supra ponendũ, non infra, ne coagulationem impediat. Agglutinationem autem impediunt superiùs enumerata, & superueniens inflãmatio. Eam ob caussam vtile diximus, vt tale medicamentum vim repellẽdi habeat quandam, vt impediatur fluxus, condensando partes, & repellendo modicè. Si dolor itaque iam exiccatus sit, vel inflammatio, vel sanies, vel caro malè effecta sit, acre tale medicamentum non est adhibendum. Agglutinantia sunt narcissus, hippuris, gummi tragac. arab. bolus armena, sang. drac. pentaphyl. sarcocolla quæ inde nomen accepit, symphitum, clymenum, herba Sancti Antonij, quam aliqui (*siege*) vocant, syderitis prima, cuius tanta vis est vt eius foliis illita vulnera sine periculo inflammationis agglutinentur. Aliæ syderitis species, vt à ferro nomen acceperunt, sic vulneribus medentur. Sunt & aliæ infinitæ herbæ à rusticis nostris cognitæ, & alia simplicia medicamenta, quibus vulnera parua glutinantur statim, vt tela aranearum, sol, oleum lucernarũ antiquissimum, feruens terebinthina. In summa quæcũque possunt vulneratam partem cõiunctam seruare prohibendo inflammationem, vel putredinem, talia vulnera glutinant, vt oleum antiquissimum, & lucernarum feruens adhibitum ita siccat vulnus, vt nihil redundantis humoris inueniatur, sic coalescit caro ob mollitiem. Terebinthina feruẽs idem efficiet, & sal positum in paruis scissuris cutis. Tela aranearum & retinet sanguinem & siccat Sunt qui oleo & vino omnes scissuras carnis curant, dicúntque esse basilicum Christi, quia in Euangelio, legitur vinũ & oleum immissum in vulnera eius, qui in latrones inciderat Ex priùs enumeratis rebus, bolo armena scilicet & reliquis, pulueres conficiuntur ad sistendum sanguinem, & glutinandum, quos excipiunt albumine oui, & vulneri applicant, & frequenter vulnus semiglutinarum secundo apparatu rumpunt, aut

Agglutinantia.

maturatiuo facto ex vitello oui, vel embrocatione conglutinationem impediunt. Quòd si diutius sinerent exiccari partem, sine sanarent: quod plerunque empyrici faciunt ex balsamo facto ex olei hyperici, vel alterius rei. Nos itaque tale vnguentum parabimus duobus modis, aut ex puluere cõstrictiuo, vt diximus, aut balsamum in formam vnguenti parabimus, vt

℞. pulu. constrictiui ℥.2. incorporentur cum albumine oui agitato, vel cum ichthiocolla dissoluta cum vino astringente, vel succo cydoniorum vel pyrorũ, vel plantaginis. Idem præstabit, si incorporetur cum mucilagine gummi tragac. vel arab. quæ adduntur vt partes suo lentore retineant ne diuellantur. Quo autem meliùs id fiat, commodius fuerit pilos leporis addere, vel papos floris salicis, vel arundinis, vel senetionis, & aliorũ: molles sint & fractu contumaces, vt stupæ canabinæ delicatissimæ, vel rasura panni linei detriti. Puluis talis fit ad glutinationem.

℞. boli armeni, sang. drac sarcocollæ, mastiches, aloës gallarum, balaustiorum, blattæ bizantiæ ana ℥. ß. foliorum syderitis ℥.1 misce, fiat pul. qui cribretur, deinde pilorum leporum integrorum ʒ. 2. vel tantundem lanuginis, florum salicis, etiam integræ, quia si in tenues partes reducantur, neque sanguinem retinent, neque labra coniungent. Ex calce viua extincta, & frequenter lota, & albumine oui efficacissimum efficitur agglutinans, ita vt ferruminare possit fractum vitrum, si mastix addatur lota sic ne vrat In forma vnguenti paratur sic,

℞. olei antiquiss. ℔. 1 succi narcissi & syderitis ana ʒ. 3. florum hyperici ℥.4. gummi elenij ℥.5. mastich. sang. drac. & aloës ana ℥.2. blattæ bizantiæ ℥. ß. coquatur diu oleum per se, deinde succi addantur, demum hyperici flores ponantur in vase vitreo, quod obturetur, & soli exponantur per dies decẽ vndecima die addãtur pulueres, & agitentur. Priùs autẽ & colari debent, & flores auferri, rursus soli exponantur per viginti dies, deinde serua ad vsum. Hæc enim non solùm vlcera cutis curant, sed etiam neruorum, si retineantur coniuncti, & quiescant, donec coiuerint. Oleum sit antiquissimum & coctum, vt siccius & crassius fiat, Succi non sunt coquendi, sed

in oleum

in oleum feruens iniiciendi, præter blattam bizantiã & narcissum, quæ neruos dissectos glutinãt. Caro cochlearum contusa cum myrrha & thure vulnera neruorum glutinat. Saluia pro albumine oui posita efficacius reddit medicamentum, quia potentius siccat, nec nimis suo lentore retinet. Fieri possunt sine oleo ex vino, terebinthina, aliísque accõmodatis, vel herbis, quæ talem vim habeant, in vino maceratis donec inspissentur. Deinde addenda, quę lentorem habent, vt gũmi elenij, vel pini, vel abietis pro ℔ j.℥.ij. ichthiocollæ ℥.j.ß. mastic. sang. diacron. sarcocollæ ana ℥.j misce: fiat vnguentum quod quò lentius & glutinosius fuerit, eò melius & efficacius. Aqua vitæ potest addi ad eas partes, in quibus nihil periculi imminet ab inflammatione, & hæc hactenus.

De ceratis.

CErata à cera nomen sumpserunt, fiúntque ex oleis & cera (vt ipsa Græcorum appellatio indicat) tali proportione permixtis vt cera liquida fit, non tamen effluat, sed consistentiam quãdam habeat inter emplastrum & vnguentum: ob eam causam additur cera oleo, vt oleum quod effluit, neque diu moratur supra partẽ, diutius in ea parte hæreat, atque ita calfaciat, refrigeret, exiccet, concoquat, emolliat, cõstringat, vel induret, aut partibus dolore vexatis aut mollibus vt ventriculo, hepati, spleni vtero, pectori, neque duritie, aut distentione corporis plicationem impediant, vt emplastra, quæ partibus, quas formas retinere cupimus applicamus, vt supra fracturam, luxationes, aliásque partes osseas. Cæterùm cùm multæ sint ceræ differentiæ, intelligendum, in quem finem instituantur cerata, an ad laxandum, emolliendum, dilatandum, sedandum dolorem frigidum, an ad concoquendum. In his omnibus ceram nouã & pinguẽ, vel quæ facilè mollescat, eligere oportet, vel si pro thorace, aliáque parte cõstricta laxanda paretur. Si verò refrigerandum, siccandum, repellendum, indurandum, constringendum est, cera candida recens sumetur. Nam quæ diaphana reddita est, aquæ fortis acrimoniam seruat. Noua autem ob pinguem illam vel aëream partem eget lotione frequenti, acetóque inter dealbandum addito induratur, siccior, frigidiórque redditur. Nõ leuiter *Ceræ differentia.*

Ceratum Galeni. ergo peccant, qui vnguentum resumptiuum, vel ceratum acopum ex cera alba parant, vel ceratum infrigidans Gal. ex cidonia recenti, cùm hoc ex cera alba fieri debeat. Illa autem acopa relaxantia ex cera citrina recenti, quæ facilè mollescat, & liquescat.

Ceratum fit ex oleo omnibus partibus accommodatum, quod calfacit, refrigerat, exiccat, & humectat, repellit, concoquit, digerit, indurat, remollit, & sedat dolorem, si oleum obligatur ei parti vel affectui accommodatum, & cera, quod etiam in vnguentis obseruandum. Fiunt etiam cerata ex emplastris in oleo liquefactis, vt veteres conficiebant, cùm, scilicet, supra partem dolentem, & inflammationem emplastra applicare volebant, eáque parabant in forma solida. Sin pars affecta, aut inflammationis ratione, duritiem emplastri ferre nequibat, oleo mollius efficiebant in duplici vase. Ita vt pãno adhærere posset firmiùs, & lentiùs vnguento, mollius emplastro. Itaque si quis velit cõficere ceratum, cerã vel resinã addet, vt magis adhæreat, & quãdoque pulueres, veluti ℥.j vel ʒ.j. ß. puluerũ pro ℥.j ol. vel succorum. Ceræ duræ paulò plus quàm ℥.ß pro. ℥.j. ol. addita pauca resina. Intelligi autẽ id debet, quando aliud quod cõsistentiam & adhærẽtiam præstet, non recipit. Nam si compositione ingrediuntur lachrymę quædam, aut pix, minùs ceræ addetur, aut lithargyrum diutius in oleis coquitur, & axungiis. Et si seuum recipit, quod axungia durius est, minùs ceræ & resinæ recipit. Pro temporis constitutione habẽda est cõponendi ratio. Nã quæ hyeme facilè liquescunt, diutius cõcoquuntur, aut illis plus ceræ, minùs olei admiscetur. Porrò cerata à partibus nomen mutuantur, vt ceratum stomachicum Galeni. Alia à numero medicamentorum, vt ceratum Mesue dictum, *diapente*, à quinario numero, quod emollit neruorũ durities. Alia à morbo, vt ad hernias Arnaldi de villa noua. Alia ab authore, vt ceratum Andromachi. Porrò autem quæ videtur ad institutũ facere, dicemus. Itaque cõponendorum ceratorum variam esse rationem perspicuum est. Nam quæ verè cerata sunt, à linimentis differunt & vnguentis, quòd ceram recipiant, vt vnguentum rosaceũ ceratũ diceretur, si cerã reciperet. Cerata alia,

Cerata à partibus.

quæ

quæ resinã,lachrymas,aliáque simplicia sicca recipiunt, non admodum ab emplastris differunt,vt ceratum illud Arnaldi, veriùs dici posset emplastrum, quàm ceratum, licet mollius esse debeat,quod minimè à pharmacopeis paratur ratione partis cui adhærere debet. Sic autem distinguemus, si ceratum crassius & durius facere velimus, imperabimus vt diutius coquatur, aut eis plus ceræ & resinæ adhibeatur, quod ita in omnibus obseruandum est. Ad dolorem iuncturarum & articulorum.

℞.mucilag. fœnugræci factæ cum aceto ℥.iiij. farinæ, seminis lini.pul.chamomil.& hermodacty.ana ʒ.ij.olei vulpini ℔.ß.olei lumbric. & de croco ana ℥. iij. incorporentur simul,& cum pauca cera,fiat ceratum.

De emplastris.

EMplastra à materia nomen sumpserunt, quòd ex emplastris, id est, terreis & glutinosis fiant. Emplastra omnia medicamenta Galeno dicuntur, quæ tenaciter corporis partibus & meatibus adhærent,vt amylum, alica,cerusa, cimolia, pompholix, calx lota,cadmia,lamhius aster,creta,argilla.Sunt autem ex eorum numero, quæ non terreæ, sed aqueæ sunt substantiæ, & naturæ. Quinetiam quædam non parum aëris continent,omnia quidem glutinosa,ac proinde emplastica. Duplex siquidem emplasticorũ medicamentorum natura: Alia enim exactè terrea,& sicca sunt: alia viscida quidem omnino sunt,sed ex terrea, aquea, ac plerunque etiam aëra substantia sunt mixta,sicut oleum dulce,albumẽ oui, lactis caseosa substantia, suillus adeps. Hæc sunt verè emplastica, etiamsi ex iis duntaxat emplastica non conficiamus, sed etiam aliis viscosis, quæ aliquid acrimoniæ habent,vt ex lachrymis, pice, terebinthina, colophonia, mastiche,myrrha ladano, aliisque multis, quæ nihil viscidi quidem habent,vt spica, cinamomo, caryophil. sed continentur aliis glutinosis, viscidisque admixtis. Fiunt igitur emplastra ex metallicis, maximè lithargyro, quod materia emplastrorum dicitur à Galeno, ex cadmia, pompholige,plumbo vsto. Vera omnia emplastra coctura fiũt,quanquam coctura etiam fiunt aliqua, quæ potiùs in numero durorum vnguentorum enumeranda sunt, quàm emplastrorum. Tale est emplastrum de fer-

Duplex natura.

mento apud Nicolaum, quod ex puluere & mucilagine psillij, atque succis quibusdam & farina hordei, quæ omnia viscosa sunt & arida, retinent. Emplastrum de crusta panis magistrale, quod farinam & panem recipit, sine coctura etiam fit. Emplastrum de baccis lauri ex melle cocto paratur, quod coctura omnia fiant ex iis liquidis, è quibus emplastrum componitur, quæ sine liquatione permisceri non possunt, veluti quæ ceram, aut resinam, aut picem, aut terebinthinam recipiũt. Vera itaque emplastra coctura fient. Alia verò non vera, incorporabuntur mucilagine, aut pane, aut farina. In emplastris componendis deligi debent, quæ magis affectui, quem expugnare volumus, cõueniunt. Ex herbis recentibus parantur aut succis. Recẽtes decoqui oportet oleo & pauco vino vel aqua, ad vini vel aquæ consumptionem: Succus in maiori vini quantitate, aut aquæ, aut aceti, & diutius. Porrò si lithargyrum & cerusa emplastrum ingrediantur, eorum quantitas consideranda est. Nam si maxima est quantitas coqui debet in oleo lithargyrum tãtùm, vel aceto, vel oleo & vino, vel succo aliquo aut decocto donec coaguletur, semper agitando vt faciendum

Cautio. docet Galen. lib. *cata genes*, in emplastro diachalciteos, quod etiam fieri debere censeo in vnguento diachilon magno & paruo, in apostolico, & emplastro diuino. Si verò lithargyrum & cerusa pauca sunt quantitate, vel ℥. j. vel ℥ ij. sine coctura triturata aliis miscentur, sine illa longa coctura, vt fit in emplastro contra rupturã, in quo

Cautio alia. lithargyri ℥. ij. tantùm ponuntur, & in Ceroneo, quod ℥ j. ß. lithargyri tantùm recipit. Emplastra si ex lachrymis fiant viscosis & pinguibus, per noctem infundentur in vino aut aceto, aut oleo quod magis conuenit. In crastinum liquabuntur & percolabuntur, deinde decoquãtur ad consumptionem vini & aceti, tandem picem, secundò colophoniam, tertiò terebinthinam admiscebimus, ne coctura exoluatur, & vim emplasticam amittat. Si ex lachryma vna, viscosa, pingui, vel duabus fiat, pistillo calido extendentur, nec macerabũtur, veluti cùm

Alia. emplastrũ paratur ex Galbano, aut assa fœtida, vel ammoniaco ad vterum, vel aliam affectionem. Si lachrymæ pingues non sint, in puluerem reduci possunt, vt benio-

benìouin, mastix, & aliis pulueribus permisceri in emplastris coctis & non coctis. Si succi emplastris admiscendi, nihil viscidi habeant, sed friabiles sint, tales in pulueremrediguntur, vt aloe. Sin molles sunt & aliquantulum viscosi, vt acacia, hypocistis, ladanum, succus lyquiritiæ, dissoluitur in aqua, vel succo, aut vino, aut aceto, & aliis in decoctione permiscebantur, vt ille humor viscosus non absumatur, aut aridis rebus admixti triturabuntur vnà ob aliorum ariditatem. Sin ex aromatibus fiat emplastrum, sine coctura parabitur, vt emplastrum de mica panis, aut in duplici vase decoquantur, aut in fine tantùm aromata addentur, quomodo paratur emplastrum pro matrice, pro stomacho. Cæterum eorum compositionem vno aut altero exemplo demõstrabimus, & ad dolores & durities emplastrum commune faciemus quod resoluit, digerit & emollit hoc modo.

℞. lithar. auri tenuiss. trit. ℥. iiij. nutriantur oleo chamomillæ in mortario, deinde coquantur semper mouẽdo donec inspissentur, deinde adde ammoniaci, bdellij dissol. in vino liquefactorum, & colatorum ana ℥. ß. ceræ ℥. v. terebinth. ℥. iiij. iridis ℥. j. malaxentur manibus inunctis oleo liliorum vel amyg. Valet hoc emplastrum ad duritiem splenis, hepatis, tumorum in articulis, vel aliis membri partibus. Hepati accõmodabitur hoc emplast. si ol. vel axungia malaxetur, aut addamus spicam indicam vel celticam, aut scænanthum, aut asarũ. Spleni, si lachrymæ in aceto scillitico dissoluantur. Tumoribus duris non versis in tophos, si euphorb. parum addatur, vel axungiæ porci, vel medullæ eiusdem. Etiam ex succis herbarum vel decoct. accommodantur, vel mucilagine hoc modo.

℞. fol. chamep. M. j. radic. maluæ & cucumer. agrest. ana ℥. iij. incidantur & macerentur in olei antiqui duabus partibus & vna vini: decoq. & in col. decoquantur litharg. ℥. iiij. ad consumptionem vini, deinde dissolue picis colophoniæ, pinguedinis porci ana ℥. vj. galbani, ammoniaci, opopan. dissol. in oleo amygd. si recentes sint lachrymæ, sin antiquæ, in oleo viola. ana ℥. j. irid. myrth. styracis, propoleos, mastich. ceræ an. ℥. ij. misce,

fiat empla. malaxetur cum lacte mulieris. Si è mucilaginibus fiat empla. extrahantur mucilagines & post lithargyri cocturam misceantur, ne fortè longa coctura indurentur aerea & aquea parte (in quibus emplastica vis cõsistit) cõsumptis: fiat emplast. Sufficit itaque leuis coctura in mucilagine, & odoratis. Sine coctura magna ponitur lithargyrũ in emplastris, vt in cheroneo, in quo post reliqua ponitur, & parum decoquitur. Non enim aliis bene misceri posset, sine leui quadam coctura, vel longa pistatione, vel malaxatione. Ex multis aridis odoratis fiunt emplastra sine oleo, cera, pice, & reliquis, maximè cùm densare & constringere volumus, sed pane macerato in aceto, vel succo vt mentæ, excipimus, addendo succum aliquem, cum farina vel mucilagine gummi traga. vel psilij, vel cydoniorum, vel mel, vel micam cydoniorum, aut aliorum fructuum. Vt ad fluxum ventris sic.

℞. cort. mali gran. gall. balaustiorum, aluminis an. ℥. ß. acaciæ, sang. drac. myrtill. cortic. myrobal. chebulorum, & seminis vuarum an. ʒ. 2. fiat pul. qui excipiatur mina cydoniorum & mucilag. gummi tragac. extractæ cum aceto, fiat emplastrum. Vel sic,

℞. succi cydon. pyror. agrest. aceti an. ℥ 3. panis ℔. ß. coquantur diligenter, & contundantur, & passentur, deinde adde mastichis, sang. draco. boli armeni ana ℥. ß. farinæ lentium & hordei ana ℥. I. mucil. gummi traga. ℥. I. ß. misce, coquantur leuiter, fiat emplastrũ quod applicatur supra vẽtrem. Emplastrum de granis lauri excipitur melle cocto: excipi posset ichthiocolla dissoluta in multo aceto. Hęc autem non sunt verè emplastra, sed statim dissoluuntur & exiccantur, quia sine oleo parantur. Ad constringendum & exiccandum sumuntur quædam emplastica & decoquuntur, deinde additur cera rub. fit emplastrum, vt emplastrum contra rupturam, quod ex decoctione pellis arietinæ, consolidæ, polypodij conficitur, additis pice nauli, aloe, lithargyro & terebinthina cum sanguine humano sine oleo. Nihil refert, si olea astringentia sumamus, vt in vnguentis factum est, etsi ex mineralibus & aliis refrigerantibus emplasticis conficeremus, aut post eius præparationem abluamus diligenter vnguentum, & infundamus aquam astringentem

vel

vel acetum, vel succum, vel priùs abluamus oleum cum decoctione astringente, aut aqua astringente, vt fit in emplastro Comitissæ. Exemplum huius theorematis est emplastrum ad retinendum fœtum, vel sanguinis fluxum ex vtero, aut renibus.

℞. olei cydon. olei myrthi ablutorum cũ aqua plantag. & peculi rof. vel cum decoctione rad. bistortæ ℥.4. ceræ rub. ℥.3. sang. drac. boli armeni, acaciæ, hypocist. ana ℥. ß. radic. bistortæ, gallarum, balaustiorum, coral. rub. masticæ, ana ʒ. 3. cerusæ ℥. j. terebinthinæ lotæ in succo burs. pastor. ℥.3. misce, fiat emplastrum decoquendo in oleis cerusam, postea addendo terebinthinam & alia in fine, vel malaxentur cum succo polygonij, vel cydon. vel aceto, & applicetur.

Emplastrorum variæ sunt differentiæ, quæ à partibus sumuntur, vel ab affectu, vt sunt cephalica, empl. de ianua, vel de Gratia Dei, stomachica, splenetica, pro renibus, pro matrice, quæ ratio appellandi facit, vt multi Medici aberrent, & multò satius fuisset, vt emplastrum de baccis lauri, empl. de betonica, vel diachilon appellassent. Nam empyrici & alij, qui se methodicos profitentur, si ad suffocationem vteri emplastrum præscribant, statim emplastrum pro matrice imperabant, non animaduertentes esse constringens, cùm potiùs Cereoneum vel aliud, quod ex lachrymis resoluentibus, & discutientibus fumos & flatus compositum sit, vsurpandum. Magis enim conuenit emplastrum pro matrice ad impraegnationem, & vt retineat semen, nec extinguat frigiditate sua, aut humiditate nimia expellat. Idem etiam emplastrum ad retinendos fœtus in vtero vsurpant; sed id non posse insigniter facere indicant multum calida, quæ id ingrediuntur, nisi ob largam cotiledonum humiditatem fœtus retineri non possit, aut ob sanguinem biliosum, renum calorem, vteri partes relaxentur. Ad quod etiam valet emplastrum contra rupturam, & illud pro renibus vocatum apud Nicol. Cæterùm qui dextrè volet emplastris vti, emplastrorum materiam, & mistionis modum nouerit oportet. Sic ad partium affectus facilè emplastrum componet, qui mente tenuerit indicationes à partibus, vel à partium

Emplast. varia differentia.

Empyric. error.

Cui conuenit pro matrice.

functione sumptas. Et quia diffusè satis, & exactè à nobis indicata sunt cap. de vnguentis, non duxi eadem hîc repetenda. Eadem enim hîc sunt obseruanda, scilicet, vt ex vnguento emplastrum facturus, resinam picémque addat, vel minùs olei, plus ceræ apponat. *Emplastri natura.* Præterea emplastri natura esse oportet, vt sit spissum & viscosum, & parti adhæreat, quod refrigeratum solidum sit & durum, calfactione verò malaxetur aut aqua calida, vel oleo, vel mollescat, vel lentescat, quam naturam à pice, resina, terebinth. cera, oleo & aliis viscosis, vt gummi sumpserunt. Magis itaque coquenda sunt emplastra, quæ multum humida recipiunt, vel succos, vel acetum, vel decoctum, vel aquam, quia humiditas illa contraria est viscosis & adhærentibus. Hyeme minùs coquuntur, quia aeris frigiditate conseruatur consistentia dura. Æstate magis coquuntur, vel olei minùs imponitur, ne propter largam humiditatem defluant, & soluantur calore. Nimium enim cocta vruntur, dissoluuntur, & inutilia sunt.

De cataplasmatis.

Cataplasmatum forma in medendis morbis, leuandis doloribus, concoquendis humoribus, vel digerendis tumoribus maximè accômodata, & cum emplastris impropriè dictis, magnam similitudinem habent. Sed etiam chirurgi cataplasmata ex herbis contusis addita pinguedine, & etiam pultes, emplastra, vocant, propterea quod consistentiam habent mollem, & supra pãnum, vel stupam, aut lanam possunt emplastri modo extendi & adhærere. *Cataplas. & pultis differẽtia.* In hoc autẽ differt cataplasma à pulte, quod puls è farina aliqua in oleo & aqua vel melle, vel buty. decocta fit, cùm cataplasma herbas, radic. flores, fructus, semina, succos, olea. & axungias recipiat. Alia cocta sunt, alia cruda, & ex herbis contusis, vel ex succis, & farina mixtis. Fiunt autem ad dolores leniendos, concoquendos abscessus, discutiendam materiam & flatus, ad calfaciendum magis, quàm refrigerandum, quia molle est medicamentum spissum, & calorem habet blandum ob humiditatem.

Cataplasmata supra partes omnes dolentes aut inflammatas applicari possunt, indicatione sumpta ab effectu, à partibus, à materia & à loco, & quæ obseruantur in eo:

in eorum compositione, distinctiones, & limitationes, easdem obseruandas imperamus in vnguentis. Ad partium itaque externarum & artium inflammationes, & dolores ex his paramus, quæ & partem laxare, & obsequētem reddere possunt, & aliquid à parte discutere, & ex minùs emplasticis. Herbæ malacticæ, vt maluæ cum radic. sunt coquendæ, vt cap. de Clysterib. emollientibus diximus. Poni etiam possunt folia violæ, vel flores, quia dolorem sedāt, flores chamo. vel melil. vel fœnugr. vel lini, farina, axungia porci, vel butyrum, quanquam axungia commodior sit, quàm olea, temperata tamen olea, vt recens commune sine sale, amygdalinum, sesaminum & chamomel. conueniunt.

℞. radic. altheæ qr. 1. mal. cum radic. viol. branchæ vrsinæ M. 1. florum chamom. violarum puluerisatarum, furfur. ana p. 1. fiat decoctio in brodio pingui, vt veruecis, vel adde axung. porci ℔. ß. contundantur omnia, & per cribrum transmittantur, & fiat cataplasm. vel postquam facta est decoctio emollientis clyster. imperamus vt modo dicto præparetur, & addita pice & axungia iubemus fieri cataplasma.

Ad dolores articulorum ortos à materia calida sedandos sic præparatur. *Ad dolores artic.*

℞. medullæ panis medij (nam albus nimis est emplastic. & retinet, nihílq; euacuat) ℔. 1. decoquatur in lact. bubul. è quo nó sit extractum butyr. q. s. fiat cataplasma.

Ad magnam doloris sedationem oleū violatum ponendum, ad maiorem oleum hyoscyami, ad maximum oleum mādragoræ: sed cùm apponuntur narcotica, addi potest crocus in pauca quantitate, quia concoquit & astringit, quod ad sedationem doloris conuenit. Vel fiat ex herbis sic,

℞. solani, viol. ana M. j. florum hyoscy. M. ij. florum viol. & chamom. ana p. j. fiat decoctio in lacte, vel aqua. His cum axung. porci contusis & cribratis crocíque ℈. j. addito fiat cataplasma. Satius enim est herbis & radice vti, quàm opio. Nam cùm concoquitur cum pinguibus, summam illam frigiditatem deponit.

Concoquentia cataplasmata fiunt ex emollientibus herbis, addito pane candido, vel farina tritici cum *Concoquētia catapl.*

axungia porci, vel oleo communi, vt

℞. radic. bism. ℔. ß. mal. M. 1. panis candidi ℔. 1. fiat decoctio, contundantur, & per cribrum transmittatur cataplas. quod ob panem vel farinam tritici concoquit. Addi possunt fructus, vt ficus, butyr. & vitelli ouorum, hoc modo.

℞. farinæ tritici ℔. 1. sapæ ℥. 3. fiat decoctio, cui adde vitel. ouorum nu. 3. fiat cataplasma. Plus erit si sine ouis paretur, & loco sapæ oleum vel butyrum ponatur. Ad viscera addimus spicæ purum, vel thur. vel croci.

Detergentia cataplasmata. Detergentia solent fieri ex herbis, floribus, seminibus & farinis, vt

℞. pariet. M. 1. florum chamomi. melil. sambuc. ana p. 2. fiat decoctio: in decoctione incorpora farinæ fabar. & hordei, vel furfur. macri ℔. ß. olei chamomi. vel amygdal. amar. ana ℥. 2. pinguedinis gallinæ ℥. 1. fiat cataplasma, permiscendo fecem decoctionis. Hic solent chirurgi quidam absynthium addere in resoluentibus, cùm astrictionem quandam habeat, & terreas partes, & (vt Galenus docet lib. simplic.) intus aperire possit, extra minimè. Si autem Auic. id fecit in cataplasmate, in incremento id fecit, in quo oportet repellere & digerere. Nam & in eodem addit rosas. Ob id etiã à Guidone laudatur in incremento inflammationis. In istis adduntur radic. cucumer. folia ebuli, anethi, flores rosmar. stæchados, chamomilæ, sambuci, semina anis. fœnic. apij & petro. maximè cum flatus discutiendi sunt, oleum chamom. anethin. amygd. amar. cicinũ etiam antiquarum. Oportet enim talia medicaméta calida esse, & tenuium partium, vt in vaporem vertant, & trahant, neque nimiùm calida, quia fortiter siccando cutem densant, & fortiter trahendo, quicquid est tenuium partium crassum remanet quod digeri non potest. Magna itaque est adhibenda ratio materiæ euacuandæ. Nam sanguis mitis, & non nimium crassæ consistentiæ, moderatis debet digeri, crassæ verò consistentiæ & contumacis, fortioribus, non tamen extremis, vt ad summa per media transeamus. Modicè digerit furfur, panis sordidus magis, si

Digerẽtia. bene salitus est, & coctus, & fermentatus. Farina hordei fortiùs, fabarum farina non exiccatarum, item farina

orobi

orobi & lupinorum. Coquuntur in vino & aqua, quæ fortiora esse volumus. Stercora multùm digerunt, & ex illis etiam fiunt cataplasmata, sed maximè cùm flatus discutiendi, vt in œdemate, & hydrope, in quibus oleorum vsus periculosus, quia relaxant.

In dolore colico & nephritico cataplasma.

Fiat autem hoc modo in dolore colico & nephritico.

℞. stercor. bubuli ℔. 2. vini & mell. parum, fiat cataplasma. Fortius erit si semina carminatiua misceantur, vel sulphur, in hydrope, vt

℞. stercor. bouis ℔. 1. stercor. capræ qr. 1. anis. fœnic. carui ana ℥. ß. mellis parum, fiat cataplasmata. Ad hydropem hoc modo.

Ad hydropem cataplasma.

℞. sulphur. viui ℥. 2. cucumini ℥. 1. seminis apij petro. ana ℥. ß. cum excrementis cochlearum fiat cataplasma, vel ex carne & testis cochlearum fiat cataplasma.

Ad anginam cataplasma.

Ex stercore hirundinum fiunt ad anginas vel ex nido, qui eorum excrementis plenus sit, & luto, vt

℞. stercorum hirundinum, vel gallinarum, vel canis ℥. 4. farinæ fabar. ℥. 2. olei liliorum & chamomil. ana ℥. 3. butyri recentis ℥. 2. fiat cataplas. Vel ex vnguento dialtheæ & farina fiat cataplasma.

℞. vnguenti dialtheæ vel œsypi ℥. 4. ol. liliorum vel amygdal. ℥. 3. stercoris hirund. vel gallinarum ℥. 6. misce, fiat cataplasma. Hæc sunt digerentia cataplasmata, quæ omnibus partibus, aut certis quibusdam præparantur. Supra reliquas partes vt supra oculos aliquando sedantia dolorem applicamus, non suppurantia, fiúntq; ex pomis coctis, & contusis, vel ex farinis, vel pane, vt ad dolorem, & inflammationem oculi, vt

Sedantia dolorem.

℞. pomorum acidorum num. 3. decoquantur in aqua peculi ros. amotis seminibus & pelle, & duro quod inest, contundantur & facto cataplasmate applicentur frigidè supra palpebras.

Astringẽtia & repellentia cataplasmata.

Sin in principio quis velit astringens, & repellens facere, capiat pyra, mala cydonia, sorba, aut alios fructus astringentes, & cocti, & diligenter contusi applicentur cùm dolor non adest, sed cùm calor, & defluxio incipit. Si verò dolor iam partẽ vexet, ab astringentibus abstinendum, & ad sedantia dolorem veniendũ, quæ vel acrimo-

niam frangunt humoris stupefaciendo, vel modicè resoluendo. Acrimoniam defluxionis acris frangit, quod ex pomis dulcibus coctis in lacte, vel axungia recenti lota in aqua viol. vel hordei mundati, & vt priùs monstratum est, contusis, & per cribrum transmissis. Paratur delicatissimum quod parari debet parua quantitate, ne pondere grauet partem. Fit etiam cataplasma ex pane syncomisto decocto in lacte, vel cum farina hordei, sic,

℞. panis syncomisti ℔.ß. temperetur in lacte & parum coquatur, deinde fiat cataplasma. Non sunt multùm coquenda, quæ ex lacte parantur, sed potiùs contundenda, & sine coctura adhibenda, quia lac cùm decoquitur, inspissatur, & pars aerea, quæ magis sedat dolorem, absumitur remanétque pars caseosa, quæ crassior reddita emplastrica fit, vnde minùs dolorē soluit, sed magis constringit. Huc accedit quòd serum coctura acre redditur. Magis itaq; dolorem soluit lac frigidum & crudum, quàm coctum: recens, quàm acidum, quod de omnibus cataplasmatis ex lacte paratis dictum volo. Lac eligendum, quod plus butyri habeat, minùs casei, quale est vaccæ, ouis, mulieris, in quorum penuria vti possumus caprino, asinino, sed non nisi in prædictorum defectu, quia detergunt magis hæc, quàm sedant dolorem. Cùm igitur detergendum erit, horum vsus erit aliis preferendus.

Cautio. Cataplasmata oculorum ex farina vel pane, non sunt coquenda, ne fiant emplastica, nimiúmque parti adhæreant. Fiant itaque ex herbis non addita farina, vt

℞. portulacæ M. ij. contusa diligenter apponatur supra partem affectam. Eodem modo fieri possunt ex plantagine & solanis.

Ad stupefaciendum cataplasmata.

AD sensum stupefaciendum ex pomis mandragoræ decoctis in lacte vel foliis hyoscyami eodem modo coctis paratur cataplasma, quibus addi oportet parum croci, quod insignem illam frigiditatem mandragoræ & hyoscyami obtundat. Neque horum vsus debet damnari. Nam si opio vtendum censent omnes medici, quid prohibet quo minus foliis hyoscyami in lacte coctis vtamur? quandoquidem imbecillius est medicamentum coctum, quàm crudum, & fortius illud quod ex succo

succo paratur, quàm quod ex herbis.

Ex succis & farina pauca, vel pane syncomisto paratur cataplasma crudum ad partes, in quibus repellere & refrigerare oportet magis, quàm calfacere. Raro enim aut nunquam succos herbarum accipimus ad calfaciendum, sed herbas ipsas.

Ad inflammationem cataplasma.

AD inflammationem parantur ex succo semperuiui, vel illud quod lib. j ad Glaucon. ponitur, quamuis Guido linimentum fieri imperet: fiat autem sic.

℞. succi semperuiui ℔. j. vini crassi acerbi (vt magis astringat) ℔ ß. farinæ hord. (ad excipiendos succos) qr. j. cortic. mali granati, sumach. an. ℥ ß. misce, & fiat cataplasma. Hoc neque ceram, neque oleum, neque pinguedinẽ recipit, sed Guido sic impropriè loquutus est. Hordeum hîc ad resoluendum non ponitur, sed ad inspissandum potiùs succum, vt consistentiam cataplasmatis accipiat. Idem fieri potest de cotiledonis, portulacæ, plantag. aliarúmque refrigerantium herbarum succis. Iusserunt veteres vt semper farina his succis admisceretur, tum vt succos contineret, tum vt minùs calfaceret, sed potiùs his admixta refrigeraret, & exiccaret. Admisceri possent hi succi albumini ouorum, aut mucilagini psillij, aut cydoniorum, vt inspissati habeant maiorem emplasticam substantiam. Cataplasmata itaque fient cocta & cruda, sed intra dolorem oculorum refrigerantia esse debent, & cruda, alia coqui possunt. *Cautio.*

Ad fluxum ventris cataplasmata.

FIunt etiam cataplasmata ad cohibendum fluxum vẽtris & corroboranda intestina sic.

℞. micæ panis tosti, & in aceto macerati ℥. vj. contundantur, cui adde garyoph. macis, mastic. galangæ, granorum myrthi, & acinorum vuarum, balaustiorum an. ℥. ß. olei absynthij, & mentæ ana ℥. ij. fiat cataplasma, applicetur supra ventrem, vel

℞. prunorum agrest. & prunellorum ana ℔. ß. decoquantur in aceto. per cribrum mittantur, & in colatura decoque micæ panis sordidi ℔. j. foliorum absynthij, tenuissimè puluerisati, mastichis, coralli ana ℥. j. omnium santal. & cortic. mali granati ana ℥. ß. olei ros. & cydon,

an. ℥.iij. misceantur & fiat cataplasma, quod applicetur supra ventrem serò cùm ibit dormitum.

Hæc duo cataplasmata fiunt ad cohibendum fluxum ventris, & ad roboranda intestina. Et quia hîc fuit ordinata opiata, apponemus.

℞.carnium cydoniorum ℥.ij. citri & conseruæ acoti vulgaris an.℥.j.pul.coral. rub. ʒ. iij. pul. diarrh. abb. ʒ. j.diacyto.sine speciebus & aro. ana ʒ. ß. cum syr. cydo. fiat opiata, cui adde trochis. de spodio ʒ.j.ß. capiat manè. Hæc opiata præcedit duo vltima cataplasmata.

PVLTES.

PVltes in curandis morbis intrò sumuntur, aut ad cõcoctionem tumorum præter naturam foris applicantur. Pultes ex farina hordei & lacte fiunt, in affectibus thoracis, & vlceribus internis ventric. & intestinorum, si lac chalybeatum sit, aut pars butyrosa amota. Fiunt ex farina orizæ ad exiccandum & constringendum. Fiunt cum melle ad detergendum, cum butyro ad concoctionem tuberculorum, vel tumorum internorum, cum lacte ad dolores sedandos. Sed de internis aliàs, cùm de externis nobis sit hîc cõstitutus sermo. Pultes igitur externæ eodem modo parantur. Decoquuntur farina cum aqua, oleo, vel butyro, vel lacte, vel melle, & fit puls concoquens, si ex farina tritici fiat hoc modo. *Concoquẽs puls.*

℞. farinæ tritici lib. ß. aquæ quantùm sufficit, olei communis ℥ iij. decoquantur & fiat puls. Ex pane semydalite eodem modo parantur, vel ex amylo, ex farina hord. vel fabar. vel orobi, vel lupinorum ad detersionẽ, discusionémque materiæ fiunt in hydromelite, vt

℞. farinæ hord. & fabar. ana ℥. iiij. decoquantur in hydromelite, vel aqua, postea addatur mellis q. ß.

Cùm magis discutere volumus, in oinomelite, vel in aqua decoquuntur, cui addatur oleum antiquissimum, vel amygd. amar. vel de cherua, vel chamon. vel aliud ex digerentium numero. Sin detergendum & calfaciendum, axungia antiqua salita conuenit. Cùm maturandum, & coquendum, recens non salita. Idem de butyro est iudicium. Axungia gallinæ & anatis digerit. Ad constringendum rarò parantur, nisi cùm retinere volumus insigniter exiccando, tunc cum aceto paramus, vt *Axungia.* *Ad constringendum.*

℞. fa-

℞. farinæ lentiũ ℥. iij. farinę orizæ torrefactæ ℥. ij. decoquatur in aceto ros. & fiat puls, applicetur supra vẽtrem.

Ad vermes occidendos & deiiciendos ex farina lupinorum in aceto decocta, aut succo amaro decocta (vt absynthij) puls paratur. Et hæc de pultibus, quæ non multùm à cataplasmate differunt. *Ad vermes puls.*

Sinapismi.

SInapismus à sinapi, ex quo conficitur, additis ficubus contusis ad excipiẽdum, nomen sumpsit. Fit autẽ ad humores euacuandos, ad superficiem corporis, vt à parte interna attracti dolor soluatur, vt in coxendico, & capitis dolore diuturno. Spleni & omni dolori antiquo, qui frigidus est, vt incalescat, sinapismo vtimur. Mitior autem fit, aut fortior pro natura corporis, vel partis affectæ. In corporibus duris qualia sunt rusticorũ, nautarũ, piscatorum, & id genus hominum fortioribus vtimur: in vrbanis, mediis: in pueris, mulieribus, & nõ multum carnosis, imbecillioribus. Fortior duas partes sinapi cõtusi recipit, nec in aceto macerati. (Nam lãguidius efficeretur) ficuum partem vnam. Imbecillior contra ficuũ partes duas, sinapi vnã. Medius æquales vtriusque partes. Eorum parandorũ ratio est. Ficcus siccæ in aqua tepida pridie macerentur, sequẽti die expressæ probè læuigari debent, deinde sinapi acre per se cõtusum misceri, & massa facienda. Vtebantur veteres balneo, relicto sinapismo. Sin pars calidior erat, succo maluæ mitigabant, deinde cerato ros. vlcus cũ cerusa curabãt. Si resolutis partibus adhibeatur, sæpius detergenda est pars, & inspicienda. Nam propter sensum obtusum, vel amissum nõ sentiũt, & vrũtur. Supra partẽ remanere debet, donec pars cruẽto rubore rubescat, quod Diosc. donec cutis rubescat, dixit ob sanguinem attractum. Sinapismi loco in coxendico dolore stercore caprarum cum aceto vti possumus. *Tria genera sinapismi.* *Cautio.*

De dropacibus.

DRopax eiusdem efficaciæ est cum sinapismo ad euocanda excrementa ad summã cutim: differũt tamen materia. Nam sinapismus paratur ex sinapi, & cutem vlcerat, & rubrificat, vnde & rubrificantia antiqui vocarunt sinapismos. Dropax verò ex materia calida fit, & quæ lẽtore suo pilos euellit, vt ex iis quæ psilotra sũt. *Differ. dropac. & sinapismi.* *Vsus.*

Formæ varia. Hinc fit vt dropace vtamur, cùm depilare volumus, vt ex Martialis carmine licet colligere lib. 10. Hirsutis ergo cruribus, genísque. Materia eadem est cum acopis, & emplastris. Forma autem varia est. Quidam enim emplastri formam referunt, alij cataplasmatis. Quandoque ante sinapismum ad præparationem materiæ, interdum *Duplex.* pòst ad materiæ reliquias discutiendas. Dropax duplex est, simplex & compositus. Simplex item duplex: alius, qui ex oleo, & pice sicca paucissimo oleo siccata fit, quæ forma nihil aliud est quàm picatio dicta Aëtio: Alius ex pice sicca, cera, pice, brucia, resina picea frixa fit, quē simplicem appellant. Cōpositus est, qui Gallus Oribasij apud Paulum dicitur, cuius descriptionem require. Quāquam horum remediorū vsus obsoleuerit, non est negligēdus ad morborū diuturnorum perfectam curationem.

Collyria.

Collyria sunt medicamenta oculorū tenuissimè trita & læuigata Arabibus (Alcohol) dicta. Hinc fit, vt *Forma varia.* cùm exactè læuigare velimus, dicamus, fiat collyriū, aut trituretur vt Alcohol. Cæterùm variæ formæ fiunt: quædam enim arida, quædam liquida, nonnulla mellis consistentiam habent Materia ex quibus componūtur, sunt succi, liquores, flores, semina herbarū, metallica, & pleraque alia. Angulis oculorum affectus præscribi possunt liquida: pilulæ, quæ mellis consistentiam habent. vt penicillo palpebris applicentur: Arida verò insufflantur, vel intra palpebras ponuntur. Vtimur his in omnibus morbis oculorum, qui cum varij sint, varia collyria fieri necesse est Iam enim repellendū est: interdum fluxio inhibenda, nonnunquam detergendum, nunc dirigendum, aliàs astringendum, aliquando relaxandum, & dolor sedandus. Deligitur materia conuenientior, & forma. Liquida enim meliùs refrigerāt partes angulorum. Densa verò parti applicata, diutius hærent, & ex consequenti fortius operantur. De repellentibus vnguentis abundè satis, cùm de vnguentis oculorum diceremus, disputatum est. Liquida collyria fiunt ex aquis distillatis, aut succis herbarum, aut fructuum defecatis: ex aquis rос. myrthi, peculi ros. plantag caprifolij, portulacæ: quibus adiungere oportet, vt adhæreant, neque tam facilè effluant,

fluant, parum albuminis ouorum fortiter agitatorum, vt *Repellēs.*

℞. aquæ peculi rosſ myrthi, & caprifol. ana ℥. iiij. album. ouorum fortiter agitatorum ℥. j. misce, applicetur frequenter.

Et, quando dolor mitigandus, & ardor minuendus, sanguinis facta missione, & per cucurbitulas facta reuulsione, aquas frigidas minùs astringentes ad maiorem mitigationem addimus, vt,

℞. aquæ plantag. viol & portulacæ ana ℥. ij albuminis ouorum ℥. ij. misce. His dissoluuntur arida & spissa & adhuc liquida collyria vocantur, quia aridorum pauca quantitas additur, aut non debent agitari arida cum succis, ne puluis, qui dolorem solet excitare, permisceatur, vel debent percollari & permisceri cum aliquo, quod corpus habeat, aut lentorem, quo oculum contingat inflammatum. Repellens tale est.

℞. aquæ peculi rosſ. & myrthi ana ℥. ij. trochiſ. alborum raſ. sine opio ʒ. j. albuminis ouorum ℥. j. misce. *Repellens collyrium.*

Sedans dolorem sic.

℞. Aquæ viol. plantag. ana ℥. iij. trochiscorum alborum raſ. cum opio ʒ. ij albuminis ouorum, & decoctionis fœnugr. lotæ in aqua roſ. ana ℥. j. misce. Hîc additur decoctio fœnugræci, quæ dolorem leuat & resoluit. Dolor enim circa statum est vehementissimus, in quo discutere oportet. Huc accedit, quòd dolor oculorum non solùm ab intemperie, sed plerunque à plenitudine fit, quæ distentionem facit: ideo à parte aliquid discutiendum est. Trochisci albi non solùm digerunt, sed etiam resoluunt à parte inflammata. *Sedans dolorem.*

Ex succis herbarum vel fructuum recenter extractorum fieri possunt collyria repellentia, digerentia, detergentiáque Succi autē antiquati acrimoniam acquirunt.

℞. succi plantag. succi viol. depurgatorum ana ℥. iij. aquæ peculi roſ. ℥. ij. misce, fiat collyr. vel,

℞. succi pomorum ℥. iij. ad sedationem doloris ab intēperie, vel ad magis repellendum ex succis cydoniorum, pomorum, & aliorum fructuum astringētium. Hîc albumen oui non additur, quia succi plus satis adhærēt, quàm aquæ distillatæ. Quod si nimium liquidi sint, adde parum albuminis ouorum, vel gr. aliquot gūmi trag.

vel mucilag. psilij, vel cydon. quia asperitatem auferunt, sedant dolorem & refrigerant. Talia viscosa vel mucilagines, & astringentia in principio, quando parum aut nihil saniei aut materiæ resudat à parte inflammata. Non enim retinere oportet, sed euacuare. In ipsa applicatione collyriorum sedãtium dolorem admiscetur lac muliebre recens mulsum: gummi arab. & tragac. expertia sunt mordacitatis, dolores & asperitates mulcent, & alia adhærere faciunt. Concoctoria & discutoria post repellentia & sedantia dolorem applicantur, quæ ex thure, croco, decoctione meliloti, sarcocolla, lycio indico fiũt, quibus addit castoreum Galenus, sed sua acrimonia dolorem excitat, vt,

Concoctoria collyria.

℞. thur. ʒ. ß. croci ʒ. j. sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris ʒ. j. ß. terantur omnia supra cotem sensim infundendo decoctum fœnugræci, fiat collyrium, vel,

℞. micæ panis albi ℥. ij. temperentur in aqua decoctionis cham. & melil. & exprimãtur, expressioni adde croci ℈. j. quòd si feruor adhuc appareat, adde lac muliebre.

In declinatione concoquentibus addenda sunt, quæ detergunt, digerunt sine morsu, qualia sunt lapis æmatites, cadmia, antimonium lotum, myrrha, sarcocolla, quæ concoquit & digerit. Aloë quæ aliquid abstersionis cum astrictione habet. Ex his colly. fiunt hoc modo.

Detergentia & digerentia collyria.

℞. sarcocollæ nutritæ in aqua decoctioni fœnug. ʒ. j. tuthiæ præparatæ, antimonij loti ana ʒ. j. ß. myrrhæ ℈. ij. croci ℈. j. dissoluantur in aqua fœnic. vel euphras. vel rutæ, vel vino albo & aqua pluuia, fiat sic. Hic detergentibus & discutientibus vtendum, cùm præcessit inflãmatio ob defluxionem & sensum partis exquisitum. In vlcere verò & aliis morbis, qui sine inflãmatione, aut sine defluxione acri sunt, vtemur fortiùs detergentibus & resiccãtibus, quæ sunt omphacium, myrrha, æs vstum, flos æris, succus chelidonij, centaur. minor. fella auium, quadrupedum, & quorundam marinorum, saccharum candum & stercus lacerti, sapo, siccus costus in multa aqua delet maculas & suffusiones.

Cautio.

Detergũt & resiccant hæc.

Ad suffusiones albugines & cicatric. collyria.

Extergunt sine morsu cornu cerui, & caprarum, cum morsu vsta & non lota. Ex his parantur ad suffusiones, cicatrices, & albugines, quæ temperare oportet mitioribus,

bus, vel in palpebris penicillo apponenda sunt spissa, vt,

℞. omphac. præparati in vase æneo ʒ j. mucilag. fœnugr. extractæ cum aqua rosſ. ℥. ß. misce, applicetur cum penicillo, vel,

℞. amurcæ inspissatæ ʒ. ij. omphac. ʒ. ß. vitellorum ouorum fortiter agitatorum vnc. ß. misce, applicetur vt suprà, vel,

℞. fellis vranoscopi, vel scorpionis, vel draconis marini ʒ. ß. mell. rosacei colati ʒ. ij. sacchari candi pul. ʒ. iij. fiat collyr. spissum. Ad idem valet fel hirci, bouis, perdicis, gallinæ, vel milui conseruatum melle in vase æneo, maximè quod ob tenuitatem partium euanescat, quale est piscium & auium: quadrupedum verò ob crassitiem vesicæ diutius seruari potest, quale est tauri, vaccæ, porci, hirci, lupi & similium. Ex succis herbarum fiunt efficacissima.

℞. succi chelidon. & succi fœnugr. & centaur. minor. ana ℥. j. mell. ros. colati, sacchari candi ana ℥. ß. incorporentur simul ad formam linimenti.

Cùm volumus detergere, & resiccare, vt in vlceribus palpebrarum, & corneæ, vel in vera declinatione ophthalmiæ, talia medicamenta ex metallicis, vel cornibus fiunt, vt,

℞. cornu cerui, vel capræ tenuissimè triti ℥. ij. tuthiæ, antimonij ana ʒ. j. excipiantur melle ros. vel syr. ros. fiat ad formam linimenti.

Leuiter astringentia in initio.

℞. Mucilag. semin. psil. cydoniorum extractæ in aqua ros. an. ℥. ß. trochiscorum alborum ras. sine opio & sarcocolla ana ʒ. ij. aquę peculi ros. ℥. ij. agitentur omnia simul in ampulla vitrea, fiat collyr. quod in oculos instilletur, vel,

℞. mucilag. gummi arab. & tragac. extractæ cum aqua ros. an ℥. j. aquæ peculi ros. & aquæ albuminis ouorum ana ℥. ij. agitentur simul & fiat collyr. quod instilletur in oculos. Vel ex decoctis fit hoc modo.

℞. foliorum plantag. & solani hortens. ana M. j. ß. semi. papauer. albi ʒ. j. ß. ros. rub. p. j. decoquantur simul in sufficienti quantitate aquæ, deinde instilletur colatura in oculos.

Fortiter astringentia profluxu lachrymarum immoderatarum, non pro sola inflammatione.

℞. thur. mastich. ana ℥. ß. ostium myrobal. adustorum & in puluerem redactorum ℈. ij. coralli rub. ʒ. ß. succi malorum granatorum ad partis dimidium decocti ℥. iij. aquæ peculi rosf. aut myrtill. ℥. ij. misce, fiat collyr. applicetur suprà, vel,

℞. lapidis hæmatitis ʒ. iij. cerusæ lotæ in aqua rosf. ʒ. ij. cupulorum glandium in puluerem tenuissimũ redactorum ʒ. j. ß. pul. vuæ acerbæ in clibano exiccatæ ʒ. j. aquæ distillatæ foliorum sumach, aquæ myrtillorum, & peculi rosf. ana ʒ. ij omnia simul agitentur, fiat collyr. quod potiùs canthis oculorum, quàm oculis instilletur.

Astringentia & discutiẽtia pro inflãmationis incremẽto.

℞. Cerus. diligentissimè lotæ in aqua rosf. ℈. ij tuthiæ præparatæ ʒ. j. ß. mucilag. fœnug. extractæ in aqua rosf. ℥. j. aquæ fœnic. vel euphras. ℥. j. aquæ peculi rosf. ℥. ij. fiat collyr. vtatur vt dictum est.

Aliud discutiens pro declinatione.

℞. Sarcocollæ nutritæ ʒ. iij tuthiæ præparatæ ʒ. ij. mucil. fœnugr. extractæ in aqua fœnic ℥. ß. aloes ʒ. j ß. myrrhæ omnino in tenuiss. puluerem redactæ ℈. j. aquarum fœnic. & euphras. ana ℥. ij fiat collyrium, quo circa inflammationis initium vti licet.

Ad sedationẽ doloris potest parari collyr. si medulla panis in lacte coquatur, deinde succus à medulla expressus in oculos infundatur. Idem etiam præstat succus fœniculi oculis instillatus, quæ vim habet maximam ad leniendum dolorem oculorum, & discutiendum exiguam humoris portionem oculis impacti. Narcotica vsurpantur aliis priùs tentatis remediis, & rebus ferè iam deploratis, & euacuata maiore parte humoris, & a materia calida, alioqui eorum vsus temerarius & periculosus, vt,

Narcotica collyria.

℞. trochiscorum alborum cum opio ʒ j. lactis mulieris puellam lactantis ℥. j. ß. misce, fiat collyr. vel sic.

℞. cerusæ lotæ in aqua rosf. ʒ. ij. vel mucilag. seminis psil. extractæ in aqua rosf. opij. gran. iij. croci gran. vj. aquæ rosf. ℥ iij. fiat collyr. vtatur frequenter.

Ad tollẽdas maculas oculorũ

Ad tollendas maculas rub. oculorum collyr. refrig. astringen. fiat.

℞. mu-

℞.mucilag. semin. psilij cum aqua ros. albuminis oui fortiter agitati, spuma innatãte purgati an.℥.j sarcocol. nutritæ, aloes succotrinæ quinquies lotæ, cum aqua ros. lycij an.℥.ß.sterc.lacerti ℥.vj.trochis.albi ras.℈.ij.aquæ euphras.℥.ß misce, fiat collyr. de quo ponat supra oculos manè & serò longè à pastu.

Pro suffusione oculorum.

℞.fœnic.& euphras.an.p.ij. ros. rub.p.ß.semi. fœnugr. diligenter loti cum aqua cisternæ & fœnic. an.℥.iiij. fiat decoctio in aqua q.s. ex qua oculi foueantur tepidè cum spongia molli longè à cibo, donec imponatur sequens collyrium.

℞.rasuræ vasorum viridium (Gallicè *pots plombez*) spumæ maris, stercor.lacert. lapidis hæmatites ana ʒ.ij. fiat puluis subtilissimus, per sindonem cribratus.

℞.chelido.& acori an ℥.ij.concassentur & coquantur in vase mundo ad ℔.j aquæ, donec ad tertiam partem redeat. In illa aqua imbibatur pul.supradictus, & postea siccetur in vmbra, deinde teratur cum illa aqua, iterum incorporetur, fiátque hoc quinquies: tandem fiat pul. & cum aqua euphras. & fœnic. fiat collyr. serò & manè imponatur, vt dictum est.

Sacculi & cucufæ.

SAcculi formã quibusdam morbis conuenit: partibus consuuntur vel interbastantur, & hi quidem, qui ad caput præscribuntur cucufæ dicuntur. Sed & stomacho, & cordi applicantur sacculi, qui omnes pulueribus determinatis implentur. Reliqui autem sacculi simpliciter dicuntur, fiúntque ex seminibus magna ex parte integris frixis in sartagine, quæ quia alio modo non possunt applicari, arida cùm sint, sacculis includuntur ad discussionem. De his itaque primùm agemus. Ad dolores lateris, qui fiunt à flatibus, fiunt ex auena vel milio frixis irroratis vino, addito sale. Nam ad maiorem discussionem aliquando semina fœnic. apij, petro. aut aliorum discutientium flatus adduntur in colico dolore à flatibus. Fiunt etiam ad lateris dolores ex floribus seminibúsque hoc modo contusis, & quia non mutamus materiam, sed sunt calfacta supra laminam, aut vapore vini calidi: vt, *Ad dolores lateris.*

℞. furfur. macri p. j. semi. anis. fœnic. carui confuso-rum ana ℥. ij. florum chamo. melil. sambuci, anthos ana p. j. fiant sacculi duo consuti, & supra laminam ferream vino extinctam calfacti applicentur parti.

Conducet autem duos habere sacculos, vt dum vnus calfactus supra partem hæret. alter paretur. Nã subinde mutandi sunt. Cordi præscribũtur in affectibus frigidis, vel cùm cardialgia, vel iactitatio, à flatibus, aut à copia seri in pericardio contenti excitatur: vt,

Ad cordis affectus sacculi.

℞. florum anth. stechad ana ℥. ij. summitatum ocimi, cortic. citri sicci, macis. garyoph. ana ʒ. iij. diamarg. calidi, vel de gemmis, vel diacameron ʒ. ij. fiant sacculi forma rotunda, consuantur. Imponi autem debet bombax ad retinẽdum puluerem, & pãnus, qui integit, debet esse delicatissimus. Irroretur vino & aqua melissæ, calfiat fumo, & temperatus prædictis aquis tepidis applicetur cordi, & cùm siccatur, remoueatur. In palpitatione trochisci de camphora probantur.

Ad stomach. affectus.

Ad stomachi dolores & imbecillitatem fiunt sacculi. Cæterùm ad dolores parùm facere mihi videntur. Qui ad imbecillitatem præscribuntur, concoctionem iuuant, & ventriculum calfaciunt, fiúntque ex odoratis calidis & leuiter astringentibus herbis, radicibus, seminibus: vt,

℞. comæ absynth. exiccati & mentæ ana ℥. ij. cortic. citri sicci ℥. j. galangæ, cyperi, carioph. ana ℥. ß. ros. rub ʒ. ij. fiat pul. ex quo sacculus, qui à scuti figura scutum appellatur. Magnus fieri debet, vt ad vmbilicum vsque descendat, latiórque pars infra vergat, angustior supra os ventriculi. Hic animaduertendum, ne contra theoremata supra, cap. de vnguentis data, facere videantur in sacculis conficiendis. Efficaciora aut calidiora, quanquam tenuium sint magis partium, inter astringentia vsurpanda, quia illa panno inclusa minùs calfaciunt, quàm in vnguentis aut linimentis.

Ad caput sacculi.

Capiti sacculi duo applicantur, vnus latus supra anteriorem partem capitis ponitur: Alter capiti, modo pilei, duabus partibus simul iunctis applicatur, vnde cucufa vocatur, prior ille latus sacculus, Frontale dicitur à fronte, & fit ad refrigerandum & repellendũ. Hæc autem

tem forma potiùs contactu suo calefacit, quàm refrigerat, nisi multùm humectetur aceto, & aquis. Vtraque autem hæc forma parùm probanda. Priores sic fiunt.

℞. coriandri ℥. ß. semi. lactucæ ℥. iij. semi. papauer. ʒ. ij. florum violarum, nenuphar. an. ℥. j. ros. rub. ℥. ß misce, fiat pul. ex quo impleatur sacculus latus quinque digitos, longus pedem vnum.

Capiti imponitur cucufa ad calfaciendum, digerendum, spiritúsque animales excitandos in lethargo, & aliis morbis frigidis. Fiunt autem ex odoratis radicibus, herbis, floribus, & quibusdam seminibus, vt radic. galangæ, cyperi, calami aromatici, nume. mosc. caryophil. maceratis, floribus anthos, stechad. saluiæ, chamomilæ, meliloti, sambuci.

Semina minùs frequenter addimus, nisi myrthi semina, & grana tinctorum addamus, vel cùm somnum inducere volumus citra magnam refrigerationem, semen anethi. Nihil vetat addi beniouinum, quia siccitate sua in puluerem facilè reduci potest, reliquæ autem lachrymæ nunquam. Ad resoluendam materiam, quæ lethargum, vel dolorem capitis excitat, fiat hoc modo.

℞. galangæ, calami odorati, cyperi ana ʒ. iij. nuc. moscatæ, caryoph. ana ʒ. ij. foliorum beton. & sampsuci ana ʒ. j. florum anth & stechad. ana ℥. ß. fiat puluis qui bombace exceptus, panno rub. raro intersuatur, & fiat cucufa. Hæc eadem conueniet in capite corroborando, si grana tinctorum, flor. ros. & semina myrthi addantur, sed ea vtendum post discussionem materiæ. Cæterùm duo sunt in his parandis obseruanda, vt, scilicet, tenuiũ sint partium medicamenta ob situm cerebri: deinde ne nimiùm calfaciant, & constringant. Calida enim & attenuantia liquefaciunt, vt sol, frigida astringentia exprimũt constringendo, vt frigus aeris nos ambientis, quod comprimendo fluxiones mouet. Huc accedit, quòd nimiùm astringentia perspirationem cerebri impediunt, & doloris caussam retinent. *Cautio.*

Epithemata.

Epithemata, vt ex Paulo, Aetio, Diosc. licet colligere, Malagmata dicuntur, quæ visceribus aliísque partibus applicantur. Qui hodie medicinam exercent,

irrigationem vel humectationem vocant, fotus modo supra cor, hepar, & supra pectus totum in hecticis, & febribus ardentibus, & multùm siccis. Cordi applicantur in febrib. ardentib. pestilentib. & hecticis, & in palpitatione & cardiaca. Fiunt autem ex aquis affectui & parti propriis. Aqua buglo & borrag. semper commendatur, quia temperata est. Aqua viol. ros. & nenuphar. in febrib. conuenit, & cùm refrigerare volumus. Vinum album semper additur maiori quidem copia cùm calfaciendum, vt in cardiaca, vel spirituum depopulatione, minùs verò in febribus. Item pul. diamarg. frig. vt triasand. ad refrigerationem & confortationem. Semen citri, coral. cristal. flores violæ, & nenuph. ad refrigerationem. Ad calfactionem vel exiccationem trochisci de cāphora, quæ frigida esse censetur, semē ocymi, aqua melissæ, aqua ex floribus limonum, vel citri, vel arantiorum. In imbecillitate ob spirituum resolutionem, vel extinctionem fiet hoc modo.

Ad affectus cordis epithemata.

℞. aquæ meliss. florum arantiorum, bugl. ana ℥.iij. aquæ ex florib. myrthi, vel ros. ℥.ij. vini maluat. ʒ.j pul. diacameron, vel de gemmis, vel diamarg. calidi ʒ. j. trochiscorum de camphora ℈.j. misce, fiat epithema. Cordi applicatum excitat & reficit calorem naturalem, spiritus instaurat. Valet etiam in iactatione, quæ est à flatibus. Ad refrigerationem cordis in febribus ardentibus paratur tale ex supra enumeratis: vt

℞. aquarum bugloss. ros. ana q̄r. j. viol. qr. ij. pul. diamargar. frig. ʒ. j cristalli ʒ. j. ß. succi citri ℥. ß. misce, fiat epithema

In hecticis & ardentib. febrib. epithem.

In hecticis & ardentibus febrib. experientia comperi vtilius ardorem pulmonum, & thoracis obtundere. Nā cùm pulmones minus calent, aerem attractum minus calfaciunt. Obtunditur ergo humidis & frigidis, cùm febris corpus exiccat, & caloris acrimoniam auget siccitas. Ex humidis igitur parantur, quæ à me primùm inuenta, ex oleis scilicet, & aqua hord. mundati, leuiter, ne suo lentore obstruat, & euentationem prohibeat, fiatq; error peior priore. Fiunt etiam ex decoctione quatuor semi. frigidorum maiorum, vel ex cucurbitæ decoctione, & aliis. Hæc semina refrigerant & humectant citra astri-

astrictionem. Conuenit itaque oleum violæ, quia refrigerat, humectat, & relaxat. Item oleum vel decoctum ex semine cucurbitæ, & aliorum semin. frigidorum maiorum, oleum de semine papaueris cum oleo amygdal. dul. & cremore hord. Applicantur autem post euacuationem factam, vel post sanguinis missionem, & potissimum in statu, in quo omnia sunt sæuissima. Pectus relaxant hæc vltima epithemata, & respirationem augent, quæ magnam vim habent in acutis morbis, & sudores excitant, prohibéntque ne in hecticam febrem mutentur febres illæ squallidæ. Tinguntur panni tepidè, partíque applicantur, & subinde mutantur, ne calfacti corpus calfaciant. *Tempus.* *Pectus relaxantia.*

℞. hord. mund. p. ß flor. viol. p. ij fiat leuis decoctio, & in ℔. j. misce olei viol. ℥. iiij applicetur. Oleum prohibet, ne tam citò exiccentur panni, & partes humectat. Vel cum seminibus frigidis: vt

℞. hord mundati p. ß, quatuor semin. frigid. maiorum contusorum ℥. ij, florum viol. p. j. nenuphar p. ß. fiat decoctio. In collaturæ ℔. iij. diss. olei amygd. dulc. & viol. ana ℥. iij. agitentur simul, & fiat epithema, supra totum thoracem applicetur. Maximè conuenit febrib. hecticis & squallidis. Frequenter autem vtendum serò & manè. Oleum chamomilæ in febribus ab obstructione ortis, vino albo permixtum, & epithematis modo super hypochondria appositum concoqui, obstructiones cutis soluit, sudores elicit. Idem efficere oleum amygdal. amar. expertus sum, modò supra inferiorem ventrem ponatur, vel supra ventriculum ante accessionem ad vomitionem iuuandam. *Oleũ chamomil.* *Amygd. amar.*

Ad erysipelata faciei, vel aliarum partium fiunt ex aceto epithemata, & aqua dulci, vel ros. vel plantag. vel myrthi, vel nenuph. Ex succis permixtis aceto vel aqua ad augendam molem, vel ne nimis spissi sint succi. Tinguntur panni rari, & applicantur. Magis etiam refrigerant, ab aere refrigeratur medicamentum, & euaporantur ex parte fumi illi calidi. In summa quoties pars inflammatur, aut alia calida affectione afficitur, epithemate vtendũ est. Epithemata ex stillatitiis liquoribus & pulueribus conficiuntur ea mensura, vt ℔. j. aquarum *Ad erysipelata.* *Quando vtendum.*

permisceantur ℥. ij. & ℥. j. ß. in vehementi febre, virium imbecillitate, & totius corporis incendio: vt

℞. aquæ bugloss. & acetos. an. ℥. iij. aquæ ros. ℥. ij. vini albi ℥. ß. pul. electuarij, diamarg. frigid. & ossis myrobal. ana ʒ. j. cinamomi gra. v. misce simul cum pauco scarlatæ, granatæ, fiat epithema, quod tepidum admoueatur regioni cordis.

In febribus ardentibus circa statum.

℞. Aquæ viol, acetos. & bugloss. ana ℥. iiij. scab. & meliss. ana ℥. ß. pul. electuarij diamarg. frigid. & ossis, de corde cerui ana ʒ. j. cinamomi gra. v. fiat epithema, vt dictum est, & eo tempore admoueatur quo maius incendium ab ægro percipitur.

Pro hepate.

Sunt, quæ robur hepatis augent, & intemperiem illius corrigunt, in quibus non est suspectus aceti vsus, vt in pectore, modò in pauca quantitate ponatur. Licet aliquando his epithematis astringentia admouere, quia subiecti visceris robur seruant, vt semen acetosæ, polypodium, & similia: vt

℞. aqua endiuiæ, scariolæ ana ℥. iij. aquæ absynth. ℥. j. ß. aceti vini albi ℥. ß. seminis acetos. & portulacæ ana ʒ. ß. pulu. sandalorum ana ʒ. j. misce, fiat epithema pro regione hepatis. Aliud,

℞. aquæ scariol. solatri ana ℥. j. ß. aquæ acetos. endiuiæ, & bugloss. ana ℥. iij. aceti vini albi ℥ j. trochiscorum de spodio ℈. ij. spicæ nardi ʒ. ß. omnium sandal. ana ℈. j. fiant epithemata, vt priùs. Suspicio sit obstructionis, non sunt admouenda astringentia.

Pro testiculis epithema.

Nonnunquam testiculis admouentur epithemata ad refrigerandum sanguinem & vniuersum corporis habitum, vt in profluuio sanguinis immoderato Refrigerantia admota testiculis sanguinem inhibent, & minùs reddunt fluxilem. Curandum tamen, vt epithematis refrigerantibus aliqua admisceas, quæ temperamentum testiculorum conseruent, ob id aliquando vinum album miscemus, & alia similia, quæ illud præstare possunt.

℞. aquæ ros. ℥. ij. aquæ solani ℥. j. ß. vini albi ℥. j. trochiscorum de camphora ℈. j. misce, fiat epithema, admoueatur testiculis, & ex decocto refrigerantium & astringentium, vel decocto florũ nympheæ, vel ros. rub.

balau-

balaustiorum & similium, quibus in aqua decoctis paretur epithema.

FOMENTA.

Fomentis sæpe vtimur, antequam vel cataplasmate, vel vnguentis vtamur, quo pori aperiantur, partes relaxentur, & quodammodo viam muniant aliis remediis. Fiunt maximè ad sedandos dolores vel remolliendum ex decoctis cataplasmatum.

Ad dolorem colicum fiunt fotus ex calidis discutientibus flatus & anodynis, vt *Ad dolorē colicum.*

℞. radic. bismaluæ ℥. ij. fol. calamenti, origani an. M. j. sem. fœnug. lini an. ℥. j. apij, petro. seseli an. ℥. ß. flor. chamomil. melil. vel sambuci an. p. j. fiat decoctio in aqua & vino vel oleo, fiátque fotus cum spongiis vel filtro macerato in decoctione. Vtilis est idem fotus in nephritico dolore, sed efficacior erit ad deturbandum calculum, si quæ cõmuniunt, & pituitam extenuant, addantur, vt folia empetri recentia, vel condita aceto, folia apij, petro. radic. grami. asparagi, fœnugr. Valet & hic posterior ad vrinæ retétionem à crassis humoribus, quia incidit & attenuat. Et etiam in vrinæ retentione à sanguine coagulato, nisi fluxus sanguinis excitaretur. In inflammatione non valet, quia nimiùm calfacit, sed ex temperatis, laxantibus & modicè refrigerantibus, vt *Ad dolorē nephriticum. Ad Vrinæ retentionē*

℞. mal. bismal. cum radic. ana M. j. foliorum viol. M. ij. seminis lini ℥ j. florum viol. chamom. an. p. j. fiat decoctio in aqua & cum decoctione tepida fiat fotus, ex residentia fiat cataplasma, addendo butyri recentis, vel axung. gallinæ, cuniculi, olei scorpionum ana ℥. iij. *Ad inflā-mationem fœtus.*

Ad dolores lateris fiunt fotus ex relaxantibus, & anodynis, additis paucis flatus discutientibus, vt *Ad dolorē lateris.*

℞. mal. cum rad. M. j. ß. ficuum pa xx. florum cham. mel. viol. ana p. j. seminis lini, fœnug. ana ℥. j. anis. ℥. ß. fiat decoctio in aqua pro fotu. Sin materia frigida fuerit, relaxantia & discutientia addimus, vt

℞. mal. cum radic. M. j. ß. calaminth. M. j. seminis lini, fœnug. ana ℥. j. anisi, fœnic. an. ℥. ß. florum anthos, chamomilæ, melis. sambuci ana p. j. fiat decoctio, quæ vesicæ aut cucurbitæ aut vasi æneo infundenda, deinde parti applicanda. Vesica commodiùs lateri applicatur, vel

ſpongia mollis expreſſa, pannóque raro ſicco inuoluta; ne odor ægrotantis nares feriat. Frequenter autem mutandi ſunt fotus, ne refrigerati lædant.

Ad iecur. Supra iecur non niſi in vehementiſsimo dolore, vel duritie fotibus vtimur. In dolore tamen conueniet prædictus fotus, addito abſynthio vel roſ. vel ſpica pauca.

Ad ſplenem. Ad ſplenem induratum frequentiſsimè fiunt, mixtis in aqua vel in aceto, vel in vtroque, vt

℞. radic. biſmal. liliorum ana lib. ß. mal. M. j. fic. num. xxx ſeminis lini & fœnug. ana ℥. ij. flor. chamom. mal. ana ℥. ß. fiat decoctio in aceto acerrimo & foueatur cum ſpongiis, vel ex fortioribus fit, vt

℞. radic. cucumer. agreſtis quart. j. radic. biſmal. & irid. ana ℥. ij. ſeminis lini, fœnug. & biſmal. ana ℥. j. florum viol. mal. ana p. j. fiat decoctio in vino albo, ol. liliorum, & amygd. fiat fotus.

Ad vterũ. Ad vterum fiunt fomenta, additis vterinis, vt aperientibus & attrahentibus, ſi ſunt trahendi menſes, vt

℞. radic. rubiæ maioris, eryng. fœnicu. apij, petro. graminis ana ℥. iiij. radic. liliorum & biſmal. ana ℥. ij. puleg. matric. ana M. j. ſeminis apij, petro. ſeſeli, fœnug. biſmal. ana ℥. j. florum chamom. & leſcoi vel purpurei, vel citrini, ana p. ij. fiat decoctio in aquæ duabus partibus, & vna vini albi, foueatur vterus. Cauenda eſt nimia exiccatio, quia abſumitur materia menſium, ſed laxantia addenda, vt temperent & laxent partes conſtrictas. Si ad emolliendum vterum, malactica debent vincere alia.

Ad oculorum affectus. Supra caput fiunt irrigationes non fotus, de quibus poſtea. In oculis ſit fotus, quia oculus propter exactiorem ſenſum ictum ferre non poteſt, vt Galenus in meth. docet. Cùm itaque diſcutere volumus, vel vtcunque corneam emollire, vel potiùs rarefacere, vt collyria, digerẽtia efficaciora ſunt. In ſuffuſione & *ypopeia* fiunt ex relaxantibus & digerentibus, vt

℞. fœnic. loti ℥. ij. florum chamom. p. ß. ſeminis fœniculi ʒ. iij. fiat decoctio, ex qua fotus. Si fortiùs digerendum, decoctum paramus ex ruta, euphraſia, verbenaca, fœnic. in aqua & vino, vbi nulla eſt inflammatio. Si verò inflammatio adſit, ex decocto fœnug. loti frequenter in aqua.

Fotus fieri debent supra emunctoria, quando materia frigida, & tumor durus concoctioni resistit, quod & in omnibus aliarum partium tumoribus expertus sum vtile. Fotus enim calore suo continuo calfacit & maturat, aut digerit, trahítq; aliquid sanguinis ad illam partē, qui citiùs putrescit, vnáque cum eo materia dura & viscosa, efficítque, vt pars aperiatur, & hæc materia tanquam in ventre conglobata extrahitur. Fiant autem ex malacticis & relaxantibus, vt rad. liliorum, altheę, cucum. agrest. ficubus, seminibus lini, fœnug. altheæ, apij, petros. floribus cham. melil & sambuci. *Ad emūctoria.* *Relaxantia fomēta.*

℞. radic. bismal. ℥. 2. fol. bismal. calament. branchæ vrsin ana M. j. seminis lini & fœnugr ana ℥ ß. seminis mal. florum cham. & melil. ana p. 2. fiat decoctio in qr. 1. aquæ. Decoctum tepidum filtro excipiatur & parti affectæ admoueatur. Hoc vtimur aut simili post vniuersalem purgationem in partibus inflammatis, aut alio modo tensis, quæ vehementes dolores excitant, vt in pleuritide, & aliis id genus affectibus. Cute enim rarefacta medicamento exhalat quædam tenuis portio humoris inflammationem committentis. Quòd si materia, quę tensionem efficit, sit frigida, fiat decoctio, in qua permisceri potest radix liliorum; quæ inter medicamenta laxantia vim insignem obtinet discutiendi, vt

℞. radic. ireos & galang. crassæ an. ℥. ß. fol origan puleg. & calamenti ana M. j. seminis anisi & fœnic. ana ʒ. j ß flor. rosmar. sampsuci, & stechad. vtriusq; an. p. 1. fiat decoctio in æquis aquæ & vini partibus, deinde foueatur pars affecta calida. Illud impactos humores attenuat, & in habitum digerit.

Ad discutiendas ophthalmię reliquias, plurimùm conuenit quod sequitur. *Ad reliquias ophthalmię.*

℞. foliorum euphras. M. 1. paleæ auenę M. 2. fœnugr. in aqua fœnic. loti ʒ. 3. seminis anis. & fœnic. an. ʒ. 1. ß. florum stechad arabic. p ß. fiat pul ex quo parentur duo sacculi quadrati, qui infundantur in modico vini albi, & aquæ fœnic. de eo foueantur oculi.

Pro œdemate discutiens & exiccans parabitur hoc modo. *Pro œdemate.*

℞. calamenti, orig. betonic. flor. rorism. & ros. rub. an.

p. 1. foliorum lauri & saluiæ an M. ß. lupinorum ʒ. 2. calami odorati, scænanthi, spicæ nardi ana ʒ. 2. florum vtriusque stechad. foliorum rorism. & ros. rub. ana p. 1. fiat decoctio in aqua pluuiali, deinde adde aceti modicum: cum spongia fiat fotus.

Ad eundem scopum fiunt lixiuia parata ex cineribus ilicis, fagi, quercus, prunorum tantùm, quibus inest vis siccandi insignis, vt in eodem lixiuio ad augendam exiccationem, tum ad partes roborandas, alumen coquitur. Malactica aut fomenta sunt eiusmodi. Horum vsus frequentissimus est in membris luxatis, antequam loco priore restituantur, in tendonibus & neruis induratis, non minùs freques in scirrhis emolliendis, quibus præcipuè hæc malactica debentur. Hoc tamen diligenter à medico est obseruandum, cùm scirrhus partem aliquam occupat, aut aliam toti corpori deseruientem, nunquam sola emollientia vsurpet. Hæc enim vim partis principis resoluunt: ob id admiscenda aliqua, quæ robur illius seruent, vt ad lienis scirrhos, & tumores emolliendos permiscebit spicam nardi, schænantum, absynth. vt

Ad tendones & neruos.

℞. radic. bismal. ℥. 2. ireos ℥. ß. fol. bismal. mal. an. M. 1. absynth. M. ß. seminis lini & fœnug. ana ℥. ß. seminis tamarisci & stechad. arabic. ana p. 1. fiat decoctio in tribus aquæ partibus, vna vini albi, addendo aceti modicum, deinde foueatur lien. Aliud,

℞. panis porc. & radic. cucumeris agrest. ana ℥. 1. ß. bismal. cum radic. senecionis & mal. ana M. ß. seminis mal. fœnugræci lini ana ʒ. 3 florum chamom. p. ß. adde schænan. ʒ. 2. cortic. radic. tamarisci ℥. ß. fiat decoctio in quart. vt aquæ addendo circa finem, vini & aceti parum, fiat fotus.

Ad dolorẽ nephritic.

Ad dolorem nephriticum emolliens, laxans, & calculum frangens tale erit.

℞. radic. bismal. ℥. 2. ß. fol. pariet mal. bismal. petro. maced. ana M. 1. seminis milij solis ℥. ß. seminis lini & fœnugr. an. ʒ. 1. florum chamo. & melil. & summitatum anethi an. p. 1. fiat decoctio in tribus partibus aquæ vel vna vini albi, ex qua foueatur regio renum, & vterum dolentium. Aliud fortius.

℞. radic. saxifrag. & radic. rapha. ana ℥. 1. rad. liliorum

alborum & bismal. ana ℥. 1. fol. senecionis, parietar. violariæ & sysimbrij aquatici ana M. j. mal. branchę vrsinæ, & bismal. ana M. 1. ß. seminis saxifrag. & milij solis ana ʒ. ß. His enim ad frangendos calculos vis non mediocris inest.

Fomenta astringentia, & roborantia partes internas pro ventriculo roborando, & coctione iuuanda, vt

℞. fol. bismal. & mentæ, & absynth. siccorum ana M. 1. ß. cortic. citri sicci ℥. ß spicæ nardi & schænanthi an. ʒ. 2. rosf. rub. p. 2. decoquentur omnia in vino styptico, ex quibus ventriculi regio foueatur Fortius pro ventriculo & intestinis erit hoc. *Pro ventriculo.*

℞. florum menthæ, & absynthij, summitatum labruscæ, & foliorum sumach. ana M. ß. seminis plantag. & portulacæ ana ʒ. 2. balaustiorum & rosf. ana p. 2. cortic. mali granati ℥. 1 ß. fiat decoctio in vino styptico quo foueatur regio ventris inferioris.

Pro splene indurato, & tumido fiat hoc modo.

℞. florum chamom. stechad. melil. ana M. 1. florum genistę, anethi, scolopend. an. M. 1. ß. fiat decoctio in vino albo & aqua, fiat fotus. *Pro splene indurato.*

Insessiones.

E*Ncathisma* Græcis, Insessio Latinis, quæ nihil differt à fotu in materia, sed in forma cum balneo conuenit, vt sit quasi balneum ventris partium infernarum. Fiunt autem ex decoctione radi. herbarum, florum, seminum, quorum residentia sacco imponitur, cui resideat æger. Hac vtimur forma, præsertim in affectibus vesicæ, coli, vteri, ani, renum, ventris, ob ægri imbecillitatem, non balneo, quia maior fieret virium resolutio à toto corpore, quàm si partes quædam foueantur. At quia colicus est morbus, aut nephriticus, aut podagra, aut gonagra, hæ partes non sunt laxandæ, ne fluxionem suscipiant, sed potiùs firmandæ oleo astringente, aut alio medicamento: vt si propter insessum sanguis fundatur, fiunt insessiones ex decoctis superiùs factis pro clysteribus vel fotibus. De his itaque non multa. *Cautio.*

Emollientia fiunt encatasmata aliquando ad emolliendam aluum, aliquando ad menses euocandos, non *Emollientia aluum & menses euocãtia.*

nunquam ſupprimendos, ſi immodicè fluxerint. Emollientibus vtimur, cùm aluus nimiùm aſtricta eſt, aut etiam cùm hæmorrhoides prætumidæ dolorem in ano excitant, aut etiam cùm ob meatuum anguſtiam aut aſtrictionem, lotium liberè reddi nequit. Fit autem emolliens ex ſolo mal. decocto, vel altheæ, cuius vaporem perforatis ſubſelliis æger percipit, qui vim emolliendi habet, & aliqua ex parte dolorem leniendi, ſi quis ſit vel in tumidis hæmorrhoidibus, vel in recti inteſtini inflammationibus ad anum peruenientibus.

Menſes prouocantia alia, in quorum decoctione ad medium ventrem contineatur mulier, aut, ſi id fortè nolit, vaporem diligentiſsimè recipiat per infundibulum, deductis vndiq; pãnis multis inuoluta, ne in aerem ambientem vapor exhalet. Talia autem ex omnibus medicamentis menſes prouocãtibus in aqua & vino decoctis fiunt, qualia in balneis ſequentibus deſcribentur. Aſtringentia & roborantia, quibus vtimur in fluoribus alui immodicis, & menſium purgationibus immoderatis, vt

℞. radic. biſtortæ & conſolidæ maior. ana ℥. 2. nucum cupreſſ. pini, cort. mali granati ℥. 2. roſ. rub. balauſtiorum & granorum myrthi an. ℥. 1. ß decoquantur omnia in vino rub. ſtiptico.

Ad fluorẽ alui aſtringentia. ℞. fol. plantag. hippur. burſ. paſtor. & centinod. an. M. 2. ſummit. rubi, lentiſci & foliorum ſumach. ana M. 1. ß. aluminis rochæ ℥. 2. roſ. rub. balauſtiorum an ℥. 1. ß. decoquantur omnia ſimul in vino rubro, aut aqua chalybeata, deinde huic decocto inſideat æger.

BALNEA.

Balneum remedium eſt totius corporis, vel ad deterſionem, vel ad dolores, vel ad laſsitudines, vel ad vitia cutis, vel intemperiem totius corporis. Fiunt autem balnea quandoque ex ſola aqua, & illud balneum aquæ dulcis appellatur ad differentiam eorum, quæ ex aqua marina vel ſalſa, vel nitroſa, vel aluminoſa, vel ferrata vel bituminoſa fiunt natura, vel arte. Balneum aquæ dulcis ex aqua tenuis ſubſtantiæ, quæ citò penetret, paratur, vt ex aqua pluuiali, vel fluuiali non infecta alumine, aut creta. *De aquis.* Quædam enim flumina cretam habent: quam ob cauſſam lenta eſt & pinguis ea aqua, potiúſque obſtruit,

obstruit, quàm penetrat, aut laxat: talis est aqua ex Arari Lugduni. Aqua bonorum fontium tertium locum occupat, postremum puteana, vel palustris Balnea refrigerantia parantur ex herbarum decoctione vel florum, vt in hecticis febribus & calidiore natura, sed talia nihil obstructionis habere dicuntur: quia si constipant cutim, febrem diariam accendere solent, vt Albulæ aqua facit, cuius meminit Gal. in meth. Intemperiem castigaturus, primùm natet in balneo tepido, vt detergatur, & aperiantur pori, & mox aliud balneum ingrediatur, in cuius aqua sint decocti flores violarum, bugl. ana p. iiij. nenuph. p. ij. Magis probantur flores, quia tenuium sunt partium, nec ineptè fecerit, qui succos herbarum extraxerit, & balnei aquæ miscuerit, vt,

℞. succi solatri, cucurbitæ, melonum ana ℔ iiij misce. Si autem æger laboret hectica, post balneum vng. ol. rosa. & cutis, confirmetur, ne discutiatur habitus corporis. Conducibile itaque illis fuerit tertium balneum aquæ frigidæ ingredi, vel in eodem balneo rosas addere, folia salicis, folia myrthi, vel aquam ros. vel peculi ros. vel myrthi. Nunc autem ægri deteriùs habent propter medicorum vel assistentium imperitiam, qui satius esse putant ægros in aqua feruenti lauisse. *Pro hect. balnea.*

Ad dolores ventris, colli, vteri, renum: ex decoctione fomentorum vel encathismatum fiunt balnea. In his autem maior medicamentorum quantitas inesse debet, & tepida, vt sint, necesse est, & aperta, ne æger in his sudet, sed diutius in eis natet. Ad cutis affectus detergentia & siccantia præscribuntur, nisi cùm crustæ aut scammæ duræ sunt. Tunc enim balneum paratur ex malacticis, & leuiter detergentibus: deinde ex detergentibus & exiccantibus; tertiò ex siccantibus & leuiter astringentibus, quod ab huius ætatis medicis non obseruatur, sed simul omnia permiscent sine vtilitate ægros diuexantes. Tale igitur fiet in affectibus cutis crustosis, scamosis, siccis & squallidis, vt, *Ad dolores ventris.* *Ad affectus cutis balnea.*

℞. mal. cum radic. branchæ vrsinæ, viol ana M. iiij. mercur. pariet. betæ ana M. ij. seminis lini ℥. j. florum chamom. p. ij. fiat decoctio pro balneo, in quo bis natet, deinde vtatur sequenti.

℞. radic. brioniæ, lapati acuti, cucumer. agrest. ari. serpentar. ana ℔. 1. rad. asphod. vel gentianæ, vel squillæ ℔. ß. saponar. parietar. absynthij, scabios. fuma. borrag. ana M. 1. lupinorum, fabarum integrarum ana ℔. ß. florum centaur. minor. p. 3. ros. p. 2. fiat decoctio pro balneo: de qua decoctione adde plus vel minus, pro morbi natura, vel corporis habitu & viribus, & diutius vtatur. Cùm iam materiam magna ex parte sudoribus & insensili transpiratione vacuatam viderimus, commodè applicabuntur vnguenta illa detergentia & exiccantia, donec omnia sint detersa vel exiccata: quibus peractis ad detersionem cutis & corroborationem præscribemus hoc.

℞. folio. myrth. vel lentisci, vel plantaginis, tapsi barbati, pilosellæ, hippuris, & polygoni ana M. ij. hord. integri, fabarum integrarum ana ℔. j. myrtill. p. 3. fol. ros. p. 4. rad. irid. bistortæ, & pentaph. an. ℥ ij. fiat decoctio, in qua diss. salis communis ℔. 3. aluminis q. 1. misce, fiat balneum tepidum, & spongiis nouis detergatur diligenter. Ex lixiuio etiam fieri possunt, modò non sit nimis acre.

Pro hecticis. In febribus hecticis conueniunt balnea ex aqua tepida humectantia, quæ vt magis humectent, addimus ℔. 1. olei violati, aut butyrum recens in prædicta aqua dissoluimus, quod humiditatem aëream in partibus externis infundit. Aliquando radices & plantas, vt,

℞. radic. bismal. ℔. 2. vel mal. branchæ vrsinæ, bugloss. cum radic. ana M. iiij. flor. viol. buglos. borrag. ana p. 4. ros. rub. p. 2. Humectantibus balneis admisceantur decocta pedum veruecis, & intestinorum, quamuis illa ad remolliendum potiùs vsurpantur. Relaxantium balneorum vsus est maximus in doloribus magnis sedandis, *Pro nephritico.* iisque medicamentis parantur, quibus fomenta relaxantia, & quemadmodum in illis aliquando permiscentur, quæ calculum frangunt, sic etiam in balneis frequenter vsurpantur, quæ sedant dolorem nephriticum, aut in totum supprimunt, cuiusmodi est sequens.

℞. radic. liliorum albotum & bismal. ana M. 4. foliorum parietariæ, saxifragiæ petros. fœniculi marini, fœnugr. ana M. 2. seminis lini vel fœnugr. ℔. ß. milij solis

℥. 2.

℥.2. foliorum sysimbrij, violar. borraginis, bugloss. ana p.4. quibus addere potes radic. raphan. ℥.1. foliorum senecionis M.2. florum chamom. sambuci ana p.2. ß. decoquantur omnia in sufficienti aquæ quantitate, deinde permisceantur vini albi ℔. 4. olei liliorum & butyr. ana ℔.3. paretur balneum, in quo sedat æger, tantisper dum vehementibus doloribus torquetur. Huic autem balneo vis inest sedandi doloris, calculos comminuendi, & obstructos meatus reserandi, quo vti post alias vacuationes est saluberrimum, & eo ipso tempore, quo æger in balneo residet, potiones calculum frangentes exhiberi possunt. Pro maioribus autem cutis affectibus parabitur sic.

℞. radi. lapati acuti ℔.2. radic. enulæ campan. ℔. ß. fumar. lupinorum, borrag. bugloss. parietar. betæ, saponar. ana M. 4. quatuor seminum frigidor. maiorum ana ℨ. foliorum acetos. lapati acuti, lentiginis aquaticæ ana M.2. misce simul, & pro balneo decoquātur, in quo potes addere farinæ fabarum ℔. 2. sedeat in hoc balneo æger, vel, *Pro affectibus cutis maioribus balnea.*

℞. radic. brioniæ & cucumeris ana ℔. ß. rad. asphod. ℥. 3. lapati acuti, & enulæ campanæ ana ℔. ß. foliorum mercur. betæ cum radic. saponar. pariet. lupinorum, fumar. ana M.3. seminis raphani ℥. j. quatuor seminum frigidorum maiorum ana ℥. 1. ß. lumbricorum per media dissectorum numer. 4. foliorum senæ mundatorum ℥.3. elenij ℥ j. trium florum cordial. p. 3. reponantur omnia pro balneo, in quo dissolue farinæ lupinorum & ciceris rub. ana ℔. ß. fiat balneum, vt dictum est.

Quod si in cute prædura, prætumida apparuerint exanthemata præcedentibus permiscendæ sunt radic. emollientes cum seminibus & aliis eiusdem naturæ, quæ frequenter in elephanticis vsurpare consueuimus, vt, *Pro exanthemat.*

℞. radic. brion. & cucumer. agrestis ana ℥.3. radic. altheæ, liliorum alborum, lapati acuti ana ℔.3, radic. serpentariæ, hastulæ regiæ ana ℥. 2. florum mal. bismal. & branchæ vrsinæ ana M. 4. lupinorum, fumar. lapati acuti, saponar. acetos. & vtriusque cichor. ana fasciculum vnum, seminis lini & fœnug. ana ℔. j. seminis raphani ana ℥. j. quatuor seminum frigid. maiorum ana

℥.ij. florum chamom. & melilo ana p. ij. florum borrag. bugloss. nympheæ, hord. integri & cicerum rub. ana pa. ij. misce simul, & decoquantur in sufficienti aquæ quantitate pro balneo: quo præsidio vtimur ad discutiendam scabiem crustosam & contumacem & emollienda tubercula elephanticorum, quibus tota cutis scatet. Post hoc balneum, vtendum erit tertio balneo superiùs descripto in cutis affectibus.

Balnea pro mulieribus primum ad mouendos menses, vt,

Ad mouēdos mēses balnea. ℞. radicis ireos ℔. ß. galangæ crass. & radic. rubiæ maioris ana ℥. ij. radicis altheæ & ciclaminis ana ℥. iij. foliorum arthemis. nepetæ, matricar. origan. mercur. ana M. iiij. puleg. psillij, sampsuci & foliorum lauri ana M. ij. seminis petro. seseleos, ameos & cinamomi ana ʒ. j. ß. seminis lini & fœnugr. ana ℥. iij. florum sampsuci, anthos, stechados arab. cicerum rub. & summitatum sabinæ ana p. iiij. decoquantur omnia in duabus partibus aquæ & vna vini albi, deinde sedeat in balneo frequenter admouendo, ventri inferiori plantas in prædicto balneo decoctas.

Ad iuuandum conceptum.

SÆpenumero consimilia parantur balnea, quibus tamen nõnulla miscentur astrictoria facultate vterum corroborantia, atque inducentia asperitatem, quò conceptum faciliùs & tenaciùs retineat vterus, vt in humida intemperie vteri, post statam mẽsium purgationem, vtile erit sequens balneum.

℞. radic. valerianæ ℔. j. ß. radic. cyperi, galangæ crassæ & enulæ campanæ ana ℥. ij. foliorum lentisci, arthemis. calamenti, origani, lauẽdulæ, sampsuci, & foliorum lauri ana M. iiij. summitat. lentisc. myrthi & cupressi ana M. ij. seminis ameos, lentisci, & fœniculi ana ℥. j. ß. cortic. malorum granatorum ana ʒ. ij. aluminis ʒ. ij. ros. rub. stechad. arab. florum sampsuci ana p. iij. concoquantur omnia in sufficienti aquæ quantitate, addendo cum ea vini rubri stiptici modicum, vtatur balneo.

Ad colicũ dolorem, nephriticúmque. Balnea anodyna in nephritico dolore & colico, aliisque ventrem inferiorem obsidentibus parantur, pro nephritico dolore antea dicto. Si verò dolor colicus fiat

à pituita

à pituita vitrea in intestinis impacta, aut flatibus crassis exitu carentibus fuerit exiccatus, non negligenda relaxantia, sed illis misceri debent, quæ vehementi caliditate pituitam frigidam colliquant, & flatus discutiunt, eáque decoquenda partim in aqua, partim in vino, vt ad colicum dolorem.

℞. radic. altheæ ℔. ij. quatuor remollientium ana fasciculum vnum, origani, calamenti, puleg. rutæ ana M. 3. anis. fœnic. petros. ana ℔. ß. florum anth. sampsuci, stechados arabic. & meliloti ana p. 3. cortic. citri sicci per frusta dissecti ℥. 2. lauendulæ, & fol. lauri ana M. 3. decoquantur omnia in duabus partibus aquæ, & vna vini. Quòd si vini maluatici copia suppetit, illius modicum permisceri poterit.

Balneum abstergens, & purgans, rarefaciens, digerens refrigerantibus temperatur pro leprosis: vt,

℞. brionię, cucum. asini, serpentar. enulę camp. an. ℔. ß. lapati acuti, acetos. borrag. buglos. saponar. cum propriis radic. fumar. lupinor. endiu. cichor. plantag. an. fasciculos 3. lupinor. cortic. fab. hordei integri ana p. 2. ros. rub. florum nenuphar. trium florum cordial. & tamar an. fasciculos 4. flor. chamom. & melil. an. fascicul. 2. fiat decoctio in aqua fontana & pluuia pro balneo, quod ingrediatur manè ventriculo vacuo. Bis aut ter in secunda vice sumat tabellam vnam diamargariti frigidi, superbibendo ℥. 2. aquæ borrag. Item à prandio ingrediatur lõgè à cibo, continuis tribus diebus peragat idipsum. Tandiu verò moretur in balneo, vt vires non dissoluantur, nec multùm diffluant, sudores illis probè extersis, deinde, vt dictum est, ingrediatur.

Lotiones.

PArtium quarundam fiunt ablutiones, quæ balnei vicem gerunt, videntúrq; balnea particularia. Abluuntur caput, axillę, manus, pedes. Caput ad sordes auferendas lixiuio, vel cineribus sarmentorum. In capitis vlceribus lixiuiis desiccantibus vtimur, vt abrotani, betonicæ. In pediculari morbo amaris, vt lupinis, nitro, & fellibus, & ad vermes occidendos, & furfures detergendos, & pilos tingendos. In furfuribus, detergentibus, *Ad sordes.* *Ad vlcera cap.* *Ad vermes occid.*

vt melle, succis herbarum amararum, aut herbis ipsis decoctis, vt cicla parietaria, saponaria. Capillis tingendis palea auenæ vtimur, cortice, & ligno berberis, floribus genistæ, & hyperici. Lixiuium commune fit ex ciner. sarmentorum, quod fortius fit, si stillatiuum sit, id est, si per cineres frequenter coletur, vt faciunt, qui saporem parant: sed adhuc fortius erit ex cineribus caulium, ficus, roboris, vel quercus.

Ad tingẽdos capill.

Ad alopeciam. Ad alopeciam fit ex alcionio potẽtissimum lixiuium, quod siccat & digerit potenter, & morbum curat. Ad detersionem & digestionem commodissimè parantur, ex caulibus fabarum in vlceribus, quo etiam vtendum est ad occidẽdos pediculos, addito semine staphisag. absynt. aut alia herba amara, vt persicaria.

Ad axillas lotio. Axillæ abluuntur lixiuio parato ex astringentibus, vt oleastro, lentisco, additis quibusdam odoratis constringentibus, vt ros.

Ad manus lotio. Manus abluuntur & pedes, quorum abluendorum rationem iam subiiciemus cùm ad munditiem, tum ad sanitatem pedes lauantur. Iam verò absque vllo delectu vsurpant omnes decoctiones herbarum calidarum & frigidarum simul permistarum Cæterùm si tantùm detergendum, fit lixiuiũ quod deterget, firmat & siccat pedes.

Ad claritatem visus lotio. Ad visus claritatem adduntur siccantia in lixiuio, vt folia lauri, sampsuci, & quędam myrthi. Interdum frigida quædã, vt nymphea, lactuca, & alia temperata, vt quæ etiam somnum conciliare possunt, vt herba papaueris.

Ad constringendum multùm salis aut aluminis additur. Siccat hoc lauacrum pedes, & per consensum cerebrum & oculos.

Ad mundandos pedes, & tremorem arcendum.

LAuantur aqua & vrina manè: tum etiam ad curandum seu arcendum tremorem manuum, quod experientia probatur, etiamsi tremor à plumbo & argento viuo proueniat.

Ablutiones oris & dentium fiunt ob diuersas caussas, de quibus inter remedia interna satis supérque diximus. In febribus ardentibus dum ægri non possunt dormire, pedes abluimus aqua in qua frigida & humida sunt decocta: vt,

℞. fol.

℞. fol. mal. recentis, fol. lactucæ, cucumer. cucurb. viol. M. 1. folior. nenuphar. & viol. ana p. 1. fiat decoctio, qua abluantur pedes, cùm ibit dormitum, nec detergantur, aut panno humido inuoluantur. *Ad somniũ ciendum in feb. lotio.*

Ad eundem morbum profuerit, pudibunda & aures abluisse, quia hæ partes neruosæ refrigeratæ, & humectatæ cerebro communicant. Nam vt calx cùm humectatur, fumat, sic membra hæc ardore febrium siccata, & calfacta effumant benignum & mitem vaporem, quo conciliatur somnus.

Embroche.

IRrigantur partes cùm oleum vel decoctum aliquod ex alto fũditur instar pluuiæ; Græci, *embrochin apo tou brechein*, quod irrigare significat. Non differunt rigationes à fomento humido, nisi quòd decoctum ipsum irrigatur supra partem ex alto. In fomentatione verò spongia vel pannis densis in decoctione madefactis vtimur. Huius formæ remediorum causam adfert Galen. lib. 13. meth. ca. 22 quo loco docet, quomodo faciẽda sit irrigatio, & supra quas partes tantùm, & cur penetret propter ictorum, cuius tamen ratio leuis admodum est.

Nam ex ictu resilit quemadmodũ pluuia supra saxum cadens. Neque enim potest propter meatus angustiam recta ingredi, sed necesse est vt per inspersionem pars tenuior aerem sequatur, vt ipsemet libr. simplic. docet. Caussam autem huius rei puto esse, quòd cùm ex alto irrigatur, guttæ quædã descendunt, quæ diutius capiti immorantes, faciliùs intro penetrent. Præterea pars euentatur, nec ita incalescit, vt in fotu. Illę etiam irrigationes magis in affectibus calidis sunt ex vsu, quàm in frigidis.

Sunt qui ad fracturas, & ad articulorum dolores faciant irrigationes, quod improbo si dolor adsit. Nam nõ vt in capite alia pars ictum recipit, imò in inflammatione, aliisque affectibus idem euenit.

Dolet etiam cutis sola distentione & intemperatura, nec leuissimum contactum ferre potest.

In nephritide fiunt ex oleo ros. viol. & nenuphar. vel cum decoctione repellente in principio, deinde repellente, & digerente: vt, *In nephri. irrigatio.*

℞. lactucæ, viol. plantag. solatri, semperuiui, vel por-

tulæ ana M. j. florum violarum, nenuphar. rosf. ana p. j. foliorum myrthi M. ß. fiat decoctio quæ per clepsydram paruam in caput instilletur. Huic decoctioni additur florum chamo. melil. anthos ana p. 1. in incremento, in declinatione verò betonica, spondilum, origanum, & calamentum.

Ad conciliandum somnum. Ad conciliandum somnum primæ decoctioni addimus semina lactu. papaue. albi, vel aliquid cortic. mandrag. in summa necessitate. Ad morbos frigid. fiunt irrigationes ex lixiuiis & muria, & mineralib. resiccantibus, vt alumine, chalcitide, vel herb. Sed quia omnes herbæ multo calore sunt præditæ, magis calfaciunt quàm siccant, plúsque fundendo humores mouent, quàm absumunt. Itaque duco conducibilius si lixiuia fiant ex cineribus priùs lotis, vel extinctis irrigatione aquæ aut vini, aut aceti cùm adhuc calent, & lixiuium ex alto inspergere supra commissuram coronalem. Cùm ob fluxũ sanguin. vel ob os fractum non est tutum soluere ligaturam partis vulneratæ, dolentis partem irrigamus ex alto. (Nã ictus frangitur à fascia) ol. rosf. cùm volumus inflammationem prohibere, violaceo, cùm dolorem sedare.

Ad lithargum. ℞. fol. hyssop. origani, calamen. puleg. an. M. ß. semin. anis. fœnugræ & coriand. cum aceto præparati ana ʒ. 2. florum stechad. arab. & rosmari. ana p. 1. fiat decoctio ad ℔. 1. in qua irrigetur caput. Vel sic,

℞. radic. acori, cyperi, & irid. ana ℥. 2 fol betonicæ, sampsuci, saluiæ, origani, calamenti ana M ß. corti. citri sicci ʒ. 3. seminis anis. ℥. 1. ß. coriand. præparati, granorum tinctorum ana ʒ. 1. ß. florum vtriusque stecad. ana p. 1. fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ, deinde irrigetur caput, addendo si sit contumax morbus & à materia frigida, aquæ vitæ ℥. ß.

Suffitus.

SVffitus fiunt vel ad voluptatem, vel ad sanitatem. Ad voluptatem ex bene odoratis, vt beniouino, styrace, ladano, ambra & mosco. Ad sanitatem quædam ex odoratis, quædam ex fœtidis, alia ex odoratis & fœtidis simul permixtis. Odorata fiunt forma spherica maiore, quæ poma odorifera dicuntur. Quædam minore spherarum precariarum instar, quas mulieres carpo circumuoluunt,

uoluunt, vel collo suspendunt. Fiunt ex ambra, mosco, ciueta, & carbone salicis ad molem augendam aut nigredinem iniiciendam.

Fiunt etiam veluti balani, vel auiculæ, quæ vulgò cypræ vocantur, aut forma trochiscorum, vt trochisci de alipta moscata, qui in morbis curandis successerunt cyphis veterum.

Excipiuntur hæc mucilagine gummi tragac. vel arabici in aqua ros. macerata.

Ad morbos curandos fiunt fumigia duplici forma, pulueris, scilicet aut trochiscorum. Pulueres minùs conueniunt, quia citiùs absumuntur, neque adeò commodè admiscentur ea, è quibus parantur, vt fumigium illud, quod in officinis paratum inuenitur.

Ad catarrhos sistendos & siccandos sic paramus. *Ad catarrhos sistendos.*

℞. coriand. ros. gummi hederæ torrefactæ an. ℥. 1. nigellæ torrefactæ in aceto ℥ 1. ß. mastich. thur. corti. thur. ana ʒ. 3. gummi iuniperi ℥. 2. fiat pul. non admodum tenuis, quo supra carbones imposito suffumigentur capitis operimenta. Potest etiam excipi mucilagine gummi tragac. & fiant formulæ lupinares.

Fiunt alia ad vlcera pulmonum exiccanda, quæ ex defluxione fiunt, ex resiccantibus, astringentibus, & refrigerantibus, & his, quæ fuliginem faciunt. Nam fuligo vlcera consolidat. Talia sunt pix, resina, terebinth. mastix, gummi iuniperi, thus, & cortex eiusdem, sandala, auripigm. blatta bizantia, rosæ & capita papaueris, vt *Ad Vlcera pulmo.*

℞. gummi hederæ torrefacti, coriandri, ros. rub. sandall. mastich. myrrhæ, thur. & cortic. eiusdem ana ʒ. 3. beniouini, styracis, ladani puri, & hypocist. an. ʒ. 2. auripigm. rub. ʒ. 1. excipiant terebinthina, & fiant formulæ lupinares, quibus fumigentur operimenta capitis. Efficax est ad vlcera aurium, narium, pulmonum & vteri.

Quòd si peruenerit vlcus post sputum sanguinis, & sit cum inflammatione admiscentur frigidis ea, quæ minùs calfaciunt, excipiunturque mucilagine, vel cera alba, vt plus fumi reddant, aut cum carbone, vt *Ad Vlcus pulm. cum inflãmatione.*

℞. coriand. præparati & ros. rub. ana ℥. 1. ladani puri & hypocist. ana ʒ. 3. sandal. rub. & albi, blattæ bizantiæ, capit. papauer. & cortic. mandrag. an. ʒ. 2. styracis, benio.

uini ana ʒ.j. auripigmenti rub. ana ʒ.ß cum mucilagine gummi tragac. & arab. infusorum in aqua rof. q.f. Addito salicis carbone, fiant formulæ, vtatur vt priùs.

Ad tußim inueteratam. Ad tussim inueteratam valet fumigium, quod paratur ex bechicis, vngula caballina, & aliis exiccãtibus: vt,

℞. radic. & foliorum vngulæ caballinæ ℥.1. foliorum marrubij ℥.ß. styrac. myrrhæ, bdellij ana ʒ.3. capit. papaueris, & seminis hyoscyami ana ʒ.1. excipiantur terebinthina pice, & butyro simul liquatis: fiant formulæ, quibus fumigentur opercula capitis. Excipiatur etiam fumus per nares & os.

Ad suffocationem vteri. Suffitus ad vteri suffocationem fiunt ex fœtidis, vt galbano, assa fœtida, blatta, castoreo, aut fragmentis plumarum, vel etiam ex simplicibus separatim, vt si castoreum tantùm, vel assa fœtida calfacta naribus apponantur.

Ad menses mouẽdos. Ad muliebria ducenda fiunt ex odoratis & aperientibus, quæ inutilia mihi videntur, nisi cùm ex congelatione humorum, vel nimia partium refrigeratione partes constrictæ sint: vt,

℞. myrrhæ, styrac. bdellij ana ℥.ß. irid. asari, cumini ana ʒ.3. opopan. ʒ.2. foliorum puleg. vtriusque siccorum ana ʒ.1. excipiantur terebinthina & butyro, fiat fumigium quo fumigentur per embotum tempore quo erupturi sunt menses. Calfacit, relaxat, neque nimium resiccat, quod fugiendum est. Nam quæ siccant, materiam absumunt, & partes siccando retinent.

Ad castigationem vteri. Ad vteri castigationem & exiccationem paratur talis, quo post mensium purgationem vtetur: vt,

℞. aliptæ mosc. vel gallæ mosc. ℥.ß. beniouini, calami arom. ana ʒ.2. cum mucilag. gummi tragac. fiant formulæ, recipiant fumum per infundibulum: vel sic,

Ad conceptum. Ad calfactionem resiccationémque, & ad conceptus præparationem.

℞. ladani, mastichis, gallæ moscatæ, caryophil. macis, calamenti, galangæ ana ʒ.3 cyperi, rof. ana ℥.1.ß. hypocist. & castorei ana ʒ.2. cum mucilag. gummi tragac. fiant formulæ, quibus vtatur, vt prioribus, post mensium purgationem ante concubitum.

Ad procidentiam vteri ex fœtidis & astringentibus, vt repositus suo loco maneat: vt,

℞. bitu-

℞. bituminis & lapidis gagatis an. ℥. 2. vineæ ℥. 2. castor. cyperi, radic. bistortæ, copularum, glandium & balaustiorum ana ʒ. 3. excipiantur cera, fiant formulæ, quibus suffumigentur per embotum. Fiunt suffumigia particularia ad dolorem iuncturarum, quibus suffitur lana, aut bombax, deinde parti apponitur ex digerentibus & resiccantibus, vt *Ad procidentiam vteri.*

℞. foliorum absynth. anthos, stechados, chamomillæ ana ℥. 2. myrrhæ, styrac. beniouini ana ʒ. 3. excipiantur terebinthina, fiant formulæ, ex pyitithe lapide suffumigetur durities neruorum, vel aliis misceantur hoc modo. *Ad dolorẽ iuncturarum.*

℞. marchasitæ ℥. 2. propoleos ℥. 3 bdellij, myrrhæ, styrac. iridis ana ℥. ß. cum terebinthina fiant formulæ.

Ad prouocandum sudorem in morbo Italico, & eum curandum fiunt suffitus, quibus interdum totum corpus suffumigamus, aliquando partem aliquam tantùm, in qua post totius corporis curationem morbi remanent quædam reliquiæ, vt cùm vlcus in mentula, pede, vel aure, vel alia parte externa remansit. *Ad prouocãdum sudorem.*

Fiunt autem potissimùm ex cinabrio, in quo argenti viui plurimum inest. Adduntur quædam odorata, quæ etsi non iuuant, castigant tamen fœtorem medicamenti. Alia iuuant vt styrax, beniouin, vt

℞. cinabaris ℥. 2. styrac. beniouini ana ℥. 1. myrrhæ, corticis pini ana ℥. ß. cum terebinthina formentur formulæ, fumigentur loco calido, & in principio habeant caput extra eminens, ne lędatur vox, aut suffocetur, quod multis ob incuriam accidit.

Si crus, aut brachium, aut alia pars laboret in morbo Italico, post vniuersalem curationem fumigetur pars illa recipiendo fumum per infundibulum.

Finis libri posterioris, De formul. remediorum externorum.



PHARMACOPOLARVM OFFICINA, EODEM RONDELETIO authore.



CVM ægrotantium caussa, Lutetiæ, Antuerpiæ, Lugduni, Romæ, Monspessuli, Tholosæ, aliisque multis locis versarer, multa superflua & inutilia, multa autem necessaria & vtilia, ad bene ægros curandos desiderari cognoui, & vnumquemque Pharmacopolam pro arbitrio medicamenta parare, nullámque certam medicamentorum cõponendorum, medicorum sequi regulam: quosdam imperitos rei medicæ, aut barbaros Arabes imitantes. Has ob caussas toti Reipub. vtile fore putaui, si officinam methodicam parare breuissimè iudicarem, in qua neque vascula aurea, neque pyxides pictę viderentur, sed ex qua remedia, ex non adulteratis, sed optimis quibusdam rebus composita, paruo ære comparare quisque posset, plus in recessu habitura, quàm in fronte promittat, quod longè aliter hoc tempore in officinis solet fieri. Nam qui officinam Pharmacopolæ parant, in hoc tantùm incumbunt, vt vascula aurea, & picta sibi habeant, quæ plus ad ostentationem faciunt, quàm ad necessitatem, vt vulgus illas officinas admiretur. Quòd si illam superfluam & inutilem impensam in componendis optimis medicamentis insumerent, & sibi, & ægrotis longè meliùs consultum esset. Sed ea est ferè omnium communis insania, vt malint videri quàm esse. Huius insaniæ fautores sunt magistratus, qui in hos impostores deberent animaduertere. Item artium Professores, quibus à principibus demandata est prouincia, vt eorũ officinas inuisant & inspiciant, si bene instructæ sint rebus omnibus. & si, quæ parantur auxilia ad morbos propulsandos, talia sunt, qualia esse debent. Qui autem

tem hanc commissam prouinciam, vel ob quæstum, vel ob amorem contemnunt, grauiter peccant in Remp. digni sanè, qui summam cum ignominia à bonorum consuetudine appellantur, qui vt suo officio fungantur, tantùm abest, vt pharmacopolæ refragentur, vt sępè ad id sollicitent ac inuitent. Nam, vt qui malè agunt, lucē fugitant: sic, qui bene hanc lucem amplectuntur, sibi & ornamento, & vtilitati futuram intelligunt. Confidentiùs enim illis ægroti sese committent, & liberaliùs medicamenta persoluent, cùm nos diligentiæ eorum & fidelitatis testes habebunt. Hoc potissimùm Pharmacopolæ curandum, diligentérque obseruandum est.

Instructurus officinam, ante omnia curet, vt simplicia optima, & selectissima sibi vndiquaque comparet: comparata singula diligenter à putredine conseruet: Ita ordine disponat, vt omnia ad manum sint, & ex his cōposita medicamenta certis temporibus paret, & parata seruet. Sed quæ illa sint, & quomodo conseruanda, aut in ordinem digerenda, paucis docebimus.

A quibus petantur medicamenta.

MEdicamenta petuntur ab aëre, aqua, terra, lapidibus, plantis, animalibus. Quæ ab aëre, vt manna, quod mel aëreum dicitur à Galeno, quòd in aëre & corporibus colligatur.

Ab aqua petuntur medicamenta: dulci, vt pluuiali, fontana, fluuiali, ex qua herbæ nascuntur, vt Lentigo aquatica, Acorus vulgaris, Nymphea, Stratiotes aquatica, Hippuris fœmina, Lauer, Sysimbrium.

Ab animalibus aquatilibus, vt crocodilus, Piscis, Testudo palustris, Ranæ, Cancri fluuiatiles, Ostrachi fluuiatiles, Anguillæ & multi alij pisces. Ex aqua salsa, vt Alcyonium, Sal, Flos salis, Spongiæ, Corallus vterque.

Ab aqua mixta ex dulci & salsa, vt Adarce, reperitúrq; in illis locis, vbi dulcis aqua miscetur cum mari, vt in ostiis Nili, Anguillæ, Asphaltum & in mari mortuo etiam reperitur, & in quàmplurimis aliis locis, vt in eo fonte, qui vulgò fons (*de la Pege*) dicitur (*à Beauregard.*) Ab excrementis à terra, Herbæ, Arbores, Animalia, Metallica, Lapides, terræ variæ species. Ex herbis, vt Radices, Caules, Folia, flores, fructus, semina.

Ex animalibus integris parantur medicamenta, vt cicadis, vermibus, asellis, cantharidibus, cancris, scyllis, locustis, vulpecula, galerita, trogloditibus, hirundinibus, cuculis, pipionibus, ranis, rubetis, torpedine, talpis, lepore marino, & terrestri, & aliis multis similibus. Ex partibus animalium & primùm à capite toto, vt smardis, lacertæ, leporis, muris.

A partibus capitis, vt cerebro leporum, passeris, cranio hominis & dentibus apri, equi anisi, lamiæ Elephantis, lupi, vnicornis. A partibus animalium, vt corde porci, pulmone vulpis, hepate lupi, vulpis, capræ, hirci, canis rabidi, anseris, echini terrestris, erinacei, ranæ, hienæ, equi syluestris, pulli onagri, asini, rubetæ ventriculo toto vel interna pellicula ventriculi anseris, & gallinæ, intestinis lupi, gallinæ, anseris, leporis: renibus vulpis, castoris, lutræ, gallorum, stinchorum: testiculis gallorum, castoris, lutræ, vulpis: vesica castoris, apri, exiccata cum vrina in furno: cornibus & ossibus cerui, tauri, vituli, hominis, leporis, elephantis hirci: cute serpentis, viperæ, vrsi, vituli marini, erinacei terrestris & marini, ouis, leonis, ictiocolæ. Ab humoribus, sanguine hominis, porci, columbarum, leporum, anatum, anserum, hirci, vespertilionum, tunnorum, testudinum terrestrium, marinarum, & palustrium. A bile, vt piscium, vranoscopi, pastinacę, buglossi: auium, vt aquilæ, milui, perdicis, gallinæ: quadrupedum, vt tauri, vaccæ, vulpis, hirci, lupi. Insectorum, vt serpentis, lacerti. A lacte animalium, vt mulieris, chameli, caniculæ, vaccæ, capræ, asinæ, ouis. A coagulo hœdi, leporis, vituli marini.

Ab ouis gallinarum, phasianorum, formicarum.

Ab excrementis particularium animalium, vniones, quæ sunt in ostreis, moschus, cineta, œsipus, pili equorũ, vrsæ, hominis, talpæ, leporis, canis: vngula asini syluestris, equi, lychenæ equorum: cutis viperarum, serpentis, vrsi, vituli marini, erinacei terrestris, & marini, leonis.

Ex balneis, & athletis, vrina pueri, apri. mulæ: stercore, gallinarum, hirundinum, columbarum, lupi, canis ossa rodentis, hominum, capræ, vaccæ, muris, lacerti, porci, asini.

Ab adnatis, adipe hominis, porci, gallinæ, anseris o-

uis,

nis,anatis,vrsæ,taxi,leonis,asini, equi,tauri, capræ, hirci, serpentis, viperarum, vmbræ piscis, vituli marini, anguillæ: cornibus, cerui, vnicornis, asini indici, capiæ.

Ab arboribus, vt radicibus, foliis, caulibus, corticibus, lignis, floribus, fructibus, seminibus, succis, lachrymis, nucamentis.

Radicum aliæ sunt aperientes, calfacientes, mollientes, extenuantes, digerentes, relaxantes, purgātes, astringentes, temperatæ.

Aperientes, vt graminis, asparagi, rusci, fœniculi, apij, olusatri, smyrnij, petroselini, spicæ nardi, asari, rubiæ maioris, quinque folij, cyperi, capparis, fu, filicis.

Extenuantes digerentes, vt ari, serpentariæ, zinziberis, costi, enulæ campanæ, galangæ crassæ & tenuis, calami aromatici, gentianæ, & cucumeris agrestis, sambuci cæparum, squillę, peoniæ, tapsię, mei, prancrasij, xiphi, iridis, piretri, ebuli, allij, porri, raphani.

Purgantes radices, centaurij maioris, rhabarbari, brioniæ, lapati acuti, hipolapathi, vtriusque veratri, omnium tithymalorum, alipi, polypodij, turbith, rhapontici.

Temperatæ & cordiales, vt satirionis, cynosorchis, borraginis, doronici romani, eringij, pastinacæ domesticæ, ben album, & nigrum, quorum loco supponuntur radices borraginis, & buglossi.

Radices malacticæ, vt liliorum omnium, omnium maluę specierum, acanthi, geranij maioris, tapsi barbati.

Radices constringentes, tapsi barbati, tormentilæ, bistortæ.

Folia & caules, calfacientia cum astrictione, vt absynthij omnes species, mentę balsamitę, saluię.

Calfacientia sine magna astrictione, vt chamedrios, chamepithios, scordij, marrubij, hyssopi, betonicæ, melissę, anthos, scabiosę, pulegij, regalis & ceruini, calamenthæ omnes species. Thlaspi, iberis, rutę, stechados, lauandulæ, nasturtij, erucę, erisimi, bechij, anagallidis, anethi, porri capitati, lauri, maioranę, parthenij, artemisię, abrotoni, sabinę, ormini, fœniculi.

Media & minùs calfacientia, vt buglossi, borrag. agrimoniæ, capillorum ven. Adriani vulgaris, callitrici, omnium maluarum.

Refrigerantia, lactucæ domesticæ & agrestis, portulacæ, cucurbitæ, solani, plantaginis, semperuiui, vmbilici veneris, hepaticæ, lenticulę aquæ, polemoniæ, telephij, polygonati.

Minùs refrigerantia, cichorij intybi, sonchi leuis, rostri porcini asperi, endiuiæ agrestis.

Laxantia, tithymalorum, thymeleæ, brassicæ, si leuiter coquantur, chameleæ, mercurialis vtriusq; , brassicæ marinæ, scammonij, lapathi acuti, betæ, spinacij, lubricãdo.

Qua methodo debeat sibi simplicium promptuaria parare pharmacopola.

HErbas in officinis habere debet, quæ vel calfaciunt, vel refrigerant, vel exiccant, & seruari possunt integris viribus. Quæ autem humidæ sunt, in hortis sunt conseruandæ: aut obseruandum, quibus in locis inueniri possint, cùm earum vsus erit necessarius. Quare diligenter montes, prata, littora, aliáq; loca considerare debet, & quæ herbæ in sua regione fœliciter proueniant, & quibus careat, vt aliunde aduehi curet, vel si aliquas non habeat, quæ in locum substitui possunt. Nam qui vnam ex tribus speciebus calamenti habet, vel montanum vel pulegium regale, vel nepetam (vulgò herba cati) potest aliqua istarum carere. Quare quæ similes vires habent, noscat oportet, de quibus suo loco.

Herbæ in hortis conseruari possunt, betonica, calamentum, pulegium vtrunque, origanum, sampsucus, parthenium, stechas, mentha, satureia, hyssop. saluia, thymus, chamepithis, chamedris, spodium, pollium, centaurium minus, absynthium, eupatorium Mesuæ. Herbæ in hortis conseruari debent, vt apium, olusatrum, smyrnium, & similia, violaria, lactuca, intybus domestica, nymphea, semper viuum vtrunque, telephium, portulaca, capillares omnes, cichorium, fumaria, buglossa agrestis, plantago, malua, solanum. Semina & fructus reponuntur in vsus multos: ob id illa habere oportet, quæ sunt in frequenti vsu. Hæc in vase fictili conseruari debent, ne propter caliditatem rancescant, & sic ordine disspor.

disponere oportet. Semina frigida maiora sunt primi ordinis,cucurbitæ,melonum,cucumeris,citruli.

Secundus ordo, semina bombacis, maluarum, violarum,bismaluæ,semen psilij. Tertius ordo, semina frigida minora, lactucæ, endiuiæ,scariolæ,plantaginis, rosarum,cydoniorum. Quartus ordo semen alkekangi,papaueris albi & nigri,hyoscyami alb,imandragoræ, cicutæ. Quæ ponuntur in eadem arcula,possunt substitui eo ordine quo disponuntur. Quintus ordo, quatuor semina calida maiora, anisi, fœniculi, cumini, lauri. Sextus ordo,quatuor semina calida minora,apij,petroselini,ameos,pastinacę domesticę & syluestris. Septimus ordo, seseli,Massiliensis,Peloponensis,Æthiopici,anethi,rutę domesticæ & montanæ, tapsiæ vrticæ, lauandulæ, spicæ, staphisagriæ,sinapi,carthami, ricini,porri, cæpe, bulbi, seminum contrà caulium,napi.

Enumeratis his, quæ pharmacopolæ sunt necessaria, sequitur,vt quando eorum sese offert vsus, vt promptè habeātur,& quomodo id fieri possit dicamus. Cùm herbarum omnium natura similis nusquam sit,alięque sint substantiarum & qualitatum magis constantium, ita vt extra natale solum viribus integris ad vnum annum,vel plures seruari possint, modò rectè præparentur & recōdantur,vt hæ,quæ calfaciunt,refrigerant & exiccant: Aliæ autem,vt humidæ,vix octo dierum spatio sine putrefactione, & vix, nisi deperdita sua humectandi vi,seruari possint: opus est, vt his optimè consideratis omnem operam diligens pharmacopola conferat, vt ea in officinis suo tempore collecta,& conseruationi sæpe prępárata in totum annum asseruet,quæ domi annuam custodiam ferre poterunt. Si quæ è sua regione, vel qualia opus est, non possit cogere, ea aliunde sibi aduehi curet, potissimúmque ex his regionibus, in quibus natiuitas à doctis celebrata est scriptoribus. Quòd si nō possit,vel sibi imponi timeat,alias noscat ac perquirat,quę aptè in locum poterunt substitui: idque non suo arbitrio faciendum,sed vt præcipienti medico indicare, quod penes se habeat,& de substituendo eū religiosè interrogare possit. Quæ autem illę sint,vt scias,ne idem mihi bis veniat repetendum,in sequens caput reiicio: in quo de horum

quæ in officinis seruanda sunt, loco commodo, & ordine disposito, ex ordine dicere est animus, succedaneorũ tractatum particularem alias daturus. Quæ autem partitionis secundum locum obtinent, vel in hortis seruabuntur, vel quibus in locis ruri nascantur, accuratè notabit, vel si nusquam ob cæli inclementiam, vel concursionis facilitatem seruari possint.

In hortis autem habebuntur apium, ollus atrum, smyrnium, & similia, nec non violaria, lactuca, intybus domestica, portulaca, borrago.

Ruri, vmbilicus veneris, nymphea, vtcunque semperuiuum, telephium, ca illares omnes, cichoreum, fumaria, buglossum vulgare: eáque præcipuè, quæ in vsum frequentiùs veniunt, vt plantago, solanum, malua.

Reliquorum omnium simplicium, quæ ab arboribus vel animalibus eruuntur, quanquam exsiccari poterunt, & sine putredine conseruari, primorum conditionem subibunt, vt etiam terræ, & mineralium, tum marinorum quælibet genera, hoc est, in officinis commodè seruari poterunt. Reliquorum autem quæ talem moram ferre non poterũt, perquisitio diligens fiet, quando eorum necessarius sese offeret vsus.

Herbas in officinis habere debet, quæ calfaciunt, refrigerant, exsiccãt, quia seruari possunt integris viribus. Quæ autem humidæ sunt, in hortis conseruandæ sunt, aut obseruandum quibus in locis inueniri poterũt, cùm eorum vsus desiderabitur. Seruantur autem betonica, calamenthum, pulegium vtrunque, orig. samb. parth. stechas, menta, satureia, hyssopus, saluia, chamepithis, chamedris, scordium, centaurium minus, ceterach, absynth. eupatorium Mesues.

In hortis haberi debent apium, ollus atrum, smyrnium, &c. Ex his, dum videbuntur exsiccari, succi extrahentur, & præparati, vt artis est, in reliquum annum seruabuntur: vt succus hypocisthidos, vel syrupi præparabuntur, vt syrupus de succo endiuiæ & similes, etiam violaria, lactuca, intybum domesticum. Vel adnotare oportet quibus in locis nascantur, vt vmbilicus veneris, nymphea, semperuiuum vtrunque, telephium, portulaca, capillares omnes, cichorium, fumaria, bugl. vulgare,

gare, præcipuè ea quæ in vsum frequentem veniunt, vt plantago, solanum, malua. Pharmacopola diligẽter mõtes, prata, littora, aliáque loca considerare debet, & quæ herbæ in sua regione fœliciter proueniant quibúsque careant, vt eas aliũde aduehi curet. Debet habere & nosse aliquas, quæ substitui in eorum locum possint. Nam qui vnicam ex tribus speciebus calamenti habet, vt dixi, vel montanam, vel pulegium regale, vel nepatam, carere potest istarum aliqua. Ob eam causam, omnem diligentiam adhibere debet, vt quę consimilem facultatem habeant, cognoscat, & quæ efficaciora, & minùs efficacia: de quibus suo loco dicemus.

Semina & fructus plurimis vsibus sunt commoda. Ob id ea in promptu sunt habenda, potissimùm quorum frequens vsus esse solet. Primò semina frigida maiora, hoc est, melonum, cucurbi. cucu. citruli in vase fictili, ne ob caliditatem citiùs rancescant Prope ea collocari debẽt, semina bombacis, maluarum, violarum, psillij, & cydoniorum. Postea semina frigida minora, lact. end. scariolæ, portul. plantag. & semen rosarum. His sunt adiungẽda semina alkekangi, pap. albi & nigri, ac semen hyoscyami albi: quibus adiungi possunt semina mandrag. & cicutæ. Postea reponenda erunt semina calida maiora, vt anisi fœnic. carui, semina etiam calida minora quæ sunt, semen apij, petroselini, ameos pastinacæ domesticæ vel syluestris. Istis adiũgenda sunt semina seseli Massiliensis, Peloponẽsis & Æthiopici. Semina rutæ, domesticæ & montanæ siue syluestris, tapsiæ, vrticæ, semen lauandulæ, spicæ, semen viticis, staphisagriæ, sinapi, porri, cepæ, bulbi: semen contra caulium, napi, semen carthami, & ricini, loco minùs calido conseruantur.

Fructus in loco minùs sicco reponi debent, & in vasis fictilibus potiùs quàm ligneis, vt eorũ humiditas, nimia siccitate, non resoluatur. Simul reponi debent pruna, tamarindi, sebesten, iuiubæ: Ficus autem in alia arca, cum passulis, quibus adiungi possunt dactyli, amygdalæ, nuclei pinearum, auellanæ, pistacia in suis putaminib. seruari debent: non enim tam facilè rancescunt, & nuces, & balanus myrepsica: ob id in sacculis reponi possunt. Quòd si hi fructus à putaminib. excoriati sint, locis fri-

gidioribus & minus siccis diutius conseruantur Fructus Iuniperi,& oxycedri,iuniperi maioris,quam cedrum existimo, baccæ lauri,hederæ, thymeleæ,chameleæ: baccæ myrthi cum fructu, sumach & berberis, mespila, & fabę,pyra syluestria,mala cotonea per medium dissecta, filo traiecta,superiore parte officinæ suspendenda.Corna siccari possunt,& cum myrtillis conseruari, piper album longum,nigrum,cubebæ,grana paradisi,cardamomum maius & minus Alio loco reponi debēt hordeum mundatum,& integrum,oriza & farina illorum seminū, sem.lini,fœnugræci, & sezamini radices odoratæ seruãdæ sunt in loco minus calido,superiori tamen, vt enulæ campan. Ireos venetiæ,& florentinæ,bechini,siue vngulæ caballinæ, galangæ maioris & minoris,cyperi calami aromatici Radicē ben albi & rubri si quis velit habere, collocet cum radicibus bugl. borrag. Liquiritiæ radix, consolidæ,narcisci,squillæ,pãcratij,zinziberis,mechin, quem puto cecacul. verum. Item cyperus babyloneus, quam terram meritam putabant,gentiana, azarum, valeriana, garyophillata, cucumer agrestis, brionia, iarrus,serpentaria,arum,asphodellus Radices apij, petroselini, graminis, fœnugræci, asparagi, in regionibus frigidis colligi debent.Pro hyeme autem seruantur in subterraneo loco, vel in arena, quemadmodum in quibusdam locis parare solent, & in caueis sepelire ne frigore gelentur. In aliis regionibus sufficit colligere pro hebdomada,quo tempore syr.parant, vel apozematis vtuntur medici,ne quotidiè cogantur extra vrbem quærere. Quod si quis habeat in horto,vel in loco vicino vrbi, optimum erit.Radices, lapathi acuti recentes, meliores sunt & possunt semper inueniri, maximè apud nos etiam media hyeme,& eo tempore frequenter vtimur.Asarum seruetur cum aliis odoratis, & spica celtica, spica nardi,schenanthos,flores violarum,nenupharis In eodem ordine buglossi,borrag. chamomilæ,meliloti, flores anthos, stœchados,saluiæ, lauandulæ, centaurij minoris, hiperici, androsemi, flores balaustiorum citrinorum cum rosis, ligna, cinamomum tenue & acre, id est, cinamomum crassum & astringens,quale est cassia, sandalus albus,citrinus & rubeus.

De collocatione medicamentorum in officinis, & in quibus vasis seruandum sit vnumquodque.

NOn sufficit suo tẽpore optima simplicia collegisse, & ad conseruationem præparasse, sed sic conseruanda sunt, ne putrescant loci humiditate, néve resiccata nimiùm, resolutione suam virtutẽ deperdant. Verùm inter medicamenta sunt; quæ negligentiam pharmacopolæ ferre possunt, quæ dura & densa sunt, quæ à caussis procatarcticis non multùm læduntur. At quæ tenui sunt substantia, non sustinẽt iniuriam externi aëris, omnium minimè odorata & flores. Ob id vnumquodque in loco magis apto oportet disponere.

De medicamentorum collocatione, & ordine, & ratione.

VT omnia in officinis ad compositiones faciendas magis sint in promptu, & vt ita dicam, ad manum, ordo in collocatione sollicitè est obseruandus. Quod vt fiat, quantùm per præcedentis capitis canones licebit, locus in classes ita diuiditur, ita vt vnam humida, aliã sicca, tum etiam aliam frigida, aliam etiam & calida, tam simplicia, quàm composita obtineãt. Rursum classium, alia nobis propinquiora sunt, quæ vsus sunt frequentioris, alia secundo, tertio, & sic deinceps ordine, pro ratione vsus illorum: ita vltimum ea, quæ fortiora sunt, & minùs consueta, occupant, non amisso præterea titulo, imò singulis imposito, qui nobis quid in ea theca repositum sit, significet: nec diu nos anxios per officinam errare sinat. Hæc eo modo parabuntur, vt in plures diuisa arculas, omnia eiusdem ferè facultatis contineant. Liquida omnia vasis argenteis, vitreis, corneis. fictilibus vitreatis, conseruanda sunt: vt olea, resinæ, liquida vnguenta, quæ autem vnguenta ad refrigerationem parantur, in plumbeis. Resinæ, syrupi, & alia, quæ intus sumuntur, neque in vasis æneis, neque in plumbeis conseruanda sunt. Nam si Gal. aquã cisternæ reiicit, propterea quod per tubos plumbeos, & canales in cisternam defluat: quantò magis reiicienda medicamenta conseruata in talibus vasis, à quibus abraditur vel ærugo, vel cerusa? Ob id sunt conseruanda in vasis vitreis, vel fictilibus vitreatis, maximè si diu quiescere debent, & in his conseruari, vt solent pharmacopolæ. Adipes & vnguenta ex a-

dipibus parata, in vasis plumbeis, vel argenteis conseruanda sunt, vt à rancedine conseruentur. Semina & fructus in vasis ligneis, vt thiliaceis, buxeis, aliisque lignis, quę nullo odore sint prædita, & medicamentorum substantiam tenuem conseruare possint. In eisdem folia & flores recondi possunt, aut etiam in sacculis carthaceis. Quæ difflationem desiderant & exsiccationem, in sacculis lineis conseruantur, vt radices aliquæ, quæ aerem ferre possunt ob densitatem, vt aristolochia rotunda, lõga, asphodelus, hermodactyli, bistorta, & similes radices. Arculæ sint hoc modo paratæ, vt tres aut quatuor, vel quinque arculas contineant, vt earum quælibet medicamenta, quę similem naturam & facultatem habent, reposita habeat, imposito cuilibet suo titulo ea parte, qua à nobis detecta est. In prima & secunda reponantur ea, quibus frequentius vtimur: in vltima verò, quæ fortiora sunt, & minùs consueta, vt videre est in tabula sequenti.

Tabula prima continentur.

COstus dulcis, tussilago, elenium, iris Florentiæ gentiana, aristolochia longa, clematitis rotunda, macis, nux moscata, asphodelus hermodactyli.

Tabula secunda.

COstus amarus, zedoaria, surumbet, mechin, zinzib. calamus odoratus, galãga maior & minor, cyperus, cynamomum & cassia, pentaphylli, cortex externus nucis moscatę, nux mosc. macis, folium malabatri, azarum, scœnanthum, spica celtica, spica nardi.

In hac tabella priùs posuimus zinziber, quia frequẽtiùs eo vtimur quàm mechin: quod species est zinziberis. Ab Arabibus forsan cecacul appellata. Si fortè vnum pro alio sumatur, nihil mali quidem sequetur. Surumbet, zedoariam & costum, in postremis articulis reposuimus: quia eis minùs frequenter vtimur. Hoc modo medicamentis dispositis, multo minori negotio parabuntur, vt quæ frequentiùs in compositionibus simul ponantur, simul inueniantur. Adde quòd medicamentorum dispositio *antiballomena*, quæ quid pro quo, appellantur, indicabit. Nam quæ in prima arca ponuntur, pro secunda poni possunt, & è contra, diminuto pondere.

Cùm

Cùm dicimus quantitatem augeri, volumus duplam substitui. Nam si medicamenta sint adeò imbecilla, satius est eis non vti, quàm duplo pondere ea substituere. Nam moles medicamenti augetur, & vis aliorum minuitur. Vt omnia ordine digerantur, oportet locum in multas classes diuidere, & in vna classe partes superiores & inferiores. Iisdem classibus distinguēda erunt medicamenta calida, frigida, sicca & humida, tam simplicia, quàm composita. Primùm igitur de simpliciū collocatione agemus, deinde de compositorum.

Tabula tertia.

SAntali citrini, santali rubri, albi, xylobalsamum, asphaltus, lignum aloes.

Tabula prima radicum.

RAdix graminis, asparagi, rusci, apij, petroselini, rubiæ maioris, rub. minoris, cortex rad. lauri, cortex populi, cortex fraxini, cortex rad. tamarisci, cortex rad. capp. asari, ari serpentariæ, raphani agrestis, cortex sambuci, staphis agriæ, radix dentillariæ, piretri, ebeni, ligni gaiaci, chynæ, salsæ parillæ.

Tabula tertia.

EPithymi, thymi, chrysocollæ, ammoniacum, lapis lazuli, elleborus albus, niger: colocynthis, alandal, diagridium; croci, cnidij, seminis catapuciæ, genistæ, radix tithymali, rapontici, quinque myrobalani, & rhab.

Prima tabula.

BOrrag. buglossi, liquyritiæ, ben albi, ben rubri, mal. bismal. liliorum, tapsi barbati, bistortæ, ciclaminis, quinque folij, genistæ, cucumeris agrestis, esulæ, turbith albi, polypodij, semen vrticæ, carthami, agarici trochiscari, alandal, colocynthidis.

Tertia tabula florum.

FLores œnanthes, ros︎. cichorei, borrag. buglossi, nenupharis, violarum, sambuci, meliloti, chamomilæ, saluiæ, stechad. anthos.

Tabula secunda.

CApita papaueris, semina mandrag. hyosc. papaueris nigri & albi, portulacæ, citruli, scariolæ, endi. lactucæ, melonum, cucumeris, cucurbitæ, maluarum,

bismal. bomb. fœnug. lini, sesami, cumini, carui, fœnic. anisi, portulacæ domesticæ & agrestis, petro. apij, rutæ agrest. & domest. ammi, seselli massilien. sinapi erucæ, thlaspi, nasturtij, seminis contra caulium, rapæ agrestis, paliuri, seminis hiperici, milij solis, alchechangi, piper longum, album, & nigrum, genistæ, asari, seminis hederæ, psilij, cydoniorum.

Prima tabula fructuum.

CItri, seminis berberis, gallarum, sumach myrtillorum, cytrini, balaustiorum, cortex mali granati, vuæ corinthiacæ, passulæ cum suis vinaceis, dactyli, tamarind. sebesten, prunorum acidorum, ficuum, iuiub. passul. mundatarum. Quæ vsurpantur in officinis sunt acetum, mel, oxymel, oxysaccharum, syrupi, decoctiones, laxantia medicamenta, confectiones aromat. pul. pil. trochisci, potiones medicatæ, olea, vnguenta, cerata, emplastra, acetum rosatum, sambucinum, scilliticum, passulatum, mel. ros. violatum, antosatum, scilliticum, passulatum, oxymel scilliticum, Iulianum, diureticum, seu de rad. simplex gal. de calamenta, oxysaccharum simplex, & compositum.

Syr. simplices, vt violaceus, de nenuphare, adiantinus, end. simplex, de pap. simpl. rosatus, myrtinus, de limonibus, de rosis siccis, acetosus simplex, de menta.

Compositi, de duabus rad. end. de cichorio, de fumaria, de eupatorio, de absynth. de menta, de stechade, glycirrhiza, de prasio, de arth. de iuiub. de pap. de bizantiis, & scolopendria, de quinque rad. de thymo, de epithymo, de pomis, de calamintha.

Decoctiones clysterum, communis medicinæ, pectorales, medicamenta laxantia, mollia, vt confectiones: dura, vt electuaria.

Confectiones, diacasia, diacatholic. diaphenic. indum maius, confectio hamech, hiera picra, hiera colocynth. triphera persica, benedicta, diasene, diaprunis, de psilio, confectio alchermes, ex lapide non vsto, electuaria, de succo ros. diacarthami, de citro solutiui.

Confectiones aromaticę, aromaticum rosat. aromaticum moscat. pul. diambræ, diamoschi, diarrhod. abb. diarrhod. syluij, triasantalum, diatragacanthi frigidi,

diai-

diaireos Salomonis, diapenidium sine speciebus, rosata nouella, philonium romanum, saccharum rosat. cum perlis, requies Nicolai.

Pilulæ communes, de hiera simplici, elephanginæ, assaieret, mastichinæ, ante cibum, de quinque generibus myrob. aggregatiuæ, aureæ, de scarcocol. de agarico, de rhab. de fumo terræ, de lapide lazuli, lucis, cochiæ, trochisci, diarrhod. de viol. de camphora, alchechangi, de myrrha, galliæ moscatæ, aliptæ moscatæ, de rhab. de spodio, de carabe, alandal, de capparibus, de agarico, de eupatorio, de absynthio.

Olea, vt oleum rosſ. de thymelea, myrthil. de frumento, cydoniorum, cicyonium, nenupharis, de iunipero, viol. phorum, liliorum, ouorum, chamomillæ, de myrrha, anethinum, rutaceum, irinum, cherinum, enulatum, de castoreo, de euphorb. costinum, mastichinum, de menta, de absynthio, anachardinum, muscatelinum, de piperibus, laurinum, amygd. amararum & dulc. vulpinum, lumbricorum.

Vnguenta, marciatum, aragon, agrippæ, dialthea, resumptiuum, basilicum, populeum, aureum, apostolorum, ægyptiacum, album Rasis, citrinum, cerusæ, album, rubrum de bdelio, de arthanita, fuscum Nicolai, pompholigos, tetrapharmacum, enulatum, contra vermes.

Cerata, album gal. refrigerans, sandalinum, œsipi, de pelle arietina, stomachicum Gal. diapente, ceratum, de vigo, siue de ranis.

Emplastra, de palma, siue diacalciteos, emplastrum diuinum, de betonica, siue de ianua, emplastrum diachilonis cum gummi, magni ireati, de meliloto, emplastrum oxycroceum, tetrapharmacum, emplastrum nigrum pro matrice.

Quas compositiones paratas habere debeat pharmacopola.

Simplicia medicaméta, quò plura & meliora habebit pharmacopola, eò melior & ditior, munitiórque erit ad morborum expugnandorum remedia præparanda, compositiones neque tot, neque tantas habere oportet. Nam corrumpuntur, & multum mellis, vel sacchari, vel aliorum simplicium absumitur, nulla necessitate postu-

lante. Illas igitur tantùm habebit, quibus nouit medicos illius regionis frequentiùs vti, quas fidelissimè paret: deinde vasis conuenientibus & aptissimis conseruet, vt dictum fuit & dicetur. Permultæ compositiones sunt, quæ omni tempore parari possunt. Ob id non sunt parandæ, aut in parua quantitate propter subitos morbos. Itē aliquæ sunt compositiones, quæ frequentiùs sūt parandæ, vt habeamus & recentes & antiquas, qualia sunt omnia, quæ ex opio parantur, vt theriaca, aurea Alexandrina, Asyncritum, Philonium, Triphera magna, & cætera huiusmodi medicamenta. Illa tamen commemorabo ex syr. confectionibus, aliisque formis medicamentorum, quibus instructus esse debet, & quibus contētus esse potest medicus in morbis curandis. Nam oportet medicum vti propriis medicamentis temperaturæ, morborum caussis, aliisque accidentibus, & communes cōpositiones magna ex parte tales non sunt. Ob id meliùs est nouas compositiones pro rei necessitate componere. Sed propter hyemis tempus & morbos repētinos, cogimur aliquas paratas habere. Et quia aliquæ sunt compositiones, quibus statim non est vtendum, vt Theriaca, aliisque ex Opio, vt Pil. de Cynoglossa, ob id illas paratas habere debet. Præterea sunt aliquæ quæ certis tantū tēporibus parari possunt: vt medicamentum ex Cācris ad canum rabidorum morsum, & Confectio alchermes, & alia multa. Ob id paramus & parata seruamus. Quia medicamēta cōcoquentia & præparantia humores, prima sunt, ob id primū de illis dicendū est. Sunt autem medicamēta præparantia, vt syrupi, vel quod iulep dicitur, vel medicamēta ex aceto & melle parata, à compositionis materia, oxymellita dicta. Ex aceto & saccharo multa medicamēta minùs composita parantur. Ob id oportet Pharmacopolam habere multas aceti differentias, vt acetum simplex ex optimo vino albo & tenuium partiū, non autem ex fece, vt Lutetiæ parare solent, quod quidem acetum habet crassas partes & paucas tenues, & potiùs constringit, quàm aperiat, incrassat, quàm tenuet. Ex eo aceto parabitur acetum Rosatum, Scilliticum, Sambucinum, & Passulatum, quod quidem omni tempore parari potest. Sambucinum, quo tempore floret Sambucus,

eus, Rosaceum omni tempore ex rosis siccis, & meliùs, quàm ex rosis recentibus. Quod enim ex his paratur, facilè putrescit & minùs odoratum est: quod ex siccis, magis siccat & magis odoratum est, magísque constringit. Potest autem fieri acetum rosatum ex multis infusionibus, vt fit Syrupus rosarum laxatiuus, aut Syrupus de rosi. siccis. Hoc aceto debent vti medici in oxyrrhodini præparatione, & in aliis medicamentis resiccantibus, repellentibus & constringentibus. Acetum Sambucinum ex floribus Sambuci primùm resiccatis. Nam ob humiditatem facilè putrescerent, si, non siccati, in vasis includerētur. Hoc aceto vti frequentiùs debent medici quàm faciunt. quia acetum, sua natura, vita est melancholiæ, & mors bilis. Flores Sambuci magnam vim habent aduersus atram bilem. Eam ob caussam in morbis melancholicis, in quibus timetur aceti vsus, Sambucinum magna cum vtilitate vsurpatur. Acetum passulatum omni tempore parari potest. Paratur autē ex aceto, quod mediocris sit aciditatis, in quo macerētur passulę à gigartis mūdatæ. Debemus paruam quantitatē parare, tum quòd fieri semper potest, tū quòd ob longam moram passulæ facilè putrescunt, aut quia dulcedo minuitur, & acidus ille sapor augetur. Optimum est illud acetum in affectibus thoracis & pulmonum, acetum squilliticum ex aceto & squilla paratur æstatis initio, squilla priùs ex filo siccata. Concoquit pituitam in capite & ventriculo. Ex melle multa medicamenta parantur, vt mel. ros. viol. anthosatum, mel squilliticum. Mel autem passulatum dictū est potiùs sapa ex vuis passi, quàm ex melle. Ob id inter differentias sapę poni debet. Mel. ros. hoc modo paratur.

Mel rosatum.

℞. Mell. optimi non antiqui, & crudi potiùs, quàm decocti aut leuiter cocti, addita aliqua quantitate aquæ dulcis, lib. vj. rosarum recenter resic. in vmbra, & remotis vnguibus libr. ij Parentur, & ponantur in vase vitreo, vel terreo vitreato, & soli exponantur, & moueantur tertio quoque die, & vndiquaque incalescant, & obturentur diligenter.

Sunt qui succum ponunt: Alij mediam partem succi, & aliam rosarum. Sed qui hoc agunt, non intellexerunt

mixtionis rationem. Nam si rosæ exiccatæ poni debent, succus nō est ponēdus. Sed quod rosæ exiccatæ magis cōueniant, quā recentes, hoc facile cognosci potest ex Mesue, qui saccharum rosſ. & mel rosatum ex siccatis rosis parari iubet. Ad hæc si recentes, vel succus ponatur, nimiā vim detergendi habent. At cùm mel natura sua sufficienter detergāt, nō est augēda illa facultas: sed tantùm voluerunt maiores nostri, mellis morsum, calorem & tenuitatē, rosſ. astrictione temperare. Meliùs parare in sole, quàm si decoquatur, quia flores omnes propter tenuitatem substantiæ & odorē non ferunt decoctionem: sed calor solis temperatus & longiori tempore agens, satis ista medicam. permiscet. Si autē ex floribus recentibus, vel succo paretur, tunc decoquere possumus, lēto tamē igne. Si mel non decoquatur, minorem acrimoniam habet: si coquatur, acrius redditur. Non debet parari ex melle antiquo ob eius acrimoniam, neque ex melle sordido. Quòd si non sit aliud in promptu, priùs est despumandum. Sed ne acrimoniam acquirat, inter despumandum, adde aliquātulum aquæ. Post præparationem mellis rosati, Pharmacopola debet liquidiorem partē separare, & transcollare, & illud dicitur mel rosatum collatum, ad potiones & alia medicamenta liquida paranda.

Mel violatum sic paratur.

℞. Mellis optimi non antiqui nec cocti ℔. iij. florum viol. leuiter exſiccatarum lib. j. ponantur in vase ad solem, vt supra de melle rosato ostensum est.

In affectibus thoracis, peripneumonia, pleuritide, & similibus conuenit.

Mel anthosatum.

℞. Mell. optimi triannis, quadriannis, aut antiquissimi ℔. iij. florum anthos semiexſiccatorum ℔. j. misce, &, vt priùs dictum est, in sole paretur.

Ex floribus autem parari debet, aut si quis velit eos præmittere, saltem conseruam anthos paratum habeat. Habet enim mel, cum cōserua, easdem facultates. Quare alterutro carere possumus.

Mel squilliticum ex Gal.

EX melle antiquo, aut priùs decocto fit, cui misce squillæ siccatæ in vmbra, manibus cōtritæ, quantùm volue-

volueris. Immittatur in vas ex quo fuerit extractū mel. Deinde angusto cooperculo operiens,& extrinsecus corium vniuerso corpori vasis circundans, & diligenter ligans, in locum omnino ad meridiem expositum repone, Aquilonis flatibus nullatenus obuium, vt ab ipsis perflari posit, & frequenter moueatur, vt vndiquaque incalescat.

Hoc idem fieri potest in aliis medicamentis, quæ ad solem parantur,debétq; mel squilliticum ex melle antiquo, aut priùs decocto fieri. Vbi summè detergendum est, vt ex pectore, pulmonibus, aliísq; partibus, ad attenuandum, expectorandum & detergendū hoc vtuntur.

De oximellitis differentiis.

EX melle simplici & aceto multa alia medicam. parantur, vt oximel ex duabus radicibus, oximel ex quinque rad. oximel diureticum, oximel ex ligustro, ex calamintha, iulianum, squilliticum. Sed medicus tantùm parabit oximel simplex & diureticum. Nam hæc sufficient. Qui enim diureticum habet, potest carere oximellite ex quinque aut duabus rad. oximel ex ligustro & calamintha ex tempore parari possunt, neque frequenter illis medici vtuntur. Sed quia Diosc. & alij antiqui herbas decoquebant in hydromellite,vel oximellite, hinc natæ sunt tot oximellitis differentiæ. Oximel Iuliani parari non debet, quia laxantia medicamenta recipit, multáque alia venenosa. Præterea acetum potiùs astringit, quàm laxat. Adde quòd oximel Iuliani, & simile, tentat neruos, & alias partes, quæ acetum pertimescunt. Acetum squilliticum parari debet ad conficiendum oxymel squilliticum, & ad aliquos vsus, vt ad dealbandos dentes. Est autem acerrimum medicamentum. Oximel autem squilliticum mitius est, & minùs lædit partes neruosas, vt ait Galen. In consilio pro Epileptico.

Parabitur hoc modo oximel squilliticum.

℞. laminas squillæ inter externam corticem & medias cortices lino contusas, tanto interuallo, vt non se contangant. Siccabis in vmbra per dies quadraginta. (Non enim facilè siccantur ob viscidum succum, quem habent, & situm facilè contrahunt, si se contangant)

℔.j. sed ligneo cultello conscindes. Alios quadraginta dies in aceti boni ℔. 8. in vase vitreato oris angusti bene obturato insolabis. Mouere oportet, vt in melle squillitico dictum est. Acetum postea collabis, & vsui seruabis. Initio æstatis præparabis antequam squilla floreat. Squilla quæ diu seruata est melior est ea, quę recenter extrahitur, quia siccior reddita est. Oxymel squilliticum parandum non est. Qui enim mel squilliticum & acetum squilliticum habet, oxymel squilliticũ in promptu parare potest, si partes mellis tres, aceti duas capiat. Quod si pertimescas, ne acrius sit ob squillam, temperato oxymellite simplici, vel minorem quantitatem vsurpa. Eius compositio est ex ℔. duabus aceti squillitici & mell. despumati ℔.3. simul decoctis, quod nihil aliud est, quàm commixtio saporũ, & ne tot vasa habere oporteat, hoc carere possumus. Satius est acetum & mel habere. Nam melle vti tantùm aliquando cogimur, aliquando aceto per se. Facilè autem, qui vtrumque habuerit, pro vrgente necessitate commiscere poterit.

Oxymel diureticum, quod communiter paratur, & pro syrupo de quinque rad. vsui esse potest.

℞. radicum sequentium mundatarum & incisarum, scilicet radicũ apij fœnic. petro. rusci, asparagi ana ℔. i. seminis apij, fœnic. ana ℥. 1. Temperentur radices in ℔.5. aquæ fontis & in ℔. seminis aceti albi per diem naturalem, & in eadẽ aqua decoquantur radices primùm: postea adde semina apij & fœnic. quibus adde mell. ℔. 2. Decoquantur omnia lento igne ad consumptionem tertiæ partis, fiat syrupus.

Aliàs legitur, in aquæ fontis & aceti albi ana lib. 5.

De Oxysacchara.

ARabes ex aceto, saccharo, & aqua composuerunt syrupum acetosum simplicem, quem Oxysaccharam vocauerunt. Mesue etiam vocat & syrupum acetosum, de quo suo loco dicemus inter syrupos Sed Nicolaus Oxysaccharum composuit, quo vti debet medicus in morbis biliosis. Magis enim conuenit, quàm oxymel, propter succum granatorum. Hæc medicamenta in frequenti vsu habenda sunt, quia efficacia sunt & facilè parantur. Oxymel pro pituita & obstructionibus. Oxysacchara pro biliosis morbis, qui sunt cum obstructione. Syru-

ne, Syrupus acetosus simplex, inter alios medius erit, conueniétq; vtrique descriptioni, sed minùs, quàm oxymel, in pituita: minùs quàm oxysaccharum, in morbis biliosis. Cuius descriptio talis erit.

℞. succi granatorum acidorum ℥. 8. (quidam addit aceti ℥. 4.) sacchar. ℔. 1. coquantur, donec ad formam syrupi veniant.

Hanc malim cum succo granatorum, vt aliquantulum differat à syrupo acetoso simplici. Nam quod ex aqua, aceto & sacch. paratur, non differt ab oxymelite. Arabes ex aceto & saccharo fecerunt simpliciter oxymel simplex, & magis compositum, sed differunt, quia magis conueniunt morbis biliosis, quàm oxymel, & minùs pituitosis.

Oxysacchara composita sic paratur.

℞. capill. ven. asplenij, ceterach, philitidis, id est, linguæ ceruinæ, trichomanes, hepaticæ ana M. j. flor. viol. p. 2. rad. petro. rusci, asparagi, graminis an ℔. ß. coquantur omnia simul in sufficienti quantitate aquæ. Deinde adde succi malorum granatorum acetosorum ℔. 1. Infundantur radices mundatæ & incisæ in succo, addendo parum aquæ. Tertio die coquantur ad syrupi consistentiam addendo sacchari quantùm sufficit.

De syrupis.

SYruporum alij sunt simplices, alij compositi. Simplices possunt fieri ex omnibus herbis cum saccharo: sed sufficit paratos habere ex communioribus, & ex his, quæ omni tempore parari non possunt. Paratur syrupus violarum, nympheus, adianthinus, endiuiæ simplicis, de papauere. De succo acetosæ ibi nō describitur (quia semper parari potest) de fumaria simplex, syrupus rosat. ex infusione recentium, syr. myrthinus, de limonibus, de ros. siccis non paratur, quia quotidie parari potest. Relinquuntur de agresta, de acetositate, citri, de succo cucurbitæ, de granatis, de succo ros.

Syrupus violatus sic fit.

℞. aquæ infusionis viol. ℔. 5. sacch. albiss. ℔. 4. misce, decoquantur cum facilitate, & seruetur vsui. Item potest parari ex multis infusionibus, quæ leniendo aluum laxabunt, qui distinguendus erit ab alio.

Syrupus nenupharinus sic fit.

℞. florum nenupharis ℔. 2. decoque, & expressioni adde sacchari ℔. 2. deinde decoquantur ad syrupi consistentiam.

Syrupus capilli Veneris sic fit.

℞. aquæ decoctionis capilli veneris ℔. 3. sacchari ℔. 2. fiat syrupus, vt artis est.

Syrupus de fumo terræ.

℞. succi de fumo terræ depurati ℔. 3. sacchari coll. ℔. 3. fiat syrupus.

Syrupus endiuiæ simplex.

℞. succi endiuiæ depurati ℔. 8. sacch. coll. ℔. 5. & ß. fiat syrupus.

Syrupus ex infusione rос. recentium.

℞. aquæ infusionis rос. ℔. 6. sacch. ℔. 4. misce, fiat syrupus.

Syrupus myrthinus.

℞. succi myrtil. ℔ 12. decoque in vase vitreato, lento igne, ad consumptionem tertiæ partis: deinde colletur, & accipe ex coll. ℔. 7. & infunde super illud sacchar. clarificati ℔. 5. fiat syrupus.

Syrupus de limonibus.

℞. succi de limonibus ℔. 1. sacchari clarificati ℔. 3. misce, fiat syrupus.

Syrupus de buglossa.

℞. succi buglossi depurati ℔. 4. sacch. ℔. 3. ß. f. syr.

Syrupus de papauere.

Fit ad formam & ad præparationem syrupi violati, vide Nicolaum.

Syrupus acetosus simplex.

Acetosus simplex parandus in parua quantitate, quia semper omni hora nullóq; negotio parari potest, & qui oxymel habet, carere potest acetoso simplici, quia ad pituitæ attenuationẽ præscribi solet. Quare carere possumus. Sed quia nobiles mellis saporem vel odorẽ ferre non possunt, ob id parantur pro ipsis hoc modo. Cuius multæ sunt descriptiones apud Serap. Aui. & alios. Nos verò Mesuæ descriptionem apposuimus, quæ talis est.

℞. aquæ fontis ℔. 5. sacch. ℔. 4. coquantur in vase fictili vitreato, in igne sine fumo ad consumptionẽ dimidiæ

diæ partis, ſemper deſpumando. Quibus adde aceti ℔. 2. Si autem imbecillum parare velis, vel ſi acetum ſit acerrimum, ℔. 1. ß. Si verò debile ſit acetum, ℔. 4. Et quando fortiſſimum parare voles, ℔. 4. aceti fortiſſimi. Etiam adde roſas, coquito ad ſyrupi conſiſtentiam. Si hoc ſyrupo ſtatim vti volueris, minùs inſpiſſabis decoquendo. Si verò diutius ſeruare, decoquendus erit magis. Hic ſyrupus oxymelli ſimplici reſpondet, medius inter oxymel & oxyſaccharum. Quòd ſi aqua fontis non ſuppetat, aqua fluuij, aut pluuiæ vſurpanda eſt, & cùm diutius ſeruandus eſt, conſulerem ex aqua pluuia parare, vt coram ruſtici parant, quia melius & diutius conſeruatur, nec timenda eſt aſtrictio, vt quæ acetum habeat.

Syrupus acetoſus ſimpl. { debilis / medius / fortis } *ex lib.* { duabus / tribus / quatuor } *aceti fit.*

QVòd ſi acetum acerrimũ ſit, 2. ℔. pro 3. & 3. pro 4. poni debent, aut plus aut minùs aquæ, quod guſtu indicari debẽt, vt de poſca dicitur, quæ tunc bene temperata eſt, cùm ſine moleſtia bibi poteſt. Sed quia coctura & ſaccharo, aceti aciditas temperatur, fortius eſſe debet, quàm in poſca.

De ſyrupis compoſitis, & quibus contentus eſſe debet aromatarius.

SYrupi compoſiti debent etiam parari aliqui, quia in declinationibus morborũ pro apozemate vtuntur. Medici rarò in principiis morborum, maximè ſi laxantes ſint, vti debent, qualis eſt de fumo terræ, de epithymo, de cichoreo cum rhab. Aliis non laxantibus vtenſtum eſt in principio, in magnis cauſſis, vt in febribus ardentibus ſpuriis, vt ſyrupo de rad. de bizantiis, poſtea ſyrup. de endiuia compoſito ad bilis præparationem, ſyrup. de ſtæchade ad pituitæ præparationem poſt oxymel & ſyrupum acetoſum, ſyrup. de iuiubis, de papauere ad incraſſandum, de liquiritia, de marrubio ad expectorandum & dilatandum. Sunt autem hoc ordine collocandi.

Syrup. de duabus rad.
Syrup. endiuiæ compositus
Syrup. de cichorio.
Syr. de fumaria cōpositus.
Syr. de eupatorio.
Syr. de absynthio.
Syrup. de menta.

Syrupus de liquiritia.
Syr. de prassio.
Syr. de Artemisia.
Syr. de iuiubis.
Syr. de papauere.
Syr. de hyssopo.

ISTis contentus esse debet, quia syrupus de bizātiis fiet, addito aceto in syrupo de duabus rad. Syrup. de quinque rad. non differt ab oxymelite. Quare cùm est attenuanda & aperienda obstructio, oxymel magis conuenit, vel si eum aquis aperientibus miscueris Syrupo de hyssopo carere possumus, quia medius est inter eos, qui extenuant & incrassant. Quod si syrupi de iuiubis parti vni addantur duæ partes eius, qui de liquiritia est, erit idem syrupus, cum syrup. de hyssopo. Syrup. de acetoso, de succis herbarum carere possumus, cùm syrupum de iuiubis compositum habebimus. Syrupo item de epithymo carere potest quicunque syrupum de fumaria compositum habebit. Hoc tantùm differunt quòd de epithymo calidior sit, & magis idoneus ad ichores salsos & pituitosos euacuandos: sed facilè talis reddetur, infundendo agarici ℥.i. pro ℔ i. syrupi. Quare sufficit alium habere paratum. Quibus autem differant facilè cognoscet, qui volet vtriusque conferre descriptiones. Syrup. de cichoreo simplex, & de scolopendria non multùm differūt, si rhab. excipias. Qui enim de cichorio est, sine rhab. potest parari, & quando vtendum erit, addetur ea portio rhab. quæ videbitur. Quia etiam minor quantitas est, vel etiam cùm rhabarbaro euanescit eius vis & facultas soluens, constringens verò, nimiùm vires suas imprimit. Cùm rusticis dare erit necesse, syrupum ex infusione rosarum recentem vel succum ros. addere poterit, quò minor portio paretur. Parandus est rectè & in parua quantitate, quia pauci vtuntur syr. de cichorio composito. Syr. viol. & capilli Ven. non sunt dispensandi compositi, sed potiùs simplices. Nam capil. Ven. compositus cum iuiubis paratus, fit determinatus pectori: sed minùs aperit, vel discutit, vel attenuat. Hoc igitur est facien-

faciendum, cùm vſus poſtulat. Syr. viol. compoſitos non multùm differt à ſyrupo de iuiubis. Relinquendi verò ſunt & hi ſimplices parandi, quæ ex ſimplicibus compoſitos, non contrà, facere poſſumus. De eupatorio addimus, quia ad hepatis imbecillitatem & refrigerationem, obſtructionémque facere cognouimus, nec vllum inueni huic reſpondentem. Syrupum enim de duabus radic. & ſyrup. de bizantiis olim aceto paratum, alio nomine dictum de dinari à barbaris. Hunc parari volumus, quia eſt ſine aceto: multò magis viris, mulieribus, & morbis, qui vſum aceti reſpuunt, conuenit, tum etiam, quia liberum eſt vnam partem acetoſi ſimp. vel parum aceti, cùm vſus poſtulat, addere. Eſt vtilis ad obſtructiones hepatis & lienis aperiendas, & bilis craſſæ extenuationem, citra magnam calfactionem. Sequi ſolet acetoſum ſimplicem, & poteſt accõmodari omnibus partibus obſtructis à bile flaua. Recipit autem hæc.

℞. rad. apij & fœnic. an. ℥. 2. aut 3. ſeminis aniſi, fœnic. apij ana ℥. j. ſeminis intybi, vel ſcariolæ ℥. ß. facta per ſex horas maceratione, radices coquantur priùs, deinde adde ſemina, in ℔. decem aquæ fontanæ ad conſumptionem dimidiæ partis coll. adde ſacchar. ℔. 3. & reducantur ad ſyr. conſiſtentiam. Sunt, qui addunt radices intybi, vel ſemen. Sed cùm nomen acceperit à radicum numero, viſum fuit illa prætermittere, cùm dicere poſſumus nomen accipere, non ab aperiẽtibus, quæ ſunt duæ tãtùm: ſed vt detur cum decoctione aliarum rad. & fiat ſyr. de v rad. ſi quis nolit vti oxymelite diuretico.

Syrupus endiuiæ compoſitus deſcriptione Gentilis.

SYrupus end. paratur ex herbis aperientibus & refrigerantibus modicè, quia vbi aperiendum & magis refrigerandum, vtilis eſt, vt in tertiana exquiſita, ordine tantùm mutato.

℞. hordei integri, capilli veneris an ℥. 1. polytrici, lenticulæ aquæ, vel roſarũ recentium ana ℥. ß. ſeminis berberis ℈. 2. fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquæ, & coll. adde ſacchar. q. ſ. quibus adde ſucci intybi, ſiue end & hepaticæ ana ℔ 3. & reſidentia facta, aromatizetur ʒ. j. ſantali albi & rubri, & ℈ 1. cinamomi boni.

Hic ſyr. ſine methodo compoſitus eſſe videtur, nul-

lóque ordine, in quo hordeũ non mundatũ, sed integrũ esse legendũ duximus, quia deterget, & aperit, quod magis facit hordeum sua externa cute, quàm interna parte qua obstruit. Primo loco illud posuimus, vt interea dum semina quæruntur, decoquatur, vt suam flatulentiã perdat, longiore coctura: deinde herbas, post flores, ne in diuturniore coctione eorũ vis in fumũ euanescat. Illud forsan nouum videbitur, quòd succos non decoquimus, sed in fine tantùm apponimus. Hoc autem fit, quia succi coctura vim amittũt. Ob id in clarificatione ponuntur vnà cum sandalis, & cinamomo, dimissis alis, vt ligno aloës ingrato & incerto. Semen cydoniorũ, quòd multũ odorem inspirat, & mucilagine sua inspissat, cùm extenuare potiùs sit opus, reiicimus, seméñq; berberis, eiũs loco, reposuimus in decoctione, quia in clarificatione nihil præstat, vt decoctio refrigerandi & attenuandi vim habeat. Cinamomum omnium humorum vitia castigat & emendat. Sandali non nocent cum rhabarbaro.

Syrupus de cichorio sine rhabarbaro.

DVæ sunt descriptiones, quarũ altera est Placentini, quæ est facilior: altera Nicolai Florentini, quæ magis est efficax ad obstructiones hepatis & refrigerationem, sed difficilè paratur ob vocum ambiguitatem. Nec mirum, si Pharmacopolæ non conueniant in huiusmodi syrupi præparatione, cùm nec ipse Nicolaus sibi consentiat in interpretatione taraxiconis, cicerbitæ, endiuiæ, scariolæ. Ipse enim dicit, endiuiæ vtriusque per end. scariolam seu intybum domesticum intelligens. Quòd si id est verum, cur addidit scariolam? Quare neglectis interpretationibus barbarorum, nos sumus intẽtionem sequuti. Hoc autem modo putabimus, & in hunc ordinem reducemus. Est enim sine methodo descriptus. Nouerat enim tantùm herbarum nomen facultatémque & figuram ex commentariis, erátque magis ad congregandum, quàm ad digerendum natus.

℞. radic. asparagi, fœnic. apij ana ℥. ij. glycirrhizæ ℥. j. intybi domestici & syluestris, & dentis leonis (quem taxariconem vocant, nos chondryllam Dioscor.) ana M. ij. cicerbitæ siue rostri porcini, siue sonchi læuis, hepaticæ siue lichenis, lactucæ satiuæ & syluestris, fumariæ,

riæ, lupulorum ana M.j.hordei integri, seminis halycacabi ana ℥.iiij.capil.ven.scolop.polytrici,cuscutę ana ℥.vj.fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ,& coquatur ad syru.consistentiam,& clarificetur. Cùm syr.de cichoreo cum rhab.præscribitur,tunc in singulis libris syrupi adduntur rhab.ʒ.iiij.spicæ nardi ℈.iiij.puluerizentur in panno raro ligata, & decoquantur leuiter, & exprimantur: vel si infundantur in calido syru.exprimantúrque leuiter,melior erit. In hoc syr.posteriora priora fecimus, vt diutius coquantur. Pro endiu.domestica & syluestri, cichorium satiuum siue scariolam & cichor. quod picris ob amarorem Dioscoridi dicitur,posuimus. Nihil refert, si accipias illam speciem, quæ est folio latiore, vel illam,quæ est angustioris folij. Nam eandem habent facultatem. Taraxiconem interpretati sumus ex Nicolao Florentino. Putarem chondrylæ speciem. Cicerbitam legimus, nõ cu urbitam, quia cicerbita est, quam Græci Sonchum leuem appellant,nostri rostrum porcinum. Sonchi duo sunt genera: alterũ asperum vocatum, quod nostri lactucam agrestem falsò putant: alterum, quod nostri cicerbitam asperam vocant. Dicitur tamen sonchus lęuis ad differentiam prioris: cùm erumpit, tenuitate quadam mollescit,ob id dicitur læuis.Cũ senescit, durior redditur. Quòd autẽ rostrum porcinum non sit,sed species sonchi, est manifestum ex Dioscorid. descriptione.Alter tenuitate quadam mollescit,in cibis appetitur, anguloso caule ac tenui,interdum rubescẽte, foliis in ambitu per interualla dissectis. In rostro porcino omnia ista reperiuntur. Est caule vacuo, rubente, tenerescit. Demum cùm inueterascit,asperum fit:ob id cicerbitam asperam vocant,vt Hermolaus monstrat. Lichenem dicimus pro hepatica, vt & Dioscor. videat interpretationem qui volet. Hic syrup. lactucam satiuam & syluestrem desiderat. Quòd si endiuia vulgaris sit lactuca syluestris.quid accipient pro lactuca agresti? Iam monstratum est endiuiam vulgarem dictam sonchum asperam esse, quia similis syluestri est, & magis spinis horret,quod neque lactucæ, neque alteri potest conuenire. Lactuca agrestis,herba est latiore folio, quàm endi. & molliore. Ad lactucam in hortis neglectam accedit,

nisi quòd crispior est. Hanc vulgus aromatariorum non nouit: ob id permitto, vt pro ea lactucas amaras accipiant, quæ proximè ad earum naturam accedunt. Summitates lupulorum diximus, ne postea legatur lupinorum. Summitates lupulorum sunt accipiendæ, quia folia sicca sunt, & caules lignosi, & parum succi continēt. Hordeum integrum, quia magis deterget. Sine rhabar. parari iussimus, vt syr. de cichor. simplex, cum syr. de cichor. cum rhabar. differret. Erit autem liberum dosim rhabarb. augere, vel pro pauperibus cum succo rosˁ. vel cum syr. infusionis rosˁ. parare. Valet hic syr. in æstuantibus stomacho & hepate, & in febribus aut inflammationibus hepatis, splenis, & aliorum viscerum, quia refrigerat & aperit sine calfactione. Bilem purgat leuiter. Quare in declinationibus febriū dari debet, cum emulsione quatuor seminum frigid. maio. vel cum decoctione cicerum rub.

Syrupus de eupatorio.

℞. radicum apij, fœnic. intybi ana ℥. ij. glycyrrhizæ rasæ, scænanthos, cuscutæ absynthij, rosˁ. an. ʒ. 6. capill. ven. anisi, bedegar. id est, spinæ albæ succhahæ, id est, spinæ arabicæ, florum buglosˁ. aut radicum eius, anisi, fœnic. eupat. vulgaris ana ʒ. 5. rhabarb. electi, mastichis ana ʒ. 3. spicæ nardi. asari, folij an ʒ. 2. coque in ℔. 8. aquę ad tertiæ partis consumptionem. Col. adde sacchar. ℔. 4. succorum apij & intybi ana ℔. 3. coquantur ad syru. consistentiam. Coquantur autem primùm radices cum herbis, in fine odorata, & succi clarificati addantur, ne eorum vis exoluatur. Hîc ponere debemus eupatorium Mesuæ, non illud, quod à Dioscor. aut Auic. appellatur. Formam refert centaurij minoris, & exsiccatum flauescit, & valde amarum est, cum leui quadam astrictione. Calida est herba in primo, & sicca in secundo, quæ dicitur herba sanctæ mariæ. Pharmacopolarum eupatorium est canahis agrestis, vel eupatorium Auicennæ. Eius penuria absynthij & asari ana pondus dimidium apposuimus. Spica celtica, vel schænanthina substitui potest. Quare non erit difficile ratione eupatorij parare hunc syrup. Syrupus de eupator. Mesuæ non multùm differt à cichorio, nisi quòd fortiùs aperit, & magis calefacit

facit, & ad hepatis imbecillitatem aptior est. Et quanquam sit difficilis paratu ob bedegar, succhahæ, id est, spinæ arabicæ; & eupatorij cognitionem, parari volo ob cachexias & malas intemperaturas humidas hepatis, & aliorum viscerum. Non nimis vexat pharmacopolas bedegar & succhaha, quia hoc nomine bedegar, *cynosbaton* significauerunt, vel male interpretati sunt. Ex ea excrementum quoddam simile spongiæ, quod spongiam bedegar vocant, vsurpant, fortè quòd astringit & siccat insigniter. Vocauerunt Arab. vt patet ex Serap. & Dioscor. spongiam albam. Nostri Chamæleontem appellant falsò. Multò magis conuenire videtur succhaha, id est, spina arabica, quæ est similis superiori, nisi quòd valentius astringit & siccat. Quare pro illa spina, substitui potest spina alba, *cynosbate*, siue bedegaris, quia astringit insigniter citra calorē. Si quis folio vulgari vtatur, quia verum antiquorum folium non habemus, sed arboris odoratæ, vti potest spica nardi pro folio, vt quidam putant, augēdo illius quantitatem. Sed hoc non est omnino reiiciendum. Habet enim odorem & acrimoniam. Ob id potest præstare, quod olim præstabat folium indicum, & palustre, quod aquis natabat, sine caule & rad. vt Dioscor. scribit. Nos succi apij & end. an. ℔. 3. addidimus, quia multis erit certa iustáque quātitas, quam pro ℔. 2. ℥ 4. vt in syr. de bizant. interpretantur. Quia hîc additur magna quantitas decoctionis, ob id nimium sit amarus, minui aliquantulum quantitatem iussimus. In cachexia & hydrope optimus est, quia ex aperientibus & siccantibus, calfacientibus, & roborantibus hepar paratur. Habet aliqua astringētia & laxantia, vt rhab. quod dicitur anima hepatis, & astringit ac amarum est, vnde bilem trahit, quæ maximè in hepate redundat. Conuenit aucto rhab. in febribus compositis diuturnis, & in locum syr. de cichoreo substitui potest, si detur cum decoctione cichorei, vel end. vel cum aquis earundem.

Syrupus de fumaria.

SYrupus de fumaria cum syrupo de epithymo conuenit adeo, vt alterum eorum sufficiat habere in officina, vt iam dictum est. Et quia ex fumaria conficitur, frequentior est eius vsus, & visum est illum retinere, alte-

rum verò prætermittere, quanquam de epithymo efficacior est ad omnes ichores vacuandos, tam serosos, quàm melancholicos. Sed quæ huic oporteat adiungere, quo similis prorsus reddatur, docebimus. Hic autem ex his componitur.

℞. polypodij quercini ʒ. vj. liquiritiæ ʒ. viij. prunorum numero centum, pass. mundatarum ℔. ß. absynthij ʒ. vj. cuscutæ, florum borrag. viol. an. ℥. j. ros. recentium ℥. j ß. epithymi ʒ. 6. anis. ℥. ß. Omnium myrobalanorum ℥. j. ß. fiat decoctio in ℔. x. aquæ pluuialis, vel fontis, vel optimi fluuij ad consumptionem dimidij. In vna parte infunde tamarindorum, cassiæ extractæ an. ℥. 2. coquito ad consistentiam syr. Coll. adde sacch. diss. collati in vna parte decoctionis, & succi fumariæ an. ℔. 3. coquantur ad syr. consistentiā sensim. Anisi ℥. ß. addidimus, quia polypodiū & alia medicamenta dulcia illud exposcunt, ob flatus, quos gignunt, quod Mesues docet frequenter faciendum in cap. de Polypodio. Hic syrupus nullo ordine descriptus fuit. Ob id, quo ordine simplicia sint decoquenda, disposuimus. Omnes myrobalanos esse iniiciēdos colligimus, ex interpretatione Mesues, qui dicit summam eorum, quæ hunc componunt, ad decem & septem peruenire, quamuis in aliquibus citrini & chebuli tantùm ponantur pondere ʒ. 20. aut, vt alij ponunt, ana ʒ. 2 ß quod idem est pondus. Rosas nolumus expungere. Nam si recentes ponātur, ichores soluunt cum aliis, & etiam per se. Quare tempore rosarum est dispēsandus. Quòd si non licebit eo tempore succum rosarū addere, ad ʒ. 3. imperabimus. Dosim auximus, vt efficacior esset syr. ad ichores euacuandos, quorum caussa factus est, & in ℔. 10. aquæ pluuiæ: quia hæc medicamenta putrescere prohibet magis, quod in hoc syr. est maximè necessarium. Nam propter prunas & tamarindos facilè contrahit situm. Ad dimidiū tantùm aquam consumere voluimus, aut minuenda est aquæ quantitas, si ad ℔. 3. absumenda. Nam si ℔. 10. ad ℔. 4. reducere oportet, duo sequuntur mala. Primum, quòd aliqua medicamenta diutius decoquēda, vires perdant: alterum, quod hic syr. suapte natura spissus, spissior reddatur. Quòd si ad dimidium tantùm, vires medicamētorum seruabuntur,

tur,& minùs ſpiſſus erit,quandoquidem ſpiſſitudo hunc ingratum facit. Tamarindos caſſiam,neque diu decoqui neque ſine decoctione miſcere voluimus. Quòd ſi hic ſyr.partim ex ſucco fumar. partim ex ſucco mercur. paretur, efficacior erit, quòd hæc medicamenta mitiora ſint. neque poſſint mediocri quantitate purgare.quod erit ſi, vt practici imperant, detur in minori quantitate cum aquis. Quare dandus erit cum decoctione mercur. vel ex decoctione agarici, & ſimul, vt efficacior reddatur, ſyru. de epithymo,ſi detur cum decoctione thymi, calamentæ, ſtechad.agar. fœnic. & aniſi.Iſtis ſuperat ſyrupus de fumaria ſyrupum de epithymo.

Syrupus de abſynthio.

℞. abſynth. Romani 3. 100.coquantur in ℔. 3.aquæ ad tertias.Fricentur manibus & collentur.Coll.adde vini albi antiqui & clari, mell.antiqui ana ℔. 1. coquantur in ſyr.Hanc deſcriptionem eligimus, quia quæ præſcribitur apud eundem authorem, recipit roſas, cydoniorum ſuccum, quæ multùm aſtringunt. Sed cùm hic ſyr. ſit non ſolùm ad ventriculum roborandum, ſed etiam ad purgandum per ventrem bilioſa recrementa, & per vrinas non poſſet hoc modo paratus conuenire,neque in declinatione febrium tertianarum ad bilis euacuationem, vt Gal.iubet dari. Quare vt communior eſſet ad omnia hæc,illam deſcriptionem reiicimus.

Quòd ſi quis ſpicam nardi, aut celticum adiungere velit, non repugno,quia per hæc eius actio corroboratur, & fortior ſit.Hìc non aliam ſpeciem abſynth. iniici volumus, quàm vulgare illud. Tale eſt verum Romanum, vt videre eſt in antiquis ruinis Romæ, in quibus tam frequens eſt, vt nulla frequentior videatur herba. Manifeſtum eſt ergo eſſe illud abſynthium ponticum: non enim ſeriphium,non xantonicum. Quare primam ſpeciem eſſe oportet.

Si quis velit magis aſtringere, addat cochlear vnum ſucci cydoniorum,cùm vti voluerit.

Syrupus de menta.

℞. ſucci mentæ ℔. 1. ſucci granatorum dulcium, & acidorum ad dimidium cocti ana ℔. 2. ſacchar. ℔. 4.in ſyr. decoquantur. Hic ſyr. ſemper parari poteſt, ſi ſer-

uetur succus granatorum, sed commodius, Vere ob mentæ succum, vel autumno ob granatorum succum. Quòd si nō reperiatur menta bene humida, in eo succo mentæ ℔.1.ß. macera per 24. horas, augendo succorum quantitatem, vel minuendo dosim mentæ ad ℔. 1. fiat syrupus cum sacchari ℔. 2. Vtilis est ad vomitiones & ventris subuersiones, ad singultus, stomachíque relaxationem, & appetentiæ magnam deiectionem. Malumus hanc descriptionem, quia simplicior & paratu facilior, & cum erit opus astrictione, licebit syrupum de cydoniis accipere, aut addere.

Syrupus de stechade.

AD partes refrigeratas, humorésque crassos attenuandos vtilis est, & in affectibus cerebri, qui hic ordine describendus & parandus est.

℞. vuarum passarum enucleatarum ℥. iiij. rad. pyretri ʒ.7. (pyretrum in nullo syr. ponitur, præterquā in isto) calamynthæ, orig. thymi an. ʒ. 10. anisi ʒ. 6. zinzib. piper. longi ana ʒ. 3. florum stæch. ℥. 30. fiat decoctio (facta maceratione per 24. horas) in ℔. 10. aquæ & mel. ℔. 5. & fiat syr. in hoc suspende cinamomi, calamin. arom. spicæ nardi, zinzib. piperis nigri & longi ana ʒ. 1. ligatorum in panno raro.

Datur cum aqua decoctionis spicæ vel rorism. vel cum aquis hyss. betæ, saluiis, & similium. Hic syr. debet fieri cum melle, quia mel magis deterget lentos humores, ad quos coquendos fuit institutus. Et quò dispumetur meliùs, à principio mel ponendum diximus. Nam & quæ hunc syrupum complent, non ferunt magnam decoctionem. Sunt enim odorata & tenuium partium. Possumus prętermittere piper & zinzib. in decoctione, quia in clarificatione ponentur: sed non multùm coquuntur. Forsam aliquis mirabitur, quòd crocum omiserimus: quod non sine ratione factum intelligere oportet. Nam hic syr. in dolore capitis, scotomate epilepsiáque præscribi debet. At crocus tentat caput & lædit cerebrum, dolorem inferendo, vt ait Gal. de compositione hieræ agens, lib *cata topus*. Ob id igitur crocum prætermisimus. Nos tamen non latet vim habere coctoriam, si capitis dolorem non adferret, multúmque ad cerebrum effumaret.

Suffi-

Sufficiunt odorata alia, quæ in clarificatione & pòst, suspensa seruentur, & in syr. legata reponuntur. In hunc syr. pyretrum iniicitur, quo raro vtebantur in internis affectibus antiqui, sed in externis tantùm vel ad pituitæ per os solutionem, vel ad dẽtium dolores. Ob id visum fuit prætermittere, & pro pyretro rad. enulæ campanæ, quæ ad pituitam detergendam & alterandam vtilis est, vel crassam galangam, quæ ab omnibus in affectibus neruorum accommodata existimatur. Calaminthæ tres sunt species: sed parùm refert, quam accipias. Secunda tamen, quæ pulegium regale vulgò dicitur, extenuat & incidit potenter pituitam. Quare putarem præferendam & vsurpãdam. Nota pulegium ceruinum esse diptamum Dioscoridis.

Syrupus de liquiritia.

AD expectorationem & expurgationem pulmonum valet, & hoc modo paratur.

℞. glycyrrhizæ rasæ contusæ ℥.2. capill. vener. ℥. 1. fol. hyssopi viridis ℥ ß. in ℔. 4. aquæ fontis macerentur per 23. horas, coque ad dimidias. Expressum percoque cum mel. & sacchar. ana ʒ. 8. sapæ ℥. 2. aquæ viol. ʒ. 6. fiat syru. Nota penidias non debere ingredi syrupos pectorales, quia incrassant, nisi ex syrupo facere voluerimus eclegmata. Hunc syr. docent præparandum multa, vt ea, ex quibus suam potissimùm accipit facultatem, & effectus, quos præstare scribit Mesue. Valet enim ad tussim antiquam, ad expectorationem, non in principio pleuritidis (nam quæ constringunt & dilatationem thoracis impediunt, non conueniunt, sed quæ incrassando sistunt defluxionem, vt syr. violaceus, syr. iuiubinus, de papauere in tenuissima defluxione) sed vt Mesue docet, ad tussim antiquam quæ attenuantia & detergentia desiderat, & incidentia, qualia hic syr. habet. Dicitur de glycirrhiza, & vires suas assumit ab hyssopo & adiantho, quam capillum veneris vocamus, quæ omnia attenuant. Recipit mel & saccharum: ob id penidias expunximus, quia syrupum incrassant. In eclegmatis ratione optima ponuntur, quia medicamenta diu in gula adhærendo, aliquam partem in tracheam arteriam transsumunt. Sed in syrupis, qui non solùm transglutiendo

sensim, sed bibendo assumuntur, vt ad pulmones veniãt, & detergeant partes, oportet aliquam tenuitatem partium inesse: saltem non esse crassos, vt qui per angustissimas vias ad pulmonem peruenire debeat. Ob id in nullo syru. addi debent, sed cùm modo eclegmatis vti volumus, oportet admiscere tragacanthum, & alia viscida. Aquam violarum ponimus, non auté rosarum, quia, hæc sputum retinet sua astrictione: illa refrigerat, citra astrictionem, & laxat pulmones. Item temperat siccitatem. Nam sicca non debent esse nimiùm, quæ ad expectorationem instituuntur, ne sputum & pituitam resiccent & retineant: quod Gal. docuit obseruandum, secundum locos, de remediis pulmonis agens. Loco penidiarum sapam potiùs addimus, quæ deterget & leuiter constringit, si detur ad defluxiones, compescit detergendo. Id Gal. secundũ locos docens, iubet Diacodium componere cum melle, cùm detergere volueris: cum sapa, ad sistendum fluxiones. Nam quæ detergunt, vt mel, fluxiones mouent. Hæc leuis astrictio sufficiet ad partium corroborationem, quia partes dilatari potiùs, quàm constringi volumus ob suam actionem. Cæterùm aquæ stillatitiæ adduntur decoctionibus, cùm herbæ earum non habentur, & cùm volumus, vt medicamentum penitiùs penetret.

Syrupus de praßio.

SYrupus de marrubio paratur ad pituitæ attenuationem & expectorationem in hunc modum.

℞. rad. apij, fœnic. an. ʒ. 5. rad. glycyrrhizæ ℥. 1. ireos ʒ. 3. prasij, hyssopi recentis, capilli veneris ana ʒ. 6. calaminthæ ʒ. 5. passul. enucleatarum ℥. 5. ficuum pinguium siccatarum num. 15. seminis maluæ, fœnugręci, ana ʒ. 3. seminis lini & cydoniorum ana ʒ. 2. Decoque in ℔. 10. aquæ ad consummationem tertiæ partis. Coll. adde mel. & sapæ ana ℔. 2. fiat syrup.

Hic syru. non est valde necessarius, & si velint medici, possunt carere. Nam si syrupus de glycyrrhiza detur cum decoctione ireos, & calaminthæ, vel hyssopi, vel prasij; vel si syrupo de glycyrrhiza addatur syrupi de stœchade tertia pars, certè idem pręstabit, quod syrup. de prasio; vel si syrupus de hyssopo cum prædictis detur

tur. Præterea non eſt admodum gratus ob ſemen lini & fœnugræci. Recipit etiam mucilaginem cydoniorum, quæ non multùm iuuat. Hîc oportet marrubium & hyſſopum recentem ponere, ne nimiùm exſiccando, ſputũ retineant. Adde quòd marrubium viride probatur in hac compoſitione. Penidias expunximus, & ſapam addidimus, quæ magis conuenit, ſed etiam doloribus renum & colli poteſt conuenire. Detergit enim, & lenit partes exaſperatas, & modicè calefacit. Ventrem leniendo & incidendo laxat, maximè ſi cum decoctione praſsij & herbarum remollientiũ detur, & cum decoctione maluæ. Alio modo capite de Tuſsi deſcribitur à Meſue, & amygdalarum & pinearum nucleos, maſtichem, & cinamomum recipit: ſed hunc magis probamus.

Syrupus iuiubinus.

HIc ſyrupus quia mediocriter inſpiſſat defluxiones tenues, quæ fiunt, & iam factas inſpiſſat, & deterget aliquantulum, aſperitatéſque aſperę arteriæ emendat, in frequenti vſu eſt. Idcirco in officinis retinemus, qui ſi rectè paretur, medius eſt inter violaceum & ſyrup. ex capitibus papaueris, in húncque modum fit.

℞. iuiub. nnmero ſexaginta, hordei mundati, glycirrhizæ, capill. veneris ana ℥. j. florum viol. ſeminis maluæ ana ʒ v. ſeminis cotoneorum, ſeminis papaueris albi, ſeminis melonum, lactucæ, tragacanthi ana ʒ. iij. decoquantur in lib. iiij. aquæ pluuiæ, vel fontis ad conſumptionem dimidiæ partis. In coll. diſſolue ſacch. clarificati lib ij. ß. fiat ſyrupus.

In hoc ſyrupo nihil immutauimus præter ordinem, vt illa ſimplicia ordine, & ſecundum artem collocarentur, atque fructus, radices, ac hordeum decoquerentur diutius. Tragacanthum in fine ponitur, ne longa coctura totum in mucaginem vertatur. Aquæ lib. iiij. ponimus, vt in ſimplici legimus. Quæ quantitas ſufficit, ſi legatur: vel legendum iudicamus, iuiubarum nu. lx. Quidam inepti legunt lib. x. non aduertẽtes illud l. 50. ſignificare, non lib. Sufficerent aquæ lib. iiij. ſed hæc, quæ viſcoſa ſunt, & ſyr. inſpiſſant, nõ debent multum decoqui, quòd vis illa in externa parte ſita ſit, neque tragacan-

thum sustinet longam cocturam. Quare diutius decoquendum est hordeum. Dein iuiubæ fractæ capil. ven. & flores viol. in fine iniici debent, & hoc fuit in caussa, cur minor quantitas aquæ addita sit. Sed qui non norunt naturam rerum, non possunt bene parare, & conqueruntur de viscositate. Si capita papaueris cũ seminibus ponantur, efficacior reddetur. Leuis enim inspissatio est in solo semine. Saccharum clarificatum additur.

Syrupus de papauere.

SYrupus de papauere, quia vtilis est in inspissatione, syrupum de iuiub. sequitur, cuius descriptionem post syr. de iuiub. collocauimus, vt etiam Pharmacopolæ eo ordine disponant in officinis. Ex papauere parantur duo syrupi: quorum alter simplex, quia minus compositus: alter verò compositus dicitur. Sed horum duorum eadem est facultas. Compositum prætermittimus, sumúsque contenti simplici. Nam catarrhus si incrassandus, de iuiub. aptior erit. Quòd si non sufficiat, adde ℥. viij. syru. de iuiub. ℥. j. syr. de pap. multúmque incrassabit. Compositus tamen ad incrassandum catarrhum, & sistendum valebit magis, sed ad stuporem inducendum minùs. Ob id multa sunt addita, quę nihil faciunt ad conciliandum. His de causis minùs compositum consulimus, qui parabitur cum sapa & sacchar. Qui autem cum sapa parabitur, vocabitur diachodium, cum sacchar. verò syr. de pap. de quo postea vt sequitur.

℞. capita papaueris albi numero octoginta, seminis lactucæ ʒ. x. fiat decoctio in lib. iiij. aquæ pluuiæ ad consumptionem dimidiæ partis. Coll. adde sacch. ℥. viij. fiat syr. Hunc syr. parant ex cap. papaueris albi & nigri, æquali pondere & numero. Sed cum papauer nigrum sit periculosum, & stuporem inducat, vel somnum profundum, idcirco visum fuit albi quantitatem augere, & ad capita octoginta numerum reducere, & pro ʒ. x. quæ restabant, seminis lactucæ totidem addimus, vt sequamur Auic. qui iubet non esse pertranseundum, quòd pro nigro pap. seminis lactucæ. ʒ. x. somnum concilient, ob cuius occasionem factus est.

Syrupus de arthemisia.

POst syr. de stœchade syr. de arthemi. poni debet.

℞. rad.

℞. rad. enulæ camp. rubiæ mai. fœni. petros. apij, peoniæ, cyperi ana ℥.j. merc. pulegij, vtriusque calaminthæ, nepetæ, origani, melissæ, betonicæ, stechad. chamædrios, camæpith. sampsuci, sabinæ, marrubij, ana M. j. arth. persicariæ vtriusque ana M. ij. seminis iuniperi, nigellæ Romanæ, libistici, petroselini, anisi, costi, cubebarum, calami, asari, cardam. valerianæ, cymi. ana ℥. ß. radices infundantur in aqua pluuiæ & pauco vino albo. Coquantur in eadem infusione radices primùm & herbæ, postea semina, odorata sub finem, cum volueris auferre ab igne, & sint vltima: cum melle fiat syr. Dari debet cum decoctione glycirrhizæ vel passular. vt addatur aliqua vis detersoria. Quòd si in decoctione parum sem. fœnug. vel rad. bismal. vel consolidæ mai. addideris, vt viscositas horum minuat asperitatem aperientium, quæ exulcerare solent eos, qui frequenter ipsis vtũtur, tutior erit huius syrup. vsus. Diuersæ apud diuersos reperiuntur descriptiones. Aliæ aliqua huc admittũt, quæ cum syrup. hoc pugnant, vt illa vulgaris, quæ tamariscum recipit: & alia aliæ, quæ parum faciunt. Nos verò ex omnibus collegimus hanc, in qua pro foliis rubiæ minoris, rad. posuimus, quia sunt efficaciores. Persicariam vtranque addidimus, quæ & crateogonum dicta est, & multùm ad institutum facit. Deinde in ordinem reduximus, quo debet parari. Sequitur syrupum de stechade, quia fortior est ad extenuandum & ad excalfaciendum pituitam, & ad partium neruosarum vterique exsiccationem, & in catarrhis antiquis. Si cum decoctione glycirrhizæ, & quatuor sem. frig. ma. & pass. administretur, idem præstabit, quod syr. de prassio pollicetur.

Syrupus de hyssopo.

DIu ego dubitaui, in qua serie hic syrupus esset reponendus, vel in numerum eorum, qui incrassant, vel eorum, qui attenuant. Nam rad. apij, fœnic. & fœnugr. recipit cum multis aliis detergentibus: sed etiam hordeum mundatum, myxa, sizipha, semen cydoniorum, tragacanthum, & semen maluarum, quæ omnia inspissant. Sed cùm incidentia & detergentia incrassantibus repugnent, putaui satius esse in medio detergentium &

incrassantium reponi, eritque nobis vsui, cum nondum erimus certi, incrassaréne, an attenuare oporteat, eáque de caussa dispensandum curaui, cuius exemplar erit tale.

℞. hyss. mediocriter sicci, rad. apij, fœnic. glyc. ana ℥.x. hordei mundati ℥.ß. dactylorum à filiis mundatorum, & ficuum pinguium siccarum ana numer. x. pass. mundatarum ℥.xij. zizipharum, m xarum an. num. xxx. capill. ven. ℥.vj. semi. mal. tragac. seminis cydon. ana ℥. iij Coque in lib. viij aquę ad dimidium. Expresioni adde sapę & sacch. ana lib. ij & fiat syr. Apud Mes. quæ aliæ descriptiones reperiuntur cap. de tussi, quarum prior parùm distat à syrupo de iuiub. Altera huic traditæ non valde dissimilis. Differunt tamen, quia hæc recipit semen apij & fœnic. non rad. & anisum, illa semina cucu. Citrul. vltra habet, neque dactylos neque penidias recipit. Ob id eam descriptionem voluimus relinquere, ac tantùm indicare semina potiùs, quàm rad. esse vsurpanda. Nam rad. non sunt necessariæ ad incisionem. At semina sufficient. r id præstant, & flatus discutiunt, qui pituitam chymosam facientem tussim, & spirandi difficultatem inducunt, quia spatia pulmonum magis repleat. Præterea hîc syrupus ex hordeo & fructibus componitur, tum flatulentis, tum flatus gignentibus, quia dulcia relaxando ventrem, multorum flatuum gignendorum sunt caussa. Quare non radic. sed semina fœnic. & apij iniicimus. Quòd si anisum addere volueris, erit melior & efficacior. Nam anisum præter quàm quòd flatus discutias, aliquid dulcedinis habet. Quare poterit ad expectorationem nonnihil facere.

De decoctionibus.

DE cocta multa in Mesuæ dispensario descripta sunt, quorum aliqua hîc inferemus, & alia omnino prætermittemus, tanquam superflua. Nam talia non parantur, vt seruentur, quia seruari non possunt. & à syru. non differunt Quòd si in vsum trahantur à medicis, immutata præscribuntur. Nos hîc decoctionem communem clysteris, & medicinæ & pectoralem tantùm describemus.

Deco-

Decoctio communis clysteris.

℞. Betæ, mal. parietariæ, branchæ vrsinæ, & mercuria. ana M. j. furf. p. j. fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ. Quòd si addantur ℥. ij. anisi & fœnic. melior erit decoctio. Omnia cerealia in parte externa vim habent detergendi. Item quæ easdem vires habent medicamenta, in æquali portione poni possunt, alioqui minimè.

Decoctio communis medicinæ.

DEcoctum commune medicinæ, quod hodie ad dissoluenda solutiua vsurpatur, sine arte & ineptè descriptum est. Fiat autem in hunc modum.

℞. hordei integri p. j. prunorum & pass. ana par. x. glyc. rasæ ℥. ij. viol. p. j. anisi ℥. j. fiat decoctio. Dicitur autem communis, quòd nulli parti aut humori sit destinata, vt est pectoralis, qua vtimur in affectibus pectoris, neque ad pituitã, bilem, vel melancholiam, sed tantùm leniens ad omnia excrementa. Idcirco tamarindos expunximus, quia lædunt ventriculum, & ad bilem præscribuntur, sed cùm communis paretur, non est necesse addere tamarindos. Anisum prætermissum addidimus, quia odorata semina cum medicamentis laxãtibus sunt admiscenda, vt Hipp. lib. de victu acut. imperat. Adde quòd pruna & hordeum flatus gignunt, quos discutere oportet.

Decoctio pectoralis.

DEcoctum pectorale dicitur, quòd magis ad partes pectoris destinatum sit, quàm commune, nihilque habeat quod parti non conueniat. Sed fuit hoc non minus ineptè descriptum, quàm prius.

℞. hordei integri p. j. gly. ℥ ß. capill. ven. hyss. ana M. j. ficuum, dactylorum mundatorum, pass. enucleatarum, sebesten ana pa. vj. florum viol. bugl. ana p. j. anisi ℥. ij. fiat decoctio, quæ vsui erit ad medicamenta laxantia pituitosa dissoluenda, vtilis ad detersionem & expectorationem in pleuritide. Istud dici potest decoctũ fructuum quo vtendum est, vt vult Mesue, ante concoctionem. In ordinem reduximus hanc decoctionem, & addidimus anisum ob rationem superiùs ab Hippoc. addu-

ctam. Apposuimus ficus, quia parti magis conueniunt, & flores cordiales, vt borrag. & buglossi.

De laxantibus medicamentis.

LAxantia medicamenta vel sunt mollia, vel dura. Mollia sunt, vt confectiones, vt diacassia, catholicon, diaphœnicum, indum maius, cōfectio hamech, hiera picra, vel hiera colocynthidos. Dura sunt, vt electuaria, electuarium diacarth. de succo rosſ. de citro solutiuum. Vel sunt pilulæ. Hæc sufficiunt ad morbos curandos. Plura ergo habere, superfluum est. Nos verò à communioribus incipiemus.

Diacassia.

EX cassia multa componuntur remedia. Hoc autem à cassia nomen accepit, tanquam à nobiliori & præcipuo. Fiunt autem duobus modis, vel ex decocto herb. siccatarum, vel ex succis. Quare succorum tempore paranda erunt. Quòd si ex decocto parare velis, id omni tempore poteris. Hæc decoctio pro clysteribus & pro pauperibus commune medicamentum fit ad leniẽdum ventrem, sic.

℞. succorum violariæ, maluæ, betæ, mercurialis, parietariæ ana quar. j. succi absynthij communis ℥. ij. mell. lib. ß. fiat decoctio donec ad consistentiam aliquam, vt mellis, reducantur. Cui adde cassiæ recenter extractæ lib. j. misce, & seruetur vsui. Quòd si ex decoctione parare volueris, fiat hoc modo.

℞. violariæ, mal. mercurial. betæ, pariet. ana M. j. absynthij communis M. ß. fiat decoctio in sufficiẽti quantitate aquæ, & facta forti expressione, adde mell. ℔. j. ß. misce, fiat decoctio ad consumptionem dimidiæ partis. Cui adde cassiæ ℔. j. commisceantur. Hæc compositio debet plus mellis habere propter aquam decoctionis. Expũximus succum florum viol. sufficit succum habere herbę in priore: in ista etiam sufficit herba. Quod si quis velit in decoctione apponere, nolo propter viol. à communi opinione dissentire.

De catholicone.

CAtholicon medicis in omnibus compositionibus laxantibus in frequentissimo vsu est. Non multùm à diacassia differt, nisi quia recipit, quæ magis laxant, vt polyp.

polyp. senam, & rhab. Euacuat communia excrementa ventris, partim lubricando, partim attrahendo. Dicitur ob id catholicum, quasi dicas vniuersale, quòd non sit vni humori destinatum & determinatum medicamentum, sed in ventre, siue bilis, siue pituita, siue feces, expellit citra calfactionem. Componitur autem hoc modo. Fit decoctio ex polyp. lib. j. & postea addito saccharo, coquatur in syrupum, qui inspissetur sequenti puluere, & cassia, & tamarindis. Puluis autem hæc recipit.

℞. foliculorum senæ ℥ viij rhab. viol. polyp. anisi ana ʒ. iiij. glycirrhizæ, penid. sacc. candi ana ʒ. iiij. quat. sem. frig. ma. ana ℥. j. Cassia & tamarindi in prædicto syrupo dissoluantur, postremò puluis. Hæc compositio delicatior & efficacior, & minori sumptu fit, faciliúsque hoc modo paratur. Decoquatur polypod. lib. j. & ℥. iiij. quia polyp. crassamentum constringit plus, quàm laxat, & multos flatus gignit, ventrémque lædit: quare melius erit decoquere. Decoctioni addes quatuor sem. frig. ma. ana ℥. j. anisi, viol. recentium ana ʒ. iiij. fiat decoctio in lib. xij. aquæ ad consumptionem lib. iiij. dissolue sacch. lib. viij. Coquantur in syrup. In quo dissolue cassiæ, tamarind. ana ℥. vj. anisi triti ℥. iiij. lyquiritiæ rasæ ℥. ß. folio. senæ pulueris. ʒ. viij. succi rosarum ℥. iij. fiat confectio. Alij habent, violarum recentium ℥. iiij. anisi ℥. j. In dissolutione verò cassiæ, tamarind. ana ℥. viij. anisi triti ℥. iij. Hæc confectio sine rhab. imperatur, quia Pharmacopolæ non apponere solent, nisi vel antiquatum, vel corticem, vel frustula, quæ asseruant, cùm infusiones ex rhab. parant. Quare satius erit non iniicere, quàm tale. Magis enim constringit, quàm laxat, maximè in substantia. Quare nos succum rosarum substituimus, quia laxat ventrem trahítque biliosa & aquosa, vt rhab. Dosim auximus, vt efficacior redderetur & in minori quantitate laxaret, ne hæc compositio molesta sit ob eius molem. Quòd si succus ponatur, erit minoris sumptus, & pro pauperibus etiam sic parari poterit. Nisi vererer reprehensionem, pulpam prunorum pro tamarindis apponerem, tum quia si sint acida, maximè bilem extingunt & ventrem laxant, vt tamarindi, tum quia paratu erit facilior. Frustra enim quæruntur exo-

tica, cùm ex noſtris medicamenta parari poſſunt. Penidias & ſaccharum candum addimus, ad ℥ ß. In hac compoſitione accipiuntur ℥. viij ſacch vbi nulla amara reperiuntur. Penidiæ ad inſpiſſationem adduntur. Quare minorem quantitatem decoctionis accipiendo, vel inſpiſſando magis, ob ſuccum roſ. & lyquir additam, ſimilem conſiſtentiam addemus compoſitioni.

De diaphœnicone.

Diaphœnicon à dactylis nomen accepit, vt empl. diapalma, diaphœnicum, diachalciteos. Hęc autem compoſitio ad euacuandos craſſos humores facta eſt, quia in frequentiſſimo vſu eſt, erit hoc modo paranda.

℞. dactylorum mundatorum à filis & piſtatorum & infuſorum cum vino albo per triduum ℔. v. vel ʒ. 50. pinearum cum aqua hordei decoctarum ʒ. 40. turbith. ʒ. 35. (turbith apud Arab. accipitur pro omni radice purgante pituitam craſſam & viſcidam) amygd. dulciũ mundatarum ʒ. 30 ſcammonij ʒ. xij (ſcammonium decoctũ in malo cotoneo abiici debet. & caro cydoniorũ retineri) zinziberis, piperis longi, cinamomi, macis, galangæ, ligni aloës, fol. rutæ ſiccorum, aniſi, fœn. ſeminis paſtinacæ agreſtis, vel domeſticæ ana ʒ. ij. ß. Cinamomum omnium humorũ vitia emẽdat. Hæc compoſitio paucis immutatis optima erit ad pituitam craſſam & lentam euacuandam. Dici poterat ex turbith, vt meliùs intelligeretur. Dactyli ſunt eligendi recentiores, qui non ſunt immaturi. Nam maturi habent etiam aſtrictionẽ ſufficientem ad ſcammonij correctionem, & immaturi nimiùm conſtringũt pro compoſitione pituitoſa. Nam, vt docet Gal. 1. ad Glauc. abſynt. quod calidum eſt & ſiccum, non conuenit in pituitoſis affectibus ob aſtrictionem. Aliud enim eſt medicamẽtum ad craſſos crudóſque humores, aliud ad tenues parare. Scammonium, vt dictũ eſt, caſtigari debet in bilioſis medicamẽtis. In pituitoſis verò ſatis eſt, ſi aliqua ſint lenta, vel craſſa, quæ eius tenuitatem caſtigẽt, & ob id maturos dactylos volumus, quanquam Meſue aliter videatur imperare ſecũdum interpretationem aliquorum, per flauos intelligẽtes immaturos. Nam immaturi cholicũ dolorem augerent, nõ curarẽt, neque etiam ob morbũ cholicum, quem curare dixit, in aceto mace-

macerare oportet. Acetum nanque constringit, & morsu suo intestina lædit dolentia. Quare in vino albo macerandos dactylos iubemus triduo, & in vase vitreato, ne ex ære, aut alia quapiam materia aliquid mali contrahant. Si autem molles sint satis, non erit opus maceratione. Si duriores, diutius macerentur. Quòd si in aqua & vino calidis macerentur, citiùs mollescunt. Cõtunde diligenter, & per cribrum modicum, tum amygdalis simul tusis transmitte. Postea accipe mellis libras vj aquę & vini infusionis dactylorum libras xij. Decoquantur & despumentur, donec relinquantur ℔.iij. & ad consistentiam mellis, reliqua tusa & puluerisata misce, fiat confectio. In hac compositione non cõueniunt authores. Alij enim penidias ex aqua hord. paratas, alij verò pineas legere volunt, id est, nucleos pineæ. Legendum tamen videtur, pinearum, quia magis conueniunt ad pituitæ præparationem. Detergunt & expectorant. Et quemadmodum amygd. iniicere iussit, sic censeo nucleos pini intellexisse. Auget suspicionem, quòd in quibusdam exẽplaribus legitur, coctarum in aqua hord. melius, infusarum in aqua hord. amygdalæ & nuclei, ne pinguescant, in aqua frigid. macerantur. Sed hîc, vt magis detergant, in aqua hord. macerantur. Quòd si quis penidias velit admiscere, non multùm peccabit. Nam & penidię, si ex farina vel decoctione parentur, detergunt leuiter. Lignum aloes, quia verum non affertur, habétq; saporem ingratũ, visum est illud auferre. Quòd si quis santalũ citrinum, vel cinamom. velit substituere, magis gratum reddetur. Pro dauco semen pastinacę agrest. vel domest. ponimus, quia succedanea sunt. Mel despumandum, & decoquendum in ea aqua & vino, in quo dactyli fuerunt macerati, vt si quid viriũ deposuerit in infusione, restituatur, efficaciórque erit hoc modo parata, eritque medicamẽtum pituitosum, & cholicũ dolorem sedans, quia pituitã soluit, & non habet ea astringentia, neque cassiam, quæ tormina excitare posset, & in diuturnis morbis efficacissimum medicamẽtum de turbith hoc tantùm dicã, quòd radix est cineritia & alba, pituitã soluens crassam, neque amara, vt agaricus. Quòd si quis vero & bono turbith destituatur, agaricum infusum in melle substitui potest

Nam ob cinamomum, galangam, anis. piper, fœnic. & daucum, pituitam crassam soluet. & à longinquo purgabit. Nulla compositio est in Mesue, qu sit cum ista comparanda, tum quia nulla alia medicamenta, quæ molem augent, recipit, & quæ recipit, odorata sunt, ventríque & ori non ingrata. Respondet quodammodo Indo maiori, sed in alia forma, Arabico more descripta, pituitosis medicamentis astringentia addita sunt. Recipit enim succum ápij fœnicul. cotoneorum, granatorum, & multa odorata astringentia, vt ros. santalos, & alia multa, quibus posset carere. Hac medicus ad pituitosos morbos contentus esse potest. Nam iisdem medicamentis laxantibus constat, scammonio, scilicet, & turbith. Quòd si quis velit vti in articularibus morbis, timeátque nimiam humorum digestionem, addat myrob. vel rhabarb. in substantia. Illa laxabunt, & constringent. Sed in articulari morbo cùm materia defluit, non oportet medicamentis fortioribus mouere. Idcirco hæc vsui erit tempore, quo consistit fluxio.

De Indo maiore.

INdum maius subiunximus, non vt dispensetur, sed vt videant non multùm differre à diaphænicone, & quibus abundat, potiùs deteriorem confectionem faciunt, quàm meliorem, nempe istis astringentibus additis, & copia attenuantium, quæ augẽt molem & calorem eius.

Huius permixtio talis erit.

℞. cinamomi, garyoph. spicæ nardi, ros. cassiæ ligneæ, macis, cyp an. ʒ. iiij. santali citri. ʒ. ij. ß. aloes, nucis mosc. an. ʒ. ij. turbith electi ʒ. j. (lignum aloes & succus cydon. non conueniunt compositioni Indi maioris) sacch. penidiati ʒ. xx. galãgæ, heil, id est cardamomi, asari mastic. an. ʒ j. ß. diagridij ʒ. xij. omnia cum oleo amyg. foueantur, deinde accipe succi cydon. succi granat. apij, fœnic. an. ℔. ß. coque cum melle ad spissitudinem, & confice cum speciebus. Pró Indó maiore, diaphænicone vtendũ censeo. Quòd si velis magis attenuare, dissolue in aquis petro. vel adde dissolutioni syr. de stæcha. ℥. j. ß. pro dosi, & omnino similis erit. & eadem præstabit.

Confectio hamech.

COnfectio hamech non est prætermittenda, vtilissimum

mum enim est medicamentum ad ichores humorum prauos euacuandos. Sed ratio est componendi docenda: non enim sine magna molestia & difficultate paratur.

℞. myrobal. citrinorum ℥. iiij. chebulorum nigrorum, rhab. ana ℥ ij. agarici, colocynth. polyp. an. ʒ. xv. absynth, thymi, senæ ana ℥. j. viol. ʒ. xv. epithymi ʒ ij anisi, rос. recent. (ad odorem, apertionem & corroborationem) fœnic. ana ʒ. vj. succi fumariæ lib. j. prunorum numero lx. vuarum, passul. mundatarum ℥. vj. macerato dies quinque in seri lactis sufficienti quantitate, in vase vitreo stricti oris, & obtura, semel deinde ferueant, fricentur, & collentur. Coll. adde cass. fist. purgatæ ℥ j. tamarind. ℥. v. mannæ ℥ ij. frica manibus, colla, percoque ad mell. spissitudinem cum lib. j. ß. sacch. & ℥. j. ß scammonij Postremo die adde myrob. citrinorum, chebul. & ind. ana ℥. ß. bellericorum, emblicorum, rhab. seminis fumar. an. ʒ. iij. anisi, spicæ nardi, ana ʒ. ij.

Hæc compositio videtur nulla arte composita & contra theoremata à Gal. Mesue, & aliis tradita. Nam infunduntur diutius & concoquuntur, maximè inæqualia, vt polyp. myrob. agaric. colocynthis, flores viol. ros. epith. thymus, rhab. Polypodium quidem coquendum & macerandum, flores min ùs, epith rhab. non diu, ne vires resoluantur, vt neque flores. Quare videntur illa infundẽda solùm, quæ dura, vt faciliùs eorum vis & succus eliciatur, vt ea quæ astringunt magis, quàm laxant, vt in myrob. & rhab. experimur. Nam facultas laxãs, quæ sita est in tenuiori parte, euanescit longa coctura, & astringens magis adaugetur. Quamobrem nos hoc modo parabimus, polypodium in sero lactis capræ, vel asinæ maceretur per 24. horas, cũ passul. & absynth. ac decoquantur. Nam diutius seruatum serum putrescit. Deinde iniiciantur semina fœnic. agar. colocynth. thymus, epith. sena, violæ, rosæ, in sufficienti quantitate seri, id est, in ʒ. ℔. fricentur manibus, & collentur. Coll. adde lib. j. ß. sacch. Coque ferè ad spissitudinem mellis, postea adde succi fumariæ lib. j. Deinde dissolue cassiæ, tamarind. maceratorum in vna decoctionis parte ana ℥. v. mel. viol. ℥. ij. Reliqua omnia in puluer. redacta incorporẽtur, fiat confectio hoc modo. Succus nõ decoquatur, neque alia,

quæ paucam aut nullam sustinent decoctionem. Quòd si quis myrob. confricatas in succo ros. & tamarind. coquere velit, modò non diu coquatur, non repugno. Sunt enim laxantes: si decoquuntur, inutiles redduntur. Hæc compositio efficacissima est. Quare in minori quantitate danda est. Quòd si cum decoctione mercurialis detur, serosa magis purgat. Colocynthis & agaricus in panno liganda, vel per collum collanda, ne agarici aliquid & colocynth. descendat. Aliud animaduersione dignum de seri decoctione. Serum ad purgationem eligi debet, quod magis est acre vel aquosum. Vtile est camelinum, vt & asininum. Multum seri habent, & laxant, & detergunt magis. In horum penuria caprinum, quod acre est, & agninum vel ouile. Serum minùs laxat, & bene separandum est à lacte. Nam casealis substantia sistit, & non laxat, idque citiùs coctione longa, quàm florib. chamæleontis separare oportebit, & vtẽdum postea. Prohibeamus ne per quinque dies macerentur. Nam passul. & seram ipsam confectionem acidam redderent, & putresceret, tandémque medicamenta corrumperentur. Sufficit igitur macerare 20. horis, & diutius coquere.

Triphera persica, id est, delicata.

TRipheram persicam post cõfectionem hamech collocauimus, propterea quòd non multùm sunt dissimiles in euacuando, nisi quòd confectio hamech ventrẽ lædit ob diagridium & colocynth. Triphera verò ventrem refrigerat, relaxatum cõfirmat, purgat ferè omnes humores cũ astrictione & refrigeratione. Recipit autem succorum solani, intybi, lupuli purgatorum an. lib. ij. In quibus coque prunorum numero 50. follic. senæ orientalis ℥. ij. viol. recentium lib. j. ag. ℥. j. cuscutæ ℥. ß. spicæ nardi ʒ. iij. Decoquantur lento igne succi, donec ad lib. j. redeant, & in fine inice epith. ʒ. iiij. myrobal. citrinor. ind. chebul. confricatorum in oleo amygd. amararum ana ʒ. ij. ferueſiant: parum collentur, & in vna parte decoctionis dissolue tamarind. recent. ℥. iij. pulpæ cass. ℥. iiij. mannæ ℥. ß. Per setaceum collato, vt separentur semina & cortices. In altera parte decoctionis & lib. ij. aceti vini albi dissolue sacch. lib. iij. Coquantur ad mel. spissitudinem, cui misce omnia dissoluta. Modicùm coquantur

quantur lento igne, cui inspissationi adde rhab. tenuissimè puluerisati ℥. ij. myrob. citrinorum ℥. ß. chebul. & ind. an. ℥. j. bellericorum & emblicorum an ℥. ß. seminis fumariæ, trochiscorum diarrh. abb. macis. masticbes, cubeb. antispodij, sandali citrini, quat sem. frig. ma. minutim incisorum an. ℥ j. ß. anisi ℥. j. spicæ nardi ʒ. ij. Triphe ræ multæ sunt species, sed hanc inter alias vsurpamus, quam vtile est paratam habere. Laxat enim & constringit citra calfactionem, neque nimiùm laxat aut cõstringit. Hoc tamen mutamus, vt confricentur myrob. oleo amygd. dulciũ. Quòd si timeatur nimia astrictio, confricentur oleo amyg. amararum. Iterum est vt antispodiũ vocatum, non spodium, antispodium scilicet, quod ex arbore vel fructu constringente paratum est: quale illud est ex ramulis myrthi, vel oleæ, vel oleastro, vel malis cotoneis. Videtur hæc compositio nimiùm resiccare. Sed quia datur in affectibus intestinorum humidis, ob id hoc medicamentum factum est. Sed hæc siccitas, cassia & florib. viol. temperatur, castigatúrque sufficienter quatuor sem. frig. ma. Si quis sacch. rubrum vel mel. pro manna in illa decoctione ponat, medicamentum non minùs efficax erit: sic nec si pro rhab. succum rof. quis ponat, parua illa quantitas nihil potest, vel nihil aliud, quàm mel, potest præstare. Detergit enim leuiter, quod mel viol. vel rof. simplex potest maiori pondere.

De citro solutiuum.

IN nostris offic. dispensatur electuarium in forma tabellarum quod effectu respondet diacarthamo, vocatúrque elect. de citro solutiuũ, ad differentiã non soluẽtis. A diacarthamo nó multùm differt, nisi quòd hoc pituitã crassam magis attrahit ob turbith. Altero illorum carere possumus: sed quia est apud nos in maximo vsu, & castigata à Domino Falcone, nolui ego prætermittere. Substitui potest in locum diaturbith, quod est medicamentum purgans, ex cortice citri, scammonio, & turbith, cõpositum à recentioribus. Electua. de citro compositum ad euacuandam pituitam bili permixtam, non recipit crassa & astringentia. Quare in pituitosis febribus non erit reiiciendum. Recipit pul. diatragacanthi frigidi cum diacarthamo, & carnem cydoniorum, & alia,

quæ pituitam detergunt: alia quæ attenuant, & ad iuncturas deducunt, vt in diacarthamo. Quare in morbo articulari diach. erit ex vsu: hoc vero in morbis pituitosis, si sine affluxu sint. In eductione pituitæ crassæ semper aliqua humida sunt permiscenda, ne nimiùm desiccata pituita educi nequeat. Compositio talis est.

℞.conser. cort.citri, viol.borrag.ana ℥.x.pulueris diatrag.frig.turbith, diagrid.ana ℥.j sacch.℔.ij. misce, fiat elect. Hoc medicamẽtum corticem citri recipit pro materia, & medicamento ventriculum reficiente, & quia minùs astringit, cum turbith magis conuenit, & in morbis magis pituitosis non esset reiiciendum, sed potiùs eligendum, quia hæc compositio ad pituitosa est, ad quæ detergenda mel est optimum & magis aptum. Cõseruæ bugl.borrag. & viol. magna vtilitate ponuntur, quia humidæ cùm sint, siccitatem & calorẽ turbith & diagridij sua humiditate temperant, & prohibent, ne pituita exiccata difficiliùs expellatur. Nã, vt Gal. ait de pleurit. medicamen. aliquod miscendum medicamentum humidum, ne pituita exiccetur in thorace. Pituitam educentia prosunt magis in forma pil. idque propter longam moram, quæ est necessaria ad pituitæ crassitiem. Turbith & diagrid. ponuntur æquali pondere, quod minùs probo. Mitius esset, si diagrid. minori quantitate poneretur, vt potiùs iuuaret operationem turbith, quàm suã, nisi bilem traheret. Hoc medicamentum magis pituitosum est, quia si biliosum esset, non adderetur turbith, quod crassam pituitam trahit. Sed quando trahenda est pituita crassa, oportet iuuare actionem illam minima quantitate diagrid. quod accelerat turbith operationem. Quare optimum erit, vt diagridij ℥. ß. tantum ponatur. Nonnulli sacch. lib. iij. nos autem lib. ij. adiungi volumus, ne augeatur mole. Medicamẽtum efficacius erit cùm diagrid. dosim minuerimus. Reperitur & alia descriptio, quæ in hoc tantùm ab hac differt, quòd conseruam viol. non recipiat, quæ magis refrigerat & humectat, sed buglossi. Sed hæc differentia non est magna.

De diacarthamo electuarium.

IN forma sicca fit electuarium hoc, quod pituitam purgat satis potenter, & recipit detergentia & pituitam ducen-

ducentia, & ad accelerationem, aliquid diagridij. Vis medicamenti nonnunquam tanta est, vt à iuncturis trahat. Præparatur autem hoc modo.

℞. diatragacanthi frig ℥. ß. carnium cydoniorum ℥. medullæ carth. ℥. iiij. zinzib. albi ʒ. ij. diagridij ʒ. ij. turbith albi ʒ. vj. mannæ granatæ, mell. rof. collati, ana ℥. j. facch. candi ʒ. vj. hermodactylorũ ʒ. iiij. facc. in aqua disfoluti, q. f. fiat electuarium in tabellis. Hæc compositio est Arabum, quia solent semper ad corroborationem vẽtriculi & hepatis aliqua astringentia addere, vel ad impetum diagridij & turbith compescendum. Si penidiæ ponerentur loco tragacanthi, vel loco carnium cydoniorum, compositio magis communis esset ad omnes affectiones pituitosas. Hanc compositionem aliqui non intelligentes componendi rationem vituperant, sed nulla ratione, quòd efficacior sit, soluátque nimiùm. Sed istis respondebimus medicamenta fortia in minori quantitate assumpta esse debilia. Præterea non animaduertunt hanc compositionem factam esse ad pituitæ euacuationem, quæ si à medicamẽtis siccioribus trahatur, propter exiccationem tenuioris partis difficillimè euacuatur. Vt igitur tẽperetur siccitas medicamentorũ, admiscent diatragacanthum frigidũ, & vt faciliùs purgetur, mel & saccharũ ad detersionem. Et quia hac compositione vtũtur in morbo articulari, addiderũt carnem cydoniorum. Sed multò meliùs esset corticem citri conditi apposuisse, vel dactylorum carnem coctam & contusam, vt in diaphœnicone. Desideratur in hac cõpositione parũ anisi ad flatuum discussionem. Nam hæc laxãtia & dulcia solent flatus gignere, quanquam zinziber incidendo pituitam & calfaciendo id facere potest, sed non sufficienter. Quare si anisum, & fœnic. addideris, soluet cum minori molestia & læsione. Valet hæc compositio in pituitosis, biliosis, & melãcholicis affectibus, sed in melancholicis si detur cum decoctione melancholiã purgante. Minùs conuenit in biliosis. Carthami medulla pituitam purgat, & reddit corpus immune omnium obstructionum. Diagridium purgat bilem. Ponitur autẽ in medicamentis articulorum ob duplicem rationem, tum quia facit medicamentum penetrare & operationem accelerat, tum quia

morbus articularis ex sola pituita non fit, sed bili admixta. Quomodo enim posset pituita in articulos penetrare ac peruenire, nisi opem ferente bile? Quòd si diagridium penetret, purgétque bilem, ideo morbis articulorum conuenit. Prodest ad euacuationem cholerae & phlegmatis. Purgat enim pituitam propter turbith, & medullam seminis carthami: bilem verò, propter diagridium. Adhæc purgat humorem melancholicum, & ego multas febres quartanas curaui vsu diacarthami potius, quàm confectionis hamech, aut alio modo.

Electuarium de succo rosarum.

EX succo rosarum paratur electuarium bilem flauam euacuans fortiter, neq; admodum calfaciens, quod in forma opiatę parari potest, vel in forma dura & sicca. Et quia aliqui sicca libentius, quàm humida accipiunt, optimum erit in formam tabellarũ reducere, vt maiores consueuerunt. Huius medicamenti vice multæ sunt descriptiones etiam in eodem antidotario, ita vt in dubio sit Pharmacopola, quã debeat eligere. Quare non erit præter institutum indicare, quæ omniũ magis probanda sit. Alia enim est Nicolai, alia Mes. alia Syluij, quæ est secũda Nicolai parùm mutata. Sed nos illam secundã magis probamus: Alia Tralliani, sed cur descriptionem Nicolai potiùs, quàm aliorum præelegerimus & retinuerimus, danda est ratio, ne temere aut malo animo id factum esse existimetur. Nicolai compositio quia efficacior & paratu facilior, idcirco à nobis eligitur. Illa verò Mes. maiorem quantitatem trochiscorũ recipit, quia nimiùm astringunt, & simul alia calida habet, vt galliam & crocum, quæ nihil aliud efficiunt, quàm corpus calfaciendo febrem ac bilem accendere, neque hoc impedire possunt trochisci oxyacanthæ, id est, berberis. Molem etiam augendo medicamentum reddunt imbecillius, vt maior quantitas danda sit ægro magno cum eius fastidio & sumptu. Altera quæ ad Syluium refertur, quæ parum ab illa Mes. differt, media est inter Mesuæ & Nicolai compositionem. Ob id paulò melior, quòd expunxerit trochiscos de spodio, & trium sandalorum genera substituerit an. ℥. vj. ex Nicolai compositione mutuò accipiẽs. Crocum abstulit, gallam moscatam reliquit, sed cum melle

melle & facch. parandum docet, quod fieri non poteſt. Nam parùm conuenire videtur mel, quia hæc compoſitio ad bilem, non pituitam paratur. Adde quòd mel bilioſis aduerſum eſt. Preterea humidius redderet electuarium, nec poſſet commodè in formam ſiccam reduci. Denique moles eius aucta eſt multis medicamẽtis caſtigantibus & corroborantibus, quibus non erat valde opus. Nam ſcammonij calor, tenuitas & malitia ſatis ex ſucco roſarum, ſandalis & antiſpodio caſtigatur. Quare non eſt opus plura adderẽ. Molem enim augent. Nicolaï deſcriptio talis eſt.

℞. ſacchari ſolidi, ſucci roſ. ana ℔.j. & ℥.4. omnium ſandalorum an.ʒ.6. ſpodij ʒ.3. diagridij ʒ. 12. caphuræ ℈.1. Caphura calida eſt tenuium partium, quę ſi pura eſt, ſpecies eſt aſphalti: ſi ſpuria, ſublimatio maſtiches. Nos verò hanc deſcriptionem ſic caſtigamus. Pro ſpodio ſennæ, vel pro ebore ponatur antiſpodium ex malis cotoneis, vel myrtho paratum, vt docet Dioſcorides capite de Antiſpodio. Nam malum cotoneum aliquam habet ſocietatem cum diagridia, & illud antiſpodium aliquam ſeruat aſtrictionem, ad ſcammonij præparationem & ventriculi corroborationem. Et poſtquam illud ponitur, pro diagridio ſcammoneum ponemus, & efficacius erit. Caphuram expungẽdam cenſemus, quia nimis tenuiũ eſt partium, & calfacit potiùs, quã refrigerat, quod inutile eſt ad bilem. Ingrato enim odore ſuo caphura hîc non conuenit. Tenuitas verò partium in medicamentis ſoluentibus eſt fugienda. Nam deducit ad cor, & per abditiſsimas ventriculi partes purgans medicamentum, quod ex genere venenoſorum. Præterea hæc cõpoſitio plura reſiccantia recipit, quæ ex accidenti retinent. Caphurę loco maſtichen repoſuimus, quia plus aſtrictionis, & minùs tenuium partium, & ventriculum iuuabit. Quòd ſi quis gummi tragacanthi ℈.1. velit ſubſtituere, melius erit. Apud Trallianũ reperitur etiam deſcriptio, vt docet Syl. in com. Meſ. quæ non ad bilem, ſed ad bilem & pituitam euacuandam, & articularem morbum facta eſt, propter ſuccum roſ. & ſcammonium. Recipit piperis ʒ.1. ag. ʒ. ß. paratúrq; cum melle, hoc medicamentum, quod propter mel & piper calidius eſt, quàm

oportet esse medicamentum laxans bilem, quę calidissima est, & tenuissima, quæ diffluat in articulos. Hoc prudenter factũ est quòd ℥ ß. agar. addita, si poneretur ℥.j bilem traheret. Sine pipere oportebat esse. Quod si ad pituitæ attenuationem, oporteat agaricum esse, in minori quantitate poni debet. Adde quod zinzib. magis, quàm piper cum agarico conueniret. Hæc compositio Rhodomel Actuarij est, si piper auferatur. In eodẽ Alexãdro reperitur alia huius cõpositionis descriptio, quæ talẽ esse oportere docent rationes nostræ. Quare ita fit.

℞. succi viol ℥ 2. aut 3. scammonij ℥.1. lactis tithymali ℥. 2. (scammonium semper ponitur in compositione, in qua sunt astringentia, non autem diagridium) mell. attici ℔.1. Hæc compositio efficacior est, propter lac tithymali magis venenosa. Mel additur, quo ventriculus roborari possit, vel impetum & acrimoniam obtundere. Quare illa Nicolai omnibus præponenda, quam correximus, vt sequitur.

℞. sacch. solidi, succi ros. ana ℔.2. & ℥.4. omnium sandal. ana ℥.6 antispodij ex cotoneis, vel myrtho ℥.3. scammonij ℥ 7. mastiches vel gummi tragacanthi ℈. 1. ß. fiat electuarium in tabellas. Seruetur in arca lignea, loco sicco. Est cholagogum forte, quo vtendum in biliosis affectibus, qui non sunt cum defluxione. Nam si cum defluxione essent, tunc rhab. adiungere, deberemus vel myrob. & hoc in morbo articulari à bile facto. Paranda est hæc compositio, dum adhuc succus ros. est recens. Antiquatus enim redditur crassus & minùs laxans. Antispodium abluendum est, vt empireuma deponat. Sandali dicuntur refrigerare, quod de citrino, vel rubro dubitandum est. Sed nihil impedit ex diuersa substantia lignea, sanda. tenui, scilicet, calida & terrea cõstare. Nux moscata omissa est in hac compositione, quòd vomitum moueat, nisi fuerit omphacina, ob abundans oleum.

Aromaticum rosatum.

IN officina, vt bene instructa sit cõfectiones, vt vocant aromaticas esse oportet, & in forma pul. & in forma opiatæ. In forma confectionis parantur, quæ vulgò Aromatica vocantur ab eo, quod vincit, vt garyophyllatum à garyophyllis, aromaticum rosatum, à rosis. Et quia

à diuersis

à diuersis fuerunt, hæc variis descripta sunt modis. Idcirco delectus est habendus, vt in aromaticis est aromaticum rosf. descriptione Gabrielis receptum à maioribus nostris, quanquam illud Mes. non minus laudãdum sit. Est & aliud nardinum, & aliud moscatum: sed quia vsus recepit, illud etiam retinẽdum censemus, & aromaticũ moscatũ, de quo suo loco dicemus. Possunt hæc omnia antidota vocari, quia ad morbos longos, & ad venenata valent talia medicamẽta. Antidotus aromatica ex Ioanne Damasceno descriptione Gabrielis, recipit varia medicamenta preciosa, vt,

℞. rosf. rub. amotis vnguibus ʒ. 15. glyzr asæ ʒ. 7. cinamomi electi ℈. 5. sandali moscatelini (pro ligno aloës, quia amarum) sandali citrini ana ʒ. 3. macis, garyophyl. ana ʒ. 2. ß. gummi Arab. tragacanthi leuiter assatorum ana ʒ 2. & ℈. 2 spicæ nardi ʒ 2. nucis moscatæ, cardamomi, maceris, galangæ ana ʒ. 1. ambræ ℈. 2. moschi ℈. 1. syru. conseruationis corticis citri q. s. pro facienda confectione, vel sacch. dissoluti in aqua mentæ, vel absynthij stillatitia. Fiat ex eo electuarium siccum, vel cum vino & pauco sacch. excipiantur, & fiant trochisci. Hanc compositionem retinẽdam ad affectus intestinorũ ventris, hepatis, & splenis, frigidos & humidos censemus. Nos in ordinem redegimus, quo debet simplicia collocari, & nullorum pondus immutauimus. Lignum aloës, tanquam adulterinum, & rarò inuentum, expunximus. Sandali partẽ internã, quæ muscatelina, ab odore grato est, nõ minus siccam, nõ minus odoratã, neque à calore multùm discedit. Et si sandalum vulgò frigidũ existimetur, est tamen cal. vt sapor acris post masticationem, & odor indicãt. Sed de ejus viribus plura suo loco. In eius locum posuimus, quod in aliis omnibus cõpositionibus vbi similiter occurrit, substituendum putamus. Sed ne quis miretur, quod aliquando citrinũ, loco ligni aloës, ponamus, huic sic respondemus, hoc à nobis fieri, quando citrinum alioqui non recipit compositio. Perpetuò enim magis placet moscatelinum. Quòd si desit moscatelinum optimum & verum, citrinum odoratissimum eius loco sumetur. Gummi tragacanthi, & arabicum expungere noluimus, quanquã sint emplastica viscosa, sed

quia ſiccant parum, iniiciuntur, vt etiam alia aliquando hærere faciant in tunicis ventris: quam viſcoſitatem, vt quodammodo dimitterent, aſſari imperauimus. Quod cum ſyr. conſeruationis citri excipiantur, prætermiſſo ſyr. roſ. laxatiuo, vel viol. id fecimus, vt medicamentum hoc eſſet magis accõmodatum ſcopo, cuius gratia paratur. Fit enim ad ventris actionẽ tuendam, calfaciendo & ſiccãdo. Redderetur autẽ minus cal. & minus aſtringens. Et quia ad tabellas parandas opus eſt pul. in pul. etiam iuſsimus fieri. Et quoniam, vt cap. de trochiſcis docebimus, hæc forma medicamẽtorũ conuenientiſsima eſt ad odorũ conſeruationẽ, imperauimus, vt vino exciperentur, & in trochiſcos redigerẽtur. Cũ tabellas parare volent, ſacch. diſſoluant, & decoquant in aqua mẽtæ vel abſynthij. Hoc aro. roſ. ſufficit habere paratum pro aromarico roſ. Meſ. & aro. garyophyllato, pro confectione diacinamomũ, pro diatriũ pipereum, diacalamẽtho, dioſpolitico, & eſt grauiſsimum ob odoris & ſaporis ſuauitatem.

Aromaticum moſchatum.

AROmaticum moſchatũ à moſcho dictũ, quia efficaciſsimum eſt ad ſyncopas & alios affectus, in quibus vtilia ſunt odorata. Præterea in multis aliis cenſerem odorata auferẽda, quia in multis morbis non cõueniunt, vt in affectib. vteri qui per conſenſum fiunt, vt in dolore capitis, epilepſia, vertigine, & ſcotomate, nec in vterinis affectibus omnibus neq; ægris omnibus, vel quia offenduntur odoratis, vel quia hæc faciunt remedia multùm precioſa & chara. Quòd ſi margaritum frigidum, vel calidum, vel aro. roſatum, vel alia medicamenta, quæ hæc omnia recipiunt, ſine iſtis parentur, liberũ eſſet Medicis ea addere, & Pharmacopolæ, cùm Medici imperarent faciendum, grana aliquot iniicerent. Hoc non eſſet moleſtũ, neq; Medicis imperare, neque Pharmacopæis facere, & ne deciperentur, admonere illos oportet, vt pararent etiam pul. alios ſine moſcho & ambra, & ſine auro & argento: neq; exiſtimandum iſta eſſe tam neceſſaria, vt his carere non poſsimus: Nam & Gal. & Hipp. ſine iſtis curarunt, & fœliciſsimè. Nos tamen illud apponemus.

℞. cina. ℥. x. ſandali moſcatelini (pro ligno aloes) ℥. 7. ambræ ℥. 3. moſchi ℈. 2. in aqua roſ. in aqua maceratum

ſit

sit gummi tragac. fiant trochisci, seruentur vsui in vase vitreo & loco minùs calido. Odoratius esset, & paratu facilius, si moschus poneretur ad ʒ. 2. & ambra ad ℈. 2. Nam plus moschi non adulterati reperitur, quàm ambræ, & frequentiùs minori precio venditur: & cum sint eiusdem facultatis, nõ mutatur vis medicamẽti. Hoc faciendum docebat dominus Falco in cõpositione illa nobilissima alkermes, siue ex cocco. Duplicãda erit quantitas huius compositionis, si ad alium finem præparetur.

De auro & argento.

IN multis nobilissimis aurum & argentum reperiuntur. Posset parari mixtura ex auro & argento, vel haberi limatura vtriusque, & quando opus est ditiorum medicamentis addere.

De pulueribus, & primùm de diambra.

OFficinæ habere debent in forma puluerum diamargaritum frigidum, diarrhodon, triasantalon, diambram, diamoscum. Diambra nobile antidotum parari potest, vt diamoscum, qui vnum eorum habebit, altero potest carere. Diambra hæc recipit.

℞. cin. electi, doronici, caryoph. macis, nucis moscatæ, folij, vel spicæ nardi, galang. an. ʒ. ȝ. santali citrini, & moscatelini (pro ligno aloës) ʒ. 2. zinzib. ʒ. 1. ß. spicæ indicæ, siue nardi, cardamomi, maior. & minoris, ambræ ana ʒ. 1. moschi ʒ. 1. ß. sacch. q. s. fiat in formulis, vel cum aqua florum citranguli ex infusione tragacanthi fiant trochisci parui. Seruentur vsui. In hac compositione situm medicamentorum restitui. Sandalum substituitur loco ligni aloës. Folium quanquam non sit, illud antiquorum, pro quo Gal. spicam nardi substitui vult, cùm sit eiusdem facultatis, & nihil refert, etiam si ingreditur, in trochiscos redigi vellem.

Diamoschum.

DIamoschum prætermittendum puto, tum quia eo carcere possumus ob paratam diambræ confectionem, quæ facultatis similis est. tum quia huius medicamenti varia est apud eundem authorem, & apud diuersos descriptio. Auic. septem descriptiones ponit fen 5. summa 3. trac. 3. Rasis ad Almans. vnam, Serapio aliam, Actuarius aliam. Ob multitudinem huius descriptionis

satius est relinquere. Adde quòd multa recipit, quæ parùm probanda sunt, vt vtrunque behen. Quòd si tantopere desiderarent, ob moschi vim, augeant quantitatem moschi in diambra, & plura præstabit, quàm illud incertum & dubium medicamentum.

Diarrhodon abbatis.

EX rosf. multa collyria, & alia medicamenta diarrhodon vocantur. Sed cùm nos diarrhodon dicimus, neque de electuario solutiuo ex succo rosf. intelligimus, sed pul. gratissimum & efficacissimum, ad corroborationem viscerum cum aliqua leui apertione, citra calfactionem, cum leui refrigeratione. Quia verò multæ sunt eius descriptiones, magis mihi placet illa Abb. ob id illam retinuimus. Nam communis Mesuæ plura astringentia recipit, Iulij verò, plura calida Mihi non placent illæ compositiones, quæ discedunt à facultate illius medicamenti, quod nomen indidit compositioni, vt in syr. de hyss. factum est, & aliis multis. Illa descriptio non in omnibus eadē est, sed quæ sola dosi in aliquibus, vel quādo aliqua, quæ aliquid mediocriter faciunt, auferuntur, vel adduntur, non debemus descriptionem reiicere. Vix enim est vllum medicamentum, diuersis in locis traditum, in quo non liceat aliquid discriminis inuenire, vt de hiera Gal. videre est, de magmate hedicroi, theriaca. Nobis autem descriptio hæc magis placet.

℞. rosf. rub. sacchar. candi ana ℥. j. & ʒ. 3. santal. albi & rub. gummi tragacanthi & Arab. leuiter torrefacti ana ʒ. 3. ß. cineris ossis elephantis, aliàs, cerui vel antispodij, myrthi, asari, mastiches, spicæ nardi, cardamomi, croci, sandali moscatelini vel citrini (pro ligno aloë) garyoph. galliæ moscatæ, anisi, fœnic. cinamomi, seminis ozimi, berberis, seminis scariolæ, seminis intybi, seminis myrthi, sem. portul. peponum, cucum. cucurbitæ, citr. mundatorum, & nimium incisorum, semin. papaueris albi ana ℈. 1. margaritarum, ossis de corde cerui, vel leonis, vel bouis ana ℈. 1. ß. camphoræ gr. 7. moschi gr. 3. & ß. fiat puluis, ex quo tabellæ conficiantur, vel trochisci, vt de aliis dictum est, cum aqua acori.

Sunt qui quat. semina frig. maiora admouent. Ego, certè in illorum sententiam venirem, quæ est Actuarij, vt expun-

vt expungerentur aut adderentur, cùm est vtẽdum, quia facilè rancescunt, & compositionem corrumpũt. Sunt, qui corallum addunt, & crystallum, mandragoram, & flores nympheæ. Verùm cùm est aperiendum, non sunt illa tam insigniter siccantia, & refrigerantia recipienda. Vtraque enim solent obstructionem cõfirmare. Hæc compositio quædam recipit ad sufficientem corroborationem. Quare illa prætermitti possunt. Papauer apposui, quia aliquam familiaritatem habet cum corpore nostro. Rhab. mihi non placet, quare expungẽdum censeo, quia astringit & laxat. Neutrum verò præstare potest in medicamẽtis corroborantibus, quale est hoc. Nõ me latet Auic. lib. de viribus cord. rhab. & alia inter cordialia annumerasse, sed non consulebat, vt cordialia alterantibus miscerentur. Quòd si in illis affectibus sit laxandum, illa esse vsurpanda, quia vires illorum principalium partium vires minus deiiciunt. Quod dictum volo in vniuersum de omnibus medicamentis laxantibus. Caphuram non prætermisi, quia parua quantitas inter alia odorata non sentitur, vel minuatur dosis ad gr. 3. tantùm. Hæc facit penetrare medicamenta sua tenuitate, quæ insignis est.

Triasandalon ex descriptione Nicolai.

VAlet eadẽ, ad quæ diarrhodon abb. sed magis refrigerat, & minus aperit obstructiones, & recipit hæc. ℞. santali albi, rub. & citrini ana ℨ. 3. ros. rub. viol. sacch. candi, antispodij ex myrtho, succi liquiritiæ, seminis portulacæ ana ℨ 2. & ℈. ß. gummi Arabici, tragacanthi leuiter assatorum, seminis melonum, cucumeris, cucur. citruli, mundatorũ & minutim incisorum, sem. intybi, seu scariolæ berberis, an. ℨ. 2. ß. Huic descriptioni vix reperies similẽ. Nam in dispensario Hispano caphura, amylũ, neque semen cucumeris reperitur. Habet violias, quas non habemus. Sacchar. recipit Nicolaus. Ego rhab. expunxi, propter rationem dictam. Amylum quoque, quia obstruit & pugnat cum scopo, non refrigerat, neq; aperit. Rosas reliquimus, sed in secũda dosi, ne maior quantitas vasorum apertionem impediat, & sufficit illa quantitas sine rhab. vel alio astringente ad viscerum corroborationem. Sacch. non expunximus, quia de-

terget, & satis magna est quantitas, commixto etiam glyc. succo, quia leuiter deterget. Lachrymas oportet assare. Tragacāthum in Hispania ponitur, nisi vteretur, alterum certè expungendum. Quòd si leuiter assantur, vt deponant lentorem, nihil impedient. Caphuram expungendam censeo, quia suo odore ingratissima est, maximè in hac compositione, in qua odorata pauca reperiuntur, quæ talem odorem possint castigare, neq; illius loco aliquid ponendum censeo. Quòd si contendas, aliquid substituendum, nonnihil spicæ celticæ concedam ad aliorum penetrationem. Quidam flores nenupharis apponendos existimant, non ob refrigerationem, sed ob tenuitatem suam, quod mihi non placet, cùm spicæ celticæ ℈. ß. ad hoc sufficiat. Hæc compositio debet frequenter dispensari, & conseruari in vase terreo vitreato, ne rancescant ob caliditatem sem. frig. ma. quibus rancidis, nihil ingratius esse potest.

Diatragacanthum frigidum.

EX triagacantho duæ sunt denominatæ compositiones. Altera calfacit, & à caliditate dicitur: altera refrigerat, & à frigiditate denominatur. Hæc incrassat fluxiones, frequentiúsque vsurpatur. Ob id paranda est sola prætermissa calida.

℞. penidiarum ℥. 3 tragacanthæ albæ ℥. 2. amyli ℥. ß. glyc. quatuor sem. frig. ma. mundatorum ana ʒ. 2. seminis papaueris ʒ. 3. Hæc compositio ad inspissationem catarrhi valet. Quare oportet illa omnia conspissare ad incrassationem. Ob id quæ sunt nimium detergentia, vel tenuium partium, vel calida, in hac recipi non debent. Consultò igitur Latinis quibusdam & semen rutæ & caphura prætermissa fuerunt. Semen papau. non est omittendum, quia ob frigiditatem efficacissimum est in hoc remedio. Semen rutæ in quibusdā veteribus exemplaribus Nicol. legebatur, sed ingratum est, & calidum, neque valet ratio, qua confirmant practici, in talibus semen nasturtij, alij spicam, cinamomum, addenda esse dicunt ad penetrationem. Nam partes, in quibus incrassationem his remediis molimur, non admodum profundæ sunt. Adde quòd illa sem. frig. ma. ad hoc sufficere possunt. Hæc medicamēta ex detergentibus &

inci-

incidentibus parata, non præstarent id opus, ad quod præscripta sunt.

Diairis simplex.

AB iride duæ compositiones nomen habent. Altera dicitur simplex, altera à Salomone dicta. Hæ compositiones sunt artheriacę. Vtraque parari potest. Prior, scilicet simplex, sic conficietur.

℞.irid. Venetæ vel Florentinæ ℥.1.ß.sacch.candi, diatrag.frig.ana ʒ. fiat puluis, vel cum sacch. dissoluto, non succo limonum, neque albumine oui, vt quidam vult, sed aqua hysso. fiat elect. Hæc compositio potius ex Veneta, quæ iris est Illyria, quàm ex Florentina, etsi candidior videtur. At Veneta quidem flauior est, & magis ab antiquis probata. Diatragacan. hîc ponitur optima ratione, quia ita habent nostra exemplaria antiqua Nicol. præpositi. Non me latet aliquos legere simpliciter, tragacanthum frig. sed cùm sit calidum, nullum hoc epitheto reiiciendum puto, & iniiciendi pul. diatrag. Hic pul. diaireos multa humida recipit ad prohibẽdam exsiccationem pituitæ in thorace. Aliqui volunt excipere albumine ouorum quod mihi non placet, quia nimis incrassat, & inspissat Idem author cum succo limonum parari concedit. Ad id minùs conuenire videtur propter suam aciditatem. Sed si vellet in eclegma seruare, cum syr. capil.ven. excipiatur, vel cum sacch. fiant formulæ. Hanc frequenter dispensare ob diatragacanthum frig. oportet, quia citò & facilè rancescit.

Diairis Salomonis, descriptione Nicol. Myrepsici.

EX iride fit arteriacum dictum diairis Sal. quæ compositio ab aliis in forma pul. ab aliis in forma eclegmatis præscribitur. Varia forma est, si in eclegma referatur. Nam aliqua sunt, quæ respuunt formam pul. vt caro ficuum pinguium, caro passul. & dactylorum, quòd tardiùs rancescunt nuclei pinearum, & amygd. Quare & nos in eclegmatis forma seruandum censemus. Nos tamen hîc pul. præscribimus.

℞.irid.℥.j.puleg.hyssopi succi, liquiritiæ ana ʒ.6.passul. mundatarum ab acinis, caricarum pinguium, carnium dactylorum à filis mundatorum ana ʒ.3 tragacanthi, amygd. mundatorum, pinearum, cinamomi, zin-

zib.pip nigr.ana ℥.3.styracis rub.℥.2.& ℈.1.meli.q.s.fiat in formam linctus vel eclegmatis. Hæc compositio, vt suprà monstrauimus, in forma humida debet parari, & scopus idem docet. Hoc tamẽ mihi videtur immutandũ, quòd styracem calamintham potiùs, quàm rubram immitti debere videatur. Nostra rubra tota arida est, quia ex ea hodie styrax liquida extrahitur. Actuarius styracẽ ponit sine epitheto. Quare de calamintha intelligendum est certò, per illam generalem regulam, quia cùm simpliciter aliquid pronunciatur, de præstantiore est intelligendum.

Diapenidion Nicolai Alexandrini.

EX penidiis paratur medicamentum, quod constat ex detergentibus & incidentibus. Sed vulgus medicorum, quia vti illa compositione ignorabat, prorsus ex vna duas fecit, separando odorata & incidentia. Illam vocãt diapenidion sine speciebus. Nos primùm integram, deinde illam truncatam sine speciebus dictam ponemus, quæ ferè in omnibus diuersa est. Vulgatam maluimus sequi, quàm illam Actuarij, quæ truncata est, & recipit quæ non debet, vt semen portula. Nos verò sic parabimus.

℞. penidiarum ℔.j pinearum, amygd. mundatarum, semin. pap. albi ana ℥.xx. cinam. garyophil. zinzib. ſucci gly. gummi tragac. Arabici, amyli, quatuor semin. frigid. maio. mundatorum an. ℥.x. camph. ℥.j. Hęc compositio à nobis posita est, non vt dispensetur, sed vt videatur quale sit illud diapenidion sine speciebus. Ferè omnes dissentiunt in ponderibus. Alij ℥.ij. penid. ponunt cum Actua. ℥.xvj. præscribat. Alij licij ℥.ß. addunt. Item in pondere pap. amygd. & pinearum: alij ℥.xx. vt nos posuimus: alij verò ℥.iij.ß. Consentit cum illis Actuarius. Sequẽtium, scilicet, cinamomi, garyoph. ana ℥.x. Nicol. ponit. Alij verò ℥.j.ß. camphoræ, Nicol. ℥.iij. Alij legunt tertiam partem ℈. vnius: alij amygdal. amar. addunt, quas prætermisi, quia nullibi legũtur. Hoc modo, quo nos apposuimus, censeo dispẽsandum, quia proportio melior est, & arteriacum erit efficacissimum, tum ob illam quantitatem amygd. & pinearum. Neque repugnat papauer, quod sua vi narcotica tussim minuere potest. Quòd in

illo

illo magno pondere reperiantur aliqua, certè camphoræ quantitas erit seruanda, in quo sunt omnia integra magis. Syrupo violato omnes excipiunt, lento igne decoquendo penidias, deinde pul. subiiciunt. Diapenidion sine speciebus erit, separatis odoratis, quæ species vocantur, scilicet ablato cinamomo, garyophyll. zinzib. Constabit igitur sequentibus.

℞. penid. ℔. 1. pinearum, amygd. dulc. sem. pap. albi, succi glyc. tragacan. gummi Arab. amyli, quatuor sem. frig. ma. ana ʒ. 10. campho. ℈. 3. cum syr. viol fiat ad formam eclegmatis. Quia hodie omnes volunt in pulu. vt eo conficiantur tabulæ, dissolue saccha. in aqua viol. & fiant tabulæ. Parua quantitas dispensanda est, quia diu non seruatur, etsi sacco coriaceo reponatur, vel vase vitreato. Loco minùs calido & sicco seruandum erit hoc medicamentum arteriacum.

Rosata nouella Nicolai Alexandrini.

HAc compositione carere possumus, quia viribus non differt ab aromatico rosato. Sed quia hac frequentissimè vtuntur nostri, nos eam apponemus, non ex Præposito, sed ex Nicolao Alexand. Recepta est immutatis ponderibus.

℞. cinamomi ℥. 6. ros. rub. glyc. saccha. candi ana ʒ. 3. garyophil. spicæ nardi, galangæ, zinzib. nucis mosc. zedoariæ, styracis, cardamomi ana ℥ j. fiat pul. Hîc est prætermittendum sacchar. & candum ponendum, quia saccha. ad detersionem ponitur, & ad temperandam simplicium acrimoniam. Quòd si in forma confectionis, vt solebant antiqui, addant mel, vel sacch. dissolutum, & faciant electuarium.

Saccharum Rosatum, Manus Christi cum perlis.

EX sacch. dissoluto fit sacch. ros. tabulatum, ad differentiam sacch. ros. quod est conserua ros. Ex eodem fit Manus Christi simpliciter dicta, fortè differunt figura, quòd nunc in frusta, nunc in tabulas diuidatur. Fit cũ perlis, & Manus Christi perlata dicatur, additis margaritis tenuissimè tritis, ad ℥. ß. pro ℔. 1. sacch.

Philonium Romanum, siue maius.

R. Pip. albi, hyoscyami albi ana ʒ. 4. opij ʒ. 2. ß. cinam. ʒ. 1. ß. sem. apij ʒ. 1. sem. petro. fœnic. pastinacæ

syluest.ana ℈. j. & g̃. 5. croci ʒ. ß. spicæ nardi, piretri, zedoariæ ana ℈. j. & g̃ 5. cinamo. tenuissimè triti ʒ. j. ß. euphorb. castor. an. ʒ. j. mel. despumati ad triplum pondus Hæc compositio ad eadem valet, ad quæ Alyncriton, ad dolores cholicos omnes & nephriticos, vt Philoniū Mesues. Quare si quis velit dispensare, dispensetur hoc modo. Id solum mutandum videtur, quòd hyoscyam. ʒ. 2. ß. ponere oportet, & opij ʒ. iiij. quia securius est vti opio, quàm hyoscya. Hæc parari debet, quia securior & iam à vulgo recepta. Has ob caussas hanc compositionem retulimus. Quia verò cholicum est medicamentum, dolores stupefaciendo, & morbi dispositionem tollendo sedat. Accommodatius erit ad nephriticos, arthriticos neque facilè respirantes. Ad eundem scopum valet requies Nicolai, nisi quòd magis valet ad vlcera, & sanguinis fluxus, ob resiccantia, & minùs calida addita. Ob id subiungere eam visum est. Sed ex Nicolao Myrepsico petita, à quo mutuatus est, aliquibus immutatis, vt ablato zinzib. Additur etiam santalon citrinum, & pondera omnia mutata sine ratione.

Requies Nicolai Myrepsici.

℞. ros. rub. viol. opij, hyosc. capitum pap. albi, cortic. mandrag. nucis mosc. sem. scariolæ, portulac. psilij, cinamo. zinzib. ana ʒ 1. ß. sacch. candi ʒ. 1. santali albi & rubri, antipodij ex ebore, vel myrtho, gummi tragac. ana ℈. 2. & g̃. 5. mel. despumati quantum s. Alij addunt ʒ. 8. ß. Opium in vino generoso dissolutum, spodium per se trituretur diligenter, & cum aliis misceatur, opio dissoluto, vt omnium melior fiat permixtio.

Philonium persicum.

NOn est dispensandum, quia calidiora astringentibus adduntur, & non frequenter eo vtuntur boni Medici. Valet ad retinendum bonum sanguinem, ad quod præstandum requies valere potest.

De hieris.

ALiud medicamentorum genus est inter laxantia, quod hiera dicitur, id est sacra. Conficitur ex amaris. Ob id picra, id est amara dicitur. Excipiuntur amara in pul. redacta, & melle & vino, vt antidota. Sunt autem huius medicamenti permultæ compositiones, quæ ab inuento-

inuentore vel à materia, vel à sapore, vel ab eo, quod castigauit, vt meliores redderet, nomen habent. Ab inuentore, vt hiera Hermetis, ab Hermete, ab Archigene. A materia, hiera, colocynth. A sapore, hiera picra. Eadem Gal. dicitur, quòd illam castigarit ac immutarit. Illam paratam ex colocynth. habere oportet. Hæc enim duæ sufficere possunt. Verùm ea, quæ picra dicitur, variis modis apud varios paratur, & à Gal. etiam ad ventris corroborationem, ex aloe lota fit, aliquando ex non lota. Itē varia est ob aloes dosim. Nam aliquando ex 3. centum, & aliorum simplicium 3.6. fit, aliquando ex 3.c. Aliquādo ex 80. idcirco differunt. Aliquando cum croci 3.6. At aliquando ex 3. 5. tantùm, vt quando ad dolores capitis, vertiginem & suffocationem paratur. Differt quòd aliquando asarum, aliquando carpesium recipit. Expedit ergo (vt Gal. docet lib. 7. meth.) dupliciter paratam habere, scilicet ex aloe lota, & non lota. Quod si triplicem habeant, melior est tertia 3.c. & 3.6. cinam. xylobals. asari, spicæ nardi, croci & mastiches, siue ex aloe lota, siue non lota fiat. Sed ex croci 3. 5. paratam habere ad dolores, qui fiunt à fumis, optimum est. Hæc descriptio ante Gal. ab Andromacho tradita est, & à Gal. probatur. Hanc hierā ex aloe posteriores Galeno adscripserunt, & Galeni vocant. Hanc magis probandam censeo, si laxare sit animus. Si verò ventrem magis exsiccare & corroborare, illam, quæ ex 3.c. lotámque, ex 3.80. non lotam. Tunc minùs laxat, quia minorem quantitatem aloes recipit, quæ sola vim laxandi habet. Quæ conficitur ex aloe lota, ea carere possumus, quia pilul. vulgò dictæ de aromatibus substitui possunt in eius locum, vel augere odoratorum dosim, vna aut altera 3. & fiet ventriculum corroborans magis, & minùs laxans. Inter hieras fortiores magis probata est ab antiquis ea, quæ à Scribonio Largo descripta est nomine Pagnini Antiocheni, quam compositionem vocari diacolcynthidem ipse testatur. Dicitur enim picra à quibusdam, quia amara est. Ab aliis diacolocynthidos. Quæ descriptio eadem est apud Paulum nomine Archigenis. Non me latet compositionem diacolocynth. descriptam à Galeno, libro De paratu facilibus, quæ nonnihil euariat, accipere & cassiam,

& cinamomum, cùm alij tantùm cinamomum. Gentianam pro Aristolochia, chamæpythim, pro chamædri, folium vel pulegium prætermisit. Adde quod maiorem quantitatem diacolocynthid. recipit. Habet enim colocynthid. ℥. 16. aliorum ℥. 4. aliquorum ℥. 5. Quare cùm manifestissimè appareat hæc compositio valde corrupta, & de libero studiosi dubitent, an genuinus sit Galen. hæc multùm conueniunt cum hiera illa diacolocyn. descripta à Mesue, quam Rufo tribuit. Sed nonnulla sunt mutata, quæ multùm variant compositionem, vt dosis colocynth. cassiæ & cinam. Illa Pauli siue Scribonij integerrima est. Cuius descriptio talis est.

℞. marrubij, agarici, chamæd. carnis colocynth. stæca. an. ℨ.10. opopan. sagap. petrosel. aristoloch. rotundæ, pip. albi ana ℨ. 5. cinamomi, spicæ nardi, myrrhæ, polij, croci, an. ℨ. 4. Opopanax, sagapenum, & myrrha in aqua mulsa macerentur per noctẽ, & contundantur. Si festucę sint, calefiant & passentur, & arida in pul. redigantur. Excipiantur melle q. s. & reponãtur in vase vitreo. Cùm verò efficaciorem facere voluerit medicus ad purgãdum, cinamomi aliquam quantitatem ponat, & talis est parãda, quòd sit efficacissima ad morbos cõtumaces, & à materia frigida. Hæc enim cõuenit cum illa Ruffi, Pauli, Iusti, & Antiochi facultate. Non est alia quęrenda, nec paranda, ne Pharmacopola oneretur multis medicamentis inutilibus, in quibus parãdis multa sumuntur simplicia. Nos hîc polium pro folio ponimus, quia folium verum non habemus, & vt stæchas ac marrub. in hac cõpositione ad extenuationem ponuntur, non malè conuenit hoc loco. Non me latet Scribonium Largum habere & Paulum, in hiera Antiochi, Ruffi & Archig. polium. Quòd si magis placet folium, pro folio pone spicæ nardi tantundem. Nam (vt Gal. lib. simpl. docet) eandem facultatem habent. Et hæc de hieris sufficiant. Nunc ad alia veniamus, quibus instructum Pharmacopolã esse oportet.

De pilulis.

PIlulas paratas in officinis habere oportet, tum quia sicca non tam citò miscentur & vniuntur, ac in vnam contemperationem veniunt, vt illa, quæ vel decoquuntur, vel liquida sunt. Idcirco parare per otium, & paratas habere

habere oportet, vt longa illa mora castigentur & vniantur, cùm propter morborum celeritatẽ, tum simplicium saporem ingratum, & odoris insuauitatem, quæ si in pilulas referantur, deuorantur sine sensu saporis, minúsq; saporem inspirant ingratum. Pilularum multę sunt differentiæ, de quibus omnibus non dicemus, sed de magis necessariis ad morborum curationẽ, vel de his, quæ Medicis communi consensu receptæ sunt. Erunt igitur pil. communes de hiera simplici, de arom. seu elephanginæ, assaieret, mastichinæ, ante cibum, cocchiæ, de quinque generibus myro. aggregatiuæ, aureæ, de sarcocolla, fœtidæ, de agar. de rhab. de fumo ter. de lapide lazuli, lucis, de euphorbio. Hæ sufficere debent. Multæ enim sunt earundem virium, vt apparebit his, qui diligentiùs expendere volent facultates simplicium, & illa adinuicem conferre. Quid opus est habere pil. sebelinas, si quis pil. ante cibum habeat? Quid opus est pilul. Indas parare, cùm de lapide lazuli paratæ sint? Eædem ferè & pil. fœtidæ maiores. Pilulis de euphorbio carere potest qui pilul. de ag. paratas habet. Ad euitandam infinitam illam pilul. syluam, nos ad hunc numerum contrahimus reductum ad sex, si Medicorum collegium voluerit.

De pilulis communibus.

COmmunes pil. sunt variæ apud varios authores, sed nos hîc communes pilul. appellamus, quas aliqui pestilentiales, quòd ad pestis præseruationem valeant. Has Rasis ad Almansorem, lib. 4. tradit. Non desunt, qui putant esse Ruffi, sed toto cœlo aberrant. Nam Ruffus magis potionẽ, quàm pil. tradidit, vt ex Paulo cognoscere licet. Quare cùm sint pil non debemus pro croco ammoniacũ ponere, vt quidam magni nominis vir annotauit. Dubitauimus diu, quã descriptionem retinere deberemus. Sunt enim apud Aui. Rasim, & in vulgaris dispẽsariis diuersę. Illam Auic. descriptionem non probamus, quia citra pondus aliquod descripta est. Quanquà intelligat in æquali pondere ponenda esse omnia. Verùm illa rerũ proportio non potest probari, quia tantum croci & myrrhæ ponere, quantum aloes, est contra componendorum medicamentorum rationem, scilicet, quòd quæ vincunt, & castigant, vt in istis apparet, sint æqualia

his, quæ potissimùm agunt, qualis est aloe. Eadem ratione reiicienda est ratio dispensariorum, quæ in dupla proportione aloem ponunt, & myrrham, & crocum, quanquam tolerari potest aloes ℥.2.myrrhæ, croci an.ʒ.1.Magis mihi arrisit illa, quæ aloes ℥.1. myrrhæ, croci an. ʒ.1. accipiebat. Illa est vera proportio, vt minùs calfaciant, magis moueant aluî excrementa. Nos igitur sic parabimus.

℞.aloes bonæ ℥.1.myrrhæ electæ, croci an.ʒ.1.cũ vino odorato, fiant pilul. vel cum succo limonũ. Tempore pestis conueniunt, quia propter siccitatem venenis magis resistunt, & minùs calfaciunt mouẽdo aluum. Non probo illorum præparationem, qui aloem abluunt in aceto, quia vires laxandi perdit, nec illam Christophori additionem. Addit enim bolum armenam tẽpore pestis. Verùm quæ astringunt, sua astrictione, vel proprietate venenis resistunt, vel lentore modico, purgantibus medicamẽtis misceri non debent, qui eorũ vim extinguendo, purgatricẽ facultatẽ impediunt. Satius erit illa dare post, vel per se accipere. Nõ nouit vir ille, an pugnent inter se.

De pilulis ex hiera simplici.

Pilulæ de hiera dicuntur, quæ ex puluere hieræ parantur, & pauco melle rosato collato. Quare talis erit earum descriptio.

℞.pul.hieræ Gal.℥.1.cum pauco melle rosato collato tinganturpil. Aliqui, vt Brassauola, agarici, tantum, quantum aloes ponunt: sed illæ non erunt ex hiera simplici, sicut nec illæ, quæ in quibusdam locis parantur, ex hieræ, agarici trochiscati an.℥.ß.aloes ℥.1. Hæ sunt ex hiera composita, non simplici. Quæ autem sit hiera simplex, & quæ composita, quære cap. de hieris. Nota in pil. sumi species hieræ simpl. In opiatis autem, compositæ.

Pilula de aromatibus, seu elephangina.

Pilulæ, quæ abluuntur in decoctione multorum aromatum odoratorum, nomen aromaticarum acceperunt. Conueniunt cum pil. de hiera, ex aloe lota, in corroborando & minùs laxando. Quare sufficit habere ex hiera simplici, ex aloe lota. Si pilulas de aromatibus parauerimus, ferè eadem descriptio pilul. apud omnes est, paucis immutatis. Myrepsicus lignum aloes prætermisit, expun-

expunxit rof. & abfynth.& ante ablutionem crocum mifcet,cùm alij omnes cum myrrha, maftiche, crocū adiiciant. Cubebas interpretantur cardamomum:quæ interpretatio mihi non placet,quia femen contumax ad frangendum non eft. Quare omnes aliorum compofitiones magis probo,quia & cubebas, & cardamomum habent, abfynth. & rof. Improbanda eft ratio,quæ repugnat his, quæ à Mefue in vfum ducta funt, quod non differant decoctione odorata. Hic autem diu decoquit, fcilicet, donec ℔ xij. aquæ ad confumptionem duarum librarum veniāt, & tertia remaneat. Aliqui huic errori fuccurrere & confulere volentes, tertiam partem odoratorum pulverifatorum decoquendam volunt: alteram infundunt, tertiam mifcent, & incorporant. Nos verò, ne longiùs recedamus ab eo, qui illas duas inftituit,reiecimus, propterea quod in prima paucas vires recipit,& multas perdit infolatione: vltima verò plus virium recipit ab odoratis. Nos hoc modo commodè parabimus.

℞.cinamomi,cubeb.ligni aloes,vel fantali,citrini,calami aromatici, macis, nucis mofcatæ, cardamomi, garyophil. afari,maftiches, fcœnanthi, fpicæ nardi,carpobalfami ana ℥.j.abfynthij ficci,rof. rub, ana ʒ. v. terantur cum tritione groffa, & infundantur in ℔. vj. aquæ bullientis. Poft infufionem vj. horarum fricentur manibus, & exprimantur, & collentur. In coll. ℔.iiij.iniice aloes exquifitifsimè tritæ in aqua pluuiæ, diligenter lotæ in vafe vitreato ℔. j. qua exiccata probè, adde infufionis aromatum ℔. ij. in fole æftiuo vel hypocaufto fenfim affundendo refiduum aquæ ex infufione aromatum, & ex maffa formentur pil. vel fi abfumpta fit tota aqua,ex aqua abfynthij,vel vino odorato formabuntur. Has oportet habere paratas, quæ omni tempore non poffunt parari. Etiam fi in hypocaufto parentur, vel in furno, commodior tamen præparatio eft æftate, fub cane, vt in diario docebimus.

Pilulæ assaieret, ex Auicenna.

℞. hieræ picræ ℥.j. maftiches ℥. ß.myrob. cittrinorum ℥.ß.aloes optimæ ℥.ij.fiant pil. cum fyr.de ftæchade.Hæ pil.difpenfandæ funt propter affectus, qui funt cum defluxione,vel cum ventriculi remollitione, vel relaxatio-

ne. Quãquam omni tempore parari poſsint,& qui carent eis, addita aliqua myrob. quantitate ſimiles ſibi paret.

Pilulæ de maſtiche.

PIlulę maſtichinæ à maſtiche appellatæ facilè, citò & ſemper parari poſſunt. Quare ſufficiet earum nouiſſa deſcriptionem, & cùm imperabuntur, parari poterunt. Harum tres deſcriptiones reperiuntur, quarum duæ ſimiles ſunt. Tertia, quæ ad Nicolaum refertur, diagridiũ recipit: Multùm à facultate maſtiches diſtant: quare ſun reiiciendæ, & illa Conciliatoris vſurpanda, quæ magis probatur, & ventriculo magis accommodata, in cuius gratiam inſtitutæ ſunt. Dantur in ventriculi nimia laxatione à pituita aquea & tenui. Quare agaric. infundere non oportet, neque in aceto, neque in oxymelite.

℞. aloes electæ ʒ. x. ag. albi friabilis ʒ. iiij. cum ſyrup. de ſtæchade, fiant pilulæ.

Pilulæ ante cibum.

PIlulæ ante cibum dicuntur, quæ ante paſtum aſſumi poſſunt, ad ventris corroborationem. Sed tales multæ ſunt, quæ hoc modo dari poſſunt, vt pilul. de hiera, elephanginæ maſtichinæ, & ſimiles, quæ odorata recipiunt, & leuiter purgantia cum aſtrictione, vt rhabar. Verùm cùm illis ſint ſimiles de hiera, vel de aromatibus, niſi quòd rhab. & ſ. ſelis montani ſemen non habent, idcirco non ſunt diſpenſandæ. Nam æqualis proportio rhab. addita pil. de hiera, ſimiles reddet, & maximè, ſi grana aliquot ſeſeleos addas, vel aniſi, vel apij, citra damnum carere poſſumus.

Pilulæ cocchiæ Raſis.

PIlulæ cocchiæ à grano, quod cocchos dicitur, nomen habent, quia fieri debent ad magnitudinẽ eius grani, quarum deſcriptiones ſunt Præpoſiti, ex Gal. & Raſ. Verùm Raſis magis probandæ ſunt, vt quæ hæc recipiant.

℞. hieræ ʒ. x. colocynth. ʒ. iij. & ℈. j. ſcam. ʒ. ij. & ß. turbith, ſtæchad. an. ʒ. v. fiant pil. paruæ. Sed quia Raſis imperat hieram picram, ob id cenſent ſecundum huius deſcriptionem parandas. Pro pilulis iſtis conficiendis hoc vnum eſt ſuperſtitioſum, quòd roſ. addit tantùm, quas ſi placet, potes ponere. Sed cùm hæc ad purgationem pituitę craſſæ, & ad ea, quæ ſunt multùm infixa ventriculo, inſti-

instituantur, non est necesse rosas apponere, sed potiùs delere oportet, quia adstringentia impingunt magis, vt Galenus de absynth. scribēs docet. Quare ex hiera Gal. parari debent Cocchiæ Mesuæ minùs sunt probandæ, hoc nomine, quòd myrob. recipiant, & alia calidiora.

Aurea Nicolai.

AVreæ pilulæ ab aureo effectu ac nobili, quem præstant, dictæ sunt, à Nicolao descriptæ & Præposito, Alex. & Myrepsico. Verùm quia illa iam vulgata nihil reprehensione in se dignū continēt, retinendā cēsemus.

℞. aloës, diagridij, ana ℥ v. rosſ. sem. apij ana ℥. ij. ß. anisi fœnic. ana ℥. j. ß. mastiches, croci interioris, colocynthidis ana ℥. j. cum aqua infusionis tragacanthi formentur pil. Aliqui addunt hieræ picræ ℥. j Ego non suadeo addendū. Quòd si addatur, augetur moles medicamēti, & minùs efficax redditur. Adde quòd hæ pil. crocum, sem. odorata, rosásque recipiunt, ad fortiorum medicamentorum moderationem. Colocynthis forcipibus incidatur ante contusionem, & per se teratur, vt diagridiū.

Aggregatiua Mesua.

AGgregatiuarum descriptiones variæ sunt. Aliæ maiores, aliæ minores dicuntur apud Mesuem, & præter has duas, tertiæ reperiuntur, quæ ex intentione sua vocantur. Quibus carere possumus & debemus. Sunt enim compositæ ex omni genere medicamentorum dissimilium. Quòd Gal. lib. quos purgare oportet, & quibus medicamentis suora modum improbauit, miscere, quæ secum pugnent. Sed quia hæ pil. sunt ad omnes humores euacuandos, retinentur, & comparantur catholiconi. Illa descriptio prima Mesuæ ex sua intētione, sic habet, si exemplaribus antiquis credendum sit.

℞. myrob. citrinorum rhab. ana ℥. iiij. succi eupatorij Mesuæ, id est, Agerati Diosc. siue herbæ sanctæ Mariæ, absynthij ana ℨ ij. scam. in pomo in furno cocti ℨ. vj. myrob. chebul. ind. agarici, colocynth. polyp. an. ℨ. ij. turbith boni, aloës ana ℨ vij. mastiches, rosſ. sal. gemmæ, epith. anisi, zinzib. ana ℨ. j. elect. rosſ. q. s. in forma opiatæ fiant pil. Has pil. ad veritatem exemplarium veterum imperauimus præparandas, & ne fortiores sint, & faciliùs parentur, formentur cum succo rosſ. quod recipit

ſcammonium. Quod fit vt ad idem recurrat, & non erunt fortiores ſolito.

Pil. recipientes lapidem lazuli.

PIlu. de lapide lazuli vituperantur non ſine ratione. Sed ſi ob lapidem lazuli vituperantur, deberent pil. indę, lucis minores, de quinque generibus myrob. & de lapide armeno damnari. Omnes quippe iſtæ lapidem lazuli recipiunt, & propter lapidem illum cianeum, veratrum nigrum. Pro quo officinæ aconitum ponere ſolēt, non ſine magno ægrotantium periculo. Inter omnes illas ſecuriores ſunt, quæ de quinque generibus myrob. quæ iam à Medicis receptæ ſunt, & ſine hæſitatione & formidine ab omnibus præſcribuntur. Recipiunt autem, quæ violenter purgant, ſed ad articularem morbum inſtituuntur. Earum agitationem verentes, myrob. addiderunt. Illarum verò deſcriptio talis eſt.

℞. qu. generum myrob. agarici, diagridij, colocynth. ſenæ ana ℥. ß epithymi, turbith, aniſi, maratri, maſtiches, lapid. lazuli ana ʒ. ij ß & gr. v. aloes ℥ j. ſucco abſynthij fiat maſſa pil.

Quidam mediocriter eruditus non intelligens rationem componendorum medicamentorum, in hac addēdum eſſe zinziber colligit, quia hæ pilulæ agar. ad expurgandam pituitam craſſam acceperunt. Turbith enim & agar. non perpetuò deſiderant zinziber, ſed cùm pituita craſſa euacuanda eſt. Verùm ſi ichores pituitæ aut aliorum humorum excrementa, quæ in articulos fluunt, trahenda ſunt, & à particulis auertenda, ob id ſine ipſo & aliis, in multis compoſitionibus iniiciuntur, quia illa pugnarent, myrob. omnes recipere, atque zinziber. Hoc enim attenuat & incidit: myrob. verò aſtringit. illa enim eſt ratio Arabum, vt aliis medicamentis agitantibus humores addantur aſtringentia, vt temperentur. Qui has pil. habent, lucis minoribus carere poſſunt, & pil. indis & de lapide cianeo. Quòd ſi quis velit aliquas tales habere ſine myrob. pil. de lapide lazuli habeat. Quarum deſcriptio ſimilis eſt pil. indis, niſi quòd colocynth. recipiant. Quare ſi quis illis magis fidat, colocynth. gr. aliquot addat vel trochiſ. alandal. Sed cùm agari-

agaricum, veratrum, & lapidem lazuli recipiant, non est quòd colochyntidem recipiamus.

Pil. de lapide lazuli seu cianeo.

PIlul. de lapide lazuli à Mes. sunt institutæ, quod medicamentum minùs conuenienter & tutò in forma illa datur, quia cùm sit medicamentum, quod crustas faciat, diu retineri in vẽtriculo non debet. In formam igitur pil. reduci non debet, cùm neque sapor ingratus, neque odor grauis id suadeat. Multò magis probarem Alexan. Tralliani pul. de lapide cianeo. Nos tamen illas descripsimus, in eorum gratiam, qui non nouerũt dexterè vti medicamentis, vel non nisi in forma consueta, vel qua vsi sunt eorum præceptores. Si igitur ex cianeo pil. potiùs velis quàm pul. parentur sic.

℞. lapidis lazuli tenuissimè triti, & decies loti in aqua buglossi vel viol. ℥. vj. epithymi, polyp. ana ʒ. viij. scammonij, eleb. albi sacch. candi ana ʒ. ij. ß. agarici ʒ. viij. garyophil. anisi ana ʒ. iiij. hieræ picræ ʒ. xv. cum succo end. fiant pil. In hac compositione sufficit abluere lapidem lazuli tritum in tenues partes, & abluere quidem sufficienter in aqua viol. vel buglossi, vt aliqua ex parte remittatur acrimonia lapidis, quia in ventriculo crustas inducit. Præterea pro veratro nigro, album posuimus, quod etiam si non sit securius nigro, securius saltem est aconito, quo veratri nigri vice vtuntur, similitudine fol. & rad. decepti. Pro sale indo saccharum candum posuimus. Quod si naturale esset sal indum, esset antiquorũ: sed cùm sacch. candum arte fiat cum illa saccha. lachryma indurata spõte, affinitatis multùm habet. Nihil præterea immutauimus à descriptione Mes.

Pilulæ de sarcocollæ.

PIl. de sarcocolla similes sunt, viribus, cocchiis. Hac tantùm ratione differunt, quòd scammonium non recipiunt. Quare qui has pil. habet, pil. cocchiis carere potest. Nam addendo parum scammonij, eadem erit compositio. Sunt apud Mes. cap. de sarcocolla.

℞. turbith ʒ. iiij. sarcocollæ dissolutæ in aqua ros. ʒ. iij. colocynth. zinzib. ana ʒ. j. ß. salis gemmæ ʒ. j. incorporentur pulueres cum sarcocolla infusa in aqua ros. & dissoluta, fiant pil. In hac compositione nihil deſidera-

tur. Hoc tamen dignum reprehensione, quòd in aqua rosſ. diſſoluatur ſarcocolla. Debet potiùs in aqua hyſſopi & meliſſæ, vel ſi calorem tēperare velis, in aqua viol. quæ ſine aſtrictione refrigerat. Sed hoc leue eſt, & diſſimulare poteſt, ne pro re minima videantur à communi ſententia diſcedere.

Pilulæ de agarico.

PIlu. de agarico à Meſue deſcribuntur, & aliis multis. Omnes deſcriptiones ferè in idem recidunt. Quare conſuetam illam in offic. diſpenſandam cenſeo, quæ optima eſt, in eáque nihil reprehendendum. Recipit autem quæ ſequuntur.

℞. turbith ʒ. v. hieræ picræ ʒ. iiij. agar. ʒ. iij. colocynt. ſarcocollæ an. ʒ ij. rad. ireos, praſſij, myrthi ana ʒ. j. cum ſapa fiat maſſa pil. Eaſdem vires habent, cum pil. de ſarcocolla, vt de aga. pro pil. de ſarcocolla vti poſſumus, & contra, modò cum ſyru. pectorali deterſiuo formentur, vel cum ſapa. Eædem pil. imperari poterunt, pro pil. de euphorbio, addito pauco euphorbio: pro fœtidis maioribus, addendo opopanacis vel ammoniaci parum.

Pilulæ fœtidæ.

FOEtidæ dicuntur, quòd fœtidis componantur, vt ſagapeno, ammoniaco, opop. & caſtoreo, & aliis multis. Sunt autem calentes in affectibus articulorum frigidis, & pituitoſis morbis. Et quia vtiles ſunt, viſum fuit eas non prætermittere. Erunt pro pil. de euph. fœtidis minoribus, de hermodactylis maioribus, de ſagapeno. Sunt efficaciſſimæ in alterando & laxando.

℞. ſagapeni, ammoniaci, opop. bdellij, vel myrrhæ, colocynth. ſem. rutæ agreſtis, aloës, epith. ana ʒ. v. hermodact. eſulæ ana ʒ. ij. turbith ʒ. iiij. zinzib. ʒ. j ß euph. ℈. ij. cum ſucco porri fiant pil. Hæ pil. multùm habent difficultatis, quia bdellium molle non facilè inuenitur, ne dicam aliud. Magna eſt contentio inter interpretes an legendum ſit (harmel) id eſt, ſemen cicutæ, vel potiùs (harmela) id eſt, ſemen rutæ agreſtis. Item ob hermodactylorum & enulæ dubitationem. Nos tamen has diſpenſandas imperamus ob earum efficaciam, & frequentem vſum. Sanè minores faciliùs parantur, & paucis additis, omnino ſimiles redduntur. Nos tamen præ-

meditata

meditata & benè pensata difficultate, remedium obtinuimus, vt pro bdellio, myrrham iniiceremus, vel propolim veram, & pro hamel legendum harmela: quia ad morbos articulares à Dioscor. commendatur. Semē verò cicutæ, tanquam venenum, ab omnibus externis & internis remediis expungitur. Hermodactylorum vox vaga est & incerta. Non desunt, qui dicūt, hermodactyl. apud Græcos radices esse quinque folij. Apud Arab. radices, quarum Mesue tres differentias ponit, nigras, albas & rubras. Euschius putat apud Nicolaum in antidoto Alexandrina esse ben album & rubrum, propterea quòd dicitur hermodactyl albos & rubros. Sed hic locus non est sufficiens. Quia ex Mesue sunt hermodactyli albi optimi: rub. non optimi: nigri deterrimi. Nos in omnibus compositionibus Arabum, hermodactylos vulgares accipiemus. In Græcorum descriptionibus, rad. pentaphylli. Nec sunt audiēdi, qui dicunt esse ephemerum colchicum, cum differat ab ephemero flore. Nostris harmodactyl. flos est luteus: colchicum flores croci habet. Sed de his aliàs. Maiores dicuntur, quia plura, quàm minores, simplicia obtinent.

Pil. de rhubarbaro.

EX rhab. siue, vt Mes. vocat rauetseni, parantur pil. quarum duæ extant descriptiones. Ad cachexiam vna: Ad hydropem altera magis. Sed quia illa recipit multas lachrymas calidiores, illas prętermittendas censeo, tum quia pauci Medici illis vtuntur. Dispensantur ad cachexiam sequentes.

℞. rhab. ʒ. iij. succi glyc. absynthij, mastiches ana ʒ. j. myrob. citrinorum confricatorum in oleo amyg. amararum, trochiscorum diarrhodi ana ℈. iij. ß. semen apij, fœnic. ana ℈. ß. hieræ picræ ℈. xv. confice cum aqua fœnic. Hæ pil. si sine myrob parentur, meliores sunt, quia aptiores ad obstructiones tollendas, vel si cum oleo amygd. confricentur, vt deponant astrictionem & asperitatem. Efficaciores erunt, si pro myrob. agarici ℈. ij. reciperentur, & magis accommodatæ erunt tollendis obstructionibus, pituitæque euacuandæ, hydropi, antiquis febribus spuriis, & compositis. Pauca recipiunt laxantia, multa quæ aperiunt & detergunt. Si quis pil. alte-

rius descriptionis ad Anasarcham requirat, addat tertiã partem pil. de euphorb. vel agarico. Sed de euphorb. sunt efficaciores, & paratu faciliores.

Pil. de euphorbio.

PIlu. parantur de euph. efficacissimæ, ad aquas & frigidos morbos, descriptione Mes. quæ recipiunt hæc.

℞. euphorb. colocynth. agar. bdel. vel myrrhæ, sagap. ana ℥. ij. aloës ℥. v. fiant pil. cum succo porri. Quòd non reperiatur frequenter bdellium, pro eo myrrham substituimus, quia in internis est antiballomenon, nisi in pil. de bdellio & externo remedio, in quibus propolim veram vel ladanum vsurpamus.

Pil. de fumoterra.

DIcuntur sic, quia myrob. infunduntur succo fumariæ, vt maiorem vim purgandi accipiant, atque talis est illarum descriptio.

℞. myrob. citrinorum, chebul. ind. ana ℥. aloës ℥. vij. scam. ℥. v. infundantur myrob. & aloë, & ter exsiccẽtur. Deinde inspissentur, & incorporẽtur, & ex omnibus fiãt pil. In hac descriptione nihil est dignũ in mutatione, & animaduersione, nisi quod hæc parandæ sunt initio æstatis, vel alio tempore parẽtur ex succo mercurialis, vel ciclæ cũ sero caprino, vel cum succo rof. vel aqua fumariæ.

Pilulæ lucis maiores & minores.

PIl. lucis dicuntur, quòd ad oculos instituantur. Harũ duæ sunt descriptiones, quibus facilè carere possumus. Maioribus primùm, quia pil. de lap. lazuli his substitui possint: neque sequitur, Non accipiunt licium: ergo non sunt pro oculis. Certè hoc nomine vituperãdæ maiores & minores, quia quæ detergendo extrinsecus prosunt, in illis nulla necessitate reperiuntur, vt licium. Lucis maiores non ea recipiunt, sed tantùm multa incidentia, & attenuantia Quòd si media pars ablata esset, vel dimidiam ponderis partem detraxeris, efficaciores fient ad euacuationem. Quare si quis pil. de sarcocolla, vel de ag. pro illis accipiat, erunt vtiles. Quòd si minores magis placeant, ob myrob. & lap. lazuli, de quinque generibus myrob. colocynth. & ag. & quæcunque videntur facere ad iustam euacuationem, & à longinquo. Adde quòd maiores, quia receptæ sunt à vulgo,

recipiunt plura odorata, quæ augent molem, & vires minuunt. Sic apud Mesuem,

℞. rosſ. viol. absynth. colocynth. cubeb, turbith, calami arom. nucis moscat. spicæ epith. carpobalsami, xylobalsami, sileris montani, sem. rutæ, ſ. ænanth. mastich. asari, garyoph. cinamo. anisi, fœnic. apij, cinamo. crassi, croci, macis an. ʒ.2. myrobal. omnium rhab. ana ℥.4. agar. senæ ana ʒ.5. eufrasiæ vel chelidoniæ ʒ.6. aloes ad pondus omnium, cum succo fœnic. fiant pilul. Quia in omnibus locis eufrasia non reperitur, neque multùm certa sunt quæ de ea scribuntur, visum fuit chelidoniam in eius locum substituere, quia deterget, & oculis determinatur. Adde quòd illa in pil. lucis maioribus, & ab eodem authore imponitur.

Pilulæ bdelio maiores, descriptione Mesuæ.

Pilulæ de bdelio parantur ad vlcera sedis & vteri, & ad fluxum sanguinis. Quare non erit inutile eas paratas habere. Descriptio talis est,

℞. bdelij, siue ladani puri ʒ.12. ameos ʒ.3. myrobala. cheb. emblic. indi. concharum venerearum, siue porcelanarum, charabæ ana ʒ.2.ß cum succo porri, vel cydoniorum, fiant pil. In his pil. parandis frequenter erratur. Primùm, quia myrrha pro bdelio ponitur, vnde mouent hæmorrhoidas potiùs, quàm cohibeant, vel siccēt. Quare nos ladanum substituimus, quia vt bdelium lętum est & emplasticum, ad formam pil. inducendam non aperit neque mouet sanguinem, sed constringit, vt hypocistid. succus, vel acacia. Ami torrefacere oportet vt nasturtiū, quo sanguinem sistant. Concharum venerearum legimus, non auellanarum adustarum. Sunt autem, quæ vulgò vocantur Porcellanæ. Id videtur quodammodo absurdum, quòd cum succo porri formādas imperet. Nam vt Dioscor. scribit, veteres sanguinis reiectiones cohibet, si binis drachmis & æquali pondere baccarum myrthi detur. Quòd si quis paret cum succo cydoniorum, efficaciores erunt ad constrictionem, & minùs suspectæ iis, qui in operationibus ab occultis accidentibus minùs sunt exercitati.

Pilulæ de styrace.

AD catarrhos inspissandos & sistendos parantur pil.

de cynoglossa, & styrace. Sed quia nostrum cynoglossum non est verum, sed potiùs glastum agreste (non enim caulem, neque florem gerit cynoglossum, vt docet Dioscor.) ob id mihi videntur parandæ pil. de styrace, quarum descriptio hæc est:

℞. styrac. liquidæ albæ olybani, myrrhæ, succi glyopij ana drach. 4. fiant pilulæ sicut ciceres. Dosis duæ aut tres.

Ex alio authore descriptio.

℞. castorei, opij, styrac. calaminthæ ana ʒ. 3. myrrhę liquidæ, hematites ana ʒ. 2, cum succo absynth. fiant pilulæ.

Pilulæ de cynoglossa.

℞. cynogloss. opij, semin. hyoscyam. ana ʒ. 4. myrrhæ, trogloditæ ana ʒ. 6. thuris, mastic. ana ʒ. 5. garyophyll. ʒ. 2. cinamo. styracis rub. ana ʒ. 2. cum aqua ros. conficiatur massa.

De trochiscis.

TRochisci à figura rotunda dicti sunt. Parãtur autem ad medicamentorum cõseruationem. Nam meliùs conseruantur simplicia medicamenta in ea forma solida, quàm in pul. redacta. Multi sunt, quibus carere non possumus, quia alias compositiones ingrediuntur, vt trochis. de viol. de ros. in pul. cordialibus, vt diarrhod. commune, trochisci squillæ & de viperis, in theriaca. Aliqui in fumigiis recipiuntur, vt aliptæ moschatæ, gallæ moschatæ. Quo tempore præparari possint, vt squillæ viperarum, parẽtur. Qui verò quouis tempore parari possunt, cum otio abundant, seriùs parabunt, vt hyeme Parentur tantùm, qui sequuntur, trochisci diarrhodon, de viol. scillitici, theriacales, de camph. trochisci alchechangi, de myrrha, de galla moscata, de alipta moscata, de rhab. de spodio, de carabe, alandal, de capparib. de agar. de eupatorio, absynthio.

Trochisci de rosis, descriptione Rasis. Diarrhodon dicti trochisci à ros. Hoc nomine etiam pul. apud Arabas, & collyrium apud Galen. dicitur. Horum trochiscorum multæ sunt descriptiones, sed Rasis magis probatur, quæ sic habet.

℞. ros. rub. amotis vnguibus ℈. iiij. santali moschatelini,

lini,vel citrini,pro ligno aloes ʒ.2.mast.ʒ.1.ß.absynth. cin spicæ nardi, cina.crassi,siue cassiæ,schænan.ana ʒ.1. fiat pul.tenuissimus,qui vino exceptus reducatur in trochiscos; & seruentur in vase vitreo. Hic pro ligno aloes rarò inuentu, santalum substituimus, cassiam, cinamo. crassum interpretati sumus. Hæc descriptio aptissima est,nec tamen reiicienda illa Mes. quia est paratu facilior.Recipit tamen quæ sequuntur,

℞. florum ros. ʒ. 10.glyc. ʒ.5. spicæ nardi ʒ. 2. ß.excipiantur vino albo,fiant trochisci.

Trochisci de Violis.

HOc nomen vagum est apud Græcos, sed magis apud Latinos, *yon*, Græcis, violam significat, quam simpliciter in officinis violam martij vocant. Latini tamen violam appellāt *leuccion*, cuius tres sunt species,luteæ,quas vulgus Cheri vocat albas, seu rubras, seu purpureas Græci nomine *leucoi* significāt. Quare incertum est, à quibus nomen habeant hi trochisci.Puto tamen à leucoio. Et quia nomen sonat albam violam,vertunt, violas albas. Qui trochiscos in officinis parant, ex martialibus violis componunt contra authoris voluntatem, qui potius ex cherino flore, quia inter violas est efficacissimus.Dispensabimus ergo ex illis,& secundum hanc descriptionem fiant,quia hi trochisci recipiūtur in pul. cordialibus. Si enim parentur secundum aliquas descriptiones Mesuæ quæ turbith ʒ. 3 recipiunt, destrueretur pul.cordialis.Fiat ergo in hunc modum.

℞. florum leucoij viridium ʒ. 5. amyli ʒ.3. sem. papa. albi ʒ.2.& ℈.1 sem. plantag. ʒ. 1.succi myrrhæ pro opobalsamo ℈.1.aquæ ros.q.s. fiant trochisci, & reponantur in vase vitreato.

Parari possunt ex albis purpureisque. Sed quia luteorum præcipuè in medicina vsus est, ex luteis parabuntur, quæ cheri vocantur. Recipiebant balsamum, quod de opobalsamo intelligendum est tanquam de præstantiore. Nos succum myrrhæ substituimus, vt in theriaca,& omnibus aliis internis remediis faciendum censemus. Extrahitur sic. Eligitur purissima myrrha, qualis illa, quæ venditur multis in locis pro bdellio. Est autem flaua,amara,odorata, & partes habet,velut vngues,

In tenues partes ponatur, & in cauitate albuminũ ouorum coctorum ad duritiem, & supra discum stanneum reponatur in loco frigido subterraneo. Sic dissoluetur, & in verissimam steacten reducetur, & illa licebit vti pro steacte prælo expressa, & pro opobalsamo. Hos trochiscos dispensandos suadeo, quia in pulueribus quibusdam reperiuntur. Nam alio modo non vtimur. Est certè medicamentum incerti effectus. Componitur enim ex pugnantibus calidis, frigidis, & adstringentibus. Quare quantitatem habere oporteret, quam putamus sufficere ad pul. conficiendos. Parabitur vere & æstate in locis frigidis. Apud nos toto ferè anni tempore reperiuntur, præterquàm in fine æstatis, quando deflorueruñt, & semina producunt.

Trochisci de agarico.

EX agarico sine magna impensa parantur duo trochiscorum genera Mesuæ. Secundum vnam præparationem dicuntur trochisci de agarico: secundùm verò alteram agaricus trochiscatus. Communiter autem in officinis sic parantur.

℞. agar. fœminei, boni, & albi rasi in tenues partes ℥. 4. vini infusionis zinzib. q. s. fiant trochisc. Hoc est agaric. trochiscatus, quem vocant. Trochisci verò de agarico videntur magis apti ad pituitæ eductionem, sed variis modis parantur. Alij ex agarici ℥. 3. zinzib. & salis gemmæ ℥. 1. cum oxymelite & syrupo acetoso formentur. Id enim parùm refert, siue ex oxymelite, siue ex syrupo acetoso fiant. Multùm verò, si fiant secundum illam descriptionem, vel secundum aliam, in qua ℥. 1. salis gemmæ, & zinzib. ʒ. 1. legitur. Ego magis probo vltimam, & secundum hanc parari suadeo, quia in prima dosis est minima ad ʒ. 1. salis gemmæ, & zinzib. ℥. 1. In secunda verò minor est, quàm conuenit dosis ad ʒ. 1. Sed liberum est addere, vt libet. Decoquunt zinzib. in aqua bugloss. in decocto zinzib. infundunt sal bene tritum, & miscent. Sed si hoc modo parantur, non multùm different ab agarico trochiscato.

Trochisci alandal.

TRochisci ex colocynthidis interna parte parantur, qui Arabicum nomen seruarunt apud omnes, quod

quod ego quoque seruare volui, propterea quòd sciretur ex colocynthide eos parari, & rarus esset vsus. Timere enim solent diagrid. colocynthidem & alia fortiora remedia sine quibus morbos contumaces curare non possumus. Parandi autem sunt ad pituitæ euacuationem in hunc modum.

℞. pulpæ colocynthidis albæ & leuis purgatæ seminibus ʒ.1. ol. ros. ℥.1. mucil. gummi trag. & arab. ana ℥.2. bdelij & myrrhæ ʒ.1. macerentur lachrymæ in aqua ros. quatriduum, & formentur trochis. ex colocynth. Oleo ros. confricetur colocynthis forcipibus minutim incisa: deinde cum mucagine fiant trochis. quos siccent, & siccatos rursus in trochiscos reducant. Hoc autem faciunt, vt in tenuiores partes redigantur colocynth. Quòd si nõ sit tunc factum, diligentiùs in puluerem redigentur, cùm his erit vtendum.

Trochisci de rhabarb. eupatorio, & absynthio.

TRes sunt trochisci, qui sunt similes. Ob id sufficiet vnum ex his retinere in officinis. Retinebimus eos, qui ad hunc modum sunt parandi.

℞. rhab. ʒ. 10. succi eupatorij ʒ.4. ros. ʒ.3. spicæ nardi, amygd. amar. ana ʒ. 2. ß. anis. rub. tinctorum, seminis apij, absynth. azari ana ʒ.1. cum vino formentur, si succi inspissati & siccati sint. Si verò ex succo recenti, sine vino. Sed cum succis parandi sunt. In hac descriptione restituimus pondus, & ordinem amygd. amar. Nam antiqua exemplaria & ordo hoc docent, vt post ʒ.3. sequantur ʒ.2. vel ʒ.2. ß. Quòd si desiderasset amygd. amarar. ʒ. 4. cum eupatorio coniunxisset, vt coniunxit, quæ pondere tantùm ℥.1. ponuntur.

Succum eupator. Mes. vel succum de absynthio ipse substituit aliquando. Si trochis. de absynth. & eupatorio carere possumus, cùm istos habemus, qui valent ad liberandas obstructiones hepatis.

Trochisci de capparibus.

TRochisci de capparibus parantur ad splenis affectus, & obstructiones auferendas. Recipiunt aperientia sine lachrymis, & hoc nomine differunt à trochiscis hepaticis, qui rhab. omnes recipiunt, & qui nomine rhab. appellantur de absynth. & eupatorio.

℞. corticis radic. cappar. seminis agni casti ana ʒ. 6. melanth. calaminth. acori, amygd. amar. nasturtij, ammoniaci, foliorum rutæ, aristol. rotundæ, succi eup. ana ʒ. 2 cyperi. scolopendriæ siue ceterach ana ʒ. 1. dissoluatur ammoniacum aceto acri, & cum dissolutione formentur trochisci. Vera scolopendria est ceterach, quanquam lingua ceruina easdem vires habeat ad splenem absumendum. Melanthium, nigella Romana dicitur, non vulgaris, quæ melampyron est.

Trochisci alchechengi, siue de solano Vesicatorio.

Ex baccis alchechengi fiunt trochisci, qui corrupto vocabulo trochisci alchechengi vocantur, & parari debent ob summam eorum necessitatem in affectibus renum & vesicæ ad dolores & vlcera eorum. Recipiunt autem hæc,

℞. baccarum alchechengi ℥ 3. seminis citruli, melonum pro semine albæ techæ, cucurb. ana ʒ 4 ß. boli armeni, gummi arabici, corticis thuris, sanguinis draconis, papauer. albi, amygdal. amar. succi glycyrrhizæ, tragacan. amyli, nucleorum pinearum ana ʒ. 6. semi. apij, succini, siue carabæ, hyoscyami, opij ana ʒ 2. cum aqua mellis compingantur trochisci. Aliqui addunt terram sigillatam. Sed in optimis exemplaribus Mes. non legitur. Aliqui dubitarũt. quòd interpretes legant (peponis Indi) sed aliqui intelligunt de techa alba, quæ est peponis species. Qui habent, ponant: qui non habẽt, seminare possunt. Sin minus, semen peponum, vel cucumeris. Omnia ista semina idem præstant humiditate aquea, qua abundant.

Trochisci de carabe, siue succino.

Ex succino parantur trochisci efficacissimi, quos retinere visum est ex Mesue.

℞. carabæ, aureos 6. cornu cerui vsti, coralli adusti, tragacanthi, acaciæ, hypocistidos, balaustiorum, mastic. laccæ lautæ, papaue. nigri assi leuiter. ana aureos duos, thuris, croci, opij ana aureum vnum ß cum mucilagine psilij, extracta cum aqua rof. fiant trochisci. Hos transscripsimus ex Mesue, & pondere quo ipse vsus est, nos quoque vsi sumus, aureo, scilicet, quod pendet ʒ. 1. ß apud eum, & alios. Nihil est periculi, si quis pro aureo ʒ. legat,

legat, quia omnia simplicia eodem pondere notantur. Quare semper eadem proportio seruatur, non autem pondus idem compositionis totius, quod parùm refert, quando tota quantitas vna dosi non sumitur. Pro (Hemphilstidis) reddimus (hypocistidis) ne nomen Arabicum remoraretur Pharmacopolam. Adiicimus mucilaginem extrahendam cum aqua ros. quia constringit & odoris suauitate aliorum fœtorem emendat. In Mes. quia non legitur (gummi asi) prætermisi. Quòd si placet, expunge laccam lotam, quia nostra si esset, cancamum non conuenit, vel pro lacca, sang. draconis ponendum suademus.

Trochisci de antispodio, cum semine acetosæ.

TRochisci ex spodio Arabum, id est, antispodio, parantur duobus modis sine semine acetosæ, & dicuntur simpliciter de spodio. Alij cum semine acetosę. Ob id de spodio cum sem. acetosæ dicuntur, qui magis probantur à practicis. Ob id illos retinemus, quia efficaciores ad constringendum sunt, & recipiunt hæc,

℞. ros. rub. ʒ.10. antispodij ex myrtho, vel oliuæ, vel cotoneis ʒ.10. sem. acetosæ ʒ.6. sem. portulacæ, granorum coriandri infusorum in aceto, deinde torrefactorum, pulpæ sumach ana ʒ.2.ß. amyli asi, balaustiorum, berberis, ana ʒ.2. gummi arab. asi ʒ.1.ß. cum succo acetosæ fiant trochisci.

Trochisci de scylla.

AD theriacę præparationem ex scylla parari debent, in fine Veris. Ex Gal. sic parantur.

℞. carnis scyllæ decoctæ ℥. 4. farinæ orobi leuiter torrefactæ, vel micæ panis candidissimi ℥. 2. formentur trochisci oleo rosaceo, & seruentur in domo spectante ad meridiem, non tamen in sole, & moueantur frequenter, ne situm contrahant. Scylla bonæ habitudinis, id est, eligenda recens. Illam massam ex optima farina inuolue, & in furno vel sub cineribus coquito, donec mollescat, & abiectis primis tunicis & cortice lignoso, mediam in mortario in læuorem coge, coque, & addita sufficienti quantitate farinæ orobi torrefactæ, vel micæ panis, fiant trochisci. Farina orobi vsurpatur, quia apta est ad formandos trochiscos, & pugnat aduersus

venena. Et quoniam eruum aliud est album, aliud flauum, eligitur album: quo deficiente, vsurpatur flauum, vel mica panis candida. Sunt qui volunt æqualem portionem: Alij dimidiam: Alij tertiam tantùm: Alij duas farinæ, tres carnis scyllæ. Hæc melior est proportio, & secundum hanc parabimus.

Trochisci de Viperis.

EX viperarum carne parantur in officinis trochisci initio æstatis ad theriacæ præparationem, quæ æstate media & feruida paranda est, & cùm herbæ, flores, & fructus habent ferè maturos. Parantur ex carne viperarum, & pane tantùm, varia proportione apud diuersos. Sunt enim, qui dimidiam, qui tertiam, Galen. quartam, vel quintam miscet. Nam panis ad excipiendam carnem, & seruandam ponitur. De præparatione pauca, plura in diario, seu ephemeridibus Pharmacopolarum. Caro viperarum tum vsurpatur, quia caput, cauda, & pellis, & interna abiicienda sunt, eòque tempore magis, quo plus carnis habent, vt paulò post quàm è terra exeant, & illę, quæ ventrem non gerunt. Caro decoquatur in sufficienti quantitate aquæ, vt anguillæ solent decoqui.

Trochisci de galla moscata.

NOn tam ad voluptatem trochisci isti parantur in officinis, quàm ad sanitatem. Vtimur enim in affectibus cerebri, vteri, cordis. Quare parare oportet, sed in pauca copia, quia semper licebit, potissimùm descriptionem Mes. parare. Hisce tribus parantur.

℞. ligni aloes (pro quo santali citrini) ʒ. 6. ambræ ʒ. 3. moschi ʒ. 1. mucilaginis, gummi tragacanthi ex aqua ros. excipiantur trochisci. Non desunt qui ambram dissoluere velint in oleo de ben, vel amygdalar. ex eòque confingere. Hoc faciunt, vt magis effument. Sed si quis velit suffumigia parari, ex his, postea quàm exsiccati sunt, oleo inungantur, & seruentur vsui in vase plumbeo, vel terreo vitreato, vel vitreo, vt odor seruetur.

Alipta moscata, descriptione Nicolai.

PVlueribus constat alipta Nicolai in vsum communem recepta. Cuius descriptiones in quibusdam desiderantur. Hæc sufficit & probari potest. Constat autem sequentibus.

℞. lada-

℞. ladani puri ℥.3. styrac. calaminthæ ℥. 1. ß. styracis rub. ℥. 1. sandali citrini ʒ.2. ambræ ʒ. 1. camph ℈.1.ß. moschi ℈.1. Aqua ros. excipiantur, & formentur trochisci. In his formandis mucilago non recipitur, quia hæc omnia ferè emplastica sunt, & ferè coniunguntur in vnum.

De cyphis Democratis.

TRochisci, cyphi dicti, odorati suffimento. Compositio hæc erat dicata diis, qua vtebantur Ægyptij sacerdotes, teste Dioscoride. Sed quia in mithridatica vera compositione ponitur, & per se vsurpari potest, eius descriptionem prætermittere noluimus. Multæ sunt componendi rationes, quarum vnam tradit Dioscorid. Alteram Democrates apud Galen. carmine, quæ variari non potest ob versus rationem. Ob id eam tenuimus cum Galeno.

℞. carnium vuarum passarum, alb pinguium, expurgatarum à pelle & gigartis, terebinth repurgatæ, & coctæ in aqua, donec durescat, ana ʒ. 24. myrrhæ, schænanthi ana ʒ. 7. calami arom. ʒ. 9. cinamomi ʒ. 4. bdellij, vel myrrhæ. blattæ bizantiæ, spicæ nardi, casiæ seu cinamomi crasi, cyperi purgati, baccarum iuniperi magnarum vel paruarum, pinguium, ana ʒ.3. asphalti, vel sem. agni casti ʒ.2.ß. croci ʒ.1. mel. optimi, & vini ana q. s. ad formandum. Carnes tundendæ diligenter, passulæ & baccæ iuniperi, deinde myrrha. Bdellium in vino dissoluatur: reliqua in tenuissimas partes redacta, misceantur, addendo mell parum, & vini ad trochiscos formandos. Siccentur, & vsui seruentur. Dioscor. descriptio in aliquibus variat, scilicet, in ponderibus & numero simplicium. Resinam enim mundatam, & liquatam miscet. Nos ob rationes prædictas Democratis retinuimus. Baccas iuniperi paruas substituimus, quia magnis caremus. Agnum, pro asphalto, cum Ægineta myrrham pro bdellio posuimus.

De oleis.

OLea oportet habere, quæ ipsa citra aliam mixtionem vtilia sunt ad dolores, asperitates, & alios multos affectus curandos. Præterea ex ipsis cerata, linimenta, vnguenta, emplastra, irrigationes fiunt. Qua-

re de his dicemus, déque his, quæ ex oleis parantur. Oleorum alia simplicia sunt, alia composita. Simplicia, quæ nihil accipiunt à compositione, præter separationem, vel extractionem, vt oleum oliuarum, amygdalarum, nucum, ex semine sinapi, anisi, lini, & aliis seminibus similibus, vel semine vel fructu aliquo pingui. Composita verò sunt, quæ ex oliuis, floribus, herbis, vel odoratis parantur. Et hæc sunt quæ in officina habere debet Pharmacopola. Oleum omphacinum, vel eius loco paratum cum foliis oleæ, dulce, maturum, sine foliis & sale paratur statim post collectionem: oleum antiquissimũ, vel eius loco, ex oliuis natis ex loco saxoso, & cocto, paratum post multos menses ex collectione oliuarum. Tale enim acre fit, quale est antiquum, vel diu coquendum, vt antiquo respondeat.

Oleum sesaminum.

OLeum sesaminum vile est in Sicilia, vbi ingens copia nascitur, sed nobis carum. Quare quæ ex sesamo olea parantur, ex oleo dulci esse debent, & maximè pingui, & crasso, qualia sunt olea, quæ in campestribus locis, humidis, & feracibus terris, colliguntur, vel ex oleo amygd. dulc. laurinum, nardinum, rutaceum, anetinũm, irinum, chamæmelinum, liliorum, de absynth. mastichinum, lentiscinum, myrthinum, omphacinum, rosatum, & completum, de coroneis, de menta, violaceum, de nenuphare, de pap. de mãdrago. de costo, de euphorb. de piperibus.

Oleum rosatum omphacinum.

HOc duplex est. Aliud rude, quod omphacinum ros. dicitur: aliud verò compositum. Oleum rude ad refrigerandum & repellendum conficitur ex oleo omphacino, & rosis non expansis. Ratio parandi talis est, Accipe eam quantitatem olei omphacini, quam voles. In aqua infunde ros. parùm contusarum quantitatem ei respondentem Pone in vase vitreo, vel vitreato, & diligenter obtura. Expone soli per dies septem, & quotidie volue vas, vt vndiquaque incalescat Deinde leuiter decoque in duplici vase. Posteà exprime, & illas rosas abiice, & secundò alias rosas infunde, &, vt priùs, repone in sole per vij. dies. Rursum decoque, imponendo aquæ ro-

ſarum, vel infuſionis roſ q. ſ. Decoquatur leuiter, & reponatur oleum, & vſui ſeruetur. Simile fieri poteſt ex roſis ſiccis, & aqua roſ. quod magis conſtringet & non multò minùs refrigerat, & oleo abluto aqua frigida & cum ſucco palmæ, vel cydoniorum, quod magis conſtringet, & non multò minùs refrigerabit.

De oleo roſato completo.

OLeum completum ex oleo dulci, & maturo, & roſis expanſis, contuſis, & ſoli expoſitis; & leuiter decoctis in duplici vaſe, vt roſ. omphacinum componitur. Hoc ad dolores conuenit. Poſt annum valet adhuc ad confortationem & doloris mitigationem, omphacinum verò poſt annum inutile eſt ad refrigerandum & repellendum. Quare pro completo, ſecundo & tertio anno vſurpari poteſt.

De oleo myrthillorum.

OLeum myrthillorum, prope roſaceum omphacinum rude collocari debet. Refrigerat enim, repellit, & abſtringit. Sic paratur,

℞. olei omphacini ℔. 4. myrthil. confractorum ℔. 1. aquæ ℔. 2. Bulliant ad aquæ conſumptionem. Si aqua decoctionis, vel aqua myrthi apponeretur, efficacius eſſet. Hoc oleum parari debet hoc modo, vt præſtet quæ pollicetur, & poſsit refrigerare & repellere. Quare ſine vino, ſed cum aqua decoctionis vel deſtillationis myrthi parari debet. In aqua verò multa ſuccus ponitur, ne vratur oleum coctione. Vinum autem apponendum non eſt, niſi fortè tempore applicationis, neceſsitate expoſtulante, ad penetrationem. Non enim ſemper vinum conuenit, vel acetum. Quare cùm conuenit, addatur. Nam parare cum vino, eſt medicamenti vim impedire.

De oleo cydoniorum.

OLeum cydoniorum parare debemus, quia eſt efficax ad refrigerandum, repellendum & conſtringẽdum, & in quibus regionibus myrthus non reperitur, hoc ſubſtitui poteſt. Paratur autem hoc modo.

℞. carnium cydoniorum maturationis mediæ cum cortice ſed ſine ſemine, quia mucilaginem habent, ſucci cydoniorum, ana partes æquales, olei omphacini

q.s.reponantur in vase vitreo ad solem per 15. dies, deinde diutius coquantur, quàm rosatum, & in duplici vase collatum reponatur in vsum. Quòd si efficaciùs efficere volueris, abiectis primis ponantur alia cydonia, & rursus insola, incoq;, vt priùs cum succo. Vel 40 dies insola, & coque minùs. Igne Paulus non coquit, sed insolat per 40 dies. Sed cùm hoc oleũ paretur ex carne & succo cydoniorum, quæ substantia est dura, meliùs est parare, vt priùs. Melior est illa præparatio Mes. vt in sole macerentur priùs, deinde decoquantur in duplici vase. Illud Diosc. non est parandum.

De oleo nenupharino.

OLeum ex floribus nympheæ parari debet, quia est efficax ad refrigerandum, & constringendum, & venereos impetus extinguendos. Paratur autem, vt rosaceum, ex omphacino, in hunc modum.

℞. olei omphac. ℔.1. florum nympheæ albæ ℥.4. contundantur, macerentur, & insolentur, & in duplici vase leuiter coquantur, exprimantur, vsúsque seruentur. Quia hebet multum aqueæ substantiæ hoc oleum, multùm decoqui debet, vel flores per duos dies seruandi, vt marcescant aliquantulùm, & tunc minùs decoquere oportet, absumpta nimium aquosa substantia.

De oleo violaceo.

OLeum violaceum parandum est Vere, ex floribus viol. & oleo dulci, non antiquo, neque solito hoc modo,

℞. olei oliuarum dulcium ℔. 2. viol. recentium ℥.4. infundantur, & insolentur per dies 7. Postea bulliant leuiter, duplici vase, per horam. Hoc oleum cùm fit ex floribus, sufficit leuiter decoquere, ne longa coctione vis resoluatur, & oleum calidius reddatur. Non sunt ponendæ violæ siccæ in fine, quia nullius sunt efficaciæ, nisi parùm admodum exiccatæ. Magis enim ob humiditatem vsurpantur, quàm ob aliud. Refrigerant etiam magis recentes ob humiditatem, quàm siccæ. Est enim aliquid in eis quod linguam pungit, cùm masticantur. Vtile est ad refrigerandum, & leniendum dolores acres.

De oleo liliorum.

OLeum liliorum simplex, & compositum olim erat vt ex

vt ex Dioscoride videre est. Compositum fiat ex oleo, myrrha, calamo aromatico, cardamomo. Olei inspissamentum seruabunt, quo vtebantur in affectibus neruorum,& vteri. Inspissamentum & fecem appellabant magma illud, vnde Barbari pro magmate accipiunt fecem olei de lilio simpl. quæ contrariam facultatem habet. Quare si quis præscribat fecem olei oliuarum, non fecem simplicis, sed compositi intelligere oportet. Cuius descriptionem apud Dioscor. reperies. Simplex conficiebatur ex oleo balanino, id est, ex oleo de sem. behē, quod semen antiquis, & balanus myrepsica vel myrob. Plinio. Et quia istud oleum rarum est, erit parandum ex alio simili, vt oleo amygd. vel oleo dulci. Sed si ex oleo amygdal. fiat, efficacius erit, & ad sedandos dolores, & relaxandas partes frigore constrictas, & potissimùm vuluæ,& ad rarefaciendum.

℞. olei oliuarum, vel amygd. ℔.1. florum liliorum alborum, amota parte interna crocea ℥. 4. Hi flores satis humidi sunt: Quare citra aquæ admixtionem insolandi, & in vase duplici diutius coquēdi, donec humiditas absumta sit, quæ solet oleum corrumpere, vt de nenupharino dictum. Seruandi flores post collectionem, vt marcescant.

De chamæmelino.

HOc oleum semper paratum habere oportet, quòd ad multa vtilissimum sit, vt ad sedationem doloris, ad febres, ad resolutionem & conformationem artiū.

℞. olei dulcis ℔ 2.& ℥.4 florum chamomilæ ℥.1. infunde,& soli expone. Deinde leuiter decoque,& rursum flores adde,& soli tantùm appone,& vsui serua.

De anethino.

QVanquam non multùm facultate differunt hæc duo olea, cùm tamen hoc facilè parari possit, & sine magna impensa, parandum censeo. Est magis calidū, & in doloribus frigidis & flatulentis magis conuenit, paratúrque vt chamæmelinum.

℞. olei dulcis communis ℔. 2. ℥. 4. florum anethi ℥. 10.& ʒ 2. Infundantur,& insolentur,& leuiter decoquātur. Rursum alij flores addantur, & insolentur tantùm. Nam insolatio sufficit ad mixtionem florum odorato-

rum, & tenuium partium. Ob id sufficit humidos primos decoquere, & in oleo calido secundos exiccatos iniicere, & insolare Nam qui secundò adduntur, in hoc & in oleo calido sicci poni debent. Propè oleum chamæmelin. collocari debet, & post hoc violaceum.

De rutaceo.

OLeum rutaceũ vbique parari potest, & debet, quòd sit efficacissimum, ad calfaciendum, resoluendum, & discutiendum. Fit autem hoc modo,

℞. olei oliuarum antiqui ℔.3. foliorum rutæ, & succi ana ℥. iiij. infundantur, insolentur, decoquantur leuiter, collentur, & vsui seruentur. In hoc non est facienda secunda infusio, quia ex herba & succo posuimus ℥. 4. pro ℥. 3. Ea enim quantitas minor erat. Non me latet hoc factum ob herbæ efficaciam maximam, & fœtorem. Verùm hoc oleum efficacissimum esse dicitur. Quare sic non parandum. Nam in magnis & extremis morbis minùs solliciti sumus de fœtore. Erit etiam ob fœtorem vsui in morbis vterinis, appositum naribus, & vmbilico.

De oleo irino.

IRinum ab iride dictum est. Conficitur ex oleo antiquo, floribus iridis, & radicibus, & decoctione radicum. Parabitur autem in hunc modum.

℞. olei oliuarum antiqui dulcis ℔.2. succi radic. iridis ℥.2. infundantur, & insolentur, & coquantur ad consumptionem succi. In fine adde florum irid. ℥. 4. & rursum decoquatur cum floribus leuiter. Non enim sufficit macerare flores ob crassitiem & succi copiam. Oleũ deinde colla, & in vsum serua. Valet cõtra flatus & affectiones neruorum frigidas.

De oleo cherino.

OLeum cheri, dicitur oleum de leucoio luteo, quo possumus carere, si irinum habeatur. Si quis velit parare, faciat hoc modo,

℞. florum cheri ℥.12. olei antiqui non saliti ℔.2. insolentur per tres dies, & leui igne coquantur in balneo mariæ. Seruetur vsui. Idem præstat, atque irinum.

De oleo enulato.

OLeum enulatum dispensari non debet, quia easdem vires habet, cum irino. Quod si quis requirat omni

tempore

tempore & facilè parabitur ex radicibus contusis, & succo enulæ coctis, vt irinum.

De oleo castorei.

EX castoreo paratur oleum, quod omni tempore, & nullo negocio fieri potest. Sed quia in apoplexia, caro, lethargo, & aliis capitis & neruorum morbis est vtile, præstat paratum habere.

℞. olei antiquissimi ℔. j. saniei castori, vel illius solidæ substantiæ ℥. j. leuiter decoquantur. In castoreo reperitur sanies quædam ad instar butyri rancidi liquefacti, quæ ob similitudinem, quam habet cum oleo, facilè miscetur. Ob id nulla decoctione eget, sed potius agitatione, & calfactione. Si verò substantia interna castoris sicca sit, reducenda est in pul. & leuiter calfacienda. Ob substantiæ tenuitatem, & acrimoniam facilè oleum afficit. Nolui saniei illius caussam exortúmq; tradere, cùm aliis locis diffusè & ex professo tradiderim.

De euphorbio.

HOc oleum facilè, & omni tempore paratur, & sufficit vel oleum castorei, vel euphorbij paratũ habere. Paratur autem ex euphorbio, oleo, & vino. Cuius descriptio duplex est. Alia olei simpl. alia compositi. Sed simplex parandum. Nam compositum natura cum oleo de piperibus conuenit. Præterea vix parari potest ob defectum struthij, quo caremus. Quare sufficit simplex, quod in hunc modum paarabimus.

℞. euphorb. albi & loti ℥ j. ol. ℔. 1. vini parum. Leuiter coquatur, vel potius incalescat. Vsui seruetur. Est enim tenuissimæ substantiæ, quæ, vt de castoreo dictum est, facilè permiscetur.

Oleum de costo.

℞. Costi amari ℥. 3. cinamomi crassi ℥. 4. extremitatum sampsuci ℥ 8. vini odoriferi parũ, olei antiqui ℔. 3. Macerentur simul per tres dies, & leuiter coquantur ad consumptionem vini. Colla, & vsui serua. Hoc omni tempore parari potest. Carere possumus, ne multitudine vasorum perturbemur.

Oleum mastichinum.

OMni tempore parari potest. Carere possumus. Sed quia frequenter eo vtuntur Medici, aliquam quan-

citatem præstat habere Sic paratur,

℞.mastiches ℥.4.olei dulcis ℥.12. vini optimi parum. Decoquatur leuiter. Paratur duobus modis apud Mes. cum oleo ros.vel sesamino. Et quia Mes.vsurpat ad ventriculi & iuncturarum confortationem, ad sedationem dolorum,& ad apostemata dura,ob id illam priorem descriptionem apposuimus, quod paramus ex oleo dulci, loco sesami Quod si quis velit magis constringere,oleũ ros ol. cydoniorum, vel myrtil.addere poterit. Sic paratum, vt diximus, magis ad dolores leniẽdos,& abscessus conuenit. Nam mastiche emollit, & constringit, si practicis credimus. Quare magis emolliet & cõcoquet, si cum oleo dulci,vel sesamino paretur.

Oleum de menta.

OLeum de menta ex succo mentæ parari debet. In fine veris paretur. Tunc enim succi extrahi debẽt, & ad medicamentorum præparationem & conseruationem. Dios colligendi tempus succũ esse vult,cum teneros emittere caules incipiunt,quia tũc plus succi habẽt, quàm cùm ad statum peruenerunt,magis coctum,& excremẽtitium ante caulis eruptionem.Paretur autem sic,

℞.foliorum mentæ viridium,& succi eiusdem ana ℥. 4.ol.omphac.℔.3 reponantur in vase vitreo per 15.dies. Leuiter coquantur in duplici vase,ad succorum consumptionem.Facta eius expressione, vsui serua. Hoc oleum alij ex omphacino, alij ex dulci,alij ex antiquo parant. Sed cùm ad nauseas, vomitiones,ventriculi corroborationem, & appetentiam excitandam detur, oleum omphacinum magis conuenire videtur ad has actiones. Adde quòd antiquum calidius est, quàm oporteat ad vomitiones, quæ magna ex parte solent ob bilis in ventriculum effusionem promoueri. Adde quòd à menta satis caloris habet, & minorem astringendi vim, quàm vt vomitum compescere possit. Quod aliqui dicunt ad scirrhum ventriculi valere, stultum est putare scirrhum curari posse. Quòd si quis ventriculi scirrhum curare velit,oleum mastichinum accipiat,quod ventrem roborat & emollit. Si maiorem emollitionem requiras, habes alia remedia ad id efficacissima. Nos igitur parabimus ex oleo omphac,vel ex oleo loto aqua rosarum,vel

succo

ſucco cydoniorum, quia meliora exemplaria ſic habent. & rationi magis conuenit hæc lectio.

Oleum de abſynthio.

OLeum de abſynthio eodem ferè tempore parari debet, quo oleum de mēta, quia herba plus ſucci, minùs acrimoniæ habet. Ex abſynthio Romano paretur hoc modo.

℞. ſummitatum abſynth. Romani, ſucci eiuſdem ana ℥ iiij. olei oliuarum completarum ℔. ij. paretur, vt de menta dictum eſt.

Oleum nardinum.

OLeum nardinum, veriùs oleum inſpiſſatum, & vnguentum, antiquorum more, dicendum eſſet, quia ex multis odoratis paratur. Et quanuis nullum oleum antiquorum inſpiſſatum retineamus, hoc tamen parandum ad multas affectiones ventriculi, vteri, neruorum ſuademus. Sed huius deſcriptiones tres ſunt apud Meſ. Prima ſimplex eſt ex ſpicæ ℥. iij. aquæ & vini ℥. ij. ß. ol. ſeſamini ℔. iij. coctis & agitatis frequenter. Tertia deſcriptio eſt magis compoſita, quæ, vt mihi videtur, magis parari videtur quàm ſecunda, quia minùs eſt compoſita, & magis, quàm prima. Secunda, qua hodie noſtri vtuntur apud nos, hæc eſt.

℞. ſpicæ nardi ℥. iij ſampſuci ℥. ij. xyloaloes, vel eius loco, ſandali moſchatelini, vel citrini, enulæ campanæ, folij Indi, vel eius loco, galangæ, vel calami aromatici, vel ſpicę, foliorum lauri, ſcœnanthi, cardamomi ana ℥. j. ß. Irrigentur aqua & vino permixtis, priuſquam conterantur. Deinde adde olei communis pro ſeſamino ℔. vj Coquantur leuiter, & vſui ſerua. Huic ſi addas moſchi ʒ. ß. pro tota quātitate, ſubſtitui poterit pro muſcatelino. Tertia in hunc modum.

℞. ſpicæ nardi ℥. iiij ſtyracis, garyophyl. ana ℥. iij. nucis moſcatę ℥. quinque, olei balſami, vel eius loco, de ſpica ℥. vij. olei ſeſami, vel communis dulcis ℔. iiij. infundantur, agitentur, leuiter decoquantur. Hoc non paramus, quia oleo balſami caremus. Sed oleū de ſpica proportione reſpondet tenuitati, & temperamento. Quare commodè parari poterit. Hoc aliquando vſus ſum cum maximo ſucceſſu.

Oleum muscatelinum.

QVia muscatelinum recipitur in vnguento Aragon. & frequenter vtuntur in affectibus aurium, & vteri, visum huic loco descriptionē apponere, vt, videlicet, quantùm conueniat cum supradicto in viribus, agnosci possit. A moscho muscatelinum dictum est quibusdam. Qui dicunt à Galen. compositum fuisse, ineptè scripserunt. Nam Gal. moschum nō cognouit. Paratur non nisi à diuitibus pharmacopæis, & difficillimè. Nam multa sunt, quæ non reperiuntur in officinis, nec componitur in omnibus officinis.

℞. olei ℔. iij folij, spicæ nardi, costi, mastic. ana ℥. j. ß. styracis, calaminth. croci, myrrhæ, cinamomi crassi, siue cassiæ ligneæ, ligni balsami, bdellij an. ʒ. iiij. moschi ℥. j. nucis Indicæ ʒ. ij Hoc vnguentum est corruptum, & incertum. Nam descriptio, quæ in Luminari maiori reperitur, habet ℔. ol. vj. & statim addit ol. ℔. iij. quod forsitan erat legendum ob varietatem lectionum. Habet & bdellium, pro quo duplum myrrhæ, vel illam speciem myrrhæ, quæ concolor est, lineas, & vngues non habet, & bdellij modo lentiscit, ponere licet. Sed quod sequitur, magis erat incertum. Nam mucilag. ℥. j. ponit. Alij, inquit Luminare, dicunt mucilag. ʒ. j. vel ij. Ego legendum moschi hinc coniicio, quòd secundum eundem authorem muschatelinum dictum sit à moscho, quem recipit. Sed cùm duo sint hodie moschi genera, moschus arboris, & animalis naturalis sanies, vel caro odoratissima, nec dubito aliquos in ea sententia esse, vt putent moschum animalis ponendum. Quòd si ponatur ʒ. j. legendum est non ℥. j. Ego puto moschum arborem esse iniiciendum, quia odoratus est, & olim miscebatur balanino vnguento, & aliis, quæ vngendo sunt, ob vim inspissandi, quam habet. Vtile præterea accommodatúmque acoporum confectionibus, & eorum, quæ ad euaporationes cōceduntur à Diosc. lib. 1. cap. 20. Nucem Indicam ponendam esse omnes Arabicæ linguæ interpretes dicunt. Quanquam aliqui putauerunt hoc ol. balaninum esse. Quare non nucem Indicam; sed balanum myrepsicam, id est, glandem, quam nunc vocant semen behen, accipiendum, & sic esse balaninum muschatelinum,

telinum, ad differentiam simplicis olei, quod moschum non recipit. Nos inde colligimus duo fuisse parata genera, quòd oleum balaninum Diosc. moschum non recipiat, tamen cap. de moscho recipi scribit, vel oleum balaninum Dioscor. est corruptum. Quare liberum erit, vel balanum myrepsicam addere, vel nucem Indicam. Sunt enim eiusdem facultatis.

Oleum de piperibus.

OLeum de piperibus efficacissimum est. Quare parandum. Verùm descriptio fuit omnino immutata, & corrupta. Nam fortè sciolus aliquis, qui non sciebat Græcos suos habere myrobalanos, immutauit in Arabicos, & sic hoc efficacissimum & conuenientissimum ol. duobus modis corrupit. Primùm, quòd pro balano myrepsica, id est, glande vnguentaria, myrob. Arabicos posuit, qui ex diametro pugnant cùm balano myrepsica, quod semen behen vocant. Emollit, confert frigidis affectibus neruorum, resoluit duritieś, vt testatur Mes. vt taceam quæ Dioscor. scripsit. At myrob. Arabici frigidi cùm sint, & astringentes, & crassarum partium, constringunt, refrigerant, indurant, contrahunt, opposita præstant. Aliud ex illa immutatione factum, vt modus & præparatio corrumpatur. Nam myrobal. dixit ʒ. v. Hic pro ʒ. v. posuit ʒ. xx. Alius error minùs tolerandus est, vbi legitur, hyoscyami albi, cùm hyoscya. semina frigiditate neruos lædant, & cerebrum stupefaciant. Nos, pro hyoscyamo, legimus agaricum album, qui intus & extra neruos iuuat, nec qualitatibus manifestis caliditate, & siccitate, sed similitudine substantiæ: pituitosam materiam retrahit à partibus neruosis, & digerit. Præterea coniectura ex facultatibus, & ex eo, quod sequitur, collegi. Legitur præterea (turbith boni & electi) quo quidem facultatem similem habet, & eadem ratione ponitur. Nos igitur sic parabimus.

℞ trium pipereon ana ℥. iiij. balani myreps. id est, seminis behen ʒ. vj. rad. apij, fœnic. ana ʒ. iij. ß. sagapeni, opopanacis, agarici albi ana ʒ. ij ß. turbith boni ʒ. xij. zinzib. ʒ. iij. summitatum hyssopi recentis, fol. rutæ ana M. j. aquæ ℔. xxiiij. ol. ricinini, id est, palmæ Christi, vel amygdalarum amararum, heminas duas, id est ℥ xviij.

Hemina enim continet ol. ℥.viij. vini ℥.x. mell. verò ℥. viij. Alij addunt ireos ʒ. vj. tapsiæ ʒ. ij. anisi, cardamomi ana ʒ. j. ß. calami aromatici ʒ. ij. ß. spicæ nardi ʒ. j. expressionis hyssopi, vel thymi, sextarios tres. Hæc verò si addantur, efficacius erit. Sed cùm tapsi non vbique reperiatur, pro ea prassij, vel nasturtij, vel erucæ semen ponendum, vel euphorbium, vt Gal. de compositio. medicamentorum secundum locos docet. Antiqua, & corrupta descriptio.

℞. trium pipereon ℥.iij. myrob. chebulorum, bellericorum, emblicorum, indorum ana ℥.vj. radicis apij fœniculi ana ʒ.iij. ß. sagapeni, opopanacis, hyoscyami, turbith boni, albi ana ʒ.xij. zinzib. ʒ.iij. summitatum hyssopi recentis, foliorum rutæ ana M.j. aquæ ℔.xxiiij. olei irini, heminas duas. De hoc satis.

Oleum laurinum.

EX baccis lauri, coctura longa, extrahunt rustici nostri in Valuagi, & Nemausensi agro, vbi frequentissima est laurus. Sunt, qui distillatione extrahunt, vt ex omnibus seminibus pinguibus. Sed quod coctura extrahitur, crassius est: quod distillatione, tenuius & calidius. Hoc carere non oportet, cùm sit in frequentissimo vsu in vnguentis ad morbum Italicum. Conficitur autem in hunc modum, Lauri baccæ immaturæ contunduntur, & affatim in aqua decoquuntur: deinde refrigerari permittuntur. Quod supernatat, decapulant, vel vas in fundo perforatum habent per quod aquam egredi sinant, donec ad oleum, quod supernatat, ventum est. Nihil aquæ relinquitur, & quidquid relinquitur olei extrahitur & reponitur.

Oleum amygdalarum, & aliorum simul fructuum.

OLeum ex amygd. dulcibus, & amaris, & pineis, nucibus, & auellanis, & similibus fructibus, vt è chrysomelis eadem ratione extrahitur. Alij tundunt minutissimè amyg. mundatas, vt cùm intus assumere volunt. Alij cum cortice incidunt: alij sine aquæ mixtione tundunt, quas in magdaleones disponunt, & in loco calido per quinque horas seruant: deinde panno forti comprehendunt, & torculari fortiter constringunt, & sic extrahunt oleum. Alij, vt celeriùs, in sartagine frigunt, mo-

uendo

uendo semper, ne vrantur: postea fortiter exprimunt, donec nihil reddatur. Verùm oleum amygdalarum amararum, & dulcium, quod pro vnguentis paratur, ex his in sartagine frixis elici debet, vt calidius & antiquius. Si verò prima ratione extrahitur, minus olei, sed dulcius, & minus acre diutius durat.

Oleum Vulpinum.

OLea ex animalibus integris parantur, vt ex vulpecula, vermibus, torpedine apud Paulum. Oleum vulpinum aliquibus sic paratum placet: ex vulpecula viua, aliis, exanterata parari. Ex viua, nullam aliam facultaté habet, sed vt exanteretur, non probo. Satis est, si excrementa alui extrahantur. Nam intestina adipe inuoluta sunt, & habent multum succi, vel saniei. Quare præstat excrementa alui exprimere: deinde cum pelle & aliis partibus decoquere cum aqua marina, vel salsa: in quibus summitates anethi, & hyssopi ad ℔. j decoctæ sint, & simul decoquere, addendo olei sextarios ij. ß. in aquę sextariis duobus. Decoquantur vsque ad vulpis dissolutionem, & fiat oleum, vsuíque seruetur. Hoc oleum cum aqua marina, vel salmuria decoqui debet. Alioqui statim corrumpitur ob copiam humiditatis aqueæ, quæ breui absumi coctura non debet, vel in ol. antiquo & pauco sale tantùm decoquitur.

Oleum lumbricorum.

SEmper parari potest. Quare parùm habere sufficit. Sic autem parabitur.

℞. olei antiqui dulcis ℔. ij. vini ℥. ij. vermium terrestrium ℔. ß. bulliant ad vini consumptionem, vsuíque seruetur.

Oleum ex torpedine.

EX torpedine pisce, quem gellinam vocant nostri, & oleo, fit oleum, quod maximè confert ad articulorum dolores arcendos.

Oleum ex thymelea.

EX thymeleæ semine, vt ex semine canabis, vel alterius seminis pinguis, vel ex foliorum decoctione paratur ad hunc modum.

℞. fol. thymeleæ & succi eiusdem ana ℥. iiij. vini albi ℥. iij. ol. amygdal. amararum ℔. j. macerentur per xxiiij.

horas: deinde decoque ad consumptionem aquæ & vini, vsuique seruato. Vsui est ad sudores eiiciendos, vrinæ retentionem, & hydropisim, vel cutis fœdationem.

Oleum sycionium.

ALij à regione cum Dioscor: sic dictum volunt libro primo, cap. 33. Alij à radic. cucumeris agrestis, quæ à Græcis *sycios agrios* dicitur, vnde sycionium dictum est. Duplex est, simplex, & compositum. Simplex ex elaterio, vel radic. cucumeris agrestis fiebat, vt ex Paulo cap. 77. lib. 3 colligere licet: & lib. 7 cap. 20. rationem componendi sic docet.

℞. cucumeris agrestis rad. refrigeratarum ℥. ij. pondere. In oleum sextarium Italicum mittitur, atque in lebete coquitur, fitque sycionium. Hîc rad. refrigeratam, vocant siccatam, vel conseruatam post eius collectionem, vt humiditas absumpta sit. Sic loquitur Dioscorid. aliquando, nisi quis velit dicere, refrigeratam, emortuã, cùm è terra prodita sit calore natiuo, qui sensim emoritur. Sed melior est prior interpretatio. Hoc parari potest, quia facilè componitur. Compositum ol. descriptum est, & à Gal. & à Dioscor. & Paulo. Sed illa Diosco. corrupta est. Nam in vulgatis exemplaribus ol. album, est sycionium, & sycionium est album, quamuis viribus differant, & facultate multùm. Sed de hoc multa in commentariis in Dioscoridem.

Oleum de frumento.

AD impetigines, & cutis affectiones paratur, & quidem omni tempore, nullo negotio. Ob id seruandum minimè censeo, quia paratu est facile, & morbi, quibus accommodatur, nõ sunt acuti. Quare per otium parabitur, idque variis modis. Nam alij superponunt triticum laminis ferreis ignitis, & alia superposita assant, & inde defluens ol. excipiunt. Alij excorticatum in alambico distillant, oleúmque extrahunt multo igne. Alij per descensum, vt ex iunipero, extrahunt. Illud efficacius est, quo vtor ad impetigines, & morpheas, in rusticis & minùs delicatis. Est magis olens, quàm alio modo paratum.

Oleum de Iunipero.

NOn solùm ad animalium morbos, sed ad hominũ conducit. Quare semper paratum inueniatur. Rustici

ftici etiam illud parant per descensum. Diuidunt in frusta lignum, quo citius à calore assetur, & effluat oleum. In vas clausum lamina ferrea imponunt, perforata cribri modo, vt per illa foramina ol. descendat: cui oppositum vas iungunt, & inferiùs collocāt, & in terra fodiunt, & ignem circa vas superiùs ponunt, vt tantùm incalescat superius, non inferius. Alij supra mensam lapideam ponunt vas illud, in quo sunt ramenta ligni, vt per collum longum in vas aliud sub mensa positum defluat, hácque ratione minùs crassum & fœtidum est, & hominum morbis meliùs est, & magis accommodatum.

Oleum philosophorum.

OLeum philosophorum, vel ex lateribus, quod ex lateribus in oleo maceratis extrahitur per alchimistas, qui philosophorum nomen sibi turpiter, & falsò arrogant, Istud autem paratur. Ab oleo antiquissimo non differt, nisi quòd sublimatione, partium tenuitatem acquirat, & coctura cum lateribus aliquam siccandi vim. Quare paralysi, & ligamentorum laxationi magis conuenit, quàm in alia caussa, ne quis pollicitationibus alchimistarum decipiatur, qui plura pollicentur, quàm præstent. Illud paratum habere non oportet, quia parari potest, nec eo frequentiùs vtimur.

Oleum ouorum.

EX ouorum vitellis induratis multùm frixis in sartagine, efficacissimum ol. paratur ad maligna vlcera, & veternos dolores ab vlcere. Quod tamen paratum habere non oportet. Est enim ex eorum numero, quibus frequenter nos vtimur, & quod semper parari potest. Paratur autē multis modis. Vel vitelli indurati in offis, conglobati prælo exprimuntur, vt amygdalæ, vnde effluit oleum, vel in alambico siccati distillantur, vt lateres, ad oleum philosophorum parādum. Nihil enim est, à quo distillatione oleum non extrahatur, si sit pingue.

Oleum de myrrha.

EX myrrh. ol. extrahitur, quo vtimur loco steactæ, in theriaca, & aliis nobilibus antidotis, in quibus steacte, id est, myrrha liquida desideratur. Nam styrax nostra non est illa, quæ à Serapione describitur, quæ eadem est cum Dioscoridis steacte. Extrahitur distillatione &

ſublimatione communi, ſed fœtidum odoratum, ſi per aquam diſtilletur. Sed meliùs citra aſſationem ſic paratur. Indurentur oua, & in duas partes diuidantur. Cauum extracto vitello, myrrha repleatur, & ſupra diſcum, vel plumbum diſponatur, ſic vt myrrha diſcum tangat, & oui albumine tegatur indurato. Diſcus huiuſmodi in loco ſubterraneo ponatur & decliuè collocetur, vt ol. quod reſudat, in vas aliud influat. Quod collectum vſui ſeruetur. Nihil empireumatis habet. Sed madore & frigiditate in ſteactem reſoluitur, quo tanquam ſpiſſo oleo fricari poſſunt vaſa, & omnia inſtrumenta, quibus theriaca paratur.

De oleis factitiis per diſtillationem.

NOuam rationem excogitarunt neoterici extrahendi olei ex herbis, ſeminibus, lignis & leguminibus. Oleum ſeruat odorem rerum, ex quibus extractum eſt, & fragrantiùs expirat, vt ol. ex aniſo, vel menta, vel thymo, vel ſaluia, adeo redolet, vt ſi in aliquo loco ſeruetur, totam domum impleat odore. Sed quia illa olea parantur magna impenſa, ſunt etiam efficaciora, quàm quæ aliquibus corporibus adhiberi debeant. Relinquo illa diuitibus, híſque qui huiuſmodi rebus delectantur. Quare hæc de oleis ſufficiant, ſi tantùm addidero, de omni medulla ſeminum poſſe extrahi oleum, vt ex amygd. ex ſemine pap. hyoſcyami, cucurbitæ, melonum, citruli, & lactucæ, pinearum, nucibus, balano myrepſica, ex fiſticis aliiſque fructibus. Hæc olea non debent parata ſeruari, quia rancida fiunt, & humiditatem amittunt. Calidiora redduntur, ſed ſufficit habere extrahendi rationem, vt ex recentioribus vti poſsimus, cùm opus fuerit.

De ceratis.

CErata à cera nomen habent, quia ex cera & oleo conficiuntur. Pauca in officina parata habenda, quia omni tempore & citò parari poſſunt ex ol. aliquo & cera. Videntur autẽ eſſe media inter vnguenta & emplaſtra. Ex illis alia ſunt verè cerata: alia minùs propriè dicta. Tamen à ſimilitudine aliqua cerata dicuntur, quæ herbas & alia præter ceram & oleum recipiunt, vt illa quæ hodie retinentur in officinis, vt ceratum ſandalinũ, ſtoma-

ſtomachicum, de œſipo, de pelle arietina, infrigid. Gal. & emplaſtra mollia, conſiſtentia. Nam vt vera cerata vnguenta dicuntur, ſic contrà. Sic impropriè appellatur ceratum album Gal. quod ab antiquis, vnguenti nomine, dicitur. Talia enim oportet eſſe emplaſtra viſcerum, vt hepatis, lienis & ventriculi. Si enim dura eſſent, dilatationem ventris, & ex conſequenti reſpirationem læderent. Ob id cerata dicuntur, quæ ad hernias, & ſcirrhum hepatis lieniſque curandũ valẽt, vt illud Andromachi, ſtomachicum Gal. & cerata Theſei. Nos verò de his agemus, quæ neceſſaria ſunt ad morborum curationem & conſueta. Quædam verò eorum parata habere oportet, vt quæ antiquitate facultatem non amittunt, ſed eam ſeruant, vt ea, quæ calida ſunt, vt eſt ſtomachicum Gal. vel quæ certo tantùm anni tempore parari poſſunt, vt œſipi, vel quæ difficiliùs parantur, quæ per otium parare oportet. Alia parata non ſeruanda aut pauca quantitate, & album Gal. Vel ſi paratum ſit, aqua frigida innouandum, & abluendum & refrigerandum eſt.

Ceratum album Gal. ſiue refrigerans.

℞. ol. roſ. ℥. 3. vel 4. ceræ albæ ℥. 1. Deſcriptio eſt apud Syluium & Euchium. Liqueſcat in duplici vaſe, & poſtquam refrigeratum fuerit, infunde aquæ frigidiſsimæ tantùm, quantum recipere poterit, ſemper miſcendo. Poſtea immittatur in vas plenum aqua frigidiſsima, vt magis refrigeretur, & in frigidiore loco domus ſeruandum. Aqua ſit pluuię, vel fluuij, vel fontium, tenuium partium, & frigidiſsima eſt imponenda. Aceti parum addendum, ſi altiùs, & citiùs refrigerare velis. Meliùs eſt enim tempore inunctionis addere. Sine aceto autem parari debet, vt ſi parti non conueniat acetum, ea de cauſſa vnguentum non reiiciatur, vt in doloribus vteri & pectoris, aliiſque ſimilibus.

Ceratum ſandalinum Meſuæ.

DIcitur ſandalinum, quia tria ſandalorum genera continet. Valet ad refrigerandum, ſiccandum, & conſtringendum, ad fluxum ſanguinis & alia. Quod paratum habere oportet, quia eſt in frequenti vſu, neque citò paratur. Fit autem in hunc modum.

℞. roſ. rub. ʒ. 12. ſandali rub. ʒ. 10. vel 11. ſandalorum

alborum, vel citrinorum an. ʒ.6. boli armeni præparati ʒ.7. antispodij ex osse elephantis, vel myrtho, vel cydoneis ʒ.4. camphoræ ʒ.2. ceræ albæ ʒ.20. aliàs triginta, ol. ros. omphacini ℔.1. liquescat cera in oleo. Deinde omnia tenuissimè puluerisata infundantur, vt artis est, fiat ceratum. Sunt tamen qui imperant, ceram & ol. lauari. Quod non est faciendum, nisi cùm oleum antiquum est, vel cera alba non est, sed citrina. Tunc enim abluere poteris, vel postquàm cera liquata est & oleum, aqua frigida oportet abluere, & frequenter aquam mutare. Sed non post cerati compositionem, propterea quòd tenuior pars puluerũ, ablutione aufertur. Hoc cerato abutuntur plerique hodie, cùm in febribus ab instructione præscribunt, cum vim obstruendi, & densandi habeat.

Ceratum œsipi seu œsipatum Galeni.

MVltæ sunt huius cerati descriptiones apud Mes. quæ ad viscera indurata emollienda parantur, vt quæ acopa etiam esse possunt. Vnum ad Philagrium refertur, aliud ad Paulum, aliud ad Galenum Sed quia ceratum Philagrij & Pauli bdellium desiderant, quo caremus, ob id mihi videtur illud Gal. ascriptum dispensandum. Dicitur autem œsipatum Gal. à Mes. quod recipit sequentia.

℞. ceræ nouæ flauæ ℥.3. ol. chamomilæ, irini an. ℥.6. mastiches ℥.1. spicæ nardi ℥.2. croci ʒ.1. ß. terebinthinæ abietis ℥.1. resinæ ℥. ß. œsipi ʒ.80. misce, fiat ceratum Si quis fortius velit facere, ad emolliendos tumores duros, addat ammoniaci ℥. 1. styracis ℥. ß. túncque præstabit, quæcunque pollicentur alia Pauli & Philagrij cerata.

Ceratum de pelle arietina Arnaldi de Villanoua ex 3. cap. de crepatura.

CEratum hoc ab aliquibus emplastrum dicitur, atque inter emplastra reponitur, dictúsq; impropriè ceratum, quia non habet ceram. Sed id nominis habet, quia molliùs esse debet emplastro, vt meliùs partibus accommodetur.

℞. lithargyri auri, lapidis hæmatitis, sang. draco. boli armeni, mastic. ammoniaci, mumiæ siue pisaphalti, vel asphalti duri, galbani, thuris cocti, lumbricorum ter-

terrestrium ana ℥.ß. picis naualis, colophoniæ, ceræ albæ, & rub. ana ℥.1. radic. consolidæ mai. minor. & mediæ ana ℨ.4. rosſ. myrrhæ, aloës ana ℨ.4. stellæ marinæ combustæ, gallarum, balaustiorum, aristolochiæ longæ, & rotundæ an. ℨ.6. visci quercini, terebinthinæ an. ℨ.2 sang. hominis pituitosi ℔. 1. minùs quarta parte, coquatur pellis arietina, vel hædina.

Ceratum stomachicum Gal. à Mes. vocatum.

A Stomacho, vel potiùs ventriculo, cui accommodatur, dicitur, quod Mesues Galeno ascribit, quanquam nunquam tale dedit, fortè est compositio illius cerati, cuius meminit lib. 8. methodi.

℞. ros. rub. mastiches an. ℨ.20. fol. absynthij siccorum ℨ.15. spicæ nardi ℨ.10. ceræ mundæ albæ ℥.4. ol. ros. ℔.1. ß. Cera liquescat in ol. & refrigerata lauetur frequenter, primùm aqua ros. deinde vino veteri austero & succo cydoniorum, rursus pauco aceto. Postremò omnia tenuissimè trita misceantur, & fiat ceratum. Per stomachum autem, totum ventriculum nostri intelligũt, cùm veteres pro gula acceperint. Illud modicè calfacit, & constringit: vnde frequentissimè vsurpatur in ventriculi relaxatione, vomitione, & cruditate.

Ceratum diapente.

SIc appellatur à numero quinario. Cõstat enim quinque rebus, excepta cera, quæ materiæ rationem habent. Valet ad emollitionem tumorum durorum, ad cõuulsionem, vel spasmum neruorum. Illud autem paratum habere non oportet. Sed sufficit eius descriptionem habere, vt si quando sit parandum, faciliùs inueniatur parandi ratio.

℞. ceræ flauæ ℨ.3. styracis liquidæ ℨ.3. terebinthinæ ℥ j mucilaginis ichthyocollæ, gummi hederæ ana ℥.ß. ol. irini q. s. In quibusdam exemplaribus legebatur (mucilaginis ichthyocollę, sed gummi hederę) sed puto vtrunque esse legendum: quia gummi hederę, & si intus lędat neruos, extra tamen iuuat, & gluten etiam sua facultate emplastica iuuat coctionem, seruãdo calorem in parte. Quare vtrunq; ponẽdum censemus. Castigauimus etiã, quod dicebatur (gummi hederę vel ichthyocollæ, ol. irini q. s.) Nam illud (q. s.) cum duobus prioribus nõ

conuenit, sed cùm ol. tantùm, quod ad excipiendum ponitur. Sed aliorum duorum ℥. ß. posuimus, vt ordo indicabit. Efficacissimum est vnguentum illud ad iuncturarum tensiones, & durorum tumorum emollitiones. Hæc duo cerata præcedunt ceratum œsipi.

De Vnguentis.

VNguenta non longè à ceratis collocari debent, quia non multùm differunt, & ob magnam similitudinem sæpe confunduntur, & sunt veluti media inter cerata, & emplastra. Vnguenta parari debent, & parata in officinis haberi ob frequentem & multum eorum vsum, tum quia certa anni parte tantùm commodè possunt parari, nec in omni loco. Multa tamen sunt in officinis parata, quæ similia sunt, quibus carere possumus. Sed quæ frequentiori vsu haberi debent, vt quatuor vnguenta calida, quæ primò ponenda sunt, ob multiplicem eorum vsum. Vnguenta hîc vocamus more vulgi, non, vt antiqui, odorata illa, de quibus Diosc. multa primo libro. Hæc sunt, quæ parata habere oportet in officinis, Martiatum, Aragon, dialthea Agrippæ, & resumptiuum, basilicum, populeum, aureum, apostolorum, Ægyptiacum, albus Rasis, nutritum, citrinum, de cerusa, desiccatiuum rubrum.

De Vnguento Martiato.

PAro vnguentum Martiatum vulgò dictum, quamuis non desint, qui Martianum velint appellari. Æ-tius & Nicolaus Martiatum vocant. Ob id retinebimus vulgatam & consuetam appellationem, tum etiam ob Pharmacopæorum inscitiam. Alij ab inuentore, alij à Martio mense dictũ volunt, quòd eo tempore in regionibus calidis parari debeat, propterea quòd herbæ incipiunt erumpere. Alij autem à Marte, quòd hoc vnguentum ad Martem bellorum deum referant antiqui. Constat enim ex rebus omnibus, quæ ad ferrum valent, ita vt vnguentum syderis appellari possit. Sed quocunque modo dicatur, vel à quo inuentum sit, parùm refert, modò rectè paretur. Recipit multas herbas efficacissimas, & medicamentum est ad vulnera & vlcera, quæ cum frigiditate sunt, vel in loco frigido, vel in lassitudine & dolore partium dextrè accommodatum valet. Vsurpatur

non

non solùm ad hominum morbos, sed ad brutorum animalium affectus, vt equorum, mulorum. Diu verò dubitaui, quam descriptionem illi hoc loco apponerem, an vulgarem, an Nicolai Alexandrini, vel aliorum Græcorum, quæ omnes inter se diuersæ sunt, tum in ponderibus, tum in simplicibus. Tandem visa est illa Nicolai Alexand. minùs vitiata, quæ est eiusmodi.

℞. ceræ albæ ℔. 2. ol. ℔ 8. roris mar. fol. lauri ana ℥. 8. rutæ ℥. 7. tamarisci ℥. 6. esbrij, id est, ebuli, sabinæ, balsamitæ, lelisphati, saluiæ, ocymi, polij montani, calaminthæ, arthemisiæ, enulæ, betonicæ, branchæ vrsinæ, spargulæ minoris, herbæ venti, id est, parietariæ, pimpinellæ, agrimoniæ, absynthij, herbæ paralysis, herbæ sanctæ mariæ, cinarum sambuci, herbæ crassulæ, id est, fabæ grossæ, millefolij, semperuiui, chamæd. centaurij minoris, fol. fragulæ, quinque folij, herbæ tetrahit, id est, iudaicæ ana ℥ 4. radic. altheæ, cymini, myrthi ana ℥. 3. fœnugr. ℥. 1. ß. butyri recentis ℥ 1. & ʒ. 2. vrticæ, violæ albæ, papauer. rub. mentæ saracenicæ, lapatioli, politrici, cardui benedicti, quem carduum cœli vocant, anthilis, quam yuam moschatam vocant, triphylli, qui panis cuculli vel alleluya dicitur, crispulæ camphoratæ non camphoræ, medullæ ceruinæ ana ℥. ß. adipis vrsi, gallinarum, masticħes ana ℥. 1. thuris ℥. ß ol. nardini ℥. 2. non vt alij habent, ʒ. 2. Quid enim possunt ad tantam quantitatem alterius olei, & tantam herbarum congeriem?

Descriptio Nicolai Alexandrini.

℞. ceræ albæ ℔. 10. ol. communis sextarios 6. id est, ℥. 6. ʒ. 1. ℈. 1. rorismar. fol. lauri ana ℔. 2. ß. amaraci, id est, sampsuci ℔. 2. esbrij, aliàs ebuli, sabinæ, balsamitæ, ocymi, lelisphaci, polij calaminthæ, arthemisiæ, enulæ, betonicæ, branchæ vrsinæ, herbæ venti, pimpinellæ, agrimoniæ, absynthij, herbæ paralyseos, herbæ sanctæ mariæ, cimarum sambuci, herbæ crassulæ, semperuiui, mille folij, chamædrios, centaurij minoris, centum neruiæ, rubi indici, aut phragariæ. ex sententia Cronibrugensis, fragulæ, quinque folij, herbæ Iudaicæ ana ℔. 1. ß radic. altheæ, cymini ana ℔. fœnugræc. ℔. ß butyri ℥. 5. vrticæ, viol. papauer. rub. mentæ, saracenicæ, & men-

tæ communis, lapathioli ana ℥.iij. politrici, carduncelli, matris syluæ, maratri, yuæ moschatæ, alleluya, linguæ ceruinæ, crispulæ, camphoratæ, styracis, medullæ ceruinæ, adipis vrsi, adipis gallinacei ana ℥.iij. thuris ℥.ij. ol. nardini ℥.ij. aliàs ℥.1. Herbæ omnes colligantur, quando ad incrementum venerunt, vt apud nos principio Maij, & hoc vno aut duobus diebus, postquam sol radiauerit, & vsque ad meridiem, non postea. Diuidantur in partes paruas, & in vino generoso rubro infundantur, per septem dies in loco calido, & moueantur semel in die. Octauo die decoquantur lento igne ferè ad consumptionem vini. Tunc ol. commune antiquum adde. Paulo post butyrum cum axungiis, & medulla. Deinde colla, & abiectis herbis, adde collaturæ ceram, & liquefacito. Deinde styracem, in oleo nardino, in duplici vase, & puluer. thuris, & mastiches. Sic omnia confundantur, & seruentur vsui. Hac ratione efficacissimum vnguentum acopum comparabitur. Nam si alio modo pararetur, styrax vreretur. Oleum nardinum vires amittit, & thus & mastiche. Sextarius hic pendet ℥. xv. Nam mensuralis, octodecim continent. Amarachum in Alexandrino legimus & sampsucum, siue maioranam interpretati sumus. Nam partheniū in caussa fuit, quod maiorana scopis magis conuenit. Factum est hoc vnguentum ad tumores discutiendos, duritiés, ad articulorum dolores. Est enim, vt breuiter dicam, acopum, quibus omnibus magis conuenit maiorana. Nam, vt Diosc. docet, acopis malagmatísque calfaciendi gratia admiscetur. Paulus autem eluxatis tumoribus conuenire scribit. Auget suspicionem, quòd amaracum iniicere in Alexan. legitur: quanquam in vulgatis exemplaribus, item Luminari maiore (sumpsucum) ponit. Quod facit, vt audaciùs sampsucum verterimus. Est enim nomen vagum, & commune sampsuco, & parthenio. In Nicolao non legitur (tamariscum) Luminare maius sampsucum tamariscum ponit. Nos verò, quia Nicolai Alexandrini lectionem præelegimus, nolumus addere, neque rutam, quanquam in Luminari Hispano legatur, vt conuenire possit. Non enim propositum est omnes herbas, atque omnia medicamenta acopa hic congregare,

gregare, ſed aliqua, quæ authori magis fuerint grata, Esbrion vario modo interpretati ſunt. Alij flores ſaluiæ, alij maioranam ſeruare volunt. Sed quid ſit esbrion, apud Arab. neſcio, neque ſaluia ponenda, neque maiorana. Nam elelisphacos, id eſt, ſaluia, ponitur poſtea, & maiorana, nomine amaraci, poſita eſt. Quare puto mēdum eſſe in lectione, vel in interpretatione. Quare cum melioribus exemplaribus lego ebuli. Nam Græcus codex legit ebuli nomine latino, vt ſępe aliis vtitur. Esbriō ſi ſaluiam ſignificet, non debebat ponere Elelisphacon eſſe ſaluiam ſylueſtrem, quæ eſt verbaſcum ſylueſtre Dioſc. Sed Græcus codex omnem hanc dubitādi occaſionem aufert, ſcribēs *eaſoly* pro *eoſoly* nomine Latino, vt qui frequenter vtatur aliis. In hoc vnguento caſtigauimus, quæ ſequuntur. Et ne hoc citra rationem quis factum eſſe putet, rationem ſubiungemus. Quò autem poſſimus id faciliùs monſtrare, ſcopum vel vtilitatem, vel vſum huius vnguenti proponemus, cuius cauſſa hæc electa fuerūt medicamenta ad id efficiendum. Primùm igitur vnguentum hoc ad calfactionem paratur, ad dolores podagricos, ad paralyſes, ad tumores, ad vlcera. Quòd ſi ita ſit, medicamenta calida & ſicca, quæ vim habent digerendi, eſſe oportet. Primùm legimus ℥. 6. rutæ, pro ℥. 7. rutáque, quòd efficax ſit, in maiori quantitate poneretur. Ordo etiam hoc oſtendit. Primùm fol. lauri ℥. 7. deinde rutæ ℥. 6. & poſtea tamariſci ℥. 6. Sic in aliquo manu ſcripto leguntur. Nec valet, quod poſſunt dicere, qui omnia errata authorum volunt excuſare, quòd calida ſit multùm. Nam roſmarinus & laurus calfaciūt non minus, & ponuntur in maiori quantitate.

Deſcriptio emendata.

CVm huius nobiliſſimi vnguenti deſcriptiones conferrem, tantam inueni difficultatem conciliandi illas, vt omnibus prætermiſſis interpretationibus, & deſcriptionibus, hanc tradere, quæ magis ſcopis & vtilitati reſpondere videretur, ſtatuerim. Videbunt ſtudioſi, qui rationes noſtras expendere voluerint. Nec eſt quòd me reprehendant, quòd illam Alexandrini non receperim. Nam non caret mendis & dubiis. Habet

esbrion & saluiam, quanquam vulgus putat easdem esse, & omnes interpretantur conseruam esbrij, florũ saluiæ. Nisi quis velit dicere flores alio vocabulo, alio herbam appellari.

℞. ceræ albæ ℔. 2. ol. ℔. 8. rorismarini, foliorum laurin. ana ℥. 7. rutæ ℥. 7. amaraci seu maioranæ, siue esbrij, ℥. 6. Sic legendum, non tamarisci, aut ammoniaci, vt aliqui. Nam tamariscus nulla ratione conuenit, quanquam iuuet splenem. Neque ammoniacum, quia inter herbas non reposuisset.

Quare amaraci legendum, quod est maiorana. Parthenium enim hîc exponere non cõuenit, & amoto (th) remanet amaraci: esbrij secundũ aliquos idem est cum maiorana. Alius maioranam ad horum expositionem addiderat. Sic orta est illa confusio, vt pro vna herba, tres aliqui ponant, tamariscum, maioranam, & flores saluiæ, pro esbrio.

Sabinæ, balsamitæ, siue mentæ aquaticæ, sisymbrij. Sunt qui legendum putant Balsaminthæ, vt ponatur illa herba, quæ poma fert rubra, quæ magnam in conuulsionibus vim habent, & neruorum doloribus ob vim balsamo similem tributam consolidandi, Balsamine dicitur. Fructus verò pomum eximium & mirabile, Gallis (*Pomes de Merueilles.*) Erit efficacius vnguentum ad vulnera & dolores, si quis ea vti voluerit. Liberum tamen relinquo.

Elelisphaci) Sic legendum Græci docent, à quibus *elelisphacos*, saluia vocatur, non, vt vulgò, Liliphagos. Conuenientissima herba, vt sit vtilis vulneribus, compescendo sanguini, purgandis vlceribus ferinis, vt Dioscor. docet lib. 3. cap. 40.

Ocimi, siue basiliconis maioris, polij. Sunt, qui montanum desiderant. Sed quod ad mare nascitur, magis odoratum, & efficacius. Ab antiquis Creticũ laudatum, quòd in insula nascatur, quòd emplastri modo appositum vulnera conglutinat, vel, vt quibusdam placet, viride hoc facit. Siccum maleficis vulneribus medetur.

Calaminthæ, arthemisiæ, enulæ, betonicæ, branchæ vrsinæ, spargulæ, siue gallij, herbæ venti.

Anemone, vocatur herba venti. Cuius multæ sunt

species

ſpecies apud Gręcos,vt videre eſt cap.de Anemone.Sed præter illas ſpecies othona herba apud Dioſcoridem anemone, id eſt, herba venti, dicitur, quam nos ſuſpicamur eſſe Othonem,& legitur melius menta pro cruca, quam alij putant clymenon.Nos illam ipſam,quam Arabes mentam maiorem.Quæ ſi clymenon eſt,non poteſt non cõuenire, vt quæ profluuia ſanguinis infrenet, & folia vel ſiliquæ vulneribus recentibus impoſita,ad cicatricem perducant. Hanc ego ponendam cenſeo, non Græcorum anemonem, quia hæc compoſitio multas alias herbas habet, quæ ab antiquis mutatæ ſunt vel incognitæ,vt quæ ſequũtur. Pimpinella, vim aliquam ſiccandi habet,& leuem aſtringendi refrigerandíque,antiquis incognita. Agrimonia. Hanc aliqui prætermiſerũt. Abſynthium,herba paralyſis ſiue primulæ veris,quæ eſt ex genere verbaſci, & ad aliorum differẽtiam odoratum verbaſcum appellant. Herbæ ſanctæ Mariæ. Multæ ſunt herbæ hoc nomine,vt parietaria, perſicaria, quæ nimiũ acris eſt & mordax. Alia eſt herba, quam aliqui putant eupatoriũ Meſuæ,quæ in viis vliginoſis creſcit,flore luteo,cymarum ſambuci,herbæ craſſulæ, ſiue fabæ inuerſæ,quę telephion dicitur,hic vſurpanda.Nam telephion præterquam quòd vitiliginem albam curat,medetur vlceribus telephiis, id eſt, malis. Siccat enim ad tertiũm gradum,ſi Gal.credimus,& detergit.Semperuiui,millefolij,chamædrios, centaurij minoris, centumneruiæ, id eſt plantag.maioris, foliorum phragulæ, quinque folij, herbæ Iudaicæ ſiue ſyderitis ana ℥.4.radic.altheæ,cymarum myrthi ana ℥.j.fœnug.℥.iij.ß.butyri recẽtis ℥.j.& ʒ.ij. vrticæ, viol.albæ, quam Græci leucoion vocant, quæ magis conuenit, quàm purpurea, quæ refrigerat & humectat,quod in hoc vnguento non eſt neceſſarium. Verùm lutea, vel viol. leucoion podagricos iuuat, ruinas ſedis curat, maximè flores. Pap. rub. mentæ ſaraſenicæ, vel alterius, lapatioli, polytrici,carduncelli,ſiue cardui bened. matris ſyluæ, caprifolij, ſeu periclymeni, valerianæ, quam maturellam Barbari vocant, alij maratri legunt, ſed falsò Valerianam ſiue phu ad dolores & potiſſimùm lateris valere ſcribit Dioſcorid. Iuæ moſcatæ pro herba moſchata legendum. Eſt autem anthylis

apud Dioscor. quæ quia vulneribus medetur, hîc ponitur. Alleluya, siue oxylapathi, linguæ ceruinæ, crispulæ, alij buphthalmũ, alij herbam cancri, quæ heliotropion minus dicitur, vel vt aliis placet, ceterach. Sed non multùm refert, vtra ponatur. Heliotropion plures vires habet huic instituto accommodatas. Camphorę, vel, vt alij meliùs, camphoratæ Camphoratam autem herbam alij putant abrotonum esse. Verùm est alia humi serpens foliis minutissimis, quam nostri camphoratam ab odore vocauerunt. Illa ad naturā millefolij accedit, & ad vulnera magnam vim habere docet experientia. Quare vulgarem camphoratam antiquis incognitam ponendam puto. Camphora verò quòd sit tenuium partium, & potenter siccet, nō videtur conuenire. Auget suspicionem, quod styrax postea sequitur. Styracis calaminthæ, medullæ ceruinæ, adipis vrsi ana ℥. j. Sed in quibus locis nō reperitur medulla cerui, apri substitui poterit, vel tauri. Adipis gallinæ, mastichis ana ℥. j. thuris ℥. ß. olei nard. ℥. ij. Ratio conficiendi talis esse debet, vt sit efficacissimū. Colligantur omnia eo tēpore, quo perfecta sunt, in qualibet regione. Nam in calidis verè parari debet In frigidioribus nō ante festum diui Barnabæ, vel diui Ioannis. Colligantur autem vno vel duobus, vel tribus diebus, colligendo priùs humidiores, vel frigidiores, vel quarum succus viscidus & lentus est Quæ verò sunt odoratæ, & tenuiū partiū, vltimo loco. Quare primùm radices semperuiuum, crassulam vocatam, matris syluam, papauer rub. centumneruiam, cymam sambuci, papauer nigrum. Deinde quære alias omnes, si possint vno aut duob. diebus colligi. Parùm refert, modò in coquendo ordo seruetur, vt priùs coquantur, quę maiorem coctionem ferre possunt, & quæ à nobis sunt annumeratæ, colligendæ sunt in prima die. Sustinent decoctionem rad. & frigidæ herbæ & crassæ, & quæ duræ sunt, & adstringentes. Ob id adiiciantur radices altheæ, semperuiuum, telephium, papauer nigrum & album, branca vrsina, folia laurisabinæ, pimpinella, centumneruia, quinquefolium, folia myrthi, lapatioli, carduncelli, lingua ceruina, agrimonia, vrtica. Secundo loco ponātur ruta, absynth, arthemisia, herba venti, alleluya, siue oxytriphillum, camphorata.

Vltimo odorata, vt herba moscata, mēta saracenica, cētaurium minus, chamædris, mille fol. & aliæ. Frequenter contundendæ, vel gladio diuidendæ sunt in partes paruas. Infunde in diuersis vasis, vt sunt dispositæ, & diutius, quæ duræ sunt & siccæ. Nam infusionis & coctionis eadem est ratio. Infundantur vino odorato antiquo rubro, tenui, vel albo dies 8. ab infusione radicum. Coquantur sensim lēto igne, semper mouendo. Cùm vinum incipit minui, & herbæ maiorem locum occupant, oleum iniiciendum, & coquendum donec vinum quasi absumptū sit. Cui butyrum & axungias adiungere possumus. Colandum & exprimendum exactè. Collaturæ calidæ cera liquetur, qua liquefacta, misce mastic. & olibanum, styracem, & ol. nardin. exagitando semper extra ignem, donec in linimentum coagulatum fuerit, vel vnguentū. Reponatur in vase, & seruetur diligenter. Si in vase æneo reponatur, efficacius erit ad vulnera antiqua, & vlcera. Seruetur in parte inferiore officinæ coopertum. Hoc vnguento carere non debet. Durat in tres annos, vel plures, si bene seruetur coopertum. Hoc sufficeret pro vnguento Aragon, & vnguento Agrippæ, pro dialthea, vel contra. Sed quia sunt in frequenti vsu, apponemus illa quatuor vnguenta calida vocata.

Vnguentum Aragon.

VNguentū Aragon calidius est supradicto, & facilius paratur, quia paucioribus, sed efficacioribus cōstat. ℞. rad. brioniæ, rad. dauci, cucumeris agrestis, rorismar. maioranæ, serpilli, rutæ, folior. lauri, saluiæ, sabinæ ana ℥. ʒ. pulicariæ vel conizæ maioris, vel minoris, laureolæ ana ℥. 9 nepetæ, foliorum cucum. agrest. ana ℔. ß. mastic. olibani ana ℥. 1. pyretri, euphorbij, zinziber. piper. ana ℥. 1. olei petrolei ℥. 1. ol. laurini, axungię vrsi ana ℥. 3. Aliqui addunt olei miscellini ℥. ß. butyri ℥. 4. olei communis lib. 5. ceræ lib. 1. & ℥. 4. Hoc vnguentum eo ordine debet disponi, quò meliùs & faciliùs dispensetur. Radices reposui in primo ordine, vt priùs decoquantur. Addidi brionię rad. quia folia nullam vel paruam facultatem habent instituto accommodatam. Et ne pharmacopolæ folia vsurparent, addidi accipiendas esse radicę. Expsixi, quod posset dubitationē facere, nempe, agnini,

Legimus enim radic. cucumeris agnini. Qui sic legendum censet, decipitur. Nam agninus cucumer, alius est à cucumere agresti, qui efficacissimus est. Agninus autem inefficax. Qui in hortis seritur, frequentissimus in Hispania. A qua regione aliqui nobis attulerunt, & incipiunt colere in hortis quorundam nobilium. Est autem tenuis, sed longus, & ad anguis vel serpentis modum, contorquetur & humi serpit. Hoc etiam in foliis feci ne deciperetur parùm cautus. Vnguentum istud pro vnguento de cyclamine vsurpari potest, addendo colocynthid. diagridij, & fellis bouis ℨ.1. pro ℥. 1. succi cyclaminis ℥. ß. Si vngatur vmbilicus & venter, laxabit ventrem, & vermes deiiciet, & aquam hydropicorum purgabit. Si ventriculus contangatur, excitabit vomitionē: alui subductionem, si in emunctoriis coxarũ, & in planta pedum adhibeatur.

Vnguentum dialthea.

DVplex est apud Nicol. Vnum cōpositum, aliud minus cōpositum, quod simplex vocatur. Sed cōpositum communiter paratur. Ob id tale hîc describemus.

℞. rad. altheæ ℔.2. semin. lini, fœnug. ana ℔.1. scyllæ ℔.ß. olei oliuarum ℔.4. ceræ ℔ 1. terebinthinæ, gummi hederæ, galbani ana ℥. 2. colophoniæ, resinæ ana ℔.ß. Rad. & semina omnia cōterantur, infundantur, per quatuor dies in sufficienti parte aquæ & vini. Deinde coquantur, donec incrassescat mucilago. Colletur, & quo faciliùs succus lentus per cribrum transcolletur, & descendat, instillandum est aliquid decoctionis sensim. Decoquantur vsque ad succi cōsumptionem lib. 2. cum ol. quibus adde ceram, qua liquefacta adde terebinth. galbanum, & gummi hederæ. Vltimo loco ponatur colophonia, & resina puluerisatæ. Leuiter bulliant ad perfectam coctionem, quod refrigeratum vsui serua.

Vnguentum Agrippa.

A Nicol. traditum eandem facultatem habet, cum dialthea. Sed quia in frequēti vsu est, ad emolliendum, & quia minori impensa parari potest, subiunximus, & in officinis parandum censemus.

℞. rad. brioniæ lib.2. ad cucumeris agrest. lib.1. scyllæ ℥.6. rad. irid. ℥.3. rad. filicis ℥. 2. rad. ebuli, tribuli marini

ana ℥. 1. ß. olei antiqui lib. 4. ceræ nouæ flauæ ℥ 15. Parabitur hoc modo, Radices diligenter detergantur à pul. incidantur in frusta, infundantur in ol. per septem dies, deinde decoquantur, donec rad. mollescant, & succum deponant. Decoctio colletur, & fortiter omnia exprimantur. Coll. adde ceram flauam, non albam, vt vulgaria exemplaria habent, quia minus emollit. Vbi refrigeratum fuerit, vsui serua. Non eligemus ol. commune, sed antiquum, quòd sit magis tenuium partium, & ad digerendum accommodatius, & emolliendum, viscosis istis permixtis Hoc autem scire oportet apud Dioscor. nullam mentionem fieri de tribulo marino, sed tantùm de aquatico, & terrestri. Hic non est ex tribulorum genere, sed ex eryngiorum. Quare qui procul à mari sunt, sic hoc parari oportuerit: nam pro scylla cæpam, & pro tribulo marino eryngiorum radicem vsurpare possunt.

De Vnguentis pectoralibus.

AD pectus parantur vnguenta laxantia, lenientia, quibus etiam ad laxandas partes induratas, & tensas emolliendas vti possumus. Post illa emollientia & digerentia subiunximus. & prope vnguentum Agrippæ collocari debent. Sunt autem tria nominibus distincta, quorum vnum pectorale dicitur à parte. Alterum à materia, vt vnguentum ex adipibus. Tertium, quod minus laudandum, magis tamen vsurpatur à Medicis, resumptiuum dicitur. Cuius descriptionem ponam, & explicabo, vt intelligant illud minus accommodatum thoraci, quàm pectorale, vel de adipibus, & quòd de adipibus melius est, & quo velim Medicos vti. Sed primùm videamus, quale sit apud nos resumptiuum tam frequenter à nostris Medicis vsurpatum.

Vnguentum resumptiuum, descriptione Vulgata.

℞. axungiæ porci recentis sine sale ℥. 4. axungiæ anseris, gallinæ, anatis ana ℥. 2. œsipi humidæ ℥. ß. ol. cham. violati, anethi ana ℥. 2. butyri recen. lib. 1. ceræ albæ ℥. 6. mucilagin. tragacanthi, cydoniorum, seminis lini, bismaluæ, gummi arabici an. ℥. ß. In hoc vnguento multa sunt reprehendenda, vt sit vnguentum pectorale vel malacticum. Primùm quòd ex cera alba parari non de-

bet, sed ex flaua. Quare si quis parare velit, flauam vsurpet. Omnia enim relaxantia emollientia, digerẽtia, concoquentia, dolores frigidos sedantia, ex cera flaua parari debent. Quæ verò ad astringendum, refrigerandum, indurãdum, & siccandum, ex alba, quæ frigidior est & magis sicca & astringens. Aliud maiore reprehensione dignum, quod mucilagines frigidas & constringentes recipit cum calidis relaxantibus, vt gummi tragacanthi, & arabici, seminis cydoniorum. Quare putarem ego illas esse expungendas, & mucilagines augendas lini, & rad. bismaluæ ad ℥.1. Quòd si mucilaginem fœnu. adiungere visum sit, ad ℥. ß. non erit absurdum, & pro ol. viol. ol. amygd. dulcium ponere. Sic erit ergo veri vnguenti resumptiui descriptio castigata. Ex huius vng. castigatione apparet castigatio illius pectoralis vnguenti, quod mucilaginem recipit psilij, tragacanthi, & arabici. Hæc emplastica digestionem impediunt, obstruendo poros, & potiùs suppurant, calidis & temperatis permixtis, & partẽ tensam retinent, quod in doloribus & potissimum pectori aduersum est, ob respirationis necessitatem.

℞. axungiæ porci recen. sine sale ℥.4. axungiæ anatis, gallinæ anseris ana ℥.2. œsipi humidæ ℥. ß. ol. amyg. dulcium, cham. anethini ana ℥. 2. butyri recentis non saliti lib.1. ceræ flauæ ℥. 6. mucilaginis seminis lini, & rad. bismaluæ an. ℥.1. ß. fœnug. ℥. ß. misce, fiat vnguẽtum resumptiuum. Talis erit pectoralis vnguenti descriptio.

Vnguentum pectorale.

R. Ol. amygd. dulcium ℥.4. ol. cham. viol. an. ℥.3. axungiæ gallinæ, anatis an. ℥.2. butyri recentis ℥. 6. ireos puluerisatæ ʒ.2. croci ʒ ß. ceræ citrinæ ℥.3. misce, fiat vnguentum. Quamuis in alio vnguento resumptiuo ol. violaceum expunxerimus, ab isto tamen expungendum non est, quia refrigerat citra astrictionem, & laxat, & dolores lenit. Ob id hoc parandum pro inflammationibus pectoris, & costarum doloribus. Erit medium inter resumptiuum superius, & vnguentum ex adipibus, quod magis simplex est, accommodatissimum in inflammationibus pectoris, & constrictioni, vel expectorationi.

Vnguentum ex adipibus.

℞. adipis gallinæ, anseris, anatis ana ℥.6. butyri recentis,

centis tantundem, ceræ citrinæ ℥.4. ol. chamom. amygd. dulcium ãn. ℥.3. misce, fiat linimentum, ceratum vel vnguentum. Accommodatissimum est hoc vnguentum in inflammationibus pectoris & costarum, & constrictione pectoris, ad concoctionem & expectorationem.

Vnguentum de bdellio.

VNguenta ad indurationes, in hac parte consequenti ordine doctrinæ, collocabimus, in quorum numero est vnguentum de bdellio, & vnguentum paruum de cyclamine, seu de arthanita.

℞. bdellij ℥.6. euphorbij, sagap. ana ʒ. 4. castorei ʒ. 3. ceræ citrinæ ʒ.15. ol. cherini, seu leucoi lutei ʒ.10. fiat vnguentũ. Paretur in hunc modum, Bdellium, & sagap. dissoluantur in aqua vitis agrestis: castoreum & euphorbium in aqua calida. Cera liquescat in ol. Omnia misceantur, & fiat vnguentum. Hoc dispensari potest omni tempore. Quare non est dispensandum, nisi quando imperatur. Non solet, nisi in conuulsionibus & rigoribus neruorũ præscribi, in quibus oleis & remediis mitioribus est vtendum, interea, dum alia parantur. In hoc maluimus apponere ol. ex leuco. floribus paratum, quàm iasmino, quia rarò paratur, neq; in omnibus locis reperit ur. Sed leucoiũ in omnibus locis reperiri potest, & sunt similia facultate. Hoc autem vnguentum difficile paratur ob penuriam bdellij. Nam quod pro bdellio ostendunt est myrrha vera, quæ vngues habet, & est subflaua, vt Diosc. descripsit. Inter myrrham, aliquando partem bdellij inuenimus. Sed difficillimè discernitur à myrrhæ specie, quæ bdellij more lentescit, cùm masticatur, vel digitis tractatur & malaxatur. Estque concolor, quasi colore, aloes. Verùm cùm non multùm differat bdellium à styrace, vel myrrha, poteris ex illis parare, maximè ex illa, quæ concolor est, & lentescit. Vel vti succidaneo antiquorũ, quo in externis remediis magis, quàm internis vtebantur. Est auté propolis vera, quæ eodem modo lentescit, si digitis fricetur, odore ferméti. Est enim acida, & in rimis & foraminibus alueorum reperitur. Illud mel nõ est, neq; cera, sed ex oculis populi, vel betulæ, vt aliarum arborum, quæ resinam reddunt. Sunt nonnulli, qui sordes alueariorum vsurpant, sed malè, & multò peius

antiqui ceram albam pro illa vſurpabant, quæ frigida eſt, & ſicca, indurans potiùs, quàm emolliens. Poterit itaque faciliùs, & minori impenſa parari.

Vnguentum paruum de artanita, ſeu de cyclamine.

℞. ſucci cyclaminis, mucilag. rad. filicis, ſucci ebuli ana ℥.8. ſucci ſummitatum tamariſci, vel ſambuci ℥. 2. œſipi humidæ ℥.5. ol. irini ℔.2. bdellij ammoniaci an. ℥.1.ß. ceræ flauæ ℥.6. corticis rad. capparis ℥.1.ß. ſpicæ nardi ℥.ß. In Gallia, & aliis locis, vbi tamariſci ſuccus haberi non poteſt, ſuccus ſambuci ſubſtitui poteſt. Hoc enim ſuccedaneo vſus eſt Gale. lib. 9. de compoſi. phar. ſecundum locos. Paratur autem hoc modo, bdellium, & ammoniacum diſſoluatur cum aceto ſcillitico. Succi cum ol. bulliant ad aliquam conſumptionem. Deinde ceram adiice. Qua liquefacta, ammoniacum & bdellium diſſolue, in fine ſpicam. Fiat vnguentum. Hoc in frequentiore vſu eſt, quàm magnum, quod paratur ad laxandum ventrem, & ad vermes occidendos deiiciendóſque. De illo poſtea agemus, ſi aliqua alia vnguenta, quæ ad horum naturam accedunt, aliqua ex parte tradiderimus, quale eſt illud fuſcum Nicolai.

Vnguentum fuſcum Nicolai.

℞. ol. communis ℔.1.ß. ceræ nouæ ℥.4. colophoniæ, picis naualis, ſagap. ana ℥. 2. maſtich. galbani, thuris, terebinthinæ ana ℥. 1. miſce, fiat vnguentum. Hoc vnguentũ ſemper parari poteſt. Quare ſufficit habere paruam quantitatem. Vtile eſt ad trahendũ, emolliendum, digerendum, concoquendum craſſos humores. Sed illud animaduertendũ eſt, quòd antiqui colophoniam vocabant à Colophone regione. Noſtri colophoniam vocant reſinã, vel terebinthinam, à qua extractũ eſt ol. terebinthinæ. Eſt reſina multùm frixa, & minùs pinguis. Pix naualis pix dicitur, quæ è nauibus deraſa eſt, quæ ob ſæuum admixtum, & ſalſuginem maris aliam facultatem habet, quàm recens, & ſimplex. Hæc minùs maturat, magis ſiccat. Quare in vlceribus, vt colophonia, magis conuenit. Suaderẽ, vt poſthac naualẽ raderẽt è nauibus, & hæc tantùm naualis vocaretur, alia cõmunis pix tantùm, ad differentiam, vt antiqui ſolebant. Non enim naualis quòd nauibus apponatur, ſed quòd appoſita fuerit, dici debet.

Vnguen-

Vnguentum basilicum maius.

BAsilicum vnguentum, quasi dicas regale, magnum ad differentiam minoris, recipit concoquentia & digerentia. Vsus est in abscessibus detergendis, in quibus aliquid suppurandum, concoquẽdum, detergendúmque, & in vulneribus, quæ sine inflammatione, aut intemperie calida sunt. Hoc carere possumus, si aureum habeamus. Nam cum eo conuenit, atq; etiam id efficacius est.

℞. ceræ flauæ, resinæ pini, seui vaccini, picis naual. glutinis piscium, quod ichthyocollam vocant, olibani, myrrhæ an. ℥. vj. picis ℥. iij. Hoc non est dispensandum, quia non eo frequẽter vtuntur Medici, & non immeritò, cum aureum id præstet, eiúsque descriptio sit magis efficax, & integra. Hæc autem in multis exemplaribus incerta est. Nam picem bis ponit, & incerta est dosis. Nam dicit, picis ℥. iiij. & aliorum an. ℥. j. ß quod fortè sic legẽdum est Alij picis ℥. iij. aliorum verò ℥. j. ß. vt mõstret diuersam esse descr. Et in facul. declaratione falsum docet. Dicit enim conferre vulneribus, in quibus est calfactio. Sed id facilè castigare possumus, si negationem addamus.

Basilicum minus.

HVius descriptio varia est. Paulus enim ex quatuor rebus, cera, colophonia, pice, & adipe taurino, æquis partibus, sine oleo componit. Mes. verò ex resina, pice, cera, ęquis partibus, & oleo q. s. Istud paratur, & parandum est. Dicitur & tetrapharmacum, quia non computatur cera, & macedonicum, cùm thus adderetur, quo vtebatur Galenus, & antiqui.

Vnguentum aureum.

AVreum à colore aureo dicitur, quem à croco accipit, vel aureum à præstantia. Est enim in vulneribus curandis efficacissimum. Concoquit enim, deterget, & carnem gignit. Proportione respondet basilico magno, sed magis deterget, ob myrrham, quam habet basilicum magnum. Hoc verò magis siccat, & minùs terget.

℞. ceræ citrinæ ℥. vj. ol. boni lib. ij. ß. terebinthinę ℥. ij. resinæ, colophonię an. ℥. j. ß. olibani, mastiches an. ℥. j. croci ʒ. j. In hoc nihil mutauimus, præter croci dosim, quia legitur in nouis dispensariis (croci ℥. j.) quæ quantitas maior esse videtur, quàm oporteat. Habet autem

facultatem concoctoriam. Sed cùm multa alia sint ad id commodiùs faciendum, non video cur in tanta quantitate poni debeat. Nos itaque pro ℥.j.ʒ.j legimus, tum propter rationem assignatam, tum quia in manuscripto antiquo ita legimus. Auget suspicionem, quod priùs dixerit (olibani & mastiches an ℥.j.) Si tantundem croci voluisset, cur ab aliis separasset? Adde quod semper solemus minorem rerum similium quantitatem ponere vltimo loco, vt Andromachus fecit in theriacę dispensatione. Adde quòd illa parua quantitas multùm tingit.

Vnguentum Ægyptiacum.

AD detersionem gangrenæ & vlcerum putridorum paratur omni tempore. Quare minor quantitas sufficit. Vel quia nimia impensa paratur, habendum. Paratur diuersa præparatione. Alij ingredi faciunt æqua proportione sic.

℞. floris æris aureos quinque, id est, ℥ v. mell. aureos xij. aceti acris aureos vij Decoquantur, & decocta inspissentur. Aureus valet ʒ ß. Sed si mauis, lege ʒ. vel ℥. quia eadem seruatur proportio, & Pharmacopolæ minùs dubitabunt. Et certè ponderum apud Latinos, Græcos & Arab. magna est dissidentia. Aliqui addunt thuris aureos ij. ß. Sed illud sarcoticum non est apponendum, nisi cùm imperatur, quia magis putrefaceret, quàm resiccaret, & cùm imperatur, potiùs cortex, quàm thus ponendum est.

Vnguentum Apostolorum.

NOmen accipit à numero duodenario, non quòd vsi sint Apostoli. Curabant enim citra medicamentorum vsum, potestate à Deo concessa, cùm dixit, Super ægro manus imponent, & bene habebunt. Est autem in frequẽti vsu ad vlcerum putridorum, id est, sordidorum detersionem. Recipit detergentia, catheretica, & sarcotica Sic paratur.

℞. terebinth ceræ albæ, resinæ an. ʒ. xiiij. opopanacis, floris æris an. ʒ. ij. ammoniaci ʒ. xiiij. aristolochiæ longæ, thuris masculi an. ʒ. vj. myrrhæ, galbani ana ʒ. iiij. bdellij ʒ vj. lithargyri ʒ j. infundantur lachrymæ, & decoquantur in lib. ij. ol æstate, hyeme verò lib. iij. deinde aliis misceantur. Sed non mihi immutanda dosis videtur,

tur, sed illa maiori quantitate aceti diluere oportet, & minùs coquere. Pro bdellio vsurpanda est propolis, vt aliàs monstratum est. Vnguento apostolorum respondet craseos magnum Mes. Quare non erit necesse, nisi paratum habere vnguentum craseos. Primum potiùs parandum est ad vlcera detergenda & implenda carne.

Vnguentum craseos paruum Mes.

HOc potiùs dispensandum est, quàm magnum, quia vnguento apostolorum respondet. Ob id nulla est eius necessitas. Hoc verò ad vlcera detergenda & implenda confert.

℞. aristoloch. ireos, sang. drac. opopanacis, sarcocollæ ana ℥. ß. litharg. læuigati ℥. v. ol. lib. j. coquatur lithargyrum in ol. donec non inficiatur. Cui adde reliqua in tenuem pul. redacta. Fiat vnguentum. Nos autem pro ammoniaco opopanacem substituimus, quòd magis sit sarcoticum & conueniens. Neque multùm repugno, si ammoniacum ponatur. Hoc potest esse vsui pro vnguento ex panno.

Vnguentum pompholigos.

ACcepit nomen à pompholige, sed nostri ex tuthia, quam vocant, parare solent, quę spodium est Dios. & omnium Græcorum. Quare dicendum esset vnguentum ex tuthia. Sed cum parùm differat tuthia, à pompholige, non est ab hoc recedēdum. Illi autem, qui nos præcesserunt, facilè poterunt excusari, quòd pompholigem non agnoscerent. At nos, qui & agnoscimus & haberi ex fornacibus potest, vbi funditur æs ad bombardas parandas, & tintinnabula, vel vbi parantur ex ære vasa culinaria, excusari non possumus. Quare Pharmacopolas hortor, vt ex fornacibus colligant, cùm habere possint, quantum voluerint. Est enim magis tenuium partium, quàm spodium, siue tuthia. Sic parabitur.

℞. olei ros. omphacini ℥. x. ceræ albæ ℥. v. succi granorum solatri ℥ v. cerusæ lotæ ℥. iiij. plumbi vsti & loti, pompholigis ana ℥. ij. cortic. thuris ℥. j. Succum fructus solatri decoque in oleo ad cōsumptionem. Cui adde ceram. Deinde omnia redacta in puluerem tenuissimum. Fit vnguentum, quo vtimur in cancris, & gangrenosis vlceribus. Quare oportet illud esse bene paratum, ne

morsum in parte excitet, neque eam paret ad putrefactionem, vt illud facit, quod à nostris dispensatur. Quare danda est opera, vt ex ol. ros. omphacino fiat, quod magis repellit & exsiccat, quàm illud rosaceum completum vocatum. Quod si tale non reperiatur, abluatur in aqua peculi ros. vel in aqua myrthi, vel ceterach, vel plãtaginis, vt illam vim ol. laxatiuam, & putrefactiuam, ablutione amittat. Deinde rosas exsiccatas rubras decoque in duplici vase. Fiat oleum omphacino respondens, vel succum foliorum oleę, vt Gal. imperauit. Cera alba est abluenda, tum ob pul. tum ob aceti vim, quam accepit in sua dealbatione. Succus ex fructu vel foliis solatri extrahitur, neque peccat, si ex foliis paretur. Cerusa ob aceti vim est abluenda, & vt amittat aliquam vim emplasticæ substantiæ, in qua pluuiæ, vel fluuiorum, vel plantag. est abluenda. Plumbum, quia cum sulphure vritur, abluendũ, vt cerusa, vt deponat empireuma, vel lima in tenues partes diuidere oportet, vt diligenter contritum in partes tenues reducatur. Nam alia ratione non vritur, quàm vt faciliùs in pul. reducatur. Minus enim acre est, quod non vstum, quàm quod vstum est. Tuthiam nostri ponebant, quæ antiquorum est spodium, & quia non nouerant pompholygẽ, spodium vsurpabant. Pompholyx cinericula est, quę in parietibus fornacis colligitur. Adhæret aliquando vt fuligo. Aliquando, vt quæ proximior flammis, tanquã pumex, vel racemus ex multis ampullis. Vnde Botritis dicitur. Sed id notare oportet, quòd in quibusdam locis quasi alba colligitur, vt cinis, vt in fornacibus, in quibus æs funditur, non aurichalcũm. In vulgatis exemplaribus (thus) legitur, vbi legendum (cortex thuris.) Thus enim putrefacit: cortex autem vlceribus malis conuenit, vt docet Diosc. Quod paratum est hoc modo, tam differt à communi scopo, vt homo viuus à mortuo. Hoc vnguentum vsui esse potest, pro vnguento ex cerusa, sed non contra, ob acetum. Quare cum pro vnguento ex cerusa eo vti volueris, adde aceti albi q. s.

Vnguentum desiccatiuum rubrum.

POst vnguentum de pompholyge, collocari debet vnguentum desiccatiuum rub. quod frequentissimè vsurpa-

surpatur à Chirurgis in erysipelatosis & feruidis vlceribus, & ad cicatrices faciendas.

℞. lapidis calaminaris, siue cadmiæ, terræ sigillatæ ana ℥. iij. litharg. auri, cerusæ vstæ & lotæ ana ℥. iij camphoræ ʒ. j. ceræ albæ ℥. v. olei ros. myrthini ana ℥ vj. fiat vnguentum. In hoc vnguento tantum hoc mutauimus, quod cerusam vstam & lotam imperauimus, ratione optima, quia magis sicca & rubra redditur. Idcirco rub. dictum est, & vt ad cicatrices & herpetas efficacius sit, lauandum ad empireum auferendum. Vritur chalcitis, donec sandaracæ vel minij colorem acquirat. Ceram albã imperauimus, quia magis siccat, & magis rub. apparet vnguentum, si ex alba fiat. Oleum myrthinum pro violaceo posuimus, quia violaceum humidius est, quàm vt in vlcerum vnguẽtis ponendum sit, & maximè in eo, vbi omnia refrigerant. Quare myrthinum substituimus. Lapis calaminaris est cadmiæ species, ex qua æs rubrũ fit. Pro terra sigillata vsurpandam esse argillam vel cretam diximus. Nam terra illa, spargis dicta, vel sigillata, nihil aliud est, quàm argilla collecta in Lemno insula, quę ob illum lentorem, quem habet, & vim emplasticam insignem, valet ad incrassandas fluxiones, & ad sanguinis fluxus, quę omnia præstat nostra. Quòd dicunt valere ad pestem, non ad curationem, vt aliqui putãt, sed ad præcautionem. Nam cùm illa & bolus armena vim inspissandi sanguinem habeant, & conturbationem sanguinis impedire possint, pestem impediunt, quę nihil aliud est, quàm cùm sanguinis perturbatio fit, vt nos docuimus in nostro tractatu de peste. Quare non est nauigandum in Pontum, vt adulteratam argillam sigillo illo notatam habeamus, cùm creta idem pręstet, quod & terra sancti Pauli, quam vendunt circulatores in Italia, vel terra sigillata. Exsiccant illę terrę, modicè viscosę, quod in hoc vnguento requirimus.

Vnguentum album rasis.

MInio paratur, & eius frequens est vsus, vnde paratum habere semper oportet.

℞. ol. communis loti ℔. ij. cerusę lib. j. cerę albę ℥. vj. misce, fiat vnguentum. Oleum abluendum aqua frigida, nisi recens fuerit, miniméque salitũ. Cerusa ablua-

tur necne, nihil intereſt. Sed quia in affectibus palpebrarum vſurpatur, non malum eſt, ſi ſemel abluatur.

Vnguentum citrinum.

A Citro nomen accepit, quo vtuntur mulieres ad fucum, & Chirurgi ad ſiccandum, & cicatrices faciendas, & dealbandas. Habet enim aliquam vim deterſiuam, & inſignem exſiccandi. Difficilè paratur ob præparationis difficultatem, & reliquarum rerum penuriam.

℞. borracis ʒ. ij. camphoræ ʒ. j. coralli albi ℥. ß amianti dulcis ℥. j. vmbilici marini, tragacanthi, albi, amyli ana ʒ. iij. marmoris, cryſtalli dentalis, olibani albi, nitri an. ʒ. ij. gerſæ ſerpentariæ ℥. j. cerusæ ℥. vj Borrax eſt duplex. Aliud, quod pingue dicitur, quia nigrum & ad ſaponis mollis quaſi colorem & cõſiſtentiam accedit. Aliud eſt album, & ad formam ſalis vel aluminis concretum, & diaphenum, quod arte tale redditur. Eſt huic arte paratum ſimile ex ſale alcali & vrina, quod ferruminat aurũ, à quo affectu aliqui mediocriter eruditi chryſocollæ nomen inciderunt, non animaduertentes, chryſocollam antiquorum colore viridi eſſe, ſiue illa ſit naturalis, quæ cum lapide cianeo & fodinis emittitur, ſiue illa artificialis Galeno ex vrina vel ære, quam ſpeciem Dioſ. inter ſpecies æruginis repoſuit. Quare nos borracem nitri ſpeciem dicemus. Borracem nitroſum vocant Arabes, & à ſapore iſto, omnia alia, quæ hoc ſapore ſunt prædita, borracalia vel nitroſa vocant. Additur caphuræ ʒ. j. quia eſt fœtida tenuiũ partium valde. Quare facilè penetrat. Magna autem eſt inter medicos contẽtio de eius origine & temperatura, quoniam aliquid dicunt eſſe arboris lachrymam, alij bituminis candidiſſimi ſpeciem, alij factitium quidpiam. Ego verò puto aliam naturalem, aliam factitiam ex maſtiche diſtillata in vrina. Naturalis certè naphtæ naturam præ ſe fert, quòd facilè concipiat flammam. De eius ortu nihil certi habeo. Verùm de eius temperatura certò poſſum affirmare calidam eſſe, & quòd odorata ſit, & quodammodo ex aërea ſubſtantia & tenui, ob quam tenuitatẽ ignem facilè concipit etiam in aqua, quod forſan aliquos decepit, quòd ſemen abſumeret. Inde ab effectu colligunt, ſummè refrigerare. Verùm eſt illa ſecunda operatio, non prima,

per accidens, non per se. Nam si quādo seminis spiritum dissoluit, ob id venerem extinguit, semine absumpto, vt ruta, agnus, menta sicca, vt & alia calida. Sed videor hîc limites instituti transcendere. Hoc enim ad Medicum spectat, non ad Pharmacopæum. Hoc tamen addam, quod caphura debet ab electuario diatragac. frigid. auferri, quia debet medicamētum istud refrigerare, & humectare, & inspissare. Sed illa contrarium præstat. A diamargarito frigido non item, quia illa valet ad cordis iactitationem, siue palpitationem, ad quem affectum hæc compositio multùm confert. Præterea offuscatur à moscho, & aliis odoratis medicamentis, quod non fit in diatragacantho. Sed hæc satis de cāphora. Hîc ponitur, tum quia alba est, & dealbat, vt sulphur, per accidens resoluendo. Corallus siue corallum planta est marina, quæ supra saxa oritur Multas rad mittit, sed supra saxi superficiem crasso caudice adhæret, cortice minùs rubro videtur integi, non album. Quod facit, vt nō credam esse florem salis, quo inuestitur. Nam & album simili modo vestiretur, cùm in eodem saxo nascatur. Sunt autem tres coralli species distinctæ colore tantùm, rubrum, album & nigrum. Quorum album vilius est. Rub. verò charius ob multos vsus Nam mulieres eo ornātur. Pueri in collo vel citra carpum gestant aduersus fascinationes, & Medici ad siccandum, refrigerandum, & constringendum vtuntur frequentissimè. Nascuntur in eodem loco. Nigrum verò vocatur *antipathes*. Raro inuenitur, coloréque hebeni est. Album in hoc vnguento præfertur, quāquam in omnibus aliis remediis rub. sit inferius, non alia ratione, quàm colore. Nam cùm hoc non solùm ad morborum curationem, sed ad candorem faciei mulieribus inducendum paretur, præfertur album rubro. Differt etiam album, quòd in medio cauitatē habeat, neque solidum sit ob cotiledones siue acetabula, quæ habet frequentia. Siccat, refrigerat, & dealbat, vel maculas cooperit. Quanquam non est negandum ob salsuginem, quam habet paruam, detergere, vt omnia salsa. Neque magis refrigerat, quàm rubrum. Calor distinguit speciem, nihil ad temperamentum pertinet. Paratur autem multis modis, pro diuersitate affectuum, & partium

affectarum. Nam si ad frangendum lapidem, vel occidendos vermes, vel ad siccanda vlcera interna, vel detersionem oculorum, paretur sine vstione. Verùm si ad fluxum ventris, vel si ad vẽtriculi exsiccationem, vrendum, sed abluendum. Nam nisi abluatur, vim calcis habet. Quare & calfacit. Qua in re magni nominis Medici frequenter decipiuntur. Ad frangendum calculum, vel potiùs deturbandum renum calculum datur. Tunc in puluer. reducendum, & succo limonum diluendum. Item cùm vermes occidendi sunt. Si quis plura desideret, Diosc. lib. 5. cap. 139. & 140. legat, & plura apud Plinium lib. 32. cap. 10. Sed quod in Stecatibus insulis reperiri dicit laudatissimum, & quòd fructum ferat, experientia docet contrarium. Iuxta album Rasis collocãdum. Quæ enim ex lithargyro cocto, vel non cocto fiunt, non multùm differunt ab vnguentis ex cerusa, & contra. Sed quia minimo paratur, & vt opinioni veterum consulamus, hîc talia vnguenta apposuimus, quibus tamen carere possumus. Nam tetrapharmacum putamus parandum, quia longiori tempore paratur, quàm lithargyrum nutritum, differúntque coctura tantùm.

℞. litharg. aceti ana ℥. j. ol. ℥. ij. Coque lento igne, donec crassitiem vnguenti habuerint.

Vnguentum nutritum.

EX iisdem paratur nutritum, sed diuersa proportione, vt,

℞. litharg. auri ℥ ol. communis ℔. ß. aceti ℥. iij. Agitentur in mortario sensim, oleum & acetum instillando. Si fiat in mortario plumbeo, erit efficacius.

Vnguentum psoricum, siue enulatum.

℞. rad. enulæ camp. coctæ in aceto, contusæ & per collum passatæ ℔. j. axungiæ porci, ol. communis ana ℥. iij. ceræ nouæ ℥. j. argenti viui extincti in axungia, vel succo limonum, terebinth lotæ ana ℥. ij. sal. communis puluerisati ℥. ß. incorporentur simul in mortario, vt decet. Fiat vnguentum. Nihil autem immutandum fuit. Paratum seruetur, quia psoricum est efficacissimum, & pro aliis omnibus hoc sufficit.

Vnguentum contra vermes.

QVanquam vnguentum Aragon vermes occidat, & de-

& deiiciat, huius tamen descriptionem apposuimus, vt si paratum habere velint, habeant.

℞. ol. amygd. amar. ℥. j succi foliorum persici, absynt. ana ℥. ß farinę lupinorum, cornu cerui vsti ana ʒ. j. aloes succotrinæ, fellis tauri ana ʒ. ij. cerę q. s. fiat vnguentum. Melius esset sine cera & ol. ex aceto, succo, & felle liquatis, in formam cataplasmatis reducere. Illa quãtitas olei ℥. j. pauca est. Succi si decoquantur, minus efficaces sunt. Nos in hoc succum absynthij pro materia substituimus, quia absynthium magis amarum est.

De emplastris.

QVibus oporteat pharmacopolam munitum medicamentis, in vniuersum dictum. Inter quæ emplastra enumerauimus, tum quia oportet ea reposita habere, quę magno artificio parantur, ne si quando egeamus, non rectè parentur, si citò parari cogantur, quæ longo tempore debent parari. Item quæ certis tantùm temporibus parantur; vt emplastra ex succis herbarum, parata seruari debent. Adde quòd illa diu seruari possunt, nec antiquitate corrumpuntur. Ergo hæc parata habeat, quibus frequentiùs vtitur.

De diachylone communi Ioannis Damasceni.

℞. Mucilag. seminis fœnugræ. seminis lini & radic. altheæ ana ℔. j. litharg. puluerisati à plumbo & scoria ℔. j ß. olei veteris clari ℔. iij Litharg. & ol. multùm, & diu in mortario, vel alio pistillo ferreo agitentur; & misceantur. Deinde igni lento coquantur, spatula semper agitando, donec liquetur litharg. & crassescat. Deponatur ab igne & refrigeretur, quo refrigerato, mucilagin. leuiter coctæ sensim instillentur, agitãdo, donec exactè misceantur, & confundantur. Hanc descriptionem Mes. apposuimus, quæ retinenda est. Facilè enim paratur, & satis est efficax ad duros partium tumores, & ad dolores, qui sub costis sunt. Nam in aliis ob duritiem dura emplastra supra partes dolẽtes externas poni non debent, vt docuit Gal. Auget enim dolorem durities emplastrorum. Quare in vnguentum dissolui debent. In hoc emplastro hoc tantùm est animaduersione dignum, lithargyrum diligentissimè conteri debere, vt faciliùs liquescat, & permisceatur ol. Purgetur plumbo & scoria, quia

litharg.ex plumbo conficitur. Quare remanet aliquid, quod concoctum non est, & fæx siue scoria, quæ partes etiamsi eandem facultatem habeāt, nihilominus liquari & permisceri non posset ol.æqualiter, non desideratur hîc. Oleum antiquum videtur magis conuenire, mediæ ætatis, vel recens, quia magis emollit. Antiquum magis digerit. Ex hoc loco rationem parandi emplastra ex lithargyro, & mucilag. intelligetis.

De emplastro Diachylonis.

R. Lithargyri ℥.6. ol. veteris ℔.1. mucilagin. psilij ℥.4. mucilag. semi. altheæ ℥.2. fiat emplastrum, vt suprà. Hanc compositionem retinuimus, quia vsus recipit ad maturationem tumorum calidorum, quanquam, vt suprà monstratum est, supra tumores calidos emplastra minùs conueniant ob duritiem. Quare meliùs in vnguentum mutabitur, diluendo oleo viola. In hoc parando, quæ suprà de litharg. & de coctura mucilaginum referre oportet. Oleum vetus expungendum, quia cùm frigidis hoc constet, non debet oleum antiquum indi, quia digerit magis, quàm emolliat, vel maturet. Illa enim maturant, quæ temperata sunt, vel calorem calori nostro similem habent. Quare simpliciter, oleum, vel, communis, legendum est.

Emplastrum diachylum magnum.

R. Litharg. tenuissimè puluerisati, & cribellati vnc.12. ol. irini, chamomilæ, anethi an. ℥.8. mucilag. semin. fœnugræ. lini, radicis altheæ, ficuum pinguium, passularum, succi ireos, scillæ, œsipi humidæ, glutinis piscium ana vnc.12. terebinth. vnc.3. resinæ pini, ceræ citrinæ ana vnc.2. fiat emplastrum, agitando in mortario cum ol. & decoquatur lento igne, spatula leuiter agitando, donec coagulentur. Mucilagines misceantur, vt suprà dictum est, & vbi duritiem acquisiuerunt, supra marmor imposito, magdaleones formentur. Hæc compositio tam frequenter vsurpatur à Medicis ad emolliendum, vt nullo modo carere debeat pharmacopola. Quæcunque dicta sunt superiùs, in aliis obseruāda, & præter illa hoc quoque animaduertendum, quòd succi ireos & scyllæ sub finem imponendi, quos absumere oportet, priusquàm

terebinth. quæ etiam diu decoqui non debet, vt nec œsipus, nec ichthyocolla, siue gluten piscium.

Diachylon cum gummi & ireatum.

QVidam supradictis aliqua addiderunt ad aliquas affectiones curandas, vt ireatum, & appellant diachylon ireatum ab iride dictum. Est autem talis proportio.

℞. diachylonis communis ℔. 1. radic. ireos ℥. 1. malaxentur cum ol. lilio. Tale est ireatum. Est aliud, quod appellatur diachylum cum gummi, ob lachrymas, quæ adduntur, respondens emplastro de mucilaginibus.

Illud cum gummi ex incerto authore.

℞. mucilag. seminis altheæ, semin. lini, mucilag. medianæ vlmi, & fœnugr. an ℥. 4. ol. chamomilæ, liliorum, anethi ana ℥. 1. ammoniaci, galbani, opopanac. sagapeni ana ℥. ß. ceræ nouæ ℥. 20. croci ʒ. 2. terebinthinæ ℥. 2. cum gummi in vino dissolutis, fiat emplastrum. Illa descriptio est emplastri de mucilaginibus. Differunt tantùm in dosi. Prunorum addiderunt ℥. ß. ol. dosi. Quare appellandum de mucilaginibus, vel cum gumm. Post emplastra malactica reponendum est emplastrum ceroneum, & oxycroceum, & emplastrum de meliloto.

Emplastrum de meliloto.

℞. meliloti ℥. 6. florum chamomilæ, fœnugræ. baccarum lauri, radic. altheæ, sem. apij, ana ʒ. 2. cardamomi, irid. cyperi, cassiæ, spicæ nardi ana ʒ. 2. ß. sumpsuci ʒ. 3. ammoniaci ʒ. 10. stysacis, bdelij ana ʒ. 5. terebinth. ℥. 1. ficuum pinguium numero 12. seui caprini, resinæ ana ℥. 1. ß. ceræ ℥. 6. ol. sambucini, & ol. de spica q. ß. infundantur lachrymæ in aqua, in qua melil. fœnugr. chamo. incocta fuerint. Fiat emplastrum. Huius nominis multæ sunt compositiones sed variæ. Nam alia est apud Gal. alia apud Trallianum. Quia verò illa Mes. comprobata est, illam proposui descriptionem. Hoc autem difficultatis inueni, quòd alij legunt cardamenum, alij cardamomum, quanquam vtrunque calfaciat. Non satis constat inter interpretes quid sit cardamenum Arabum. Certius erit cardamomum accipere, quanquam negant illud Diosc. esse, de quo alio loco dicemus. Alij parari sic volunt. Ficus coctos per setaceum mittunt,

vt grana separentur. Lachrymas non in decoctione, sed in oleo liquant. Deinde ceram post terebinth. dissoluunt, postquam refrixerit, odorata tenuissimè trita permiscent. Radices & ficus vnà priùs decoquunt.

Emplastrum oxycroceum.

℞. picis naual. croci, colophoniæ, ceræ ana ℥.4. terebinthinæ, galbani, ammoniaci, tripheræ, olibani, mastiches ana ℥.1. & ʒ.3. Parantur autem sic.

Ammoniacum & bdellium in partes diuidantur, & in aceto sufficienti per noctem macerentur. Liquentur supra ignem, collentur, & rursum coquantur ad consumptionem aceti. Pix ponatur, qua liquefacta pone ceram, deinde colophoniam, demum terebinth. paulò post ponatur mastix, olibanum, & myrrha, cum spatula semper agitendo à principio vsque ad vltimum. Cùm coctum satis erit, mutetur in aquam frigidam, & ab aqua extrahatur, & manibus exprimatur, vt aqua omnis egrediatur. Puluere croci superposito malaxentur, & formentur magdaleones & seruentur in vsum. Crocus in decoctione non debet poni, nec in pulu. redigi, donec malaxetur ne in aqua dilutus effluat. Quare sapienter in pul. redactus, malaxetur, & permisceatur. Hæc est descriptio vulgaris, quam retinuimus.

Emplastrum de ranis.

Emplastrum hoc quibusdam ceratum appellatur impropriè. Quare mallem inter emp. collocare, quàm inter cerata. Alij in formam vnguenti parant sic.

℞. olei chamomilæ, anethi, de spica, liliorum ana ℥.2. pinguedinis porci, pingued. vituli ana ℔.1. euphorbi ʒ.5. thuris ʒ.5 olei laurini ℥.1. ß pingued. viperæ ℥.2. ß. ranarum viuentium numero 6. lumbricorum lotorum in vino ℥.3. ß. succi rad. ebuli. enulæ campanæ ana ℥.2. scænan. stechad. matricariæ an. M.1. vini generosi ℔.1. Bulliant omnia ad consumptionem vini. Coll. adde litharg. auri ℔.1. & diu agitentur. Deinde adde ceræ citrinæ q. s. terebinth. abietis ℥.2. Auferantur ab igne, & adde styracis liquidæ ℥.1. ß. Agitentur fortiter. Postquam refrixerit aliqua ex parte, adde argenti viui extincti in saliua hominis ieiuni ℥.4. fiat emplastrum, vt artis est. Hoc emplastrum recipit quantitatem paruam argenti viui, quare

quare efficacius reddetur ad omnia, si argenti viui ʒ. 6. receperit, & euphorbij ʒ. ß. Quòd argentum viuum extinguitur saliua, superstitiosum est, & inutile. Sed hac ratione putant emendari venenum. Non enim sequitur, saliua hominis ieiuni est venenum serpentibus: Ergo aliis aduersatur. Quòd si saliua ad castigationem vsurpari debet, ieiuni esse debet, quia saliua infecta alimentis nõ seruat vires suas.

Emplastrum de mastiche.

DIspensatur apud nos emplastrum de mastiche. Quare visum fuit addere descriptionem, quæ in nullo dispensario reperitur. Oportet huius emplastri authores fuisse præceptores nostros.

℞. picis naual. ceræ ana ʒ. 6. sagapeni ʒ. 6. ammoniaci, terebinth. colophoniæ, croci ana ʒ. 3. aloes, thur. myrrhæ ana ʒ. 3. opopanacis, galbani, styracis calamin. mastiches, aluminis, fœnugræ ana ʒ. 2. comphittæ ʒ. 1 bdellij, litharg. ana ʒ. ß. lithargyrum in puluere redactum cum sufficienti aqua decoquatur. Deinde pix, qua liquefacta adde ceram, ammoniacum postea. Sagap. opopanax, galbanum, infundantur, & liquentur, & percolata iniiciantur. Mox styracem, comphittam, terebinthinam spatula misceantur. Postremò colophoniæ, mastich. thuris, bdellij, aluminis, myrrhæ, fœnugr. pul. paulatim insperge. Coquatur, coctum in aqua fundatur, & forma magdaleones.

Hanc descriptionem Nicol. Alex. dispensandam censemus, quòd sit melior, & artificiosior. In hac viuam rationem collocandorum medicamentorum, & proportionem licet spectare. Ego verò mutarem libentissimè illud alumen, in bitumen, quia hoc emplastrum ad digerendum, resiccandum, & reserandum factum est, & solum alumen astringens est. Adde quòd parum videtur illud medicamentum conuenire partibus affectis, quibus determinatur, vt thoraci, spleni, vtero & affectibus, ad dolorem scapularum thoracis à frigore ortum, ad lienis duritiem emolliendam, ad aquam intercutem à frigore, ad vteros frigidos. Quare sequendam hanc descriptionem suademus. Fortè hoc dubitare faciet, quando alij, comphittæ, id est, fecem styracis liquidæ, alij au-

tem styracem rubram. Nam styrax illa non est Serapionis quæ ex myrrha nostra exprimebatur à Diosco. steacte dicitur, sed ex styrace rub. exprimitur. Quare eadem materia erit, nec aliam residentiam styracis habemus.

Emplastrum diuinum.

℞. galbani ℥. 1. ammoniaci ℥. 3. opopanac. ℥. 1. lithargyri ℔. 1. ß oliba. ℥. 1. & ʒ. 1. myrrhæ ʒ. 1. & ʒ. 2. æruginis æris ℥. 1. bdelij ℥. 2. aristolochiæ ℥. 1. masticheѕ ℥. 1. magnetis ℥. 4. lithargyrum puluerisatum in mortario oleo permixtum coquatur. Ammoniacum & opopanax dissoluantur, & liquentur, & collentur, quæ cocta lithargyro & liquefactæ ceræ misceantur, cum spatula agitando. Myrrham, olibanum, mastichen, aristoloch. & magnetem in pul. redacta sensim permisce, & in aquam mittantur. Formentur magdaleones. Hoc emplastrum præparandum ob vires egregias & diuinas. Non multùm à ceroneo differt. Quare si paratum non habeatur, addendo aristolochiam & magnetem simile redditur. Aristolochia longa vsurpanda est, vel rotunda. Pro bdellio, propolis vsurpanda.

Emplastri contra rupturam prima descriptio.

℞. picis naualis, aloes ana ℥. 3. lithargyr. ceræ rubræ, colophoniæ, galbani, ammoniaci ana ℥. 2. visci quercini ℥. 6. gipsi, vtriusque aristoloch. myrrhæ, thuris ana ℥. 6. terebinth. ℥. 2. vermium terrestrium ℥. 4. gallarum ℥. 4. vtriusque consolidæ, boli armeni ana ℥. 4. sang drac. ℔. 1. Extat alia descriptio, quæ dicitur de pelle arietina Arnaldi de Villa noua ex lib. 2. cap. de Eupatorio, quæ magis siccat, & constringit, & melius ordinatur. Magis mihi placet illa descriptio quæ recipit.

℞. litharg. auri, lapid. hematitis, sang drac. boli arm. mumiæ, galbani, thuris, lumbricorum terrestrium ana ʒ. ß. picis naualis, colophoniæ, ceræ albæ & rub. ana ʒ. 1. radic. consolidæ maioris, minoris & mediæ ana ʒ. 3. rosrub. myrrhæ, aloes ana ʒ. 4. stellæ marinæ combustæ, gallarum conbustarum, aristolochiæ rotundæ ana ℥. 6. visci quercini, terebinthinæ ana ʒ. 3. sangui. hominis rufi ℔. 1. minus quarta. Conficiantur hoc modo, Pellem arietinam recenter extractam seu excorticatam

cum

cum pilis coque ad dissolutionem. Collaturæ ℔.1. misce viscum quercinum dissolutum, cum spatula stannea, agitetur, deinde ceram, picem, colophoniam adde. Ammoniacum, galbanum dissoluātur in aceto, & collentur. Addatur deinde pul. aliorum, vltimo loco odorata, & quæ minorem calfactionem & calorem ferre possunt. Postremò terebinth. sanguis, permisceantur. Vermes in vino cocti & diligenter triti commisceantur: coquantur, donec non inquinent manus, manibus inunctis oleo ros. vel cydoniorum, non violaceo, vt vulgus facit. Malaxêntur, fiant magdaleones. Ego tantùm mutaui, quòd legit palleam, marinam stellam legendum, quæ est ad id efficacissima. Quòd sanguis hominis rufi, censerem potiùs hominis pituitosi, qui sanguinem viscosiorem & tenaciorem habet. Satis siccant alia medicamenta, sed parùm refert. Nam oportet accipere sanguinem eorum, qui truncantur capite, in quo fluit venalis & arterialis, & sic est satis siccus, & viscosus, & hæc satis de emplastro contra rupturam.

Emplastrum de gratia Dei.

R. Terebinthinæ ℔. ß. resinæ ℔.1. ceræ albæ ℥.4. mastiches ℥.1. verbenæ, betonicæ, pimpinellæ ana M. 1. fiat decoctio herbarum in vino albo generoso ad consumptionem tertiæ partis. Collaturæ dissolue ceram, resinam, mastichen. Bulliant donec incorporentur, & agitentur. Tunc ab igne deponantur, & terebinthina iniiciatur, agitando cum spatula, & fiat emplastrum dictum Gratia Dei.

FINIS OFFICINAE Pharmacopolarum.



GVLIELMI RONDELETII DOCTORIS MEDICI TRACTATUS

De Fvcis.



N faciei maculis, vel aliis quibusdam cutis defœdationibus, primùm vitiosus humor, à quo nascuntur, purgari debet: vt si croceo colore bilis faciem inficiat, medicamentum cholagogum propinandum est, ad corporis euacuationem; & sic de aliis humoribus dicendum est. Quòd si partis internæ, ventriculi, vel hepatis, vel lienis vitio, cutis inquinata sit, & partes confirmandæ, coctio ventriculi iuuanda; cutis sordida recrementa detergenda sunt, balneis, vel stuphis. Obæsis, quibus cutis sordida est, stupha magis conuenit. Macilentis vel scalidis, vel à sole, vel à labore, vel ab inedia, vel ab alia qualibet caussa balneum aptius, aliis minùs conuenit. Vtendum autem primùm balneo detergente, & relaxante, manè quidem iejuno ventriculo, deinde humectante, & leuiter detergente, post cibum & exactam ventriculi coctionem. Balneorum verò detergentium formulas subiiciemus, ex quibus valentiora conueniunt ad elephantiasim, scabiem, & cętera cutis vitia: imbecilliora verò biliosis, & delicatis prosunt, quale hoc est.

Balneum.

℞. parietariæ, mal. cum rad. acanthi, viol. ana M.1. hordei integri p.2. florum viol. chamomilæ, ana p.3. fiat decoctio in aqua pluuiæ, & ex ea paretur balneum, quo ieiuno ventriculo lauetur. Deinde vbi sudauerit, in lecto corpus diligenter detergendum est.

Bal-

Balneum Valentius.

℞. rad. liliorum, serpentariæ, britoniæ ana lib. j. borrag. bugloss. fumariæ, saponariæ, ana M. ij. parietariæ, adianthi, maluarum, viol. an. M. j. hordei integri, fabarum non excorticatarum, orizæ an. quart. j. florum meliloti, chamomilæ, anthos, maluarum, viol. an. p. ij. fiat decoctio pro balneo, vt dictum est. Vtilissimum erit, si addas radicé ireos, cucumeris agrestis, lapati acuti, elenij, nitri tantundem. Et hoc postremo, & medio vti possunt, ante vsum stuphæ. Biliosus verò primùm vtatur stuphis, deinde balneo humectante, detergente, & refrigerante ad hunc modum parato.

Balneum pro biliosis.

℞. hordei mundati p. iij. altheæ & maluarum cum foliis viol. ana M. iij. fol. betæ, parietariæ, bugloss. borrag. (quæ leuiter detergunt) an. M. j. quatuor sem. frig. maiorum, seminis lini & fœnug. an. ℥ ij. florum viol. nenup. liliorum an. p. ij. fiat decoctio in decoctione pedum & capitis arietis, deinde paretur balneum tepidum, in quo diutius maneat, longè à cibo. Hoc quoque decocto faciem & collum abluat. Possunt etiam addi rad. liliorum, si cutis dura sit & aspera. Quòd si maculæ firmatæ sint, radices ireos & cucumeris agrestis adiiciantur.

℞. litharg. ℥. j. ß. cerusæ lotæ in aqua plantag. & caudæ equinæ ana ℥. ij. olei ros. ℥. iiij coquatur oleum cum succis, ceræ albæ q. s. fiat linimentum.

Topica, qualia esse debent.

In topicis componendis ratio & methodus seruanda est, quæ in balneis suprà tradita est. Nam si facies squallida sit, & macilenta, conueniunt olea, vel vnguenta, vel aqua vim detergendi habens. Priùs ergo facies abluenda est decocto hordei mundati, vel infusione panis albi, vel aqua liliorum, vel aqua florum maluarum. Deinde vngenda oleo amygdalarum dulcium, vel de semine cucurbitæ, vel melonis, vel cucumeris, vel pomata hoc modo parata.

Pomata.

℞. pinguedinis hœdi, quantùm volueris. Abluatur aqua frigida, postea diuidatur in frusta in aqua liliorum ve florum maluarum, liquescat, & exprimatur, atque ad

vsum seruetur. Postea etiam fiet cum aquis rosa. & plantag. additis pomis diuisis in multas partes.

Fiunt etiam veluti vnguento citrino, cui additum sit sublimatum, vel coctum in ventre gallinæ. Facit ad fucum, quòd est præstantior. Conuenit & aqua sequens mulieribus biliosis.

Aqua distillata.

℞. medullæ panis hord. qui melius sit inter album & nigrum ℔.ij. lactis caprini ℔. iij. vini albi ℔. ß. quatuor seminum frig. maiorum contusorum ana ℥.ij. thuris, mastich. ana ℥.j. boracis ℥. ß fabarum recentium ℔. ij. vel florum fabarum p.iij. vel fabarum siccarum & cicerum rub. ana ℔.ij. orizæ ℔.ß. florum nenuph. viol. rosa. albarum ana p.ij. vitella ouorum cum albuminibus numero x. distillentur in vase duplici. Si addatur ante distillationem terebinthina, melior erit fucus, & diutius faciem seruabit.

Ex medulla ossium arietis fit optimus fucus, qui faciem lenit, & maximè nitidam & splendidam reddit, ac eandem optimè conseruat. Extrahendæ medullæ hęc est ratio. Ossa plurima per elixationem à carne separata, & postea contusa diu coquuntur in aqua. Deinde ab igne submoueatur, & innatans pinguedo colligatur.

Post vsum balneorum vel aquarum detergentium, quibus solùm vtendum est, cùm malis humoribus corpus abundat, vt dictũ est, & cutis sordibus obsita est multùm. Hac pinguedine fit præstantius fuci remedium. In sicca & calida facie eodem ferè modo vti possumus oleo lentiscino parato per sublimatum, sed in hoc priùs abluendum est aqua, vel decocto hordei mundati, vel aqua plantaginis, deinde facies vngenda prædicto oleo.

Quòd si vtendum est sublimato, vel borace, vel alio exiccante, huic miscere oportet oleum amygd. dulc. vel de semine cucurbitæ.

Si sint obesi, & facies pinguior, & humidior videatur, vtẽdum stuphis & balneis multùm detergentibus & exsiccãtibus, qualia sunt antè descripta. Vti licet etiã detergẽtibus aquis, vt raphani, aqua rad. ireos, aqua primæ & secundæ speciei ciclaminis, decocto fabarum, cicerum alborũ, oriza & similibus. Sed detergendi facultate omnibus

bus his præstat lignum sanctum quod etiam macilentis & siccis proprium remedium fiet, si in eius decocto addatur radix liliorum & ficus albæ & pingues. Præterea possunt obesi quibusdam oleis vti, vt de sinapi, & de semine behen, vel amygdal. amar. vel etiam de vnguento citrino, præsertim si huic misceantur, vel sublimatũ, vel veratrum, vel pomatæ quidpiam paratæ cum aqua ros. & periclimeni, vel sublimati extincti. Sed omniũ fucus maximè videtur egregius ex sublimato & vnguento citrino, quòd summum faciei nitorem inducat, eandémque pulchritudinem per multos annos tueatur. Si ruboris fucum adhibes, cõmemoratis aquis, oleis, vnguentis, adde caphurã, & acetum distillatum. Conuenit etiam lac virginale distillatum ex vmbilico veneris, cucurbita, nenuphare, semperuiuo, & aliis huiusmodi ex herbis refrigerantibus. In hũc modũ optima est distillatio sic parata.

Aqua distillata.

℞. decocti pulli, vel caponis, vel gallinæ ℔. iij succi limonum ℔. j aceti albi ℔. ß florum fabarum & nenup. ana p. iij. camphoræ & albuminis ouorum ana ℥. ij. misce, distillentur in alambico. Loco decocti pulli vel gallinæ licet vti lacte capræ albæ. Laudatur imprimis pinguedo lupi, asini ad dealbandas faciei cicatrices, & maculas auferendas, & axungia cati liquefacta in aqua peculi rosarum, vel vuarum acerbarum.

Ad dealbandas faciei maculas & cicatrices auferendas aqua familiaris Paulo Pontifici Max.

℞. aquæ vitæ quater ad minus distillatæ partes iij. summitatum florum anthos partes ij. pone in amphora bene obturata per diem & noctem cum vase bene cooperto, mox aquam & flores bene distilla. Aqua per excellentiam sacra dicta est, ad inflammationes, seruans vitam hominum. Oportet omni hebdomada accipere ℥. ij. cum aqua & vino facie abluta. Hæc aqua mirum in modum mundificat, faciémque longissimè conseruat.

Aqua ad efficiendam cutim pulcherrimam & faciem splendidam.

℞. furfuris ex meliori frumento quod poteris inuenire, & fac primùm, vt sit cribratum & cum forti aceto distempera, vt si velles dare gallinis, & postea pone in

alambico vitreo, & habebis decem aut duod. cum oua recentia, & frangos intra alambicum cum supra dicto furfure & simul distillentur.

Lac virginale.

℞. lithargyri auri ℥ ij. cerusæ, salis communis an. ℥. ß aceti, aquæ plantag. ros. ana ℥. ij. caphuræ ʒ. ß fiat collyrium & passetur per manicam. Oleum de myrrha optimè cicatrices dealbat.

Sæpe expertum.

℞. olei de tartaro ℥ iij. seminis psilij ʒ. j. Infundantur, in mucilagine, misce cerusæ in oleo ros. diss. ℥. j. boracis, salis gemmæ an. ʒ. j. fiat linimentum Liquores tenues, qui ex ouo, cum decoquitur, emanant, ad idem efficaces sunt. Expertum à Domino Thocano, & Fabro medicis.

Oleum Venetis meretricibus consuetum ad fucum.

℞. tartari bene combusti per reuerberationem ℔. ß. pulueris etur & resicca, vt fit de sale. Tunc accipe sal illud, & pone intra album ina ouorum decocta.

Ad dealbandas cicatrices.

℞. olei tartari, seminis psillij ana ℥. j infundantur in mucilagine, in oleo rosato dissoluta ℥ j. boracis, vel salis gemmæ.

Ad vestigia variolæ.

℞. aquæ distillatæ, pedum vituli, vel aquæ radicis serpentariæ, florum fabarum cum aqua rosarum, aut limonum. Oleum dactylorum delendis vestigiis cicatricum conducit.

Ad dealbandos dentes.

℞. panem ex farina secalis. Coquatur sub cineribus, donec durescat, deinde reducatur in tenuissimum puluerem, quo fricentur dentes.

Ad dealbandos dentes, & conseruandos, & oris halitum commodum.

℞. summitatum myrthi, lentisci, oleastri, saluiæ, rorismarini ana M. j. coral. rub. eboris, & dentium equorum ana ℥. iiij. in fictili vase simul vrantur, addendo salis communis p. j. donec omnia dealbata sint, & reducantur in puluerem crassum, cui adde garyophyl. cinamo. rorismarini an. ʒ. iij. mosci ℈. j. vel ℈. ij. fiat pul. qui excipiatur oxymelite scyllitico, vel mucilagine gummi

tra-

tragacanthi, vel gummi arabici.

Ad idem.

℞. gummi arabici dissoluti in aqua ros. ℥. ß. coralli rub. ʒ. ij. lapidis spongiæ ℥. ß. nuces mosc. numero ij. fiant formulæ ad modum digiti, & desiccētur in vmbra, & dum erunt desiccatæ, fricentur dētes vnoquoque die manè, & paulo post lauentur vino albo, in quo infundantur flores rorismarini.

Ad idem.

℞. cinabrij vsti, corticis tamarisci, ciperi ana ʒ. j. spicæ nardi, mastiches, coralli albi, & rubri ana ℈. j. ossis sepiæ, lapidis pumicis, salis gemmę ana ℈. ß. ros. rub. ℥. j. ß. pulueriser tur omnia subtilissimè, & cum aqua mentæ fiat dentifricium in forma opiatæ, quo fricētur dentes quotidie manè. Pòst abluantur vino albo, vt suprà.

Ad idem.

℞. aluminis rub. ℥. vj. salis communis ℥ iij. mastich. ℥. j. myrrhę ℥. ß. garyoph. ʒ. vj. misce, fiat distillatio, qua fricentur dentes.

Ad idem.

℞. ossis sepię ʒ. ß, mastiches, coralli rub. vsti ana ʒ ij. cornu cerui vsti ʒ. j. ß. aluminis, carbonis, rorismarini ana ʒ j. cinamomi ℥ j fiat pul.

Decoctio.

℞. citrangulorum limonum ana numero x. infundantur in aqua ros. & florum nympheę fabarum, maluarum, liliorum & corticis fabarum ana ℔. j. vini albi ℥. iiij. fiat decoctio. In collatura dist. sublimati ʒ. ij.

Ad auferendam crassitiem faciei.

℞. butyri recentis, terebinthinę ana ℥. j. radicis liliorum decoctorum in foliis betę sub cineribus q. j. calcis viuę quinquies lotę in aqua rosarum, vel citranguli succo ℥. j. axungię porci recentis liquefactę in aqua ros. ℥. j. misceantur, & reducantur in formam vnguenti. Quòd si fortius facere volueris, adde ablutionis vel decoctionis communis sublimati, applicetur super faciem. Hoc facit inflare cuticulam & eandem abscedere, vt faciliùs extrahatur. Oportet vngere faciem melle, & depilabitur. Sed ista non sunt adhibenda corporibus impuris, vt plethoricis, nisi fuerint aut sanguinis missione,

aut purgatione euacuati, & hoc erit ad conseruandam cuticulam faciei minùs crassam.

Pro delicatis fit hoc modo linimentum.

℞. rad. liliorum decoctorum sub cineribus ℔. j. contundantur in mortario, cui adde sacchari candi q. j. reducantur ad formam linimẽti, & applicentur super partem, faciem scilicet. Postea inungatur melle, vt dictum est. Postremo hoc vti satius est, quàm priori, sed eget lõgiori tempore. Si facies rubicunda euadat post vsum horum remediorum, lacte virginis vtendum est, vel succo semperuiui addito, cum modico sulphure. Valet sanguis leporis, quo inungat faciem.

Ad impetigines faciei.

℞. aceti scyllitici ℥. ij. aloës ℨ. iij. succi lapathi acuti & olei tartari ana ℨ. iij. incorporentur simul ad formam linimenti. Illinantur serò partes affectæ.

Ad idem.

℞. aquæ lapathi acuti distillatæ ℥. iiij. borracis ℨ. ij. salis cõmunis ℨ. j. aceti scyllitici ℥. j. misce, fiat, vt suprà.

Ad idem.

℞. radic. oxylapathi quart. j. decoquatur sub cineribus: postea cum aceto scyllitico reducatur ad formam linimenti. Si non curetur, adde præcedenti linimento argenti viui ℨ. ß. vel sublimati ℈. j. abluatur sæpe facies aqua myrtill. vel peculi pedum ros. Postea etiam adde parum albuminis, vt cutis meliùs resistat.

Ad idem.

℞. tartari ℨ. ij pulueris etur & cum albumine ouorum applicetur, vel aluminis vsti ℨ. iij. quod eodem modo propinabitur.

Ad impetigines faciei.

℞. aloës ℨ. ij. diss. in aceto scyllitico in modum linimenti. Liniantur serò partes affectæ.

Ad idem.

℞. radic. brioniæ. Cum sale subacta in aceto acerrimo, admota impetigines sanat.

Ad prohibendum ne fiant impetigines.

℞. aceti albi optimi ℥. iij. succi lapathi acuti, limonum ana ℨ. iij. lithargyri auri ℔. j. decoquantur leuiter, deinde distillentur, & ad vsum seruẽtur. Oleum ex erica

valet

valet ad impetigines inueteratas, & etiam oleum ex vitellis ouorum. Si impetigines ortum habeant ex morbo Italico, non curantur citra litum argenti viui.

Ad impetigines.

℞. oxylapathi partes duas, gentianæ partem vnam: concoquãtur in iusta mensura aquæ, deinde exprimantur, expressum cum axungia vituli mixta rursus decoquatur lento igne, vsquequo veniat ad consistentiam vnguenti. Hoc remedio curãtur impetigines. Expertum est.

Fucus optimus.

℞. sublimati ʒ.j. argenti viui extincti in saliua hominis seu fœminæ ʒ. ij margaritarum porcellanarum, vel internæ partis ostreorũ ʒ.j caphuræ ʒ.j.ß. incorporentur simul in mortario marmoreo cũ pistillo ligneo per tres horas. Ducantur & fricentur, reducantúrque in tenuissimum puluerem. Deinde hic puluis abluatur aqua myrthi, florum & foliorũ myrthi, & desiccatus seruetur in vsum. Adde foliorum auri & argenti num.x. Tempore vsus, pone in vola manus tantum oleum letiscinum, aut amygd. dulcium, in quo dissoluatur modicum pulueris prædicti, & hanc volam altera vola manus frica, donec mixtio perfecta sit. Postea faciem & alias partes, si vis, illine vesperi cùm iturus es cubitum. Sed facies lauanda primò vino albo & aqua est. Eædem partes abluantur sub mediam noctem aqua sequenti.

Aqua cuiusdam nobilis mulieris.

℞. sublimati ℥.j caphuræ ʒ. j. puluerisentur optimè, infundantur in succo limonum & aqua ros. nenuph. cucurbitæ, & florum aut foliorum fabarum ana ℔.ß. insolentur per 15. dies, & vsui seruentur. Postremò facies lauetur aqua & vino albo, sic facies admodum formosa videbitur.

Fucus.

℞. stercoris lacerti, ossis sepiæ, tartari, vini albi, rasuræ cornu cerui, coralli albi, farinæ orizæ ana partes æquales, pro copia, quæ expetitur. Diu in mortario & subtilissimè terantur, postea distemperentur in aqua scyllitica facta ex ęquali parte amyg. dulc. summitatũ vineæ florũ philo. Quo facto adde mellis optimi albi q.s. incorpo-

rentur in mortario, repone in vase mũdo vitreo, & vtere.

Alius fucus.

℞. vnguenti citrini recenter parati ℥.3. amygdal. dulc. diutissimè pistarum ʒ.1. farinæ fabarum ʒ. j. ossis sepiæ, cornu cerui, farinæ hordei ana ʒ. 2. omnia incorporentur cum melle, & vtere.

Alius fucus.

℞. radic. vtriusque serpentariæ, amygdal. amararum, farinæ nigellæ romanæ, seminis melonũ & citruli mundatorum ana ℥. ß. concassentur omnia & fortiter extrahatur lac, cui addantur sarcocollæ ʒ. 2. desiccentur ad vmbram, & fiant trochisci, qui distemperẽtur cum aqua rorismarini, manè & serò lauetur facies.

Fucus alius.

℞. ranas sine testa. Ponantur in vase vitreo, & aspergantur pul. salis gemmæ & aqua limonum. Cooperiantur, & tandiu in solo ponantur, donec fiant quasi vnguẽtum. De quo facies illinatur, postea lauetur aqua foliorum fabarum.

Fucus ducis Mediolanensis.

℞. lactis caprini ℔.3. medullæ panis albissimi numero 2. temperentur simul per horas sex. Limones à cortice extremo mundatos numero 12. infundantur per frusta albumina ouorũ numero 12. fortiter agitatorum calcis, corticis ouorum, porcellanarum ana ℥. ß. camph. aluminis, coralli rub. ana ʒ. 2. boracis ℥. 1. cerusæ ℥. 3. misceantur, aut diligenter distillentur in alembico vitreo, & distillatio seruetur vsui. Si quis adderet tartarum calcinatum, meliùs esset.

Ad idem.

℞. rasuræ ligni sancti q. 1. pass. mundatarum, ficuum ana numero 20. radic. liliorum, ireos, cucumeris agrestis q. 5. cum aqua forti fiat decoctio, & de colatura fiat ablutio.

℞. vnguenti citrini ℥. 4. pomatę ℥. 2. misce, vngatur facies serò & manè. Ablue decocto præcedenti.

Ad idem.

℞. florum fabarum, nenuph. ana ℔. 1. medullæ panis albiss. farinæ orizæ, ireos, cucumeris agrestis ana ℥. 6. mellis lib. 1. vini albi & aquæ fontis ante ℔. iij. tempe-

rentur

rentur simul, & fiat distillatio in balneo mariæ ana ℥.j. aqua seruetur vsui.

Linimentum in modum lactis virginalis ad ornatum faciei.

℞. litharg. auri ℥.2. bulliant in exiguo vase plumbato cum ℥.6. aceti albi distillati, per totum mouẽdo semper cum baculo. Passetur per pãnum lineum, seruetur aqua. In hanc rem tandem accipito salis aut olei tartari ℥.1. & dissoluantur in ampulla cum ℥.4. aquæ liliorum, & pone aquarum supradictarum ana guttas tres aut quatuor in manu, & conuertantur in lac virginale, quod tenue erit. Fricetur facies & siccetur.

Quomodo fiat acetum distillatum.

℞. aceti optimi ℔.2. infunde cum exigua quantitate aquæ vitæ, garyoph. ℥. ß. sand. citrini, & rasuræ ligni aloes an. ʒ.3. radic. ireos, cyperi ana ʒ.1. ß. distillentur in alembico vitreo simul, & cum vna trium partium distillauerit ad faciendum lac virginale, quod postea distillabitur, ad aliud vtile erit.

Ad dealbandas cicatrices, vt omnino similes sint carni.

℞. ol. de myrrha (vt doctissimis visum est) adde etiam aluminis. Non minori successu ad id probatum atque expertum est. Idem etiã liquor tenuis, qui ex ouo, dum coquitur, resudat. Ad idem efficax & expertum est à domino Borbono & Fabro medicis.

Distillatio.

℞. rad. ireos, cucum. agrest. an. ℔.3. radic. altheæ, liliorum an. ℔.2. racemorum maturorum ℔ ß. dictamni gr. I. herbæ fabarum, & parietariæ ana M.1. macerentur in vino albo, vel sero caprino, & fiat distillatio. Adde raphani ℥. ß. quat. sem. frigid. maior. an. ʒ.1. vrinæ puellæ ℔. ß. insolentur, & seruentur vsui.

Cùm verò tota facies maculis & lẽtiginibus conspersa est, hunc fucum Rondeletius præscripsit vxori suæ, cui facies maculis quibusdam & lentiginibus erat inspersa, & liberata fuit.

Ad tollendas faciei maculas.

℞. lupinorum quantum voles, decoquantur in aqua pluuiali ad crassitiem, quo vngatur facies.

Ad solis vstionem, & labiorum scissuras, & maculas faciei.

℞. limacum cum putaminibus num. 20. conterantur cum testa, adde cerusę ad pondus limacum cum ℥.3. cerę nouæ, & ℥.1. cornu cerui, & fiat linimentum, postea abluat faciem.

Ad dealbandas maculas faciei omnis generis.

℞. sublimati, alumin. ana ℥. ß. succi caulium ℥.6. cum lixiuio sarmentorum cineris, adde oua duo integra cum tribus fellibus tauri, & incorporentur secundum artem. Vtere hoc lixiuio cum panno madefacto in eo.

Ad verrucas, & alia tubercula.

℞. salis ammoniaci, vitreoli Romani, viridis æris ana ℥.2. aluminis rub. ℥.1. calcis viuæ ℥. ß. distillentur in alembico vitreo. Reiiciatur primus liquor, secundus efficacior erit, & seruetur vsui.

Ad verrucas in facie.

℞. radices asari. Tempera in aqua ros. biduum, pista & illine.

Ad verrucas.

℞. radic. chelidon. cum axungia trita, & admota verrucas absumit & tollit. Sanguis lacertę distillatus eas desiccat. Agrimonia cum forti aceto emplastrata, verrucas tollit.

Vt capilli flaui fiant.

℞. lixiuij sarmentorum, sufficiēti quantitate ad lauandum capillos, in quo bulliant florum tapsi barbati, & stæchad. rad. chelid. ana p j Ex hac decoctione prius lotum lixiuio communi, & siccatum rursum lauetur & sensim siccetur linteis calidis. Italicæ mulieres bulliunt in lixiuio communi flores stæchad. contus. & rasuram sand. citrini.

Ad idem.

℞. cortic. berb. ℥. ß. rad. glyc. ℥. 2. ß. ceterach, & polyp. ana M. 1. fiat decoctio in colla. ad ℔. 1. in qua diff. mellis communis ℥. 1. aquæ serpentariæ, ari ℥. ß.

Ad idem.

℞. vini calcinati ℥. 1. rad alcannæ ℥. 2. rad. raph. ℥. 3. pistentur optimè, & bulliant: fricentur capilli cùm ibit cubitum. Manè autem lauetur lixiuio sarmentorum.

Ad clarificandos & candidos reddendos capillos.

℞. florum tapsi barba. cineris sarmentorum, & cineris ligni hederæ ana p. 1. seminis fœnugræ. ℥. 2. bulliant simul in aquæ pluuialis ℔. 10 ad consummationem mediæ partis, & colletur, collaturæ adde ℔. 3. saponis, & in vase ponatur in sole per 24. dies agitando quolibet die baculo. Fiat linimentum, quo (toto priùs capite lixiuio ligni hederæ abluto) fricentur capilli, qui sensim in sole siccentur.

Aliud ad idem.

℞. stercoris hirund. radic. enul. camp. seminis raph. sulqh. flor. capparis, thuris ana ℥. ß. omnia simul incorporentur cum paribus partibus fellis bouis albi, fricentur capilli priùs loti lixiuio sarmentorum & siccati. Et dum capilli erunt sua sponte siccati, à lotione in frictione rursum lauentur in dicto lixiuio, & siccentur paulatim panno calido.

Ad pilorum regenerationem.

℞. ol. iuniperi, nucum ana ℥. 1. mellis albi, succi lapathi ana ℨ. ß. puluer. seminis apij, asari ana ℥. 3. incorporentur simul, & vngatur locus.

Ad flauos crines reddendos.

℞. lixiuium de cinere hederæ ligni decorticati. Laua sæpe caput, & euenient flaui.

Ad prohibendam caluitiem, lauetur caput cum vrina canis.

Vt pili elephanticorum renascantur vbique.

℞. cineris talpæ, vesparum, & gallinarum an. ℨ. 2. Ladani ℥. 1. ß. ol. irini ℥. 2. ceræ modicum, fiat linimentum.

Ad barbam generandam expertum.

℞. olei amyg. dulc. & myrth. ana ℥. 1. cortic. rad. arundinum vstarum, capil. ven. vstorum, politrici vsti an. ℨ. 2. capitum muscarum vstarum, apum contritarum in suis vacuitatibus ana ℨ. 2. ß. ladani ℨ. 2. mellis ℥. 1. puluerisentur, cum modico ceræ, fiat linimentum.

Ad idem.

℞. cineris talpæ in clibano exiccatæ ℨ. 2. cineris apum, cineris auellanarum tostarum ana ℨ. 1. ß. stercoris muris ℨ. 2. ladani optimi ℨ. 1. ß. mellis optimi ℨ. 1. ol. nardini, & ceræ, quod satis est. Reducatur in formam lini-

menti & diu maneat. Oportet manè faciem sequēti die hac decoctione abluere.

℞.politrici,abrot.maris,rorismarini, fol.myrthi,corticis rad.arundinis,florum chamomillæ,rosa.rub. foliorum rumicis ana M.1.ligni gaiaci ℔. ß.fiat decoctio,vtatur,vt dixi.

Vt pili cadant & non renascantur.

℞. Auripigmenti , ouorum formicarum , gummi arabici ana ℥. ß. gummi hederæ ℥. ij. cum sanguine vespertilionis, vel cum succo hyoscyami , fiat vnguentum secundum artem. Applicetur, priùs abrasis capillis. Alij addunt sanguinem testudinis , cinerem caulium cum aceto. Valet etiam lixiuium ex puluere sanguisugarum cum axungia, si illinatur pars.

Ad reddendos pilos crispos & ruffos.

Bononiæ , teste Guidone cap. 5.vbi de huiusmodi rebus tractat,lauantur in lixiuio sarmētorum, in quo sunt rasuræ buxi, & corticis citri maceratæ. In Italia quoque aiut radicem gentianæ idem præstare.

Vt manus fiant candidiores.

℞. micæ panis ℥.iij.aut iiij.orizæ,cicerum rub.ana ℥. 3.aut 4.saponis mollis ℥.1.ß.mellis despumati, quod satis sit,fiat pasta.

Vel sic.

℞. succi peponis & amygdal. amararum infusarum in sero lactis , & infusarum ficuum numero 100. seminis sinapi ℥. 2. radic. irid. ℥. 1. fellis bouis ℥. 4. incorporentur , & fiat pasta. Abluat cum aqua vel propria vrina,deinde aqua abluat os,& cum illa abluat manus, & sic fient molles & candidæ. Omnes succi , qui in rebus crassis fiunt , facilè siccantur, & faciem siccando corrugant , vel inflammant tandem. Quare longè meliùs mihi videtur vtendum esse detergentibus aquis , & nitorem inducentibus , quàm sublimato , vel alia re , inter quas aquas principatum tenet aqua carnis peponis maturi , melonum cum suis seminibus contusis , vel aqua decoctionis lactis caprini , vel vuæ acerbæ , si repellendum sit ob ruborem. Vel ad psydracia , paratur sic,

Ad psydracia.

℞. micæ panis sordidi ℔. 2. rasuræ ligni sancti ℔. 1. rad. cucum asinini, vel agrestis, vel serpentariæ, vel ireos, ana ℔. ß florum rosarum recentium, & fabarum ana M. 6. temperentur in sero lactis in vase æneo, donec & æruginem contrahat, & postea distilletur, & aqua seruetur vsui. Si addatur vua acerba, efficacius erit. hac vtatur serò ad detersionem cutis, manè sequenti ad splendorem vtetur.

Ad dealbandas manus.

℞. decoctionis super prunas ℥. 4. in ℔. 1. aquæ, & bene cooperiatur vas terreum plumbeatum, coquatur ad dimidium, deinde adde succi limonum ℥. 6. lento igne calefiat citra ebullitionem, & agitetur semper, deinde auferatur ab igne, adde mellis ℥. 2. ol. amyg. amararum ℥. 2. incorporentur, & fiat vnguentum, addendo ceræ ℥. 4. hoc sum semper vsus.

Ad manus tumidas ex frigore.

℞. œsipi, adipis anserini, & anatis ana ℥. 2. mucilaninis seminis cydoniorum ℥. 1. amyli ʒ. 6. terebinthinæ ℥. 1. ß. ol. rosa. ℥. 3. ol. de vitellis ouorum ℥. 2. ceræ citrinæ parum, fiat linimentum.

Aqua pro manibus.

℞. aquæ pluuialis ampullam vnam. Imponatur sal gemmæ pro solido: tantundem aluminis albi: insolentur per 7. vel 8. dies. Deinde hac aqua laua manus præcedente lotione aquæ communis.

Ad abluendas manus.

℞. pinearum mundatarum, pul. sinapi ana ℥. 4. mellis optimi ℔. ß. misce, & fiat pasta.

Ad tumorem manuum ex frigore.

℞. seminis lini, fœnugr. altheæ an. ℥. ß. extractæ mucilaginis cum aqua liliorum, vnguenti suprascripti, & de mucilaginibus an. ℥. 1. ol. aneth. amygd. dulc. ana ℥. ß. fiat linimentum pro manibus cum lana sordida.

Ad splendorem.

℞. micæ panis albi ℔. 2. florum fabarum ℔. 1. ros. albarum, vel rubrarum, nympheæ, liliorum ana ℔. 3. lactis capræ ℥ j. iridis Venetiorum ℥. 1. distillentur in balneo Mariæ.

Aliud.

℞. peponum, melonum maturorum cum seminibus ℔. 6 albuminis ouorum cum vitellis numero 5. distillentur, & aqua seruetur vsui, hęc non minorem splendorem facit, quàm sublimatum.

Fucus præstantissimus pro domino d'Estampes.

℞. sublimati ʒ. 1. porcellanarum ℥. 2. margaritarum splendidarum ℈. 2. terantur diligentissimè, & incorporentur simul in mortario marmoreo, & pistillo ligneo per tres horas deducantur, fricentur, reducantúrque in tenuissimum puluerem, deinde puluis abluatur aqua foliorum rutæ; desiccatus seruetur vsui. Adde foliorum auri & argenti num. 10 vtere. Priùs tamen faciem abluito decocto hordei, & fœnugr. Postea verò manè abluatur aqua & vino albo mixtis. His autem fucis vtendum non nisi iam purgato corpore. Ad auferendas lentigines faciei nihil æquè conuenit, ac aqua distillata papaueris erratici siue syluestris.

Aqua ad faciem decorandam.

℞. lactis vaccæ mensis Maij (ex aliis nihil valet) ℔. 2. aranciorum numero 3. limonum numer. 5. incidantur minutim, aluminis, sacchari ana ℥. 1. Hæc omnia infunde in lacte, & distillentur in alembico vitreo.

Fucus nobilis cuiusdam approbatissimus.

℞. sublimati ʒ. 1. bulliat in ℔. 1. aquæ cisternæ, quousque sentiatur aliqua acrimonia in lingua. Postea adde cerusæ ℥. 3. bulliant parum, clarificentur cum albumine ouorum numero 6. & postea coletur, & vsui seruetur, donec vti volueris, & agitetur frequenter.

Aqua præstantissima.

℞. terebinthinæ, mastiches, albissimæ, tuthiæ præparatæ, caphurę, aluminis an. ℥. 4 infunde in aceto forti per tres dies. Postea distilla per alembicum, & de aqua distillata laua faciem.

Ad idem.

℞. serpentariæ recentis ℥. 1. rutæ M. 1. hederæ terrestris M. 2. boracis ℥. 1. styracis collatæ ℥. ß. ligni aloes ʒ. 2. moschi ℈. ß. vng. citrini q. 1. caphuræ ʒ. 6 carnis caponis ℥. j. corticis limonum, & citranguli ana ℔. 1. ponantur in alembico, distillentur, & fiat aqua vt decet.

Aqua ad decorandam faciem.

℞. caphuræ ʒ.iij.aluminis rub. boracis ana ʒ. vj.moschi ℈ ij.terantur omnia, adde tartari ℥.j.ß.omnia pone in ℔.ij aquę rosatæ commiscendo semper cum spatula. Postea distilla per filtrum, & in ampulla bene clausa seruetur, & manè, facie bene tersa,cũ panno guttam vnam aquæ sumat, deinde faciem bene fricet. Hæc aqua suo odore spiritus auget, & mirabilem inducit albedinem.

Ad gratiam vultui conciliandam.

℞ lithargyri argenti ℥.iiij.aceti optimi ℔.j. ad consumptionem vsque tertiæ partis,coletur,& seruetur vsui in phiala.Aqua serpentariæ ad idem prodest.

Ad faciem rubram,aqua distillata.

℞. aristolochiæ rotundæ, been albi & rub.an. ℥.ß.radic. ireos ℥.v.liliorum ℥.vj. cicerum rub. lupinorum cõbustorum an.p.ß. nucis moscatæ, cinamomi an.ʒ.ß. amyg. amararum parùm contusarum ℥.ij ol. tartari ℥.iiij. aquæ pluuialis ℔. ij. omnia priùs conquassata temperentur per duas horas, deinde habeat sanguinem duorum leporum,& omnia simul distillentur.

Ad idem.

℞.amygd dulc.recentium ℥.ij seminis cucurb. mundati ℥. j. pistentur simul,misce succi limonum,vel aranciorum ℥.j.ß. borracis ʒ. j. caphuræ ℈.j. cerusæ optimæ ℥.ß.misce,simul incorporentur.

Ad ruborem faciei.

℞. sulphuris ℥. j. cerusæ lotæ ʒ.ij.succi limonum qr. ß.applica vesperi,cum decoctione furfuris. Addi potest os sepiæ,caphura cum cæpa.

Ad ruborem faciei à fumis & vaporibus.

℞.ol.de tartaro & ros.ana ℥.iiij.succi oxylapathi,lauri,serpentariæ an.℥ iiij.cerusæ ℥.j.ß.lithargyri auri ℥. ij. argenti viui extracti ℥. j. ß. radic. asphod. vstorum sub cineribus ℥.ij.fiat linimentum in mortario plumbeo.

Ad dealbandos dentes,manus & faciem.

℞. sublimati ℥. iiij. argenti viui præparati & extincti ʒ.iiij.pistentur,donec alba reddantur,postea totum colligetur in panno lineo, & in aqua cisternæ aut fontis paululum ferueat aqua,alio vsu accipe, idem ex eodem madefacito,quoties voles.

Ad tubercula faciei lepræ.

℞.cineris & rad. arist. seu serpentariæ decorticatæ per dies nouem in qua fontis lotæ. Tunc tota per cribrum transmissa, quantum voles, particulam cum aqua plantaginis vel portulacæ, vel lactucæ dissolutæ, faciem illine. Expertum.

Ad ardorem vrinæ post coitum.

℞. aloes in aqua plantaginis lotæ ʒ.ß. terebinthinæ in vino albo lotæ ʒ.2. myrrhæ ʒ.ß.fiant pil.7. pro ʒ.capiat ad quinque dies pil.5.

Item.

℞.plantaginis, caudæ equinæ ana M. 1. contundantur, & distillentur in alambico, de qua sumantur ℥.3.aut 4.singulis diebus, manè.

Ad dolorem dentium.

℞.piperis longi ʒ.2. pyrethri, staphisagriæ ana ʒ. 1. subtilissimè puluerisentur: mellis ℥. 1. ß. aquæ vitæ ℥.ß. misce super cineres calidos, & applica dentibus.

Ad idem ex Empyricis.

℞. rad. chelidoniæ, immittatur in aurem, qua parte dens dolet, superdormiat.

Ad ruborem.

℞. vnguenti citrini ℔. ß. lithargyri ʒ.4. cerusæ lotæ ℥.2. bombacis & aluminis vstorum, tartari calcinati q. ß. succi radic. enulæ campanæ, oxylapati & cyclaminis, limonum ana ℥.6.caphuræ ʒ.3.olei ros. ℔.1 ß. Argentum viuum sine liquore, valet tuberculis elephanticorum.

Ad idem.

℞. succi fumiterræ, plantaginis, acetos. ana ℥.3.olei ros. ℥.1.gummi tragacanthi & arabici ana ℥.ß. sanguinis draconis ʒ.2.ceræ nouæ. quod satis est . fiat vnguentum, quo vngatur introitu lecti. Die verò crastina, ablue faciem decoctione fabarum.

Ad faciem rubram & sublividam.

℞. tartari calcinati ℔.ß sacch. candi, boracis vsti ana ℥.1.ß.mucilag. seminis psilij, cydoniorum extract. cum aqua solani ana ℔.ß. albumina ouorum fortiter agitata numer.20 caphuræ ʒ.2 incorporentur, & distillentur simul in vase vitreo, bene obturetur, cum qua in introi-

tu lecti cum panno raro epithymentur partes faciei, abluendo in crastinum cum aqua florum nenupharis, & infusi furfuris in panno raro.

Ad ruborem faciei, præcedentibus vniuersalibus purgationibus.

℞. lithargyri auri lib. j. infundatur in aceto bis vel ter, & moueatur sæpe, & resideat in sole, donec albetur, & seruetur vsui.

℞. lithargyri, hoc modo præparati ℥. j. nutriatur ex aceto albo, & semine cucurbitæ, & agitetur, donec redigatur in formam vnguenti, & consistentiam. Adde caphuræ dissolutæ in aqua ros. ʒ. ß. vngatur locus affectus, & manè vngatur sequenti decocto.

℞. mal. p. j. fabarum contusarum ℥. ij. fiat decoctio ad lib. iiij. facta collatura, de residentia faciem abluat.

Linimentum pro virgine, cui facies erat defœdata scabie.

℞ lithargyri auri ℥. j. ß. cerusæ lotæ in aqua plantag. & caudæ equinæ ana ʒ. ij. oleo ros. ℥. iij. coquatur oleum & cum cera alba q. s. fiat linimentum.

In rubore faciei & tuberculis.

℞. olei rosati, & tartari ana ℥. iiij. succi oxalidis ℥. iij. cerusæ lotæ ʒ. j. ß. lithargyri auri ℥. ij argenti viui extincti ℥ j. ß. radicis asphod. vsti sub cineribus, fiat linimentum in mortario plumbeo.

℞. specierum vnguenti citrini, lithargyri auri ana ʒ. iiij. cerusæ lotæ ℥. ij. boracis, & aluminis vstarum, tartari calcinati ana quart. ß. succi rad. elennij, oxylapathi, cyclaminis, limonum an. ℥. v. olei. ros. lib. j. argenti viui extincti suo liquore, id est, saliua ℥. iiij. misce, & fiat vnguentũ. Hoc valet ad tubercula faciei elephanticorum.

Ad rugas faciei.

℞. decoctionis brioniæ, decoctionis ficuum an. partes æquales: abluatur facies.

Ad nodos sub cute apparentes, tanquam auellana, in multis partibus corporis.

℞. rad croci vel crocum ipsum. Pistetur cũ lacte mulieris, exhibeatur vt emplastrum pro vlceribus Italicis.

℞. citrini ℥ iiij. olei communis lib. j. bulliant per duas horas, donec ponatur iste puluis, semper agitando.

℞. mastiches, macis, aloës, lithargyri auri, cerusæ ana ʒ.ij fiat puluis.

Ad solis adustionem.

℞. succi plantag. solani ana ʒ. j. ß. lithargyri auri, & argenti ana ʒ j. plumbi vsti ʒ. ß. tuthiæ præparatæ ʒ. vj. caphuræ ʒ. ß. olei rof. ceræ q. ß. misce, fiat vnguentum.

Ad combustionem ignis.

℞. ol. rof. aquæ rosarum, albuminis ouorum, quod satis est, misce, & paretur, & per quatuor dies admoue loco adusto, quinto die admoue sequens emplastrum.

℞. olei nucum, ceræ nouæ ana ʒ. j. liquescant simul.

Ad combusta aqua & igne.

℞. mediani corticis sambuci ʒ. vj. olei rof. ʒ. j. ß. mastiches, thuris ana ʒ. ß. ceræ albæ ʒ. ij. bulliant in ℔. iiij. aquę ad consumptionem medietatis, donec expumetur, & refrigeretur: quod supernatat, idoneum est adustioni admouere.

Ad vstionem.

℞. succi solani, plantaginis ana ʒ. ij. corticis mediani, sambuci ʒ j. ol. ʒ. j. coque in duplici vase ad consumptionem succorum, cerusæ lotæ in aqua rof. lithargyri auri ana ʒ. j. ß. tuthiæ præparatæ ʒ. iij. corticis thuris ʒ. ij. axungiæ porci recentis sine sale, & lotæ in aqua rof. ʒ. x. ceræ albæ, quod satis est, fiat linimentum. In fine adde albumina ouorum nume. ij. caph. ʒ. ß. vngatur.

Ad partes igne affectas.

℞. calcis nouæ, vel potius nouæ in aqua rof. lotæ ℔. iij. succi rof. plantaginis ℔. ij. misc. fiat vnguentum. Ab Auicenna laudatur.

Ad ambusta faciei ex aqua calida.

℞. collyr albi raf. ʒ. iij. (nitendum, ne ad oculos perueniat) aquæ peculi rof. q. satis est, fiat collyrium, quo lauetur.

Ad ambusta experti sunt nonnulli hoc exemplastrum fœlici successu.

℞. olei rof. ʒ. ij olei ex seminibus cucurbitæ expressi ʒ. j. ß. cerę albæ q. ß. fiat vnguẽtum, quo vtantur combusti.

Ad leniendum faciem post combustionem.

℞. vnguenti pomatæ ʒ iiij. olei rosati ʒ. iiij. vnguenti ʒ. ij. fiat linimentum.

Ad combustionem ex empyricis.

Vbi quis exustus est aut aqua calenti, aut igne, imponat partem affectam in aquam frigidam. Si id nequeat fieri, lintea madefacta aqua frigida vicissim parti affectæ imponat. Interim accipe cæpam magnam cum quatuor granis salis. Tere in mortarium, & combustioni impone. Cæpa aufert ignem.

Ad delenda vestigia morbillorum in pueris.

℞. ol. de lilio lib. j. pingued. ℥. iiij. ol. ros. ℥. lauentur diu cum aqua ros. & liliorum. Deinde,

℞. albumina ouorum recentia numero iiij. in testis suis parentur, & ad ignem parùm coagulentur, misce in mortario cum supradictis, amygdal. dulc. & amararum decorticatarum ana ℥. j. Deinde incorporentur, & pistētur cum supradictis. Adde rad. arundinis ℥. ij. ß. sarcocollæ, seminis melonum cum cortice mundi & abluti, lithargyri auri, sacchari, medullæ anisi, cretæ, ex qua fiunt vasa fictilia, ana ʒ. j. omnia misce in mortario, donec formam linimenti habeant.

Ad pustulas purpureas per corpus dispersas.

℞. ol. ros. ℔. ß. succi plantaginis & solani ana ℥. ij. cerusæ ℥. j. sulphuris ʒ. iij. lithargyri ℥. j. ß. axungiæ porci ℥. ij. reducantur omnia in mortario plumbeo, donec ad formam linimenti perueniant, & vngantur partes affectæ.

Ad combustionem ignis & aquæ.

Lardum antiquum ferro ignito superpone, deinde excipe guttulas ardentes cadentes in aquam frigidam, & pinguedinem, quæ supernatabit, excipito, & cum aqua ros. subigito, & parti combustæ apponito.

Pro muliere combusta in genu, pectore & collo, ex aqua calida.

℞. cerusæ lotæ in aqua ros. ℥. j. calcis lotæ in aqua ros. vel solani ʒ. iij. pul. vnguenti citrini ℥. ß. mucilaginis seminis cydoniorum, & pyrorum extractis cum aqua ros. ℥. iij. ducantur omnia in mortario, donec acquirant formam linimenti addendo aquæ solani modicum, fiat linimentum ad partem affectam.

Ad idem.

℞. vnguenti pomatæ ℥. iiij. olei ros. ℥. iij. vnguenti

citrini vnc.semis: fiat linimentum.

Aqua distillata ad idem.

℞. sulphuris viui ℥.v. thuris albi, myrrhæ electæ ana ℥. ij. crystalli calcinati ℥. ß succi limonũ ℥. iiij. caphuræ ℥. j. ß. aquę florum fabarũ, ros. ana ℔. j. puluerisentur, & simul misceantur, fiat aqua, quæ seruetur ad vsum dictum.

Ad prohibendam caluitiem lauetur vrina.

Ad dentes nigros & erosos.

℞. theriacæ q. j. elixetur cum succo fœniculi & vino albo pro dealbatione dentium.

Ad erosionem dentium.

℞. cornu cerui vsti ℥. j. mastiches ℥. vj coralli rub. vsti ℨ. j. fiat puluis, quo fricentur dentes.

Dentifricium optimum.

℞. hyss. orig. mentæ ana ℨ. ij. aluminis scissilis, cornu cerui, salis communis ana ℨ. j. excipiantur, & vrãtur in olla, donec in prunas reducãtur, adde piperis, pumicis, pyrethri, mastiches ana ℨ. ß. myrrhæ odoratæ, cinamomi electi ana ℈. j. tere subtilissimè, cribra, & seruetur puluis ad dentifricium. Si cum pyramidis forma facere volueris, excipies puluerem styracis vel ladani in aqua ros. In succis sit crusta panis calcinata addita.

Ad splendorem vnguium.

Vnge vngues vnguento amygdalarum amararum.

Psilotrum.

℞. pul. noctuæ ℥. j. cumini, sanguinis vespertilionis ana ℥. iij. fiat linimentum, moschi ℈. j. hoc in pul. nostro ingreditur lapis marinus, vrtica marina, ana partes æquales. Nam tota substantia capillos euellunt, nec renasci patiuntur. Summopere autem præstandũ est, vt pars, cui debet applicari vnguentum, primò lauetur, lixiuio cinerum sarmentorum id faciet. Quòd si post admotum medicamentum pruritus relinquatur in parte, vnde pili deciderunt, vngatur vnguento albo Rasis, aut decocto seminis hyoscyami, aut seminis caulium. Hoc autem vtendum est, aliis purgato corpore. Nam medicamenta acria ad partes humores attrahunt. Sextus philosophus plethoricus vtitur vrina canina, & lacte canino, & gummi hederæ, & succo thithymali ad depilandum. Non solùm euulsos ne renascantur prohibet, sed depilat.

Pro

Pro barba.

℞. mellis optimi ℔.j foliorum abrotani maris M.ij. misceantur simul, ac distillentur in balneo Marię. Deinde accipe stillaticij liquoris vnc.ij. cineris talpæ ℥.iiij. cineris truncorũ cauliũ vnc.iiij. ladani purissimi ʒ.ij misce, fiat linimentum, quo vtatur ad liniendam barbam.

Ad serpigines.

℞. succi lapathi acuti, rad. cyclaminis, ranunculi, serpentariæ, ana vnc.j ß. succi limonum ℥.ij. lithargyri auri vnc.j.ß. thuris mastiches ana ʒ.v. olei tartari, laurini ana vnc.j. vitreoli albi, boracis vsti ana vnc.ß. axungiæ porci recenter infusæ, & liquefactæ q.j. argenti fugitiui vnc.j.ß. olei ros. q.ß. fiat vnguentum satis liquidum.

Quoniam autem sublimatum, cerusa, & omnia ferè metallica ex plumbo dentes ferè denigrant & corrumpunt, hunc in modum cauendum esse videtur hoc incommodum. Dum mulier est fricanda, ore contineat oleum amygdal. dulcium, vel aliquam partem, vel amygdalas antiquas mandat, sed ol. amygd. dulcium est præstantius, quo etiam vti solemus in vnctionibus, quæ solent fieri in morbo Italico. Nam argentum viuum non minùs, quàm cætera, dentibus infestum est. Tum hoc notatu dignum est, quòd ab omnibus metallicis his splendida facies efficitur, eíque veluti tectorium inducitur, sed indecorem inducit. Quare meliores sunt fuci, qui citra hæc parãtur, præsertim pro formosis, quæ modicè astringentibus & abstergentibus vti debent, non autem vehementioribus: quæ autem minùs sunt formosæ & rugosę, vehementioribus vti debent.

FINIS.

